
11060

ANTIDOT·MESVAE

PRO:·CÕI:·BIBLIO
TECA:·PHARMACO
PEORV̈:·VRBIS:·
·:LVTETIAE:·


VERSANTUR HIS TRIBUS


0 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10

IN ANTIDOTARIVM IOANNIS FILII MESVAE, CENSVRA.


Cum declaratione simplicium Medicinarum, & solutione multorum dubiorum ac difficilium terminorum.

AD HAEC,

RECEPTARIVM quàm castigatissimum cum suo Repertorio, in calce apposuimus.

Opus sanè tam Medicinæ studiosis, quàm Aromatarijs necessarium.





PARISIIS,
SVB INSIGNI FROBENIANO.
1546

Ἀντωνίου τοῦ ὑπάρχου.

Οἶμον ἀϊστορίης νέφος εἶχε μέγ᾽ ἀμφικαλύπτον
Πρὶν κατακρυπτόμενον. ἐκπόθεν ἀλλὰ φανεὶς
Πᾶσιν ὅδ᾽ ἄγγελος ἀγγέλλει ναῷ, οἶμον ἐναργῆ
Ῥυόμενον θνητῶν καὶ ἀΐδαο γένος.

GVILIELMO PELLICERIO EPISCOpo Montis Pessulani, Abbati Scalariarũ, & Consiliario: atq; Christianissimi regis Requæstarum Magistro, Frater Angelus Palea Iuuenatiensis, & frater Bartholomæus ab Vrbeueterum Ordinis minorum obseruantiæ Prouinciæ Romanæ d. giorinazzo d'Orvieto

S. P. D.



VM Aeterni Redemptoris nostri IESV CHRISTI pijssimis institutis maximè, non solùm naturæ nostræ legibus, Reuerende Præsul, teneamur omnes inuicem semper adesse. Nos qui iampridem Seraphici Sancti Francisci religioni deuoti fuimus, dum curandis infirmis fratribus in Monasterio Aræcœli Romæ præficimur, eo animo sumpsimus demãdatum nobis hoc ipsum munus, vt post obseruatas diuinorum officiorum horas, nihil nostro iudicio relinqueremus intactũ, quod faceret ad inculpata medicamina administranda: ne dum ea pro salute recuperanda, & proroganda vita, male apparata administrantur, vitá plerunq; cum morte imprudenter commutetur. Id verò negotij propterea fuit nobis, in legendis diligenter authorum libris, qui in hanc causam conscripti, in manibus Medicorum & Aromatariorum cõtinuè pro approbatis omnium consensu versantur, inter quos præcipuus ferè est, qui Mesuæ inscribitur. Siquidem, paucis exceptis, omnia nũc hoc nostro tempore, ipsi attribuuntur accepta, quæ continuo in vsu sunt conscripta medicamina. In ipsis verò libris non pauci deprehenduntur errores, qui dum sopita mente admittũtur, facile Aromatarijs, Medicisq; (& quod peius est) ipsis infirmis imponunt. Ergo hæc iusta est susceptihuius nostri laboris causa. Vt quantum nobis datum est ab Optimo Deo, id in hisce corrigendis impenderemus. Quod si minus, quàm par sit, huic muneri suscepto assequimur, in magnis & optimis (vt dicitur) satis sit voluisse ad animum. Vt ergo diximus, in libro filij Mesuæ corrigendo laborauimus magis. Qui & si Græcus nõ fuerit, quibus omnia nunc ferè omnes medicinæ studiosi accepta referunt, non est tamen ita posthabendus illis, vt etiam in illius laudem illud dici possit: Laudamus veteres, sed nostris vtimur annis. Cùm nullibi locorum nullus non medicus, hisce coaceruatis ab ipso nõ vtatur. Et aliqua reperiantur in

ipſo,& Arabum libris poſteritati mandata (quę nunc in plurimo & præcipuo vſu ſunt) quæ Græcis ante Arabes ipſos, neq; viribus ipſis, neq; nomine cognita admodum fuere. Sicut Caſia fiſtula communis, Sena, Sebeſten, Sandala, Muſcus, Zedoaria, Rheubarbarum, Myrobalani, aliaq; id genus plurima. Succeſsit autem hoc nobis conferentibus innumera ferè exemplaria antiquiora, & approbata magis, tam impreſſa quàm manu ſcripta, cum antiquo admodum libro hebraico, conſultis doctiſsimis in ea lingua viris, necnon recognitis eiſdem apud celebres alios authores medicinæ medicaminibus. Quod opus dum cogimur à plerisq; continua efflagitatione, in gratiam ſtudioſorum publicare, non immeritò tibi doctiſsimo, & integerrimo Præſuli, eidemq; humaniſsimo, quibuſcunq; potuimus precibus prius quàm emitteretur, dijudicandum dicare cogitauimus. Non enim eo ſumus animo, vt quæ nos probauimus, ea placere doctis quibuſq; poſſint, tam facile credamus. Poſtquam igitur tibi, Præſul ampliſsime, ita viſum eſt, alijsq; plerisq; conſummatis viris in hoc genere doctrinæ, vt iure merito emitti poſsit. Sic eo animo publicãdum dedimus, in gratiam eorum, qui medicinæ initiantur (ſiquidem doctis hæc non ſcribuntur) vt maior poſthac relinquatur nobis meliora ſimul conſtituendi in vnum aliud opus, quæ Græci Arabesq;, & Latini notauere, medicamina. Atq; in eo exarandi, quæ non potuimus, plura de ſimplicibus & compoſitis, in hoc compendio reponere. At propterea illis vertendum vitio non putabimus, quòd errauerint, & nobis, quòd illos notauerimus errore aliquo, in multo & vario opere. Homines enim ſumus, qui dum labi poſſumus, in re maxima tam lubrica, laudandi potius dum conamur ad meliora, & eo magis, cùm non pauca ſint, quæ interea aſſequimur bona. Gratiam autem immẽſam habemus tibi, vir humaniſsime, quòd nõ ſolùm nos dignatus ſis hoc honore ſuſcepti, & dijudicati operis, ſed quòd & largitate tua impenſas dederis pro imprimendo hoc ipſo opere, & pro nobis ipſis fouendis non paucas. Pro quibus collatis beneficijs, poſtquam pauperes animo, & rebus fortunæ ſumus, & propterea retribuere non valemus, ipſe (vt ſuppliciter precamur) retribuat: qui dator eſt omnium bonorum omnipotens Deus.

Valeat Dominatio tua feliciter, vt optat.

Ex ſacro Arœcæli conuentu. Romæ

Quarto Nonas Iulij.

M. D. XLII.

IND

INDEX RERVM PRAECIPVARVM IN HAC ANTIDOTARII MESVAE CENSVRA CONTENTARVM.

ABſynthium quid. 362
Abſynthij murorũ vrbis notæ. eod.
Abſynthium Romanũ duplex. eod.
Abſynthium abſolutè. 363
Abſynthij & Eupatorij ſuccus. 139.
Acaciam veram ſupplentia. 290
Acantha leuce. 377
Acantha Arabica. eod.
Acetoſa abſolutè. 317
Aceti ſquillitici doſis. 394
Acetoſæ herbæ ſpecies plures. 317
Acetum quid. 337
Aceti bonitas in quo cõſideretur. 338
Acetum abſolutè. eod.
Acorus conditus. 282
Acorum ſupplet calamus aromaticus. 144
Acori conſideratio. eod.
Acreſta vnde dicta. 325
Actequid. 530
Adeps cuiuſlibet animalis abſolutè. 515
Adipis conſideratio. 514
Agaricum quid. 496
Agaricum nigrum, malũ. eod.
Agarici, Reubarbari & ſimiliũ infuſio. 263
Agnus caſtus quid. 397. & 455
Agni lingua. 433
Agrifolium non eſt lotos. 468
Alariel conſideratio. 531
Albatecha quid. 459
Alephangina quid. 419
Alleluia quid. 519
Allegretum quid. 504
Allij conſideratio. 593
Allium abſolutè. 564
Alliarica quid. 141
Aloe quid. 471
Aloë abſolutè. eod.
Aloës ablutio. eod.
Aloen malam abluẽdi modus. 472
Alcannæ conſideratio. 603.
Alchelengi, & eſt medicamen magnum. 270
Alchechengi quid. 458
Alcheil quid. 158
Alchermes ſiue Chermes quid. 27. & 30
Alchilil quid. 385
Alcohol ſignificatio. 155
Alcohol, ſiue alcofol quid. 154
Alfeſceræ ſuccus abſolutè. 396
Alfeleniemiſch & Ozimi conſideratio. 20
Alharif quid. 422
Alhoſor. 9
Almahaleb, ſiue Mahaleb. 580
Alrachine quid. 586
Alumen abſolutè. 439
Ambra. 74
Ambræ conſideratio. 32

Ambra cruda. eod.
Ambrarum quæ præſtātior. 75
Ambra canina. eod.
Ambrum nigrum. eod.
Ambra camphoræ ſpecies. 425
Ambra vbi reperitur. 416
Ammi ſiue ameos cōſideratio. 96
Ammi noſtri deſcriptio. eod.
Amomi conſideratio. 99.
Amomum ſupplentia. 100
Ammoniacum ſiue Armoniacum quid. 486
Ammoniacum plura ſignificat. eod.
Amygdalarum conſideratio. 234
Amygdala abſolutè quid. eod.
Amylum abſolutè. 285
Argenti viui conſideratio. 546
Argenti ſcoria quid. 539
Argentina quid. 142
Argyritis quid. 544
Arnogloſſa quid. 433
Arnogloſſa abſolutè. 434
Armala quid. 486
Ariſari deſcriptio. 196
Ariſtolochiæ cōſideratio. 150
Ariſtolochia abſolute quid. eod.
Ariſtolochiæ tria genera. eod.
Aromatizandi modus. 279
Aromaticum Nardinum. 72
Aromaticum roſatum minus. 70
Aromaticum muſcatum. eod.
Aromaticum garyofyllatum. eod.
Aromaticum roſatum ſtomachicum. 68
Aromaticum roſatum deſcriptione Gabrielis. eod.
Artemiſiæ conſideratio. 568
Artemiſia abſolutè quid. eod.
Arthanitæ conſideratio. 523
Arthanita abſolutè quid. 524
Arbor Mariæ. 525
Arſenicum quid. 440
Aſari & Carpeſij cōſideratio. 192
Aſarum. 7
Aſari varia nomina. 8
Aſſæ ſiue aſæ conſideratio. 164
Aſcalonia quid. 55
Aſek ſeu Alſech quid. 606
Aſphaltum quid. 562
Aſphodelus quid. 537
Aſphodelus abſolutè eod.
Athanaſia. 568
Athanaſia magna. 180
Attractylis quid. 579
Ana quid. 3
Anacardis quid. 166
Anethi conſideratio. 589
Anethum abſolutè quid. 590
Andrachnes quid. 349
Anguria quid. 345
Anguria abſolutè. 460
Aniſum quid. 428
Aniſi loco quid ſumendum. eod.
Anthofilus quid. 71
Antonij Muſæ Braſauli error. 42
Apium aquæ. 36
Apij ſemen quid. 137
Apij conſideratio. 90
Apium hortenſe ſiue ſatiuum. eod.

Apium paluſtre. eod.
Apij & Endiuiæ ſucci quãtitas ſufficiens. 380
Aqua ſolatri. 482
Aqua camphoræ. 425
Aqua cannarũ zucchari quid ſuppleat. 348
Aqua fructuum. 405
Aqua Cytoniorum. 84
Aqua Rutæ agreſtis. 536
Aqua Caſei quid. 407
Aqua ſimplicium rerum quomodo intelligatur. 85
Aqua alicuius rei apud antiquos, quid. 420
Aqua granatorum. 348
Aqua malorum de ſchemi. eod.
Aqua decoctionis radicũ quæ. 421
Aqua ardens, ſcilicet aqua vitæ & aqua ſaponis. 557
Aquæ vitis medicina. eod.
Aquæ vitis ab aqua vitæ differentia. eod.
Aquæ ſimplicium ſunt ſucci. 421
Aquæ Caſei & Agarici infuſio. 260
Arciuuà quid. 401
Auellana quid. 575
Auicennæ error de Hormino. 130
Auicennæ textus in hiera men doſus. 13
Auicennæ error in Hiera Archigenis. 204
Aureus quid. 3. & 195
Auripigmentum citrinũ quid ſuppleat. 441
Auripigmentum [illegible] rubeum. 556
Auricula muris non eſt piloſella. 571
Auricula vrſi. eod.
Aurum & argẽtum de medietate. 25

B

Baccaris nõ eſt garyophyllata. 567
Bacca Syriaca. 467
Barba Iouis quid. 377
Barba hircina. 420
Balach quid. 327
Balauſtij & Cytini ſupplentia. 162
Balauſtiorum conſideratio. 160
Balauſtij & Cytini differentia. 161
Balſamum quid. 583
Bambacis ſemen quale. 308
Bambax arte non dealbatur. 308
Batecha quid. 459
Batecha abſolutè. eod.
Batus quid. 292
Baucia, paſtinaca ſylueſtris, carui agreſte idem ſunt. eod. & 126
Baucia quid. 59. & 125
Bauciæ conditæ. 282
Baurach conſideratio. 97
Bdellij conſideratio. 502
Bedegar quid. 377
Been vel ben conſideratio 40
Been ſupplentia. 42
Ben quid. 576
Beſaſa quid. 487

Bitumen duplex. 562
Bolum Romanorum. 661
Bolum Armenum quid. 432
Bolum non Armenum 460
Boli non Armeni loco quid sumendum. eod.
Borago non est buglossum antiquorum. 331
Brancha leonina. 537
Borago & Buglosſũ domesticum & sylueſtre. 331
Braſauli malum de Auicenna iudicium. 430
Braſauli error. 595.& 577
Braſauli dubium de Carpeſio & Cubebis. 193
Braſauli error in chermes & cheſmes. 302
Braſauli error de ſtorace liquida. 186
Braſsica canina. 572
Bromus quid. 579
Buglossà quid. 236
Buglossæ domesticæ vel sylueſtris loco quid ſubminiſtretur. 330
Burungi quid. 166
Burungi ſupplentia. 267
Butyrum abſolutè. 287
Buzeiden ſpecies ſatyrionis. 50

C

CAcale quid. 452
Cacca ferri quid. 127
Cacca ferri & ſquamma ferri differunt. eod.
Cadmia quid. 545
Calcadis quid. 439
Calamentum abſolutè. 374
Calamentum domeſticum & ſylueſtre. 372
Calamenti ſylueſtris loco quid ſumatur. 373
Calamentum fluuiale & montanum. 87
Calamentum fluuiale eſt menthaſtrum. 88
Calamentum montanũ eſt nepeta. eod.
Calx quid. 441
Camphora quid. 424
Camphoræ optimæ notæ. 425
Chamælex deſcriptio. 259
Chamæleon albus. 379
Chamæpitys ſiue Chamæpiteos quid. 357
Chamædry ſiue Chamædreos quid. eod.
Chamomillæ conſideratio. 588
Cannabis conſideratio. 572
Cannabis abſolutè quid. eod.
Cannellæ facultas. 76
Cannæ zucchari. 348
Canitiem remorantia. 111
Cappar ſeu capparis quid. 455
Capillamentum thymi. 381
Capreoli quid. 555
Caquenegum quid. 608
Caquenelegi quid. 609
Cardamomi maioris Arabum loco quid ſumendum. 454
Cardamomũ minus Arabum. eod.
Cardamomum abſolutè. 452
Cardamenum quid. 452

Cardinalis de Rodulphis habet Dioscoridem vetustissimum manu scriptum cum figuris. 130
Cardumeni loco quid sumendum. 454
Cardumeni non est peucedanum, nec seselli. eod.
Cardui, qui corona fratrum dicitur, consideratio. 379
Chalcuanthos quid. 439
Carenum quid. 399
Charta quid. 441
Charta antiquorum. 442
Chartanus quid. 578
Charabis quid. 456
Charub, seu Carnub de spinis. 468
Charmezith consideratio. 133
Carlina quid. 278
Carlina duplex. eod.
Carpesium quid. 170
Carui consideratio. 60
Casia. 7
Casia lignea. 80.& 123
Casia fistula vulgaris. 82
Casia absolutè. 81.& 225
Casia fistula. eod.
Castanea aquatilis. 606
Castoreum siue Castoriũ quid. 175
Castoreum supplentia. 175
Cataputia duplex. 576
Catharticum quid. 506
Caucum. 137
Cauda vulpis. 436
Cauenizich consideratio. 530
Caulis imperialis. 572
Caulis absolutè quid. eod.
Caulium consideratio. 571
Cauterium Andromachi. 556
Centum capita. 537
Cæpe Muris quid. 202
Cæpæ consideratio. 55
Cerasorum consideratio. 579
Ceræ consideratio. 508
Cera absolutè. eod.
Cerotum quid. 508
Cerotum de saudalis. 535
Cerotum Galeni vltimum in infrigidatione. eod.
Cerotum Diapente. 550
Cerotum Alexandrinum. eod.
Cerotum aliud eiusdem. eod.
Cerotum Andromachi factum ex nouem medicinis. 550
Cerotum Galeni stomachum confortans. 549
Cerusa quid, & quomodo fiat. eod.
Cetherach quid. 411
Cetus & canis piscis differunt. 416
Chebuli conditi. 275
Cheisim, quod non est Cordumenum. 397
Chelidonium siue chelidonia quid. 494
Chelidoniũ vulgò Celidonia. 137
Chermes à cocco in quo differat. 31
Chermes quid. 303
Cherua quid. 576
Chesmes, seu kesmes, vel Alkesmes. 302
Chesmes quid. 31

Chryſocome quid. 377
Chryſomila & perſica. 575
Chryſomela. 389
Chriſtophori de Honeſtis error. 101
Chriſtophori de Honeſtis error de Seitaragi. 164
Chirat ſiue kirath quid. 451
Cicer imperatoris. 606
Cicerum proprietas. 54
Cichorij veræ ſpecies. 220
Cicum quid. 577.& 162
Cicuta non eſt harmel. 486
Cicuta non eſt ore ſumenda. eod.
Cymini carmeni conſideratio. 94
Cinnabaris quid. 429
Cinnamomum, Darſeni, Cinnamum, Caſia & Caſia fiſtula quid, & in quo differant. 65.& 126
Cinnamomi & Darſeni & Cinnami conſideratio. 100
Cinnamomi conditiones ſiue notæ. 78
Cinnamomum ſupplentia. 82
Cinis plumbi. 539
Ciſti fungus in quo differt à leone leguminum. 432
Cirſion nõ eſt noſtra bugloſſa. 333
Citra condîta. 277
Citrangulum pomum. 325
Citra ſiue citria quæ. 324
Citri cortex & caro. 324
Citrullus abſolutè 460
Citri cortices. 33
Climia & eius genera. 545
Crocodilea. 56
Crocus vel crocum quid. 437
Coccia quid. 470
Colchicon quid. 506
Colchotar quid. 437
Coloquintida non adminiſtranda niſi præparata. 444
Coloquintida ſeu colocynthis quid. 445
Cornuum laus & virtus. 183
Coralli conſideratio. 23
Corallium quod optimum. eod.
Coriandrum quid. 464
Coriandrum abſolutè. 465
Cornu capræ vſus. 182
Corona montis quid. 159
Coſti deſcriptio. 152
Coſti plures ſpecies. eod.
Coſtum ſupplentia. 153
Coſtum noſtrum eſt laſulata Italica eod.
Cotyledon quid. 705
Cottonis grana. 307
Cotula quid. 589
Coloquintidis, Scãmonij, Turbith & ſimilium vtendi momodus. 242
Columbi agreſtes. 559
Conchula quid. 154
Condîtum aliud de citro. 387
Condiſi ſeu Radiculæ conſideratio. 612
Condîtum de citro & citrum cõdîtum differunt. 386
Compoſitiones reſeruãdæ quæ parari debent. 143
Compoſitionum quarumlibet ſcopus. 194

Con

Conyza vocatur pulicaris ab effectu. 236
Confectio alchermes & confectio Lapidis Lazuli idẽ sunt. 27
Confectio Almezereon ex inuẽtione nostra, quod est medicamen benedictum. 255
Confectio Electuarij alharif, & est Electuarium boni saporis quod cõposuimus nos. 221
Confectio Philonij, descriptione Hamech, filij Zachariæ. 176
Confectio Trochiscorũ Diarhodon. 420
Confectio Trochiscorũ de rosis triplex. 421
Confectio Miuæ acetosæ. 393
Confectio Miuæ alterius. eod.
Confectio Miuæ factæ ex succo fructuum. 394
Confectio medicaminis quod scripsit Hamech. 239
Confectio Alfelceræ quam scripsit Democritus. 248
Confectio Sebelliæ, vel Sebellinæ. 417
Cõfectio de cytonijs facta cum succo cytoniorum. 102
Confectio Trochiscorum alandahal. 444
Confectio alia testiculorũ vulpis. 52
Confectio de Xyloaloës. 32
Confectio Trochiscorũ de eupatorio. 427
Confectio Miuæ simplicis. 392
Confectio de Zinzibere. 281
Confectio Philonij, ex innentione propria. 168
Confectio Galliæ muscatæ. 415
Confectio de Galanga. 60
Confectio vnguenti sanantis vulnera. 549
Confectio electuarij diaconiten. 273
Confectio alia Hamech. 244
Cõfectio hieræ archigenis. 202
Confectio Trochiscorum de terra sigillata. 429
Cõfectio alia Galliæ Alephãginæ. 429
Confectio Ramich. 412
Confectio de Turbith. 232
Confectio de seminibus. 99
Confectio Trochiscorũ de Sandalis. 445
Confectio Trochiscorum de lacca. 428
Confectio Trochiscorum de ligno aloës. 451
Confectio Trochiscorum de capparibus. 455
Confectio in medicinis plurimũm potest. 200
Confectio alia electuarij alharif boni saporis, quod etiam composuimus nos. 223
Confectio Trochiscorũ de berberis, duplex. 426
Confectio Trochiscorũ de spodio. 425
Confectio Trochiscorũ de spodio, cum semine acetosæ. eod.

eod.
Confectio electuarij ex inuentione nostra. 153
Confectio de Dactylis, & est Diaphænicon, quam scripsit filius Zezar. 232
Confectio alia Trochiscorum de sandalis. 446
Confectio Trochiscorum Hamech. 447
Confectio Psoricon. 548
Cõfectio alia Galeni, & est confectio de acetosis. 106
Confectio de Cytonijs bona. 100
Confectio Trochiscorum de Absynthio. 426
Confectio Trochiscorũ de cyperis. 448
Confectio mannæ ex inuentione Galeni. 250
Confectio Trochiscorũ de croco. 436
Confectio Trochiscorũ de aniso, duplex. 428
Confectio Trochiscorũ alchechengi. 458
Confectio electuarij Indi maioris. 424
Confectio Trochiscorũ de cãphora. 424
Confectio de prunis. 108
Confectio de storace. 185
Confectio de raued seni. 151
Confectio Trochiscorum de Rheubarbaro. 423
Confectio de Cinnamomo. 78
Cõfectio Trochiscorũ de Arsenico. 439
Confectio de Musco amara. 47
Confectio Trochiscorũ de charabe. 455
Confectio Anacardina, & est confectio sapientum. 165
Confectio de Assã. 153
Confectio de musco dulcis. 39
Cubebæ quæ, & eorum consideratio. 106
Cucubæ & Carpesium idem. 193
Cubitorum consideratio. 450
Cucumer absolutè. 460
Cucumeres. 345
Cucumeris asinini succus absolutè. 528
Cucurbita desertivel syluestris. 195
Cucurbita absolutè. 319
Cucurbitæ communiores. 318
Cucumeris asinini consideratio. 527
Cuperosa quid. 438
Cuperosa duplex. 439
Curcuma officinarum. 450
Curcuma quid. 137
Curt quid. 469
Custos horti quid. 677
Cuscuta quid. 221
Cuscuta est de genere epithymorum. 382
Cuscutæ semen. 269
Cyclamen absolutè quid. 524
Cytonia condîta. 276
Cytoniorum species. eod.
Cytonia struthea. eod.
Cytonia absolutè. eod.
Cytoniorum genera. 388

Cytoniorum vſus. 277
Cyminum Apulienſe. 95
Cyminum carmenum. eod.
Cyminum ſylueſtre. eod.
Cynogloſſæ conſideratio. 501
Κυνόσβατος ſiue Rubus caninus. 293
Cyperus ſeu cypirus quid. 449
Cyperus verus Romæ colligitur. eod.
Cyprus arbuſcula. 603

D

DAuci conſideratio. 125
Daucus Creticus. eod.
Darſeni. 75
Decoctio Fumi terræ. 408
Decoctio Alhaſce. 409
Decoctio Myrobalanorũ. 410
Decoctio de ſticados. eod.
Decoctio de Eupatorio. eod.
Decoctiones & infuſiones in generali. 404
Decoctio Epithymi. 411
Decoctio ſpecierum Alephanginarum. 474
Decoctiones vſitatiores. 413
Decoctio capillorum Veneris. 405
Decoctionum compoſitarum exemplum & regula. 217
Deus caballinus quid. 171
Diacalamentum deſcriptione Galeni. 87
Diacyminum bonum. 73
Diacyminum valens. 93
Diaconiten ſolutiuum. 273
Diacoſtum quid. 151
Diacurcuma maior. 136
Dicurcuma minor. 142
Diagridium quid. 254
Dialacca magna quid. 148
Dialacca minor. 150
Diambra. 74
Diamoruſia quid. 143
Diamuſcum. 39
Dianiſum. 73
Diarhodon deſcriptione communi quid & vnde dicatur. 62.& 63.
Diaſulphur. 183
Diaſiracoſt ſiue dia alſiracoſt deſcriptione Irani, quæ eſt medicina benedicta. 208
Diatrion pipereon deſcriptione communi. 92
Diaturbith. 232
Dipſacum non eſt virga paſtoris. 434
Diſcoctum quid. 407
Doronici Italici deſcriptio. 6
Doronici, ſiue dorinigi conſideratio. 5
Doſis quid. 11
Dulcichinum venetorum. 6

E

EBoris conſideratio. 23
Ebur foſſile. eod.
Ebulus quid. 530
Eiarxamber. 82
Electuarium quid. 3
Electuarium de aromatibus. pag. 2
Electuarium confortans ſtomachum. 156
Electuarium eleſcoph. 239
Electuarium de Gemmis. 12
Electuarium Indum minus. 230
Electuarium Indum abſolutè. 224

Electuarium de granis myrti. 83
Electuaria quibus vtuntur reges & delicati. 104
Electuarium de fructibus. eod.
Electuarium de sorbis. 109
Electuarium de persicis. 103
Electuarium de pomis. 102
Electuarij sarbotheng descriptio. 37
Elephãtis pediculus quid. 166
Emblici conditi. 275
Emblici qui optimi. 26
Emplastrũ de allijs Alexandri. 563
Emplastrum Arabicum. 520
Emplastrum de Gallia. 554
Emplastrum aliud de Gallia. 555.
Emplastrum filij Zachariæ. 562
Emplastrum Diachylon. 551
Emplastrum Diachylon magnum. eod.
Emplastrum relatũ ad Andromachum. 556
Emplastrum aliud Andromachi. eod.
Emplastrum Oribasij. 564
Emplastrũ Oribasij aliud. 565
Emplastrum sinapismum. 557
Emplastrum de fermento. 559
Emplastrum stomachum & hepar confortans. eod.
Emplastrorũ suffumigatio. eo.
Emplastrum Diaphinicon descriptione Alexandri. 562
Emplastrũ Diaphinicon confortatiuum. 562
Emplastrum Diachylon paruum. 552
Emplastrum de granis Lauri. 553
Emplastrum relatum ad Aristarchum. 564
Emplastrum de meliloto. 565
Emplastra ab vnguentis quid differant. 507
Endiuiæ consideratio. 220
Endiuia vel Cichorea absolute. 220
Enulæ consideratio. 598
Epilibanotum quid. 383
Epirosmarinum quid. 383
Epithymum quid. 381
Epithymbrum quid. 382
Epiozimum quid. 383
Errorum causa. 38
Eruca Hispanica quid Plin. 558
Eruca quid. 57
Erucæ descriptio. 58
Eruca aquæ. 36
Esula vera. 268
Esulæ species. eod.
Euphorbium quid. 490
Euphragia quid. 492
Eupatorium quid. 376
Eupatorij interpretatio. 375
Eupatorij loco quid sumendum. 377

F

Faba absolutè. 302
Farina thuris. 254
Fauarella quid. 137
Faufel quid. 108. & 493
Fellis consideratio. 528
Fellis conseruandi modus. eod.
Fermentum quid. 560
Feruzegi siue smaragdi consideratio. 17

Fescera quid. 249
Fesceram siue fescerefim supplentia. 300
Fiber seu Castor. 175
Filicis consideratio. 529
Filix absolutè. 530
Fillum Indicum. 568
Fisticorum & Pineorum consideratio. 581
Flammula quid. 432
Folij consideratio. 24
Folium supplentia. eod.
Foliorum auri & argenti consideratio. eod.
Foliorum mezereon præparatio & infusio. 259
Folia Rutæ qualiter siccãda. 97
Foliorum, radicum, stipitum & similium infusio. 267
Fœniculi consideratio. 8
Fœniculum absolutè positũ. 9
Fœnugrecum quid. 515
Fragmenta quid. 14
Fragmenta quomodo molenda. 15
Fraxinella quid. 53
Fraxini consideratio. 619
Frixiõis vsus, & quomodo fiat. 156
Fructus in cõpositionibus. 105.
Fructus acerbi. eod.
Fructus maturi. eod.
Frumenti consideratio. 617
Fulfulmen quid & eius consideratio. 131
Fumus terræ quid. 367
Funis arborum. 271
Funis pauperum. eod.
Furculi qui. 561
Furfur thuris. 254

G

Gafet quid. 376. & 427
Gagatis lapidis consideratio. 619
Galangæ consideratio. eod.
Galbanum quid. 180
Gallia absolute. 417
Garyophyllorũ cõsideratio. 70
Garyophylatę cõsideratio. 567
Garyophyllata absolute. 568
Garyophyllus barisanus. 72
Garyophyllus hortulanus. 71
Garyophylli montani. eod.
Gattaria quid. 373
Geleniabin quid. 26
Geleniabin absolutè sumptum. 26
Gentianæ consideratio. 111
Geum quid. 567
Gith quid. 178
Glandium consideratio. 469
Glandium altera pro altera sumi potest. eod.
Glaux siue glauca quid. 494
Glaucium quid. 494
Gluten alzanac quid. 552
Gluten Alimathi quid. 534
Grabadin. 2
Granatorum flores. 162
Granatorum consideratio. 16
Granata muza. 346
Grana viridia quæ. 582
Granum Nil. 272
Granum gnidium quid. 257
Granum absolutè positũ quid significet. 30
Gubeira quid. 342
Guaril. 56
Gummi absolutè. 304
Gummi hederæ quid suppleat. 552

551
Gummi alhasce hundeg. 490
Gummi arabicum. 290
Gummi tragacanthum. 291
Gummi tragacanti infusio. 265

H

HAmech varia & multa nomina. 240
Harmel quid. 486
Harmel supplentia. 488
Harmel absolutè. eod.
Hasce, seu alhasce consideratio. 91
Hastula regia. 537
Hedyosmon satiuum. 361
Hemazi quid. 426
Heilbaugue quid. 452
Hemina quid. 610
Helenium quid. 598
Hepar Adib, id est, lupi. 182
Herba catarra quid. 88
Herba venti. 414
Herba lilialis. 286
Herba sancti Ioannis vulgaris quæ. 376
Herba sanctæ Mariæ. 526
Herba violarum. 570
Herba venti. eod.
Hermodactylorum consideratio. 505
Heuphiltis seu Ephystis quid. 430
Hiera Archigenis descriptione Arabum. 203
Hiera Archigenis descriptione Pauli. 203
Hieræ Asclepiadis descriptio.
Hiera coloquintidos secũdum Archigenem. 202
Hiera diacoloquintidos descriptione Ruffi. 205
Hiera Hermeti, & est hiera luf. 194
Hiera inuentione nostra. 207
Hiera picra quare dicatur Galeni. 190
Hiera picra Galeni. 187
Hiera simplex. 194
Hordeum quid. 443
Horminum quale in vetustissimo codice. 130
Hyacinthi consideratio. 15
Hyoscyamus absolutè quid. 171
Hypocistis quid. 430
Hysopum quid. 369
Hysopi cerotum descriptione Philagrij. 513
Hysopi cerotum descriptione Galeni. 508
Hysopi cerotum Diatessaron descriptione Democriti. 549
Hysopi Cerotum descriptione Pauli. 156
Hysopi humidæ operatio. 513

I

IAsminum quid. 477
Iberis vulgò vincitoxicum quid. 117
Infusio de Hiera. 141
Infusio alia Hieræ. 412
Infusio tertia Hieræ. eod.
Infusio ex omnibus floribus poteſt fieri. 312
Infusio rosarum siccarum. 314
Infusio in quo differt à decoctione. 404
Infundendi modi quot. 263
Infundẽdi duplex ratio, & modi varij. 265
Inguinalis quid. 536

Inter

Interpretatio coniũctionis Et, 30
Ioannes Damascenus vocatur Mesuæ. 240
Ireos absolutè. 287
Iua arthetica & muscata. 357
Iuiubæ quæ. 350
Iulep rosatum. 315
Iulep rosatum absolutè. eod.
Iulep Iuiubinum. 317
Iulep & Syrupus in quo differunt. 316
Iulep aliud rosatũ absolutè. 312
Iulep de succo violarũ, & Iulep de succo rosarum. 316
Iulben quid. 52
Iuniperi consideratio. 618
Iun de Beduſt quid. 166
Iusquiamum quid. 171

K

Kekengi quid. 458
Kerse quid. 76

L

Labrum Veneris. 434
Lac dulce. 51
Lac ouinum. 51
Lac absolutè. 604
Lac muliebre. 604
Lac acidum siue acetosum. 446
Laccæ consideratio. 149
Laccæ lauandi modus. 150
Laccam supplet lachryma sanguinis draconis. 149
Lacca absolutè. 428
Lachryma papaueris quid. 171
Lachryma sanguinis draconis. 429
Lactucæ consideratio. 591
Lactuca sexilis. 592
Lagopus quid. 567
Lanceola quid. 433
Lapidis Armeni descriptio. 499
Lapis Lazuli Armenũ supplet. 500
Lapis Hæmatites. 174
Lapidum pretiosorum & margaritarum fragmenta quomodo molenda. 15
Lapis sulphuris. 184
Lapis tabarzet. 274
Laterum declaratio. 621
Lathyris quid. 577
Lauandula. 601
Laudanum quid. 484
Laureola quid. 256
Laurum & grana eius. 553
Lazarolum quid. 341
Lazaroli loco quid sumatur. 342
Leonharti Fuchsij error. 434
Leoncistis quid. 431
Lepidium quid. 117
Lepidium ex authoris sententia. 119
Libanotis quid. 133
Libanotus quid. eod.
Librorum copia quomodo paretur. 101
Ligustici consideratio. 397
Lilium cœleste, siue Iris. 286
Lilium cœleste quid. 497
Lilij consideratio. 590
Lilium absolutè. eod.
Linctuarium. 3
Lini consideratio. 531
Lingua auis quid. 58. & 619
Lingua Canis. 501
Liquiritia siue glycyrrhiza quid. 368

Lithargyri consideratio. 543
Lithargyrium absolutè. 544
Lohoc de Alfescera. eod.
Lohoc de amygdalis. 310
Lohoc ad asthma. 309
Lohoc ad caliditatem. eod.
Lohoc bonum. 306
Lohoc de pino. 285
Lohoc de papauere & est diapapauer. 287
Lohoc de Squilla. 300
Lohoc sanum & expertũ ex inuentione nostra. 301
Lohoc aliud nostrum de intentione hac. 304
Lonchitis Indica. 492
Longina herba. 492
Lotio quorundam simplicium virtutem diminuit. 221
Lotus arbor vel Lotos. 467
Luminaris Maioris error. 16
Luminaris Maioris error de malis. 212
Luminare Maius in multis errauit. 117
Luf siue Luph quid. 55.& 195
Luph absolutè quid. 196
Lupus salictarius. 271
Lutra quid. 175
Lutum Armenum quid. 432
Lutum lemnium. 432
Lycium quid. 492
Lycium quare sic dictum. 493

M

MAcis quid. 4
Macis Plinio & Antiquis Græcis non bene cognita. eod.
Machazari vel Mazahari quid. 69
Maioranæ consideratio. 603
Mala, Poma & fructus. 212
Mala dulcia absolutè. eod.
Mala acetosa absolutè. eod.
Mala montana quæ. 394
Malum terrestre. 597
Malum canimum. eod.
Malicorium quid. 163
Mandragoræ cõsideratio. 594.
Manardus errauit ponendo asparagos pro folijs Lupulorum. 210
Manardus errauit in conchula. 154
Manardi error. 13.& 350
Manardi error de Hiera. 191
Manna Calabrensis. 252
Manna thuris quid. 133
Mãna, & mãna thuris quid. 251
Manna arborea. 253
Manna grossa, & de corpore. eod.
Manna fina. eod.
Manna cœlestis. 225
Manna ex fraxino & orno arboribus. eod.
Margaritæ consideratio. 13
Margaritæ absolutè quæ. 14
Marmacur quid. 146
Mastix quid. 509
Mater violarum. 414
Matriperna quid. 14.& 154.
Matricaria quid. 568
Meconium quid. 171
Medicamina mala respectu morborum fiunt bona. 231
Medicamẽtorum compositionis ratio. 28
Medicinarum variæ infusiones. 263

Medul

Medullarum consideratio. 514
Medulla humana omniū optima. eod.
Medulla vituli quid suppleat. 371
Mel violatum. 285
Mel buglossatum. eod.
Mel Alchilil. eod.
Mel crudum quare confectionibus adhibeatur. 46
Mellis consideratio. 11.& 45
Mel cannæ. 9
Mellis emblicorum consideratio. 25
Mel emblicorum & similium quomodo conficiatur. eod.
Mel rosatum. 284
Mel tabarzet. 274
Mel nō specificatum, despumatum denotat. 47
Mellis passularum cōsideratio. 249
Mellis tabarzet cōsideratio. eo.
Mellis passularum conficiendi modus. eod.
Mel aëreum. 250
Melegeta quid. 453
Mellicratum condîtum. 385
Meliloti consideratio. 565
Melissa species marrubij. 147
Melongena. 595
Melongenæ notæ. 596
Melones Romani. 345
Melones hyemales. eod.
Melo absolutè. 460
Memithe quid. 494
Mentæ consideratio. 7
Menta siue Mentha,& eius species. 361
Menta absolutè. eod.
Menta humida & similia quomodo intelligatur. 7
Menthastrum quid. 88.& 361
Mentucia quid. 362
Mercurius quid. 546
Mespilum æquiuocè de quibus intelligatur. 341
Mespilum absolutè. 342
Meum siue Meu quid. 138
Mezereonis semen quod. 200
Mezereon & eius species. 256
Mina quid. 610
Myrobalani citrini. 245
Myrobalani nigri dicuntur Indi eod.
Myrobalani chebuli absolutè. eod
Myrobalani citrini absolutè qui. 246
Myrobalani tres absolutè qui. 247
Myrobalani omnes. eod.
Myrobalanorum virtutes sibi contrariæ. eod.& 83
Myrobalanorū declaratio. 112
Myrobalanorum bullitio vna. 84
Myrobalanos infundendi & similia regula. 217
Myrobalanorū consideratio & declaratio. 83.112.128.& 144.
Myrobalanorum assatio. 134
Myrobalanorum omnium decoctio. 216
Myrobalani absolutè. 244
Myrrhæ consideratio. 179
Myrrha liquida quid, & pro quo sumatur. 583
Myrrhæ flos. 180
Myrrha liquida. 185

Myrtus quid. 326
Myrtus gentilis seu nobilis. eod.
Myrtus topiaria. eod.
Misch idem quod muscum. 44
Mistura ad vulnera sananda. 565
Miuæ consideratio. 10.& 85.
Miua nulla conficitur absque melle vel zucchara. 392
Miuæ omnes sub nomine syrupi computantur. 390
Miua absolutè. 86.& 390
Modus condîti de Buglossa. 388
Modus condîti de citro. 386
Modus cõfectionis de iacur, secundum intentionem Galeni, & est diacodion purũ. 289
Modus cõfectionis Alscebram. 267
Modus confectionis de moris, & est diamoron siue diamorum. 291
Modus confectionis testiculi vulpis. 47
Modus confectionis de succo corticũ nucũ, & vocatur græcè diacaryon. 296
Modus confectionis alcanzi. 158
Modus confectionis de Eupatorio. 269
Modus cõficiendi Electuarium de Dactylis. 234
Modus conficiendi. 67
Modus electuarij de Psyllio. 235
Modus electuarij rosati. 248
Modus electuarij de citro. 38
Modus generalis infundendi Gummi quodlibet. 265
Modus infundendi myrobalanos, Dactylos & similes fructus. 265
Modus infusionis de succis herbarum. 408
Modi infundendi semina. 266
Modus infusionis aquæ casei. 406
Modus iulep violati. 312
Modus operationis condîti de cytonijs. 389
Modus operationis iulep rosati. 312
Modus Oxymellis squillitici de radicibus. 396
Modus Oxymellis squillitici virtuosi. 395
Modus de Secaniabin de cheisim. 358
Modus Secaniabin de calamento. 358
Modus Secaniabin de radicibus. 355
Modus Secaniabin, solutione educentis phlegma. 356
Modus Secaniabin, solutione educentis melancholiam. 357
Modus syrupi acetosi de succis fructuum. eod.
Modus syrupi acetosi de succis & aquis fructuum. 340
Modus syrupi acetosi de succis herbarum. 339
Modus syrupi acetosi cum radicibus. 338
Modus syrupi acetosi de pomis, descriptione nostra. 344
Modus syrupi acetosi solutione educ

educentis choleram. 346
Modus syrupi acetosi de pomis. 343
Modus syrupi acetosi de prunis. 343
Modus syrupi acetosi alterniabin. 346
Molybditis quid Græcis, & quid Plinio. 544
Moly quid. 487
Morion quid. 595
Mora celsi. 292
Mororum genera. 294
Morus currens secũdum semitam. 202
Mucharus quid. 314
Mucharus rosarum vel violarum. eod.
Musci consideratio. 44.& 123
Muzum quid. 212.& 109

N

Nabath & Nabit. 222
Nabach quid. 465
Naphthæ consideratio. 620
Narcoticum quid. 176
Narcotica quibus admisceantur. 170
Nardus quid. 43
Nasturtij albi consideratio. 504
Nasturtij genera plura. 132
Nasturtium absolutè quid. eo.
Nasturtij assati semen. eod.
Nenupharis consideratio. 592
Nepeta quid. 88.& 373
Nerion quid. 547
Nicolaus Leonic. & Ioan. Tagautius errauerunt in descriptione de Turbith. 227
Nigella quid. 178
Nigellæ & Githonis differẽtia. 178
Nil quid. 272
Nitrum rubeum supplentia. 98
Notanda quædam. 175
Nux Alexandrina, 298
Nux Græca. 299
Nux vomica. eod.
Nux methel. eod.
Nucis consideratio. 575
Nux grossa. eod.
Nux absolutè quid. eod.& 297.
Nux pontica. eod.

O

Ocimi Caryophyllati descriptio. 22
Ocimi citrati consideratio. 40
Oesypum quid. 370
Oleandrum quid. 547
Oleũ de Amygdalis dulcibus. 574
Oleum de Amygdalis à maris. eod.
Oleum de Nucibus grossarum ventositatum est resolutiuũ. eod.
Oleum de Auelanis. eod.
Oleum de Chrysomilis. eod.
Oleum de persicis. eod.
Oleum de Ben. eod.
Oleum de Cherua. eod.
Oleum de Carthamo. eod.
Oleum de Nuce Indica. eod.
Oleum de Cerasis. eod.
Oleum de Amahaleb. eod.
Oleum de granis Citri. eod.
Oleum de Fisticis, & Pineis. eod.
Oleum Irinum. 590
Oleum sambacinum. eod.
Oleum de Cheiri. 591

Oleum de Papauere. eod.
Oleum de lactuca. eod.
Oleum de Meliloto. eod.
Oleum de Nenufare. eod.
Oleum de Cucurbita. eod.
Oleum sambacinum. 477
Oleum de Pulegio. 600
Oleum de Myrto. 597
Oleum de Enula. 598
Oleum lentiscinum. 510
Oleum de serpentibus. 614
Oleum de Cytonijs. 592
Oleum malinum, seu melinū. 593
Oleum de malis. eod.
Oleum de Pomis iabrolæ, & sunt poma Mādragoræ. 594
Oleum benedictum. 583
Oleum de granis sesami. 585
Oleum de semine lini. eod.
Oleum de semine lactucæ. eod.
Oleum de granis papaueris. eod.
Oleum de semine Cucurbitæ, Citrulli, Cucumeris & Melonis. eod.
Oleum vulpinum. 612
Oleum Nardinum. 600
Oleum Rosatum completum. 586
Oleum rude. 587
Oleum quare lauetur. 588
Oleum camæmilinum, & est oleum benedictum. eod.
Oleum Laurinum. 581
Oleum de granis viridibus, & est albotin. eod.
Oleum de schino. eod.
Oleum de storace. 602
Oleum Costinum. eod.
Oleum violatum. 589
Oleum Anethinum. eod.
Oleum Masticbinum. 601
Oleum de balsamo. 583
Oleum de lilio. 500
Oleum de Cinnamomo. 598
Oleū de pulegio pro quo subministretur. 199
Oleum de Ruta. 600
Oleum de sauina. 599
Oleum alhasech. 604
Oleum sericinum. 605
Oleum sinapinum. 617
Oleum de iunipero. eod.
Oleum fraxininum. eod.
Oleum alchilil, siue alkikil. 621
Oleum de frumento. 617
Oleum de Ouis. 616
Oleum de Ranis. 615
Oleum de alcanna. 602
Oleum de Gagate, & est oleū sacratum. 619
Oleum de Croco. 608
Oleum de piperibus. eod.
Oleum de Cucumere asinino. 607
Oleum de Pomis citranguli. eod.
Oleum philosophorum. 620
Oleum de scorpionibus. 614
Oleum de Mezereon. 604
Oleum de Euphorbio. 611
Oleum de sampsuco. 603
Olibanum quid. 133
Olibanum absolutè quid. eod.
Omphacium absolutè. 325
Onyx Lapis. 16
Operatio infusionis rosarū & violarum. 312
Opij consideratio. 171

Ophto

Ophioscorodon. 563
Opiatæ significatio. 176
Opiatarum & similiũ vsus regula generalis. 177
Opiata omnis est stupefactiua, & narcotica, sed non contrà. 176
Opopanacis consideratio. 505
Origani persici consideratio 121
Oriza quid. 462
Ornus. 619
Os mundi quid. 529
Ouis lingua. 433
Ouorum consideratio. 616
Oxymel squilliticum, descriptione Democriti. 395
Oxygallactinus caseus. 446
Ozimi plures species. 21

P

Palmus comprexus. 451
Panax est Ligusticum. 397
Pandectarij error de Lepidio. 116
Panis biscoctus. 463
Panis Roman⁹ biscoctus. 464
Panis porcinus. 524
Papaga, vel Papagallus. 578
Papauer album. 352
Papauer rhoëas. eod.
Papaueris corniculati species. 353
Papauer fremij genus. 354
Papauer absolutè. 351
Papauerum multa genera. eod.
Papyrus quid. 442
Pastillus sphragis. 429
Pastilli ex oxyacantha. 426
Pentaneruia quid. 433
Pentaphylli consideratio. 569
Persicorum consideratio. 103
Persica condîta. 277
Petri Paduanẽsis error de scordio. 141
Pes asini quid. eod.
Petroselini consideratio. 89
Petrus Aponus errauit vocando confectionem Hierã. 209
Petrus Paduanẽnsis, Lumẽ apothecariorũ & Thesaurus aromatariorum errauerunt in sistra. 139
Pharmacorũ aromatizatio. 135
Phu, vulgò valeriana, quid. 137
Pimpinellæ consideratio. 568
Pilosellæ consideratio 570
Philonij persici descriptio. 169
Pilulæ de Agarico. 495
Pilulæ aggregatiuæ maiores. 476
Pilulæ aggreg. minores. 478
Pilulæ aggregatiuæ ex inuentione nostra. 476
Pilulæ Alandahal. 495
Pilulæ Alãdahal Hermetis. 483
Pilulæ Alephanginæ. 470
Pilulæ de Alchechengi. 481
Pilulæ de Bdellio maiores. 502
Pilulæ de Bdellio minores. eod.
Pilulæ de Bdellio ex inuẽtione nostra. eod.
Pilulæ de Coloquintida. 503
Pilulæ ad omnes morbos catharri. 500
Pilulæ Diarhodon. 498
Pilulæ de Euphorbio. 490
Pilulæ de Eupatorio maiores. 478
Pilulæ de Eupatorio minores 479

Pilulæ ad febres antiquas inuẽtione Philagrij. 482
Pilulæ quæ cõferunt ad febres cholericas. 487
Pilulæ fœtidæ maiores. 485
Pilulæ fœtidæ minores. eod.
Pilulæ de Hermodactylis maiores. 505
Pilulæ de Hermodactylis minores. eod.
Pilulæ de Hermodactylis descriptione nostra. eod.
Pilulæ Indæ quas scripsit Hali. 483
Pilulæ de lapide Lazuli. 499
Pilulæ de lapide armeno. eod.
Pilulæ lucis maiores. 491
Pilulæ lucis minores. eod.
Pilulæ de Mezeron. 491
Pilulæ de opopanace. 505
Pilulæ de Raued. 491
Pilulæ de Rheubarbaro. 479
Pilulæ de Rheubarbaro absolutè. eod.
Pilulæ de Sarcocolla. 484
Pilulæ sebelliæ. 507
Pilulæ de Serapino. 489.& 501
Pilulæ stomachicæ.475.& 494
Pilulæ stomachicæ aliæ. 495
Pilulæ stomachicę nostræ.eod.
Pilulæ de Turbith & dicuntur pilulæ aureæ. 498
Pilulæ de Turbith aliæ. eod.
Piperis consideratio.92.& 207
Piper longum. eod.
Piper album. eod.& 93
Piper nigrum. eod.
Piper absolutè quid. 207
Piper eunuchorum. 455
Pix Colophonia. 564
Pix Græca. 538
Pix omnis resinæ species. 564
Polen quid. 466
Polenta quid. 465
Polij descriptio. 205
Polium absolutè quid. eod.
Polygonium quid. 434
Poma condîta. 277
Poma Adam. 324
Pomorum citrangulorũ consideratio. 608
Pomorum genera. 389
Pomorum consideratio. 102
Poma Apia præstantissima. eod.
Pomorum electio. eod.
Pompholix quid. 64
Porrum quid. 489.
Portulaca quid. 348
Prasium, seu Marrubiũ quid. 372
Prasium absolutè. eod.
Proportio sesquialtera quæ. 381
Pruna acetosa. 343
Prunorum consideratio. 190
Pruna Damascena. 344
Pruna, dactyli,& similia qualiter ponuntur pondere. 366
Pruna sylvestria. 344
Psoricon quid. 545
Psyllij vtendi modus. 237
Psyllium vocatur pulicaris à similitudine,& ab effectu.236
Psyllij consideratio. eod.
Pulegij consideratio. 600
Pulegium satiuum. eod.
Pulegium syluestre. 373
Pupilla oculi. 36
Pulca quid. 399

Pyra condîta. 277.
Pyra cytonia. 276
Pyrethri consideratio. 175

Q

QVãtitas sufficiens in infusionibus quomodo intelligatur. 59
Quatuor grana quæ. 216
Quatuor semina quæ. 213
Quercula minor. 357
Quinquefolium Plinij. 569

R

RAdicum infusio. 58
Rabarbari varia nomina. 151
Ramich quid. 423.& 175
Ranarum consideratio. 616
Rana muta & rubea. eod.
Raposa Hispanis quid. 613
Raued quid. 480
Raued & Rheu quid. 423
Recentia plura inodora, quæ sicca sunt odorata. 481
Recocta quid. 407
Regula conficiẽdi electuaria. 103
Regula de oblatione Hieræ & similium. 200
Resinæ & gummi differentiæ ad inuicem. 512
Resina absolutè quid. eod.
Resinam quæ arbores ferant. 511
Resina doliorum. 443
Reticella quid. 518
Rhasis filius Zachariæ. 37
Rhecoma quid. 481
Rheu quid. 480
Rheubarbarum infunditur in succo. 85
Rheubarbarum seu Ruta. 121
Rheubarbarum & Rhaponticum idem. 480
Rheubarbarum quid. eod.
Rheuponticum quid. eod.
Rheupontici loco quid sumendum. 481
Rhodostoma quid. 501
Rhus obsoniorum. 403
Ribes quid. 400
Ricinum animal quod. 576
Rimech quid. 423
Risagallum quid. 441
Risum quid. 462
Rob de Acresta. 402
Rob de Berberis. eod.
Rob de Cornis. eod.
Rob & Robub quid. 367
Rob in quo differat à syrupo. 398
Rob duplex de fructibus. 403
Rob myrtinum. eod.
Rob de Sumach. eod.
Rob de Ribes. 400
Rob de Ribes supplentia. 403
Rob absolutè. 399
Rosæ consideratio. 3
Rosarum calyces. 419
Rosarum bottones. eod.
Rosa Damascena. 477
Rosa muscatella. eod.
Rosæ siccæ non sunt pro recentibus compensandæ. 406
Rosa quid. 295
Rosarum semen & quid. 157
Rosæ absolutè positæ quales. 3.& 316
Rosarum recentium loco quid sumendum. 407
Rosula quid. 607

Rosatum catharticum. 248
Rosatum laxatiuum. eod.
Rubricæ loco quid sumẽdum. 542
Rubus quid. 292
Rubus Moysi. 294
Rubus idæus. eod.
Rubus campi siue Chamæbatos. eod.
Ruellius errauit in descriptione de Turbith, itẽ & Manardus. 228
Ruta capraria. 515
Rubus mosylleticus. 294
Rimamarina quid. 141
Ruta agrestis. 536
Ruta absolutè. eod.& 179
Rutæ folia. eod.
Rutæ hortensis consideratio. 600
Ruta syluestris absolutè. 487
Rutæ syluestris loco quid accipiatur. 488

S

SAccharum tabarzeth. 10
Sacchari vsus. eod.
Sagzenea experta. 179
Sahiri siue sihari quid. 233
Salinaris Herba & radix. 175
Saliuncæ consideratio. 43
Sal Indum. 9
Sal Indum dulce. 200
Sal montanum in India & Hispania. 98
Sal Indum æquiuocum. 198
Sal panis. 199
Sal Indum salsum & acutum. 200
Sambac quid. 477
Sãpsucus & Maiorana in quo differant. 603
Sanamunda quid. 567
Sandarax. 518
Sandonicum quid, 363
Sandarachæ consideratio. 440
Sanguinem draconis supplentia. 429
Sanguisorba. 568
Sanguinem sistentia. 435
Sanguinaria absolutè. eod.
Sanguis Draconis. 429
Sandalum siue sandalus quid. 446
Sandalorum tria genera. eod.
Sapa quid. 399
Saphyri consideratio. 15
Saphranum quid. 437
Sarcocolla quid. 484
Sarda siue sardius lapis. 16
Sardonichis considerat io.eod.
Salsarolla quid. 520
Santalus absolutè quid. 69
Santalus citrinus. eod.
Satyrionis consideratio. 48
Satyrij nomenclatura. 49
Satyrij vires contrariæ. eod.
Sauich quid. 465
Sauich absolutè. 466
Sauinæ consideratio. 599
Scammonea quomodo in medicinis commiscẽda. 242
Scammonium quomodo probetur. 243
Scammonium absolutè quod. 210.& 243
Scammonium & similia quãdo correcta & quãdo non correcta sumantur. 231
Scammonij pręparandi modi. 254

254.& 232
Scammoniũ semper correctũ accipitur, 243
Scebram quid. 268.& 488
Scedenigi consideratio. 171
Schinus, seu barbarè stinchus quid. 582
Scolopendriæ cõsideratio. 141
Scolopendra vermis. 142
Scordij consideratio. 140
Scordium quid. eod.
Scorpionum consideratio. 615
Scorpiones quãdo venari oportet. eod.
Scoria quid. 126.& 127
Scorodon. 563
Scybalæ quid. 559
Sebellia quid. 417
Secacul consideratio. 52
Secacul condîtum. 278
Secacul supplẽntia. 53
Secundæ vel secundina mulieris. 399
Sedenagi vel sedenegi quid. 431
Seitaragi quatuor species. 115
Seitaragi quid & eius consideratio. 112.& 116
Seitaragi supplentia. 116
Selica quid. 82
Selinum quid. 90
Semina communia quare ita dicantur. 305
Semina communia maiora & frigida. 304
Semina communia minora & frigida. eod.
Semina communia quæ. 213
Semina Citrij & citrãguli. 581.
Seminalis herba. 434
Semen sanctum. 364
Sementina quid. 364
Sentis quid. 292
Serapinum quid. 489
Sermo in aceto squillitico. 394
Sermo in aqua mellis. 354
Sermo in Secaniabin puro. 355
Sermo in Syrupo acetoso. 336
Serpentes nigri. 614
Serpentariæ plures species. 195
Serpentariæ nomina. 196
Serum quid. 407
Sertula campana quid. 565
Septineruia quid. 433
Sesami consideratio. 585
Seselis, Seseleos seu sileris montani consideratio. 89
Sesquipes quid. 451
Setæ consideratio. 39
Seta cruda. eod.
Seta quid. 540
Sextarius siue sextarium quid. 290.& 610
Sicca à viridibus quomodo differant. 7
Sideritis quid. 429
Sideritis succus quid suppleat. 430
Sigia quid. 186
Simonis Ianuensis error. 466
Simon Ianuensis, Pãdectarius & Luminare maius notãtur. 107
Sief menithe quid. 562
Simon Ianuensis, Pãdectarius, Luminare Maius errauerunt in scordio. 141
Siler mõtanum supplet locum seselis & cymini syluestris. 89
Sinapi quid. 558

Sira

Siracoſt quid. 210
Sirici conſideratio. 540
Sira ſiue Xira quid. 211
Siſymbrij conſideratio. 34
Siſtar quid. 139
Siſtra quid. 138
Sorborum conſideratio. 110
Sorbum quid ſuppleat. 342
Solani ſiue ſolatri cōſideratio. 458
Solatrum abſolutè. 459
Solatrum quid. 220
Sori quid. 439
Species Alephanginæ quæ. 390
Species omnes nō omnibus nec vni conueniunt. 391
Species debent bullire in decoctione ſyruporum. 391
Specierum contritio. 62.& 98. & 200
Specierum electuariorum contritio. 12
Spicæ conſideratio. 112
Spicæ conſideratio generalis. 43
Spica abſolutè quid. eod.& 123
Spicum quid. 601
Spodium Arabum. 65
Spodium de canna. eod.
Spodium noſtrum. eod.
Spodium quid. 64
Spodij differentiæ. eod.
Spodium Græcorum. eod.
Squinanti flos quid. 144
Squilla ſiue ſcilla quid. 395
Squilla cruda non dat ſuccum. eod.
Squinantum ſupplet galanga vſualis. 145
Squinantū abſolutè quid. eod.
Stacte quid. 180.& 185
Stammum pomum. 324
Staphisagria quid. 536
Staphis agria abſolutè. 537
Stercus diaboli. 620
Sticados citrinum. 364
Sticados Arabici loco quid ſumendum. 385
Sticados citrinum. 377
Stincus quid. 56
Stramonia quid. 299
Storax Calamita. 186
Storax rubea. eod.
Storax abſolutè quid. eod.
Storax & Myrrha an differant. 185
Storax liquida. 180
Styrax liquida. 186
Stupefactiuum duplex. 177
Such quid. 422
Suchaha quid. 377
Succi cocti & deſpumati quomodo intelligendi. 52
Succorum ponderatio. 292
Succorum conſideratio. 346
Succus roſarum. 316
Succus herbarū abſolutè, 426
Succum vel ſuccinum orientale. 457
Suffuf Aromaticum. 462
Suffuf bonum impinguatiuū. 462
Suffuf Dia rhodon. 462
Suffuf de ligno aloës, duplex. 462
Suffuf de granis myrti. 464
Suffuf ad tuſsim antiquam. 470
Suffuf quid. 461
Sulphuris ſpecies. 184

Suricon. 562
Syrupus de Absynthio. 362
Syrupus de Absynthio alius. 365
Syrupus de Acresta. 325
Syrupus acetosus diarhodon. 358
Syrupus acetosus de succis herbarum, cum aromatibus. 359
Syrupus Albalach, vel Albelach, vel Alchelach. 373
Syrupus acetosus calidus. 354
Syrupus de succo acetosæ. eod.
Syrupi acetosi & similes vbi decoquendi. 337
Syrupus de Calamento. 372. & 373
Syrupus Chesmes. 327
Syrupus de corticibus citri. eo. & 326
Syrupus compositus cum aceto. 338
Syrupus conferens catarrhis. 347
Syrupus de cannis zucchari. 347
Syrupus de succo Cucurbitæ. 318
Syrupus acetositatis citri. 324
Syrupus de Cytonijs. eod.
Syrupus dinari. 330
Syrupus dinari cum aceto loco cuius subministretur. 340
Syrupus de Epithymo. 381
Syrupus de Eupatorio. 375
Syrupus de Fumio terræ maior. 365
Syrupus de Fumio terræ minor. 367
Syrupus Liquiritiæ. eod.
Syrupus de granatis acetosis. 320
Syrupus de granatis dulcibus. 320
Syrupus de Hysopo. 368
Syrupus de Iuiubis. 349
Syrupus de Menta. 359
Syrupus de Menta, inuentione nostra. 360
Syrupus de granis myrti. 326
Syrupus de Papauere. 329. & 351
Syrupus de Persicis. eod.
Syrupus alius acetosus de pomis. 346
Syrupus de Pomis. 317
Syrupus de Portulaca. 348
Syrupus de prasio. 371
Syrupus de prunis. 319
Syrupus de Pyris. eod.
Syrupus rosatus absolutè. 312
Syrupi simplices qui. 336
Syruporum alij sunt simplices, sicut species iulep. 310
Syrupus de Sticados. 383
Syrupus de Thymo. 374
Syrupus de violis. 349

T

Talisafar. 4
Tamarindorũ & Keironis consideratio. 211
Tapsia est turbith. 227
Tartarum quid. 443
Tarathit quid. 469
Tassus barbassus. 333
Telephium quid. 349
Terebinthinæ cõsideratio. 510. & 534
Terræ sigillatæ loco quid sumendum. 433

Terra lemnia an differat à rubrica lemnia. 542
Tilia quid. 580
Theriaca diatessaron. 110
Thymbra quid. 382
Thymi flores epithymbrũ supplent. 383
Thymelææ descriptio. 259
Thymelæa quid. 256
Thymelæa & chamelæa lactescunt. 289
Thymus hysopi species. 369
Thymus vel thymum quid. 374
Thymi loco quid sumendum. 375
Thutia quid. 64
Thutia parũ differt à Cadmia, & pro ea ponitur. 546
Trochisci de rosis absolutè. 421
Trochiscus quid. 415
Testiculus sacerdotis. 51
Torpedo piscis. 176
Tortella quid. 463
Tribulus marinus. 606
Tribulum odoratum. 520
Tribulus seu alsek absolutè. 607
Trifolium quid. 519
Trifolium lunatum quid. 520
Trimestre triticum. 286
Triphera maior ex arte Fenonis. 132
Triphera minor descriptione cognita. 134
Triphera Galeni. 127
Triphera muscata, quam fecit Alcanzi. 123
Triphera persica. 213
Triphera saracenica magna. 111
Trisago quid. 357
Trisago palustris quid. 140
Triticum quid. 462
Trituratio virtuosa. 201
Trochisci alhandal. 195
Trochisci de coloquintida. 202
Trochisci antiquitus sigillabãtur. 417
Trochisci ingredientes electuarium de Psyllio. 278
Tuderi albi & rubei consideratio. 128
Tuderi quid. 130
Turbit consideratio. 225
Turbith officinarum nõ est verum turbith, sed species Tithymali. 228
Turbith est vera Thapsia. eod.
Turbith optimum quale. eod.
Turbith contritio. eod.
Turbith proprietas & confortatio. 229
Turmæ herbæ descriptio. 55

V

Verbascum album & nigrum. 333
Veneræ vel venereæ quid. 503
Vernix solida, siue scriptorum. 618
Vernix liquida. eod.
Vernix gummi. 440
Virga pastoris quid. 424
Vinum austerum vel bruscum. 555
Vinum secundarium quot modis paratur. 399
Vinum stipticum. 563
Viola quid. 447
Viola absolutè. 448
Viola lutea absolutè. eod.

Viſci conſideratio, 560
Viſcum Romanum quid. 504. & 509
Vitex quid. 397
Vitis bifera, trifera, & quadrifera. 563
Vitrioli conſideratio. 437
Volubilis conſideratio. 261
Volubilis abſolutè. eod.
Volubilis quinque ſpecies. eod.
Vlna quid. 451
Vmbilicus veneris. 570
Vnguentum Aegyptiacum magnum. 542
Vnguentum Alariel. 531
Vnguentum album. 539
Vnguentum Alpſoricon. 545
Vnguenta apoſtolorum. 523
Vnguentum Arthanitæ magnum. 523
Vnguentum Arthanitæ paruũ. 529
Vnguentum aureum. 538
Vnguentum Baſilicon maius. 533
Vnguentum Baſilicon minus. eod.
Vnguentum de Bdellio. 536
Vnguentum valens ſimiliter vt vnguentum de Bdellio. eod.
Vnguentum de Ceruſa. 538
Vnguentum Cæſareos magnũ. 522
Vnguentum Cæſareos paruũ. eod.
Vnguentũ diaphinicon deſcriptione Arabica, & eſt vnguentum Arabicum. 518
Vnguentũ diaphinicon conferens. 516
Vnguentum gratia Dei. 523
Vnguentum de lino. 531
Vnguentum mirabile relatum ad Nicodemum. 521
Vnguentum Nicodemi aliud. eod.
Vnguentum palmeum. 572
Vnguentum aliud palmeum. eod.
Vnguentum expertum ad ſcabiem. 573
Vnguentum de papauere. 532
Vnguentum Philagrij. 537
Vnguentum Roſatum. 532
Vnguentum ſiricinum. 540
Vnguentum tripharmacum faciens. 543
Vnguẽtum tripharmacũ aliud. eod.
Vnguentum violatum. 532
Vnguen. 508
Vngimentum. eod.
Vngula caballina. 592
Vrſi vua quid. 403
Vſne. 272
Vulpis conſideratio. 613

X

XYloaloës quid. 33
Xylobalſamũ quid. 207
Xyloaloës quomodo cognoſcatur. 34
Xylocaſia. 82

Z

ZAzor æquiuocè. 341
Zazor abſolutè. 342
Zaynari quid. 575
Zazur ſiue zazor quid. 341
Zambellæ Romanis quid. 464
Zea duorum generum. 463

Zedo


Zedoariæ & Zurumbet consideratio. 17
Zedoaria ignoratur. 19
Zedoariæ locũ quid suppleat. eod.
Zirbus quid. 518
Zirbum absolutè. eod.
Zimar siue ziniar quid. 539
Zimarium quid. 540
Ziniaii consideratio. 383
Zinziber condîtum. 280
Zinziberis boni notæ. eod.
Zuccharum Alchilil. 283
Zuccharũ buglossatum. eod.
Zucchari consideratio. 9
Zuccharum grossum. 10
Zuccharum quomodo ponatur in compositionibus. 61. & 82
Zuccharum rosatum. 282
Zucchari rosati modi & proprietates. eod.
Zuccharum tabarzet.. 274
Zuccharum violatum. 283

INDICIS FINIS.

IN ANTIDOTARIVM IOANNIS FILII MESVAE, CENSVRA.

Cum declaratione Simplicium medicinarum, & solutione multorum dubiorum, ac difficilium terminorum. Per Venerãdos patres, & IESV Christi seruos, fratres Bartholomæum Vrbeuetanum, & Angelum Paleam Iuuenatiensem, ordinis Minorum Obseruantiæ prouinciæ Romanæ, feliciter incipit.

Scripsimus in libris explanationum nostrarum &c. I.



VTHOR noster in hac sua præfatione, cùm dicit: Et ponimus totam latitudinem operis huius, summas duas. In prima, supple summa, famosas & solennes medicinas compositas tradimus. In secũda verò, medicinas singulorum membrorum ægritudinibus appropriatas distinguemus. apertè declarat, quòd hoc Grabadin vniuersalium medicinarum (quod Antidotarium nominamus) & Grabadin particulariũ medicinarũ (quod à multis Practica nũcupatur) est vnũ tãtùm opus, siue vnus liber, in duas diuisus summas, tãquam principaliores partes sui. Igitur prima summa, seu prima pars principalis huius libri, est hoc Antidotariũ. Secũda autẽ summa, seu secunda pars principalis præsentis Grabadin filij Mesuæ, est practica. Cuius principiũ est ibi: Sanat solus lãguores DEVS, &c. Cõsimiliter ipse author fecit in altero suo libro, cũ diuisit ipsum in duas sectiones, tanquam in duas principales partes. Quarum prima continet canones vniuersales de rectificatione medicinarum, &c. Secunda autem particulares sermones, seu capitula de esse & posse singulorum simplicium, &c. Et sunt 54. capitula. Igitur in duobus libris tantùm, & non in tribus vel quatuor (vt ali

qui iuniores exponũt) diuiditur totum hoc opus filij Mesuæ Au-
Grabadin. thoris nostri. Grabadin autem idem significat, quod aggregatio antidotorum, seu medicinarum compositarum, &c. Sequitur author dicens: In prima verò, supple principali parte istius Grabadin, qui Antidotarius dicitur, distinctiones ordinamus 12. quas enumerat dicens: Prima de electuarijs. 2. de medicinis opiatis. 3. de medicinis solutiuis. 4. de conditis. 5. de speciebus Lohoc. 6. de syrupis & robub. 7. de decoctionibus & infusionibus. 8. de trochiscis, siue (vt mauis) trociscis. 9. de suffufet, id est pulueribus. 10. de pilulis. 11. de vnguentis & emplastris. 12. de oleis. De quarũ singulis successiuè dicetur. Porrò primam distinctionem diuisit in duas partes, scilicet separatim scribens compositiones delectabiles, ab amaris & horribilibus. Secunda ibi: Theriaca diatessarõ, &c. Prima autẽ ab electuario de aromatibus Galeni (quod mox declarabimus) initium sumpsit. Sed antequam ad declarationẽ procedamus, sciendum ꝙ in pharmacorũ cõpositione, tria generaliter requirũtur. Primũ, vt simplicia sint in sua perfectione, & puritate, cõgruis collecta tẽporibus, ac locis cõuenientibus deposita, nec nimia vetustate cõsumpta &c. Secundum, vt in simpliciũ trituratione, cribrellatione, põderatione, &c. adhibeatur diligentia nõ minima. Tertiũ, vt in decoctione coquendorũ obseruetur gradatio rerũ, quia nõ omnia sustinent ęqualẽ coctură: & vt ipsa pharmaca sint cocta, nec plus, nec minus quàm oportet. In quibus tribus cõsistit omnis medicinarum perfectio. Et ex his sequitur corollariũ nõ minus necessariũ; hoc est, vt cõposita pharmaca, & antidota, cõdecẽtibus vasis, & locis asseruentur: & neq; citra, neq; vltra tempus cõdecens, administrentur infirmis.

DISTINCTIO I.

Electuarium de aromatibus quod scripsit Galenus &c. II.



ODESTIAE causa quidem, vt coniectamus, Author in hoc suo Grabadin, potius præposuit alienas, quàm suas cõpositiones: quasi ostendens se potius esse aggregatorẽ, quàm principalẽ authorem huius operis. Vnde hoc electuarium de aromatibus Galeni, tanquã vnũ de nobilioribus, in capite ipsius operis locauit. Non obstante, quòd aliqui, tum quia sandalos recipit (de quibus nusquam est mẽtio apud antiquos Græcos) tum etiam

etiam quia in nullo Galeni volumine legitur huiusmodi electuarium, negãt ipsum esse Galeni. Nobis autẽ satis difficile est credere Authorem nostrũ voluisse attribuere Galeno, quod erat alterius. Quoniã fortasse in aliquo Galeni libro ipse legit, quo nos caremus. Nam vt probari potest in pluribus locis per ipsius Galeni verba, non omnia eius opera habẽtur: imò plura sunt quę desiderantur. Et vix etiã credere possumus Græcos ignorasse sandalos. Forsan quòd sub alio vocabulo nobis ignoto ab ipsis descripti sunt Sed vel sit Galeni, vel nõ, parum refert: attamen sub eo titulo, quo ab ipso filio Mesuę positũ est, ipsum electuarium stare debet. Est etiã aliquorũ opinio, quòd hoc electuariũ sit primùm à Galeno descriptũ sed postea ab Arabibus permutatũ, vt in cõsimilibus pluribus fecerũt. Retinuit tamẽ nomen. Electuarium autem, dicitur omne id pharmacum, quod ex electis rebus conficitur. Et quasi idem dicit, quòd compositio electarum rerum. A Matthæo Syluatico autem (qui Pãdectarius dicitur) interpretatur electuarium, mollis sorbitio. Sunt nonnulli putantes rectius esse legendum linctuarium, quàm electuarium. De aromatibus autem dicitur, quoniam ferè omnia quæ recipit, aromatica sunt. A nonnullis quidem electuarium diaroma intitulatur. *Electuariũ quid.* *Linctuarium.*

De *Rosis.*

ROsæ quidem cùm absolutè scribuntur, rubræ semper, & veræ rubedinis intelliguntur. Sed in hoc electuario debẽt esse incompletæ, quoniam sunt maioris confortationis &c. Lege de Rosis in electuario confortante stomachum. *Rosæ absolutè positæ quales.*

De *Ana.*

DIctio Græca est Ana, & plura habet significata. Sed reuera in medicinalibus libris generaliter pro pariter, seu æqualiter, vel simili est semper intelligendum. Vt exempli gratia: Vbi sunt plures res in vno ana, intelligatur, quòd quantum de vna re accipitur in illo ana, tantum de singulis sit accipiendum.

De *Aureo.*

AVreus quippe secundum communẽ vsum, intelligitur pro drachma vna cũ dimidia. Et cõsimiliter solidus, & exagiũ, secundum aliquos. Drachma autẽ (loquimur de cõmuni vsu) est octaua pars vnciæ. Duodecim verò vnciæ libram cõstituunt. Sed hæc & similia plura, notiora sunt, quàm vt declarari debeãt. Porrò hoc animaduertendũ, scilicet vt notetis hîc signa & characteres ponderũ & mensurarũ &c. quæ passim hincinde in toto opere, breuitatis causa, abbreuiatè describentur. Videlicet Aureus

ſic,aur.Drachma,ʒ.Vncia,℥.Dimidiũ vnciæ, ſiue drachmæ, ſiue alterius põderis vel mẽſuræ cui adhærebit,ſic ſignabitur, s. Scrupulus,℈.Granum,gr. Libra, ℔. Manipulus,mañ.Recipe,℞.

De Mace.

Vulgare eſt hodie, quòd Macis eſt cortex nucis myriſticæ, ſcilicet muſcatæ.Et in veritate eſt.De Mace vſuali loquimur.Quia non ſolùm credimus Serapioni,Auicennæ&c.hoc teſtantibus,ſed certa ſcientia habemus,quòd ita eſt, ſcilicet quòd pluries habuimus de ipſis nucibus, cum cortice duro, & ſupra ipſum corticem erat Macis.At ſupra Macim adhuc nõ vidimus alium corticem,quẽ credimus ipſas nuces habere:licet aliqui id negent,affirmantes macim eſſe extimam corticem huiuſmodi nucum.Qui autem dicũt quòd Macis eſt aliud,quàm cortex nucis muſcatæ, hi non rectè ſapiunt. Apud Dioſcoridem autem, Galenum,Paulum,& Plinium, macer, ſeu macir, ſeu machir vocatur : vt patet concordando capitulum Serapionis & Auicennæ,de mace, cum capitulo ipſorum de macere &c. Porrò non tantùm Plinius,ſed nec aliquis priſcorum Græcorum apertè cognouit macim,vt per ipſorum dicta euidentius probari poteſt. Nam & in Græcia(ut ſcitur)non ſunt arbores myriſticarum nucum.Quod etiam Serapio teſtatur cùm dicit: Et eſt cortex qui exportatur de regione,quæ non eſt Græcorum &c. Arabicè autem,vt apud Serapionem, Gisbeſe,& Taliſfar, ſiue Taliſafar,vt eſt in Auicẽna,&in Synonymis Rhaſis,legimus Macim vocari. Matthæus Syluaticus autem, cap.648.quod incipit:Siſtoſe, vel bisbeſe &c.& in litera Talaſſafir,multa & alia nomina Maci cõtribuit.Sed animaduertendum quòd apud Auicennam in 2.canone,ſunt duo capitula de mace. Vnum videlicet ſub nomine macis, in quo Andreas Bellunenſis multa correxit: & alterum ſub titulo Taliſfar, ſiue Taliſafar. Vnde probatur quòd ipſe Auicẽna ſub vario nomine varia intellexit ſimplicia. Cùm idem ſit macis & Taliſafar, vt legentibus non eſt dubium. Quæ duo Auicennæ capitula, Simoni Ianuenſi, Pandectario, & alijs ex iunioribus dederunt anſam dubitandi,an eſſet diuerſum à mace taliſafar.Nec obſtat quòd in 20.capit.7. Breuiarij Ioannis filij Serapionis habeantur Electuarium altaliſafar, & electuarium de mace,immediatè vnum poſt aliud,tanquàm duo diuerſa. hoc eſt, tanquam ſi taliſafar non ſignificet macim. Sed qui bene perſcrutabitur ipſa, reperiet non eſſe diuerſa: imò idem ſine dubio ſignificare taliſafar, ſiue talisfar, &c. quod macis.

Macis eſt cortex nucis muſcatæ.

Macis Plinio & antiquis Græcis non bene cognita.

Taliſafar.

Etenim

Etenim ipſe filius Serapionis ponit ibi duas diuerſas deſcriptiones, ſiue duo diuerſa de Mace, vel de taliſafar electuaria, quæ ſunt ferè vnius tantùm proprietatis & virtutis, vt in titulo ipſorum legitur: & parum in ſimplicibus differunt. Et primùm poſuit electuarium de mace ſub nomine Altaliſafar, poſtea ſubiunxit aliam deſcriptionem magis vſualem, ſub macis nomine: vnde incepit ſic, Electuarium de mace, quo vtuntur (ſupple medici noſtri temporis, ſcilicet ipſius authoris) quaſi dicat: Superior deſcriptio non eſt tam vſualis, ſicut iſta, apertè declarans vtrũq; electuarium eſſe de mace, ſiue (vt mauis) de Taliſafar. Quod autem per varia vocabula ſcripſit, nihil refert. Conſimiliter & alij authores in pluribus ſuis compoſitionibus fecerunt. Vt exempli gratia, ſunt apud authorem noſtrum Trochiſci diarhodon, & trochiſci de Roſis: & pilulæ de Rauedſeni, & pilulæ de rheubarbaro, & ſimilia. Et fortaſſe non author, ſed interpres variauit illa: vel dubitans, vel ignorans, vel ad clariorem ipſarum deſcriptionum diſtinctionem: vt ſi quis petierit electuariũ de mace, non confundatur aromatarius accipiendo alterum pro altero. Quamuis parum inter ſe differant. Et ſic ergo cõclude, quòd Macis, Taliſafar, Macer &c. nomine tantùm, nõ re differunt. Et idem eſt quod cortex nucis muſcatæ.

De Doronicis, ſiue Doronigis, &c.

DEſcriptio Doronici, ſiue doronigi, ſiue durungi, vel dirunigi, & ſimilium vocabulorum, quæ vnũ & idem ſignificãt, tantummodo apud Serapionẽ legitur. Alij autẽ vt Pãdectarius, & nonnulli ex recentioribus, authoritate ipſius Serapionis ſcribunt. Nec quidem tota eius planta notatur: de radice tantũ pertractat Serapio, quam aſſerit eſſe paruam, durã, & grauẽ, ab extra ad citrinitatem tendentẽ, ab intus verò albã, in groſsitudine ramorũ Sceitaragi, & ad plus in groſsitudine, ſeu magnitudine nodi pollicis, & quòd defertur ex Sim, ſiue ex Sin, vt aliqui libri habẽt. Pandectarius dicit ex Syria. Sed Simon Ianuẽſis, & Luminare maius, ſcribunt ipſam radicem eſſe dulcẽ, & in colore & figura calami aromatici. Ioães Manardus verò eandẽ odoratam facit: quæ notæ à Serapione nõ ſcribuntur. Itẽ capitulũ in Serapione incipit Haronigi. in Pandectario verò Varonig, &c. De reliquis autem partibus eius, vt puta de folijs, floribus, & cæteris particularitatibus culmi ipſius, haud eſt qui loquatur. Recentiores quidem ponunt ſupradictas notas, quia illam radicem (qua communiter vtuntur omnes aromatarij) quæ ab Orietali-

bus partibus ad nos defertur, approbant esse veram doronici radicem. Quæ quidem (vt patet) pro maiori parte habet illas notas. Nam est parua, & dulcissima, intus alba, foris subcitrina, aliquem (licet paruum, & non malum) habens odorem. Attamen similitudinem quam dant de Calamo aromatico, non agnoscimus, quia (vt aliàs dicemus) verus Calamus aromaticus non habetur. Et forsan ipsi intelligunt de illa radice, quæ falsò pro calamo aromatico recipitur ab omnibus, in vsum medicinę: quam in Diamorusia probabimus non esse calamum aromaticum. Ad dictam autem radicem (quæ falsò calamus aromaticus vocitatur) habet aliqualem similitudinem: tamen radix dicta doronicum, est multo minor ipso falso calamo. Nos igitur talem radicem doronicum dictam ab Orientali plaga delatam nõ paruipendimus, & pluries ea vsi sumus. Veruntamẽ si est verum Serapionis doronicum, non planè nobis constat. Præterea, paucis antè annis, nos proprijs manibus, in nostra Italia, scilicet in mõtibus Nursiæ, radices similes effodimus. Nullum quippe discrimen notabile videtur esse inter ipsas, & Oriẽtales: præter quòd istæ Italicæ sunt odoratiores. Et in mãdendo ipsas, cum sua dulcedine, sentitur quædam suauis aromaticitas, quæ cerebrum, & caput summoperè confortat. Quam aromaticitatẽ in illis Orientalibus non percipimus. Et fortasse quia Italicæ radices, quas doronicum Italicum appellamus, sunt recentiores orientalibus, quas, ob vetustatẽ, putamus amisisse suam aromaticitatẽ. Planta autẽ Italici doronici talis est, folijs violæ matronalis non absimilibus, eleuatur in cubitũ, & amplius: caule vtplurimum vnico, rotundo, rectoq;, in cuius summitate ramuli plures procreantur, in quibus copiosi flores, & crocei sunt, herbæ vocatæ incẽsariæ, aut buphthalmo simillimi, maiores dũtaxat: semẽ adhuc non vidimus. Huiuscemodi plãtæ radicibus vtimur. Quas quãtò recentiores, odoratiores, & dulciores gustamus, tantò meliores orientalibus iudicamus: quas ad differentiam Italici præfati, doronicũ orientale nominamus. Est præterea in Veronensibus agris quędam radix admodũ parua, videlicet iuncturæ pollicaris longitudinẽ non excedens, & minimi digiti crassitudinẽ, grauis, ab extra subcitrina, intus alba, dulcis, trahens ad saporem castaneæ, forma calamo aromatico vsuali non absimilis, inodora tamen, quam Veneti Dulcichinum, Veronenses autẽ trasci, siue trasi appellant. Folia fert triticea, seu cypero similia: verũtamen molliora &c. Libenter comeditur à pueris. Forsan hæc radix sit verum

Doronici Italici descriptio

Dulcichinum Venetorum.

verum Serapionis doronicum. De hac enim putamus loquutos fuisse Simonem Ianuensem, & Luminare Maius. Manardum autem potius de Italico supradicto, vel de Oriẽtali, quia hæc radix (vt diximus) odore caret. At Manardus suam, odoratã scripsit. Nobis autem nescientibus rei veritatẽ, magis placet, vt pro doronico vero substituatur Italicum præfatum, ob suam aromaticitatem, quàm istud dulcichinum. Si medici autem (de peritis loquimur) aliter iudicauerint, quin faciendum sit secundũ ipsorum iudicium, non inficiamur.

De Menta.

IN syrupo de Menta inuentione nõstra (Deo concedente) declarabimus mentam. Sed hîc videndum, quare Author potius posuerit in præsenti electuario mentam siccam, quàm virẽtem? Respondetur, quia istud electuarium est stomachicum, & nõ recipit nisi medicinas stomachum confortantes. At quia mẽta virens est ventosa, & stomachi conturbatiua, non recipit ipsam. Cùm autem siccatur, admittit ventositatẽ illam, & restat ei pars confortatiua, quam quærit Author in præsenti electuario, ideò recipit siccam. Vnde notandum, quòd herba, aut flos, vel simile, cùm siccatur, tripliciter operatur. Aut amittit virtutem, vt sunt, borrago, buglossa, cymbalaria, & similia multa: aut acquirit virtutem, vt menta, hysopus, & similia: aut transit de virtute in virtutem, vt viola, & similia. Item nota, quòd quãdo in aliqua compositione petitur menta humida, non intelligitur virens, vt dicatur humida, ad differentiam siccæ. Sed illa quæ in pingui, vel humida, seu aquosa humo nata est. Vt puta, illa est humida, quæ in aliquo horto diligentiori cultu stercoratur, atque sæpius irrigatur &c. vnde cùm non specificatur de virenti, vt puta, pro excipiendo succo ipsius mentæ &c. vel legatur menta simpliciter, vel menta humida, semper sicca intelligitur. Et similiter hysopus, & alia plura.

Sicca à viridibus quo modo differant.

Mẽta humida & similia quomodo intelligatur.

De Casia.

SImiliter (vt de Asaro dicemus) & casia quandoque minus rectè per duplex ss, scribitur cassia. legendum est per vnicum s, casia. Sed nota quòd quando simpliciter reperitur casia, semper lignea intelligi debet. Sed illa, qua vtũtur aromatarij, nõ est casia lignea. Propterea lege de ea in confectione de cinnamomio.

De Asaro

ET licet semibarbarè à minus peritis dicatur, necnon & ab inscijs librarijs scribatur, siue imprimatur, Assarum, per ss,

tamen secũdum veritatem per ſ,ſimplex eſt ſcribendum & proferendum. Luminare Maius quidem, neſcimus quam fatuitatem hîc ſcribit, diſtinguens quòd per ſſ, duplex, eſt herba ipſa, quam petit author in præſenti, & alijs pluribus compoſitionibus, de qua & capitulum facit in ſua ſectione de Simplicibus: & per ſimplex, ſ, eſt aſarum Dioſcoridis, quod & declarat eſſe aliam herbam, quamq; aſſerit à multis vulgaribus, Prouinculam nuncupari. Et quam herbam ipſe intelligat per Prouinculam, ignoramus. Si enim ipſe intelligit, peruincam, ſcilicet vincamperuincam, maximè errat: quoniam nullam habet vincaperuinca cum Aſaro ſimilitudinem. Ergo ſecũdum ipſum aliud eſt Aſarum authoris noſtri, ab aſaro Dioſcoridis. Quod abſit. Nam (vt legenti patet) identidem eſt. Imò (vt videri poteſt in omnibus impreſſionibus, & in cunctis ferè exemplaribus) capitulum filij Meſuæ de aſaro, per ſimplex ſ, aſarum legitur, & non aſſarum, vt ipſe dicit. Non obſtante quòd in varijs pharmacorum deſcriptionibus legatur minus correctè aſſarum. Sic enim incipit capitulum ipſum, ſecundum aliqua exemplaria correcta: Aſarum eſt radix herbæ montanæ, cuius folia non ſunt angulosa ſicut folia hederæ &c. Sed per impreſsiones mendoſè ſic legitur: Aſſarum eſt radix herbæ montanæ, cuius folia ſunt angularia ſicut folia hederæ &c. Igitur per ſimplex ſ, ſiue per duplex ſſ, (quamuis nõ rectè) idem eſt, ſcilicet aſarum, quod ab aliquibus (vt Dioſcorides tradit) Bacchar vocatur. Vnde eſt, quòd à pluribus hodie, Aſara, ſiue Aſſara bacchara vulgariter dicitur. Aduertendũ tamẽ, quòd Baccharis aliud eſt à bacchar, vt patet per Dioſcoridem. Vocatur etiam aſarum ab alijs, ſylueſtre nardum, & nardũ ruſticum: ex eo, quòd in virtutibus aſsimilatur nardo: vnde & pro nardo in neceſsitatibus compenſari licet. Porrò aſarum nõ eſt ignotũ: ſed melior pars plantæ eius eſt radix. Aromatarij tamen hodierni vt plurimum folijs vtuntur, quod in multis pharmacis non eſt ita bonum. Poteſt etiam & loco aſari ſubminiſtrari Cubeba, vt in Hiera picra Galeni dicemus. Item loco aſari, ponitur radix acori, vt in quinto Colliget Auerrois teſtatur, in his verbis: Aſara bacchara, quod ex ea valet, eſt radix: & virtus eius eſt ſimilis virtuti Acori: ſed eſt fortior hoc.

Aſari uaria nomina.

De Fœniculo.

Foeniculum ſanè notiſsimum eſt, & Græcè marathron dicitur. Duplex reperitur, ſcilicet alterũ ſatiuum, ſiue domeſticum: & alterum erraticum, quod Græci hippomarathrũ, ſiue

mara

marathrum agrion nominãt. Et hoc in duas diuiditur species: quarum vna est amarior altera. Amarius enim hippomarathrũ, à nonnullis fœniculastrum vocatur. Satiuum etiam hodierni in duas species diuiserunt, scilicet quòd ex fœniculo satiuo noto, quadam arte factitant: aliud, cuius vmbella est maxima, & semẽ grandius, dulcius, & aromatitius, quiddam saporis inter fœniculum & anisum habens, quod quidem vbiq; vocantur fœniculum dulce. Quodque si sæpius non seratur, aut transplantetur, citò degenerat. Et hæc omnia fœniculi genera notissima sunt: sed in medicina commune notum est ponẽdum. de quo optimo in campis Romæ propinquis maxima est copia. Cùm autem absolutè scribitur, semen intelligitur, quod est vnum de quatuor communibus, maioribúsve seminibus calidis: de quibus infrá. *Fœniculum absolutè positum semẽ denotat.*

De *Zuccharo.*

ZVccharum, siue saccharum notum, propriè est mel cannæ antiquorũ, induratum tamen. Siquidem arte ad ignẽ per plures coctiones dealbatur atque induratur, & per consequens melioreſcit. Prisci ignorabant hanc artem: exprimebant enim suum saccharum ex radicibus cannarũ, & ex ipsis cannis, ex quibus nunc fit zuccharum, & veluti melle liquido vtebãtur eo. Vnde & ipsum, ad differentiam mellis apum. &c. mel cannæ nominabant. *Mel cannæ.* Aliud autem reperiebatur, vi solis cõcretum super ipsas cannas, siue arundines, sicut gummi super arbores: vt Dioscorides in fine capituli de Melle scribit. Ait enim: Est & aliud concreti mellis genus, quod saccharon nominatur. In India verò & Felici Arabia in arundinibus inuenitur. salis modo coactũ est, dentibus, vt sal, fragile &c. Et quòd hoc mel arundinum, saccharum dictum, sit zuccharum, probatur per Serapionem, qui in capitulo de zuccharo, adducit hanc eãdem Dioscoridis authoritatem. Vnde putamus zuccharum à saccharo, vel (quod magis credendum) saccharũ, à zuccharo dici. Quod quidẽ saccharũ induratum, nõnulli à salis similitudine, Sal Indũ vocarunt. *Sal Indum.* Et Auicẽna zuccharum alhusar, siue succhar alhasser appellat: & ab authore nostro alhosos, secundũ impressiones: sed secundũ aliqua exemplaria correcta, alhosor, & alhoser, & alteriusmodi scribitur. *Alhosor.* Vt est in j. cap. de electione medicinarũ: vbi sic legitur, Cuius materia sit humiditas viscosa, sicut zuccharum, & nabeth, & alhosor. Quod certè erat sicut nostrũ zuccharũ candum, quod arte paratur. Habebatur siquidẽ & hoc in vsu, quamuis rarò, quia nec copiose erat vbiq;. Nunc autem zuccharũ est in quotidiano vsu, &

ex varijs regionibus in magna defertur copia. Et præſertim ex inſula Luſitanorũ, quæ Madera dicitur. Omne enim zuccharum hodie notiſsimũ eſt. Quod autem eſt purius, & albius, tabarzed, ſiue tabarzeth cognominant Arabes: noſtri auté, zuccharum finum appellant. Et Venetijs optimè paratur. Aliud autem, quod commune dicimus, plurimi zuccharum groſſum nominant. Sed zuccharũ, quod rubeũ cognominatur, non eſt genus diuerſum, ſed eiuſdem generis, minus tamen purificatũ & coctũ. Eſt enim quaſi ſpuma zucchari fini. Præterea in præſenti confectione, pro omnibus cõſimilibus, vnũ generale eſt notandum, de zuccharo recipiendo in cõpoſitionibus, quæ melle vel ſimili conficiuntur. Etenim illud zuccharũ nec ratione pulueris, nec ratione mellis ponendũ eſt. Et hac de cauſa: quia ſi ratione pulueris, vel mellis ponatur, oporteret addere vel minuere, ad quantitatẽ mellis hîc neceſſariã, & tunc compoſitio diſproportionaretur. Et diſproportionata cõpoſitio non conſequitur ſuam operationem, nec ſuum effectum: vt refert Auicẽna in quinto cap. de Theriacis. Et meum quidem, inquit, conſilium eſt, vt non amoueatur aliquid (ſupple in cõpoſitione) quod experimẽtũ iuuatiuũ inuenit fortaſſe ei illa cõplexio, illo põdere eſt exigens illud, cuius iuuamentum inueni experimentũ: quòd quãdo ipſa mouetur à ſuo pondere, non cõſequitur illã proprietatẽ. Hæc Auicenna. Igitur cùm reperitur zuccharũ in aliqua cõpoſitione, quæ melle conficitur: nec loco mellis, nec loco pulueris ponatur. Sed prius ſpecies conficiãtur melle iuxta modũ doctrinæ mox aſsignãdæ. Deinde zuccharum per ſe ſubtiliter puluerizatum cõmiſceatur. Et tunc fiet electuarium melioris effectus, & cura medici nobilior. Lege etiã de hoc infrà, in diagalanga, ſcilicet in confectione de galanga, quia ibi melius declarabitur. Et ſcias quòd zuccharum ponitur tantum in electuarijs & confectionibus reſoluentibus ventoſitatem: hac de cauſa, quia zuccharum inuiſcat & ingroſſat medicinas, ne ad longinqua penetrent. ſed ventoſitatem expellant.

Saccharum tabarzeth.

Zuccharũ groſſum.

Sacchari vſus.

De *Miua*.

MVltimoda eſt Miua, vt in diſtinctione de ſyrupis patebit. Sed quando non ſpecificatur de ipſa, ſemper de prima deſcriptione intelligi debet. Porrò cùm ſit, quia hîc declaratur aromatica, debet ipſa Miua recipere ſpecies inibi aſsignatas. Atqui ſi quis dixerit, quòd hæc Miua ingrediens hoc electuariũ, cùm ſit aromatica, habet ſuam ſpecierum portionem, ex quo non ratione mellis, ſed per ſe poni debet in hac vel ſimili cõpoſitione. Reſpon

spondédum, quòd species ingredictes quãcunq; Miuam, nõ ingrediũtur cum tota corporali substantia in ipsam, vt vnà simul cum ipsa misceãtur & incorporétur: sed quasi per modũ infusionis, suspẽsæ & ligatę in pãno. Etiã & si ingrederétur cũ tota corporali substãtia, non sunt sufficientes proportionatæ doctrinæ authoris nostri, in confectione de musco dulci assignatæ, scilicet quòd pro qualibet libra mellis poni debét specierũ ℥.iij. vt mox dicemus. In miua auté vix pro vnaquaq; libra mellis, vel zucchari, sunt tres specierũ drachmæ suspẽsæ, & ligatæ in pãno. Quamobrem non possunt dare ei aliquam corporeitaté: & per consequens electuarium esset disproportionatum. Ergo concludendum est, quòd miua debet poni ratione mellis: & non aliter. Vide etiam de miua infrà, in electuario de granis myrti, & in distinctione de syrupis, scilicet in proprijs descriptionibus.

De Melle.

Plura nempe de Melle dicenda sunt in cõfectione de Musco dulci. Sed quia hîc dicit author indeterminatè, Confice cum melle despumato: propterea (vt in pluribus) hanc notatã habeas regulam, pro omnibus similibus accidentibus. Vt videlicet pro qualibet ℥. specierum, ponantur mellis, vel zucchari, vel similis ℥.iiij. scilicet vt in vnaquaque libra mellis, vel similis, ponantur specierum ℥.iij. Sed zucchari diximus, pro illis confectionibus quæ cum solo zuccharo cõficiuntur: nõ autem pro illis quæ conficiuntur melle, & recipiunt aliquid de zuccharo, vt istud electuarium, & similia. Et hæc regula sumitur à confectione de musco dulci, vt ibi clarius dicemus. Quandoq; autem propter lasciuiã hominum, solent huiusmodi electuaria, & confectiones parari cum solo zuccharo, in forma solida. Et tunc de communi consuetudine (quia apud authores non reperitur) ponitur pro qualibet libra zucchari syrupizati, & perfectè decocti, specierum vncia vna. Quoniam tũc potius quæritur oris delectatio, quàm corporis vtilitas. Et de hoc vide melius infrà, in Diarhodon descriptione communi.

De Dosi.

Dosis nanque (vt Sipontinus in Cornucopia scribit) datio dicitur. A Pandectario autem sic diffinitur: Dosis, Græcè, donum, datũ: id est datio, vel tributio. Et propriè in medicina denotat illud, quod potest dari infirmo, de illa medicina, cui adhæret, sine nocuméto. De cæteris autem simplicibus hîc prætermissis, quære infrà.

De contritione ſpecierum præſentis electuarij & ſimilium.

SPecies equidem præſentis electuarij,& omnium cõſimilium electuariorũ, & confectionum expellentium ventoſitatem &c.non ſunt multùm ſubtiliter pulueriʒandæ, ſed mediocriter, & quaſi more ſolutiuorum. Quapropter lege de hoc in confectione de Galanga, & in Diacymino ſecũdo. Præterea animaduertendũ eſt,quòd omnia ſimplicia ex quibus electuaria & cæteræ confectiones parantur,non ſunt ſimul terenda : ſed quælibet ſimplex medicina per ſe pulueriʒanda & cribrellanda eſt, ſi fieri poteſt. Et ratio eſt : quia omnia non ſunt eiuſdem complexionis & ſubſtantiæ.Siquidem quædam ſuſtinent multùm de contritione,& quædam parum,& quædam mediocriter : vt ipſe author noſter,in canone Triturationum refert.Quapropter vt ex contritione virtus eorum non deperdatur, quodlibet ſimplex conterendum,per ſe debet conteri & pulueriʒari. Ac poſt cribrellationem quodlibet ſimplex per ſe eſt põderandum, & non anteà,vt multi,non rectè,faciunt. Et hoc totũ notatum habeas.

Electuarium de gemmis &c. III.



VLTA nempe eſſent in hoc Electuario de gemmis perſcrutanda : breuitatis tamen cauſa aliqua magis neceſſaria notabimus: reliqua autem curioſis lectoribus perquirenda dimittemus. Vocatur igitur hoc electuarium,de gemmis,à lapidibus pretioſis quos recipit. Quoniam quilibet lapillus pretioſus, etiam & margarita,atq; corallium,necnõ quoddam ſal, ſub hoc generali vocabulo,ſcilicet gemma, comprehenditur. Veruntamen cùm dicit electuariũ de Gemmis,nõ de omnibus gẽmis,id eſt, nõ de omnibus lapidibus pretioſis,qui penè innumeri ſunt: quoniam nec omnes competunt huic confectioni: ſed de illis duntaxat gemmis intelligit, quas poſtea ſpeciatim enumerat. Præterea ſciẽdũ,quòd paucisſimæ deſcriptiões cõpoſitionũ ſunt per impreſſos libros,in prçſenti Antidotario,quæ aut in ſimplicibus,aut in põderibus &c.nõ ſint à librarijs aliquo modo vitiatæ:pro quibus emendãdis, nos laborẽ non minimũ ſumpſimus, percurrẽdo quotquot exẽplaria habere potuimus, ac etiã cõferendo cum alijs,authoribus,vt ipſç deſcriptiones pro viribus noſtris eſſent ad amuſsim emendatæ,ad communem tam viuentium quàm venturorum vtilitatem. Eas autem deſcriptiones,in calce noſtrarum Annotationũ,prout potuimus inuenire,omni

erro

errore purgatas, in vnum, quasi sub compendio, ad legentium commoditatē, restringemus. Ipsi tamen errores, & mendæ, vbicunque fuerint, passim in nostris lucubratiunculis connotabuntur. Vnde in præsenti descriptione mendose per omnes excusiones legitur, Albarum margaritarum 3.ij. Lege rectius 3.iij. vt cuncta exemplaria manuscripta, ex his quæ vidimus, habēt. Nam potius credendum est tot exemplaribus vetustis, varijs manibus & temporibus descriptis, quàm paucis mendosis impressionibus, quæ vel falso exemplari, vel librariorum incuria, innumeris scatent mendis. Et nouæ impressiones, antiquis sunt mendosiores: & nouissimæ sunt omnibus peiores. Quoniam imprimuntur sine correctore, scilicet bono. Vnde in imprimendo, non solùm non corriguntur priores, sed sæpius alij noui committuntur errores. Non obstante quòd etiam aliqua exemplaria reperiantur mendosa. Et ideò plura quæsiuimus, quia in paucis non confidebamus. Minutiores autem mendæ, vt sunt aliquæ literæ, vel grammaticæ, vel orthographiæ deprauationes, & similia parui momenti, quæ ad compositiones nullum possunt detrimentum inferre, absque annotatione aliqua, in proprijs descriptionibus correctæ erunt: vt legenti, & cum alijs codicibus conferenti, liquidò patebit. Est etiam alius error notandus in præsenti descriptione per quasdam impressiones: videlicet vbi in ipsis legitur, Confice cum succo emblicorum &c. Lege rectius, Confice cum melle emblicorum &c. Ioannes Manardus autem igno- *Manardi error.* rans errorem, & sciens succum ab emblicis non posse excipi, declarauit macerandos esse emblicos vino, vel aqua, & exprimendos. Quod omnino non est faciendum. Quoniam author dicit cum melle emblicorum. Cum quo melle etiam confectionem de xyloaloēs, & electuarium sarboteng, & alia plura conficit: & ita est in libris correctis. Succum autem emblicorū, aut alterius generis myrobalanorum, nusquam reperies, nisi hîc, vbi (vt diximus) mendose impressum fuit: & non in omnibus, sed in aliquibus duntaxat impressionibus. De melle emblicorum autem mox dicemus.

De *Margaritis*.

MArgarita, siue margaritum, scilicet Vnio, quę vulgo perla, vel perna dicitur: Arabicè autem, Hager albato, seu albaro, in genere lapidum pretiosorum, siue gemmarum, connumeratur, quoniam & ipsa lapillus existimatur. Margaritæ autem siue Vniones, notissimæ sunt in Ostreis, quas vulgò Matripernas

nas nominant, reperiuntur. Quantò lucidiores, rotundiores, grossiores, albiores, recentioresque sunt: tantò efficaciores, & pretiosiores ab omnibus comprobantur. Cùm e conchis extrahuntur, integræ sunt, & non perforatæ: arte enim perforantur: vt filo insertæ, melius ad monilia, & dextrocheria, & cætera huiusmodi componenda aptentur. In vsu tamen medico, præstantiores sunt non perforatæ: & de ipsis intelligitur cùm absolutè scribuntur. In aceto positæ (vt ait Albertus Magnus 24. libro de animalibus) resoluuntur, & mollescunt. Et iisdem Albertus testatur orientales esse meliores. Hoc porrò, quod sequitur, propter fraudulosos siue fraudulentos mallemus tacere quàm dicere, ne auaritia potius, quàm necessitate compulsi permutet medicinas alicuius compositi. Tamen pro timentibus Deum, vt si fortè in aliquo loco, vel casu acciderit, quòd margaritæ integræ non possint haberi, nec etiã perforatæ, sciat quòd possint æquiualens subministrare. Qui autẽ habent vel possunt habere proprium simplex, & ponunt aliud in eius loco, non rectè agunt: & cum hoc grauiter peccant: atque puniendi sunt, si conuincãtur. Et tantò maius est malum, quantò simplex permutatum declinat à bonitate, & æquiualentia proprij simplicis. Igitur (nanq; teste Serapione in fine capituli de margaritis) loco margaritarum, potest poni pondus ipsarum cum dimidio, de suo conchilio, quod Matriperna dicitur. Sic enim ait: Pro eis verò (supple margaritis) ponitur põdus earũ, & medietas põderis, ex conchilijs suis magnis splẽdidis & fulgidis. Hæc Serapio. Sed cùm dixit splendidis & fulgidis, specificauit interiorẽ partẽ ipsius cõchilij, scilicet Matripernæ (quæ est splendidissima & margaritis proxima) esse ponendam: & non exteriorem, quæ est nigra. Etiam margarita est nomen cuiusdam floris.

Margaritæ absolutè positæ quid.

Matriperna.

De Fragmentis.

Fragmenta scilicet pretiosa secundum communem opinionem, sunt quinq;. Videlicet ista, quæ ab Authore nostro in hoc electuario sunt specificata. Et de istis quinq; semper intelligitur, cùm absolutè fragmẽta scribũtur. Veruntamen secundum alios (vt in fine 13. cap. sui Antidotarij Anton. Guaynerius refert) sunt 7. quia cum istis quinq;, etiã connumerant & margaritas & corallia, quæ similiter præsens electuarium ingrediuntur. Igitur, si septem fragmenta petuntur, ista duo scilicet margarita & corallium, cum quinq; præfatis intelliguntur. Porrò quodlibet istorum fragmẽtorum, siue quilibet istorum lapidum pretioso

tiosorum & similium, molendus est per se in mortario porphyrino, vel alterius lapidis eiusdem duritiei: & cum pistillo similiter lapideo eiusdem generis: superinfundendo aquã rosaceam donec sine tactu fiat: vel si immittatur de eo in os, nihil dẽtibus sentiatur arenosum &c. At si mortariolum tale non habetur, molantur super laminam porphyrinam, vel similem: sicut solent pictores colores suos molere. Et omnino cauendum est ab æneo mortario. *Fragmenta lapidũ pretiosorum & margaritarum quomodo moleda.*

De *Sapphyro.*

AD bene cognoscendum quippe lapides pretiosos, potius proficit habere scientiam practicam, quàm theoricam. Sed si quis vtranque habuerit, hîc erit vnicus. Quoniam reperiuntur multis modis, atque arte effinguntur falsi lapilli pretiosi, qui à veris vix discerni possunt. Etenim multoties periti & practici, in ipsa cognoscendi arte iam decepti sunt. Quod etiam testatur Plinius in calce 12. capituli. 37. libri. Vnde nemo confidat in se ipso de huiusmodi cognitione, sed per plures in ipsa arte cõsummatos & practicos, faciat eos subtilissimè perscrutari, ne decipiatur. Sapphyrus igitur rectius, quàm Zapphyrus dicitur: vt scribit Plin. cap. 9. lib. 37. dicens: Sapphyrus aureis punctis. Cœruleæ & Sapphyri raroq; cum purpura: optimæ apud Medos: nusquam tamen perlucidæ &c. Isidorus autem cap. 9. lib. 16. Etymologiarum: Est cœruleus cum purpura, habens pulueres aureos sparsos: optimus apud Medos: nusquam tamen perlucidus. Albertus Magnus in libro Secretorum (si verè ipsius Alberti est is qui circunfertur) dicit quòd ab oriente & India exportantur sapphyrini lapides. Scribunt enim Dioscorides & Paulus, potũ hunc lapidem valere aduersus Scorpionum ictus. Attamen rarò ab aromatarijs veri lapides pretiosi administrantur.

De *Hyacintho.*

HYacinthi genera, secũdum Albertum Magnum, duo sunt, scilicet aquaticum & sapphyrinum. De sapphyrino autem hyacintho scribit lib. 37. cap. 9. Sed secundum Serapionem, tria sunt genera: scilicet rubeum, & citrinum, & tertium, quod dicit esse coloris chahali & coloris antimonij. Et addit quòd rubeus hyacinthus est alijs melior. Albertus verò dicit, quòd multorum est colorum: sed viridis, habens venas rubeas, est alijs præstãtior. Nos aliquando vidimus hyacinthos pulcherrimos, qui propriè videbantur similes fasianorum oculis. Est quoque eiusdem nominis flos, de quo fabulantur multa Poëtæ.

De

De Sardonyche.

Sardonyx seu sardonychis, gemma est, cuius nomē ex duobus gemmarum nominibus est cōpositum (vt Plinius, Isidorus, & alij plures testantur) scilicet ex sarda, & onyche gemmis: quoniam mistas habet venas, quasi de de vtraque participans, sardonyx dicitur. Luminare Maius quidem, non bene percipit Isidori dicta. Vnde ipse bonus vir, pro vno & eodem intellexit sardam, siue sardium lapidem, onychem & sardonychem: vt ex sua confusa attestatione deprehenditur. Etenim in hac compositione, non quærit author fragmenta sardij lapidis, siue sardæ gemmæ (vt quidam ex iunioribus tenent) neque fragmenta onychis, sed fragmenta sardonychis. Et legendū est in Recepta Sardonychis, siue sardonycis, & nō sardinis: vt malè omnes impressiones habent. Sarda igitur gemma, seu sardius lapis, rubeus est. Onyx verò vnguis humani candorem imitatur, vnde & nomen accepit. Onyx enim græcè, vnguis latinè dicitur. Sarda autem dicitur: quia in Sardis primùm reperta. Legitote apud Plinium & cæteros probos authores. Reperitur etiam & onyx nigra cum albis venis. Est quoq; & Alabastrites lapis, dictus onyx: &c. Sunt nanque eius genera quinq;. Etiam & sardæ quinq; sunt genera. Consimiliter & sardonyx quinq; genera habet. Vnde de sardonyche sic Isidorus scribit: Sardonyx ex duûm nominum societate vocata est. Est enim ex onycis, siue onychis candore, & sardo. Constat autem tribus coloribus: subterius, nigro: medio, candido: superius, minio. Hæc sola in signando, nihil ceræ auellit. Reperitur autem apud Indos, & Arabes detecta torrentibus. Genera eius quinque. Hæc Isidorus. Manardus autem pro sardinis interpretatus est sardiū lapidem: & eum putat esse, qui nunc Cornelius dicitur: vulgò autē corneola, vel corniola, quod quidem pluribus non placet.

Luminare Maius errat.

Sarda lapis.

Onyx lapis.

De Granatis.

Tali nomine apud antiquos, nō inuenimus hos lapides, sed in generibus carbunculorum connumerātur. Hodie quasi vulgares habentur granati lapides, & vili emuntur: non obstante quòd sæpius maligni homines, simplicioribus & minus peritis aromatarijs, vitri rubei fragmenta, pro granatis vendant. Nobiliores autem iudicamus illos qui granis granatorum similantur, quàm illos qui cytini (vt iuniores dicunt) imitantur aspectum: sed eos nunquam vidimus.

De Feruzegi, siue Smaragdo.

POsset siquidem dubitari, quid sit Feruzegi (quamuis in præsenti descriptione vel ab interprete vel ab alio, sit declaratũ pro smaragdo) quoniam apud Simonem Ianuensem in litera f, legitur: Feruzegi, Arabicè, stannum metallum. & in litera l: Lapis feruzegi. Arabicè, secundum Alhaui, est lapis topaceus. Si dicis ferzegi, idem est. Et in interpretationibus Andreæ Bellunensis: Alferuzegi est lapis, apud latinos Thurchois appellatur. Tamen secundum veritatem in isto electuario, quod est cordiale, non conuenit stannum, neque topaceus siue topation vel topatium, neque thurchois. Vnde pro smaragdo hoc in loco feruzegi interpretari debet. Et sic interpretatus est Pandectarius. De smaragdo autem in Serapione capitulum incipit, Zabarget. Sed in Pandectario pro zabarged, in pluribus locis legitur tabarzet, quod putamus non rectè: quoniam tabarzet (vt infrà dicemus) ad aliud refertur. Et smaragdus, non smiraldus nec smaraldus, legi debet. At Luminare Maius dicit quòd in quinto cañ. Auicennæ in simplicibus, exponitur Feruzegi quod est Smaragdus. Sed vbi sit hæc simplicium expositio in quinto cañ. Auicennæ, ab ipso quærendum est: quia nos nescimus. Porrò suspicati sumus esse mendam in codice, & legendum esse in secundo cañ. & non in quinto. Sed neque in secundo inuenimus, neq; est, in de ægritudinibus cordis, inter medicinas cordiales. Benè quidem legitur alferuzegi in tertio cañ. videlicet in fine primi tractatus. xj. fen. scilicet in capitulo, de medicinis cordialibus: vbi à Bellunensi pro alferuzegi rescriptum est Alfaruzegi. Sed ibi nihil exponitur. Veruntamen smaragdus est lapis viridissimus, & cordialis, & multùm competit huic electuario: & secundum Plinium, Isidorum, Vincentium Beluacensem, & alios plures, smaragdi xij. genera sunt. Sed genus quod ex Scythia est, præstantius omnibus habetur. Plurimi tamen imperiti emunt fragmenta iaspidis & vitri viridis, pro smaragdo. Diuites enim & gemmarij potius, quàm aromatarij, habent peritiam secernendi gemmas, & lapides pretiosos, veros & bonos, à non veris & malis.

De Zedoaria & Zurumbet.

ZEdoaria & Zurumbet apud Arabes sunt ita confusa, quòd impossibile nobis videtur ad plenum ipsa declarare. Attamen quod ex eis colligere potuimus, describemus. Igitur sciendum primò, quòd capitulũ de Zedoaria, & capitulũ de Zeduar

Auicennæ,& capitulum 172.de Zurumbeth Serapionis,quod incipit:Zurumbeth,ideſt zedoaria,ſunt vnum & idem. Et capitulum de zarnabo Auicennæ,& capitulum 291.de zurumbet Serapionis,& Arnabo Pauli Aeginetę,ſunt vnum,& idem:vt legenti & capitula ad inuicem conferenti,expreſſe patet. Et quòd zedoaria & zeduar Auicennæ,ſint vnum & idem,intuenti Bellunenſis emendationem,nō eſt occultum. Item Auicenna habet aliud capitulum,quod inſcribitur,De zurumbet. Et ſecundum Bellunenſem,de zurumbad:quod quidem,cum nullo præfatorum capitulorum concordat:ſcilicet quòd nec eſt zedoaria, nec eſt zurumbet Serapionis: quia zurumbet Serapionis (vt diximus) eſt zarnabum ipſius Auicennæ. Ergo eſt diuerſum ſimplex. Et quòd ſit diuerſum à zarnabo,quod eſt zurumbet Serapionis, non ſolùm eſt clarum in ſuis lectionibus,ſed etiam probatur per Rhaſim,qui in 34.cap.tertij ad Almanſorem, ſeparatim de vtroque deſcripſit,ſcilicet de zurumbet,& de zarnabo. Et quòd ſit diuerſum à zedoaria,clarè percipitur cùm legitur in ipſo capitulo: Cōfert mordicationi venenoſorum vermium valde,ita vt propinqua ſit zedoariæ. Et ſimiliter probatur per præſentis electuarij deſcriptionem,in qua vtrunq; recipitur,ſcilicet zedoaria,& zurumbet. Ex quibus omnibus igitur colligere poſſumus quòd illa radix,quæ pro zedoaria in officinis habetur, non eſt zedoaria Auicennæ,nec Serapionis: quoniam ipſi dicunt zedoariam habere radices rotundas,ſimiles ariſtolochiæ rotundæ. Iſta autem radix præfata,nullam habet ſimilitudinem cum ariſtolochia rotunda. Nec eſt zurumbet Serapionis, ſcilicet zarnabum Auicennæ:quoniam ipſi dicunt, quòd Zurumbet ſiue Zarnabum, eſt arbor magna,&c.& quòd adminiſtrantur folia, quæ ſunt ſicut folia ſalicis,ſubcitrina,habentia odorem citri, &c. Sed illud quod communiter hodie adminiſtratur pro zedoaria, eſt radix herbæ,& non folium arboris:& per conſequens non eſt zurumbet ſiue zarnabum. Et quamuis Bellunenſis in calce ſuarum interpretationum dicat,quòd zurumbad eſt illa radix quam aromatarij Veneti appellant zedoariam: hoc tamen nō poteſt eſſe: quoniam zurumbad,ſcilicet zurumbet Auicennę (vt in proprio capitulo legitur) eſt herba ſimilis cypero: ſed eſt maior, & minus odorifera,&c. Si autem herba ſiue planta ipſius zurumbad ſit ſimilis plantæ cyperi,neſcimus:quia ipſam nondum ipſi vidimus,neq; ab aliquo potuimus ediſcere qualiter facta ſit. Sed cùm dicit Auicenna,minus odorifera,dat intelligi,quòd ipſe non de-

culmo,

culmo, sed de radice pertractat. Nam planta cyperi, scilicet herba, nullum habet odoré præter communé, scilicet herbaceum: & ista radix quæ pro zedoaria venditur, spirat magnum odorem, ita quòd odoratior sit radicibus ipsius cyperi: quoniam radices cyperi nisi masticentur, non multùm effundunt suum odorem. Nec zedoaria officinarum, in forma est similis radicibus cyperi, scilicet quòd nec rotundo cypero assimilatur, nec longo. Ergo non est ipsa. Sed quare longum & rotundum specificauimus, infrà in trochiscis de cyperis, Deo concedente dicetur. Præterea fortasse Auicenna intelligit de cypero Indo, cuius Dioscorides in fine cap. de Cypero meminit: quod genus dicit esse zingiberis effigie, quodq; mãducatum, croci vim reddit, &c. Quem quidem cyperum nonnulli putant esse curcumam vsualem: quoniam hæc zedoaria vsualis, habet non paruam similitudinem cum zinzibere. Et forsan cum illo cypero indo maiorem habeat. Vnde & Bellunensis, quasi clarè videtur hoc comprobare, cùm in suis interpretationibus dicit: Zedoaria apud Arabes quosdã appellantur cyperi Indi: quia nascitur in India, & similatur cypero. Hæc ille. Et si sic est, certum est, quòd hæc radix qua pro zedoaria vtuntur omnes, est verum zurumbet siue zurumbad Auicennæ. Et per consequens attestatio prædicta Bellunensis (scilicet quòd zurũbad est radix illa quam aromatarij Veneti appellant zedoariam) est vera. Sed animaduertendum, quòd Serapio sub nomine zurumbeth, habet & zedoariam. Sed in hoc tantùm differunt, videlicet, quòd zurumbeth zedoaria, scribitur aspiratè in fine: alterum verò zurumbet, sine aspiratione. Aëtius autem cap. xiij. sermonis vndecimi habet in vno pharmaco, Zador, id est zedoaria. Quid autem sit propriè zedoaria, nescimus. Manardus quidem hanc vsualem, credidit esse veram zedoariam. Sed hallucinatus est. Et quid sit zurumbet Serapionis, scilicet Arnabo Pauli, & zarnabum Auicennæ, ignoramus. Et si zurumbet Auicennæ non erit (vt diximus) hæc radix quæ pro zedoaria in officinis habetur, similiter nobis incognitum erit. Iuniores quippe plurimos, vt Simonem Ianuensem, Pandectarium, &c. non citauimus: quoniam in hoc ipsi potius confundunt, quàm illuminant mentem legentis. Igitur pro conclusione, quia zedoaria non habetur (saluo semper meliori iudicio) nobis videtur loco eius posse administrari zinziber. Quoniam si est (vt ait Serapio) in sapore & colore zinziberis, putamus etiam, & in virtute, ei propinquum esse. In Pandectis nouis autem in litera Buzaram,

Zedoaria ignoratur.

Quid locũ Zedoariæ suppleat.

siue Buzaharam, quod ibi interpretatur zedoaria, absolutè legitur, posse administrari zinziber pro zedoaria. Item secundum Auicennam potest poni doronicum. Item ipse Auicenna in fine proprij capituli de zedoaria, secundum Bellunensis emendationem, dicit: Ponitur in theriaca pro ea triplum ponderis zurumbet. Nam in alijs æditionibus, non rectè ibi legitur: Permutatio triplum ponderis zurumbet pro vno theriacæ. Quoniam talis circumloquutio, nihil pro zedoaria facit. At pro zurumbet Auicennæ, cui non placuerit ponere radicem præfatam falsò zedoariam nuncupatam, quæ (vt diximus) est ipsummet zurumbet Auicennæ, poterit ponere doronicum, & cætera quæ notat ipse Auicenna in permutatione, in fine proprij capituli de zurumbet. Porrò pro zurumbet Serapionis, siue zarnabo Auicennæ, vt legitur apud ipsos in proprijs capitulis, potest poni casia lignea, vel cubeba, scilicet carpesium: vel cinnamomum, vel nux muscata. Postremo sciendum, quòd vbi Serapio in cap. de zurumbet scripsit: Et dixit Consodonius, si non habes cinnamomum, pone pro eo zurumbet. Apud Paulum autem, non Consodonius, sed Posidonius legitur. Sic nempe in fine de arnabo habetur: Vnde Posidonius, Vbi cinnamomi copia nõ datur, hoc vtendum esse censet. Antonius Musa Brasaulus quidem in hac attestatione reprehendit Serapionis interpretem, asserẽs per oppositum in Paulo legi: scilicet quòd non zurũbet pro cinnamomo, vt in Serapione, sed cinnamomũ pro zurũbet sit ponendum. Si Paulus autẽ apud ipsum sit alteriusmodi nescimus: in nostro tamen nõ per contrariũ, sed rectè vt posuimus, legitur. Etiã si esset, vt ipse Brasaulus dicit, nihil facit ad rẽ: quoniã cõuertũtur ad inuicẽ ista: Videlicet quòd si pro cinnamomo licet administrari zurumbet, econtrà & pro zurumbet compẽsabitur cinnamomum.

De Alfeleniemisch & omni Ozimo.

ALfeleniemisch, vel alfelengiemisch, seu felengiemisch, vel alfelengemisce, &c. est ozimum gariofilatum, vt omnes declarãt: vel ozimum muscatum, vt aliqui opinantur. Nam misch, seu mesch, Arabicè, muscus est Latinè: & alfelengie, basilicũ: id est ozimum significat. Bellunensis autem in suis interpretationibus dicit: Alfelange, est herba similis ozimo. Et Pandectarius, Alfelengia, id est basilicon: alfelengiemisc, id est ozimum gariofilatum: alfelingemischich, id est spica Celtica. Et in litera f, felememiki, felemenichi: id est ozimum gariofilatum: felengemich, est genus quoddã basiliconis. Et alia plura. Simon Ianuensis autem

in lit

in litera Felemenusch, & quamplurimi ex iunioribus, multa & alia cõsimilia barbara vocabula scribunt: verũtamen omnes ferè in vnũ concordant, scilicet quòd significant ozimũ, vel ozimum gariofilatum: exceptis aliquibus, vt est Alfelingemischich, &c. In Auicenna autem est capitulũ de ozimo gariofilato, quod incipit Falamamiski: pro quo Bellunensis rescripsit Felengiemesch. In Serapione verò, capitulum de ozimo gariofilato incipit, Berengemisch, id est ozimum gariofilatum. Et quasi simile legitur in primo cap. xj. tractatus primi libri Abumeron, siue Abumaruan Auenzoar: hoc est, cum succo de berengemescha: id est Basiliconis gariofilati. Postea Serapio facit aliud capitulũ de ozimo non gariofilato, quod est ozimũ commune: quod capitulum incipit Berendarog. Est quoq; apud ipsum Serapioné aliud capitulũ de ozimo carmeno, & est 73. vbi malus interpres confusè posuit titulum huiusmodi: De basilicon gariofilato, & est ozimum carmenum. Hinc subscripsit, Scexabram, id est ozimũ carmenũ, vel basilicon gariofilatũ. Est præterea apud Serapioné & aliud capitulum de ozimo, & propriè est 175. quod incipit: Hameim, id est amechi, nominatur apud Romanos Selichi. Vbi sequitur authoritate Isaac eben Amram: Est ozimum domesticum habens lata folia, & nominatur in seni: ozimum nabati, habet ramulos virides, quadrangulatos: & color floris eius est albus, &c. Et licet hic nihil tangat de odore, tamen per alias notas coniectamus ipsum esse ozimum citratum, de quo infrà. Etiam in quinto côlliget Auerrois legitur halbalbat, id est basilicõ. Et hinc pertractat de basilicone gariofilato. Vnde est quòd Hispani, barbarè vsq; hodie vulgò, basilicũ, halbahacã nominãt. Latinè autẽ & Græcè, rectiuis ocimũ, quàm ozimũ dicitur. Ocimũ autẽ, siue (vt mauis) ozimũ, & basilicõ siue basilicũ, sunt nomina generalia, ad omnes species sui generis. Vnde ex speciebus ozimi, aliud est commune, notũ, quod habet folia ampla: & hoc vocat Rhasis ozimum maius: vt legitur in nono ad Almãsorẽ, c. de melancholia. scilicet in electuario lætificãte. Est aliud basilicũ, siue ozimũ leptophyllon, quod vulgò basilicum minutum appellãt, quodq; multi tenent esse basilicon gariofilatum, ex eo quod Serapio in cap. 156. de ozimo gariofilato dicit: Et folia eius sunt parua, &c. Sed hi errant, quoniã hoc basilicũ minutũ non habet stipité quadrãgulatũ, vt inibi ipse Serapio dicit: sed potius est ozimũ carmenũ supradictũ: quoniã etiã ibi asserit authoritate Isaac eben Amrã, quòd ozimũ carmenum est paruũ. Est & aliud quod dicitur ozimum

Ozimi plures species.

citratum, siue basilicũ citratũ, cuius meminimus, quod quidem hodie perpaucis est notum: de quo lege infrà in confectione de musco dulci. Est etiam ozimum fluuiale, quod scribens Pandectarius dicit esse melissam, & similiter Simon Ianuensis tenet idẽ in litera ozimum: quoniam etiam ibi tenet, quòd ozimũ citratũ sit turũgen, quod est melissa: quod est falsum. Est præterea aliud quod dicitur ozimum siue basilicon gariofilatum, pro quo nũc sermo protẽditur, quod certe nostris temporibus extra regnum Apuliæ quasi omnibus erat incognitum: ex quo omnes aromatarij, &c. accipiebant præfatum basilicũ minutum, pro gariofilato. Et nos quidem primum, hac videlicet tempestate Romã attulimus semẽ gariofilati simul & citrati, sicut & alia plura. Vnde nunc Romę à pluribus, tam medicis & aromatarijs, quàm etiam alijs hominibus, vtrunq; cognoscitur, quum paucis antè annis, neutrum ipsorum cognoscebatur. At omnes quotquot vident, hauddubiè cõfitentur atq; testantur vtrunq; verum esse, scilicet alterum gariofilatum, & alterũ citratũ ozimum. Est igitur planta ocimi gariofilati huiusmodi videlicet: folijs melissæ, longioribus tamen, per ora lentè serratis: caule sesquipedali & aliquãdo ampliori, quadrato sed nõ anguloso, piloso non tamen hispido, ramoso, viridiq;, propriè foliorũ colore: quæ folia etiam pilosa sunt & plana, peciolis longis: & inter folia & folia est spatium trium digitorum, vel circa: flos ei, & spica seminis, vt cæteris ozimis: veruntamen quælibet spica habet quosdam alios, quasi adnatos spicarum ramulos Semen eius est minutius alijs & rotundius, subruffum trahens ad nigrum, &c. Tota enim planta præter radicem habet odorem, necnõ & saporẽ acutissimũ gariofillorũ, ita quòd folia eius vellicant linguam, propriè vt gariofilus facit. Et quànto magis senescit plãta, tãto magis folia eius sunt odoratiora & acutiora. Vnde non est dubium in eo, quin ipsum sit ozimũ gariofillatum depictum à Serapione, nõ obstãte quòd ibi legatur, quòd folia eius sint parua: quoniã fortasse est error interpretis, qui tenẽs (vt alij plures) basilicũ minutũ, pro basilico gariofilato, posuerit folia minuta, vt ipse sciebat. Suspicamur autẽ hoc basilicũ gariofillatũ esse ocimastrũ Dioscoridis, quod tertio libro scribit, quodque acinos siue aconos, & syluestre basilicũ ab alijs dicitur. Diximus autẽ quòd est in tertio lib. quoniã in quarto libro ipse Dioscorides aliud ocimastrum scribit, quod est alterius herbæ genus: quod quidem nonnulli (vt ipse refert) vocant ocymoidẽ, & echion, & scorpiuron, & amarantida, &c.

Ocimi Cariophillati descriptio.

De Ce

De Corallio, uel Corallo.

Corallium, siue corallion, rectius, quàm corallum, vel corallus dicitur. Dioscorides quidē, Plinius & Serapio duo tantum coralli genera scribunt, scilicet rubrum & nigrum. Auicenna autem ipsis iunior, tria posuit: vnde cum illis, & album cōmemorauit. Nigrum enim à Dioscoride, Antipathes cognominatur, quod rarò habetur: attamē est notum, sed album est notius: & rubrum notissimum, quod omnibus prętātius est. Vnde quādocunque absolute, coralliū describitur, semper de rubro intelligitur. Reperitur quandoq; corallium subrubrū, scilicet quod non est veræ rubedinis, quasi sit minus maturū: tamen pro rubro computatur. A Plinio non corallium, sed curalium dicitur. De quo in cap. secundo libri 32. non parum scribit, vbi & testatur corallium ferre baccas albas & molles sub aquis, quæ exemptæ confestim durantur & rubescunt: quasi corna satiua, specie atq; magnitudine. Nam certum est, quòd est frutex, siue arbustū marinum, quod crescēs vitam habet vegetatiuā, vt terrestres plātæ, &c. Igitur cum sit plāta, non est mirum si fructū producat. Etenim cùm est sub aquis, tenella planta est: sed cum aërem persentit, ita mox durescit, quòd à lapidibus durioribus, mollitie non differt. vnde à nonnullis inter lapides pretiosos connumeratur. Et à Plinio 37. libro, inter gemmas describitur: & ex eo quòd citò in lapidem conuertitur, gorgoniam gemmam nominat. Sed corallo achates, & corallis minio, ab ipso inibi similiter descriptæ, aliæ gemmæ sunt. Quodlibet autem coralli genus, quanto magis in suo colore viget, tāto melius atque pretiosius. Hoc est, vt rubicundum, quanto rubicundius: nigrum, quanto nigrius: & album, quanto albius, tanto melius. Etiam quāto durius, syncerius, purius, atque politius: tanto nobilius. Etenim porosum, corticosum, atque lapidibus alijs commistum, in re medica, non est bonum. *Corallium quod optimum.*

De Ebore.

Ebur, vel Ebor, cōmuniter in libris medicinę, pro elephanti dente exponitur. Et sic est. Quāuis non de omni dēte sit intelligendum: sed de illis duobus magnis dūtaxat, quos nonnulli, cornua elephanti vocauēre: vt Plinius viij. libro refert, & hoc est notissimū. Est & ebur fossile lapidis genus, de quo etiā Plin. cap. 18. 36. libri loquitur. Vnde & in Cāticis Canticorū Turris eburnea, de tali lapide dicitur, & non de dente elephanti: ex quo non ædificantur turres, sed in medicina, pro dicto dente accipitur. *Ebur fossile.*

De Folio.

FOlium absolutè, de folio Indo, seu malabathro (quod idem est) intelligitur. Malabathrum autem, seu malobathrum, siue folium, secundum Plinium duplex est: vnum videlicet, arboreum cõuolutum, ex quibusdam Syriæ arboribus: alterum verò quod magis commendatur, dicit ex India afferi, quod tradunt ibi in paludibus lētis aquæ modo gigni, &c. Dioscorides enim de hoc Indico tantùm pertractat. De quo quidem amplius non exportatur. De forma autem ipsius, nemo est qui scribat. Nunquàm tale vidimus: sed neque Simon Ianuensis (vt ipse testatur) vidit, nec audiuit aliquem citra mare vidisse. Dicunt tamen omnes, quòd æmulatur nardum & odore, & virtute. Vnde falsò aliqui putauêre ipsum nardi Indicæ folium esse. Nec quidé Plinius arboré malobathri Syriaci, scilicet folij Syriæ depinxit. Ex quo nescimus an hoc folium, quo communiter vtuntur aromatarij, sit ipsum folium Syriacum, an aliud. Hoc tamen folium vsuale pluries gustauimus, & quandoque inuenimus ipsum odorem & saporem gariofili, & quandoque saporé, necnon & odorem cinnamomi vsualis, scilicet cannellæ aromaticæ, quam nos veram casiam ligneam esse nõ dubitamus: vt infrà, in cõfectione de cinnamomo dicetur. In pediculo quidem ipsius folij vsualis, magis probatur sapor quàm in ipso folio, vt quilibet experiri potest. Nunquam enim aliquid certi habuimus de hoc folio vsuali, quid sit. Ex quo igitur (quia caremus vero folio Indo, & folium Syriacum ignoramus) minus malum esse iudicamus, vt loco veri folij, vbi necesse fuerit, compensetur spica Inda: vel, secundum Auicennam, pondus ipsius de mace: vel, secundum Paulum, casiam, scilicet cannellam vsualem: quàm hoc folium plantæ nobis incognitæ.

Folium supplentia.

De Folijs auri & argenti.

FOlia Auri vel Argenti dicũtur, non quòd ipsa metalla tanquàm vegetabilia crescant in folijs & stipitibus & cæteris, sed quia malleationis arte, huiusmodi metalla, & similia plura, deducũtur & cõformantur in laminas tenuissimas, quæ à similitudine foliorum, folia nuncupantur: vt (exempli gratia) chartæ librorũ & similia, quia sunt subtilia, folia dicuntur: sic etiã & ex metallis, laminę tenuissimæ folia appellãtur. Posuit autẽ author folia auri & argenti, siue aurum & argentũ foliatum, ob id, quia nulla meliori arte possunt subtlius conteri & puluerizari huiusmodi metalla, (sed neq; per limam) sicut fit per infoliationé, quo quidem

quidem modo ſubtilius, quàm oleum extenditur. Ita quòd habita eſt huiuſcemodi experiētia, videlicet quòd ſumptis æqualibus portionibus, quouiſmodo, ſcilicet mēſuræ vel ponderis ex auro & ex oleo claro, & ſubtiliſsimè perūctum vitrum, vel aliud ſimile, quantum fieri potuit, ad ſolem vel prope ignem, ex ipſo oleo: & poſtea ſeorſum extenſum eſt aurum foliatum ſuper tabulam: & maius ſpatium tectum eſt auro, quàm quod fuit perunctum oleo. Hinc conſiderate ingenij humani nobilitatē. Sed animaduertendum eſt, vt ipſa folia ſint puriſsima, ſcilicet ex auro puro & probatiſsimo, & ex argento puriſsimo, abſque alicuius alchimiæ admiſtione. Simili quoque arte foliantur vnà aurum & argentum, quod vocant aurum ſiue argentum de medietate: ſcilicet quòd ex vno latere eſt aurum & ex altero argentum. Quod quidem in præſenti electuario & ſimilibus, in quibus ambo requiruntur, licitè poteſt adminiſtrari: multiplicatò tamen pōdere pro vtroque, ſcilicet vt tam aurum, quàm argentum habeat ſui ponderis portionem. *Aurū & argentum de medietate.*

De Melle emblicorum.

DE hoc Melle emblicorū, quamplurimi authores variè deſcribunt. Et cùm ſit quòd ipſi adducūt authoritatem Rhaſis, ex nono ad Almanſorem, cap. de Melencholia, ſcilicet in electuario lætificante: attamen ipſum non ſequuntur, ſed quàm maximè deuiant ab eius intētione: & vnuſquiſq; agit ſecundū proprium ſenſum. Verūtamen (ſalua ſemper veritate) intentionem authoris melius declarabimus. Clarū quippe eſt, quòd ex nono ad Almāſorem, cap. & electuario à præællegatis ſumitur regula faciendi huiuſmodi mel, ſed Authoris intentio (vt diximus) non benè percepta eſt. Igitur ita in textu legitur: Sumantur chebuli xx. & emblici xxx. & terantur, & in tribus libris aquæ coquātur, donec ad vnā redeāt, & colētur. In colatura verò mittatur mellis libra j. Deinde bulliāt, donec aqua cōſumpta ſit. Pòſt, hoc melle conficiātur ſpecies, &c. Quod quidem mel nō poteſt vocari ſimpliciter mel emblicorū, ſed mel emblicorū ſimul & chebulorum. Vnde ſi volumus facere verū mel emblicorum, debemus accipere limitatā omnium quantitatē, ſcilicet quinquaginta emblicos: videlicet permutādo chebulos in emblicos, hoc modo: ℞. emblicorum quinquaginta, & terātur groſſo modo ac nucleis oſſeis, purgētur, & coquātur in tribus libris aquę donec ad vnā redeāt, &c. ſicut ſuprà. Et huiuſmodi eſt verū mel emblicorū. Simili modo poteſt de ſingulis ſimpliciter fieri mel, ſcilicet chebulorū, vel *Mel emblicorū & ſimilium quo modo conficiatur.*

mel citrinorum,&c.Sicut exẽpli gratia Author noster in practica.cap.de cura maniæ & melencholiæ sanguineæ,scilicet in electuario lætificante,quod scribit authoritate filij Zachariæ,petit mel bellericorum,& mel emblicorum. Cõsimiliter etiam potest fieri mel commune ipsorum,scilicet emblicorum,bellericorum, chebulorum simul,& cæterorũ: accipiẽdo ex quolibet decẽ,vel plus de vno quàm de alio,& ex duabus seu tribus vel quatuor myrobalanorum speciebus,sicut competẽs erit medicinæ,dummodo nõ plus,nec minus quàm quinquaginta de myrobalanis pro quibuslibet tribus libris aquæ ad vnam vsq; decoquẽdis,apponantur. Et hoc semper est intelligendum cum sale discretionis,scilicet de mediocribus:hoc est,secundum magnitudinem & paruitatem ipsorum:quia si sunt multùm parui vel multùm magni.addendum est,vel minuẽdum ex ipsis. Etiam animaduertendum quod emblici,vt plurimum exportantur confracti in frusta: quia naturaliter cùm maturantur ,scinduntur in quatuor, vel plures partes. Et multoties integri plurimi inter confractos reperiuntur. Vnde ad ipsorũ proportionẽ,frusta emblicorum sumẽda sunt:videlicet quatuor,vel quinq;,vel circa,pro vno emblico.Et illi emblici sunt meliores quorum frusta(vt ait Author noster in proprio cap.) sunt grosſiora,& dẽsa,& grauia,&c. De myrobalanis omnibus autẽ,lege in cõfectione Hamech secũda.

Emblici qui optimi.

De Geleniabin.

VT habetur in v. canone Auicennæ,& in decimo practicæ Hali filij Abbas,cap.de cõdĩtis,& alibi: Geleniabin, quod alio nomine muraba dicitur,& chalengebinũ(vt in Hali præfato legitur)nil aliud est,quàm zuccharũ,aut mel cum quo aliqua vt rosæ,vel violæ,vel flores boraginis,& similia,sint cõdita:tanquàm si diceres,Geleniabin est nomen æquiuocum,seu commune & generale ad omnem huiusmodi cõdituram,siue cum melle,siue cum zuccharo fiat.Vnde geleniabin absolutè intelligitur tam de zuccharo rosato,quàm de melle rosato:tam de zuccharo violato, quàm de melle violato. Et sic de singulis. quamuis de alijs floribus non legatur speciatim,sicut legitur de rosis,& de violis. Veruntamen, sicut dicimus zuccharum rosatum,vel mel rosatum,& intelligitur geleniabin de rosis:& sicut dicimus zuccharum violatum,vel mel violatum, & intelligitur geleniabin de violis:sic etiam dicendo,mel vel zuccharum buglossatum vel boraginatum vel alchilil , &c. intelligitur geleniabin de buglossa,vel de boragine,vel de alchilil &c. Author autẽm in præsenti

Geleniabin absolutè sũptum.

ſenti deſcriptione ſpecificauit de roſis, ad differentiam aliorum, ſcilicet de violis &c. Sed non diſtinxit, inter mel, & zuccharum: quaſi dimittens illud ad libitum conficientis, vel potius medici ordinantis. Vnde hîc & in ſimilibus, ſemper eſt bonum conſulere medicũ. Item ſpeciatim dixit Author, vt ſit colatura ipſius geleniabin. Vbi intelligitur quòd illud tale ſit exprimendum, & ex illo quod exierit, ſiue mel, ſiue zuccharũ liquatum tanquam mel, erit accipiendum pro conficiendo hoc, vel ſimili electuario: ſed illud mel roſatum, eſt faciendum cum ipſis roſis, ſicut fit zuccharum roſatum. Attamen pro præfata colatura geleniabin de roſis, liberè poſſumus ponere ſyrupum de ſucco roſarum, quod ſemper eſt cum zuccharo faciendum: vel mel roſatum colatum, quod hodie habetur in vſu: & non erit contra Authoris intentionem. Pandectarius autem, & plures ex iunioribus, ſuper hoc non declarant, ſed potius perturbant. Legitote apud ipſos, & videbitis.

Confectio Alchermes, &c. IIII.



A CONFICIENDO quippe cõfectio dicitur. Quod nomen tam electuarijs, quàm quibuſcũq; alijs pharmacorũ, ſeu antidotorum compoſitionibus, quę ex varijs rebus cõponuntur, & in vnum conficiuntur, rectè applicari poteſt. Al autẽ apud Arabes, modo articulũ, modo præpoſitionem de, vel ex, vel ſimile ſignificat. Vnde alchermes, ſiue alkermes, id eſt de, vel ex chermes &c. vt alfelengiemiſch, alhaſce, & ſimilia multa. Chermes autem, vel kermes, ſunt grana tinctorum: ſed non illa quę multi putant, vt mox patebit. Confectio alchermes igitur, id eſt de granis tinctorum. Quod quidem etiam interpres, in ipſius confectionis exordio, ſimiliter declarauit. Et ſciendum quòd hæc confectio, eſt de inuentione ipſius Authoris filij Meſuæ: quam ſub alio nomine (hoc eſt, confectione lapidis lazuli) deſcripſit in capitulo de lapide ſtellato: vbi declarat illud, dicens: Confectio lapidis lazuli, ex inuẽtione noſtra, &c. Sed animaduertendum, quòd in præſentis antidotarij deſcriptione, vniuerſaliter per omnes impreſsiones eſt vnus non paruus error: videlicet quòd vbi legitur: Lapidis lazuli loti & præparati ʒ.ij. legendũ eſt ʒ.xij. Nam errore librariorum deſunt ibi x.ʒ. vt pluribus modis euidentius probari poteſt. Et primò, quia in omnibus exẽplaribus manuſcriptis legitur apertè & clarè ʒ.xij. Secundò, quia non ſolùm

Confectio Alchermes, & cõfect. lapidis lazuli idẽ ſunt.

cuncta

cuncta exemplaria præfata, sed & ipsæ impreſsiones omnes, nulloq; volumine diſcrepante, in deſcriptione prædicti capituli de lapide ſtellato: & conſimiliter Pandectarius in ipſomet cap. vniformiter habent: Lapidis lazuli loti, & præparati. ℥. xij. Sed dicet aliquis, forſan quia doctori placuit ſic variare, vnde etiam & nomina variauit: & illi quam appellauit de lapide lazuli, tribuit maiorem ipſius lapidis portionem, ſcilicet ℥. xij. Iſtam autem ob id, quia dedit ei de lapide lazuli minimam portionem, ſcilicet ℥. ij. noluit ex ipſo lapide inſcribere, ſed ex chermes: ex quo igitur rectius ſtat lapidis lazuli. ℥. ij. quàm ℥. xij. Ad quod reſpōdendum, quòd hoc non poteſt eſſe: quia ſi eſſet, ſequeretur corollarium, quòd tot antiqua exemplaria, varijs temporibus & notarijs deſcripta: quæ (vt diximus) concorditer habent ℥. xij. prædicti lapidis in præſenti deſcriptione, omnia eſſent mendoſa, tanquàm ſi ab vno exemplari mendoſo, cuncta fuiſſent tranſumpta, quod abſurdum eſt credere: quum rationabilius ſit tenere ipſas impreſsiones, vel à malo exemplari, vel à malis librarijs (quod ſæpe accidit) vitiatas eſſe. Et ob id, quia variauit nomen, nihil refert. Sunt etenim & aliæ multæ compoſitiones quæ habent plura, & varia nomina: & tamen ipſæ in nullo ſunt differentes. Vt eſt exempli gratia, electuarium de pſyllio, quod dicit author vocari ab Hamech, electuarium trochiſcorum, & ſimilia. Tertiò, patet legenti quòd iſte lapis per ſe, ſolus valet ferè ad omnes paſſiones, pro quibus hæc confectio ordinata eſt. Et hoc quidem potiſsimum eſt, ſcilicet quòd Doctores ponunt vt plurimum ſimplices medicinas in compoſition[illegible]us, plus vel minus de vna, quàm de alia, ſecundum ipſarum virtutes magis vel minus competentes ad illas paſsiones, pro quibus ordinantur ipſæ cōpoſitiones. Et hoc intelligitur proportionabiliter, ſecundum doſim vniuſcuiuſque rei. vt exempli gratia: Intrant confectionem vnā muſci ℥. ij. & cinnamomi ℥. iiij. reſpectu qualitatis ipſorum plus intrat muſco, quàm de cinnamomo, &c. non obſtante, quòd aliqua quandoque ad alteriuſmodi intentionem ponuntur, in ipſis cōpoſitionibus: vtputa, quæ ad corrigendum quorundam malicias: &c. Et ſi ſic eſt, quòd ad omnia, ad quæ ordinata eſt iſta confectio, magis valet iſte lapis quàm quodlibet cæterorum ſimplicium: ſequitur non credendum, tam parum in ea poſuiſſe authorem, de ipſo lapide. Quartò, non eſt iſte lapis tam pernicioſus, vt non poſsit de eo propinari niſi in minima quātitate: quia teſte ipſo authore in capitulo proprio, doſis eius eſt. à. ℥. j. vſq; ad

Medicamentorum compoſitionis ratio.

℥. ſ.

3.j.s.& ſecundum alios codices vſque ad 3.ij.s. Ergo in tota iſta confectione ſatis parum ſunt xij.3.Quintò,ait ipſe author in dicto cap.quòd quidam ex ſapientibus poſuerunt ipſum lapidem in confectionibus lętitiæ: & propriè 3.viij.ex eo,ad librã vnam, ex confectione. Nam, vt in exordio ipſius deſcriptionis patet, iſta confectio eſt multùm lætificans. Ergo ſi in vna libra poſſunt poni 3.viij.in iſta autem quæ compoſita eſt prope libras ij.ponendo 3.xij.non cadunt niſi ſex 3.in libram vnam cõfectionis: & per conſequens,non eſt multùm. Sextò, Conſuetudo generalis eſt multorum,& præcipuè Arabũ,quòd ſi in vna quauis compoſitione,plura ſimplicia,immediatè vnum poſt aliud, eiuſdem ponderis vel menſuræ recipiuntur, ſemper vno ana omnia illa concluduntur.Igitur cùm ſit,quòd immediatè poſt lapidis lazuli lotionem, ſequitur margaritarum 3.ij.Si ergo fuiſſet ipſius lapidis 3.ij.poſuiſſet Author ambo(vt in alijs conſueuit facere) in vno ana.ſic videlicet:Lapidis lazuli loti & præparati,margaritarum ana 3.ij.& non quodlibet ipſorum per ſe,cum ſuo pondere. Ergo ſecundum veritatem dicti lapidis xij.3.ſunt, & non ij. Et ex hoc vltimo,vnum generale notandum ſequitur. Hoc eſt, quòd vbicunque in deſcriptionibus iſtius Antidotarij inuenietis per libros,duo pondera medicinarum,vel plura ſimilia, vel cum ana vel ſine ana,immediatè vnum poſt aliud,ſcitote ſine dubio errorem eſſe in aliquo ipſorum: niſi ſit diuerſimodè poſitũ, vel cum aliqua operatione intermedia. Exemplum de primo eſt in emplaſtro de meliloto,vbi legitur: ſtoracis 3.v.bdellij tantũdem.Item aliud exemplum in oleo de euphorbio,vbi eſt: olei de cheiri 3. v.vini odoriferi tantundem. Et ſimilia. Exemplum de ſecundo eſt in emplaſtro ſinapiſmo: vide ibi. Prætereà animaduertendum quòd in deſcriptione præſentis confectionis,quæ eſt in præfato capitulo de lapide ſtellato,per libros impreſſos, imprudentia librariorum,duo pondera medicinarum ſunt tranſpoſita: videlicet vbi in ipſis legitur, Et proijce in eo calido,ambræ crudę fruſtatim inciſæ 3.vj.& accipe ligni aloës crudi,& darſeni,ana 3.iiij.legendum eſt per contrarium, ſcilicet: Et proijce in eo calido,ambræ crudæ fruſtatim inciſæ 3.iiij.ligni aloës crudi,& darſeni, ana 3.vj.vt in pluribus exemplaribus correctis habetur: & in cunctis libris,eſt in deſcriptione antidotarij.De ipſo autẽ lapide,ſatis clarè loquitur Author noſter,in proprio capitulo,quod eſt de lapide ſtellato: quoniam vult,quòd lapis lazuli ſit de generibus lapidis ſtellati. propterea lege:Et ſcias quòd

lapis

lapis ſtellatus habet multa alia genera, præter duo, ab authore deſcripta: vt legitur apud alios. Sed cùm dicit ipſe Author in præſenti deſcriptione: Lapidis lazuli loti & præparati, inſurgit nobis dubitatio, an preparatio eius ſit diſtincta atque diuerſa ab ipſius lapidis lotione, quam præparationem nuſquam apud authores legimus. Igitur ſciendum, quòd illa cõiunctio, ſiue illud, &, multimodè ponitur in oratione: ac plures etiam habet ſignificationes, ex quibus aliquas, quæ magis videntur cõpetere huic declarationi adducemus. Prima eſt, quòd illud, &, aliquando nõ ponitur copulatiuè, ſed expoſitiuè, pro, ſcilicet, vel id eſt. Et ſic poteſt ſtare in hac deſcriptione: quia lauatio ipſius, poteſt etiam præparatio dici. Et ſic, loti, id eſt præparati. Secunda, poteſt ſignificare illud, &, ſermonis corroborationem: vnde tunc loti & præparati, ſic intelligere poſſumus, videlicet quòd ipſe lapis taliter ſit lotus, quòd ſit præparatus. Etiam poſſumus accipere illam circumloquutionem in hunc modum, ſcilicet quòd lauãdo, trituretur ipſe lapis: cuius trituratio, eſt ipſius præparatio. Et tunc loti & præparati, id eſt, loti & triturati: ſiue per triturationem & lotionẽ præparati. Etiam poteſt intelligi, videlicet quia duplici modo lauatur ipſe lapis: primò, cum ſimplici aqua: & talis ablutio eſt ad remouendum ab eo nocumenta quæ habet, & ad purificandum eum. Secundò, lauatur decies cum aqua roſacea: & hæc ablutio non eſt ad remouendum ab eo aliquod impurum ſeu nocumentum, ſed ad meliorandum eum: quæ lotio ſecunda, poteſt dici præparatio. Et ſic loti, ſcilicet per primam ablutionem & præparati, per ſecundam.

Et coniunctio interpretatur.

De Chermes ſiue Alchermes, &c.

CHermes, vel Kermes, vel charmes, vel charmas, &c. idem eſt: & ab omnibus exponitur, granum tinctorum. Verũtamen plura ſunt grana quibus infectores & fullones vtuntur: ſed duo tantùm ſunt principaliora grana, quorum alterum abſolutè, & quaſi antonomaſticè dicitur granũ tinctorum: quod aliter coccum, ſeu coccũ baphicũ, ſiue coccus baphica: & ſecundũ Serapionem, charmen dicitur. Alterum autem granum, nõ abſolutè granum, ſed granum chermes, vel ſimpliciter chermes (vt propriè vulgus vocat) dicitur. Et hoc granum eſt, de quo Author intelligit in præſenti deſcriptione, & alijs pluribus locis. Quo videlicet grano vtuntur tinctores ſolummodo ad tingendum ſetam, quæ poſtea à chermes vel charmes, chermeſina aut charmeſina cognominatur. Et reperitur hoc granum ad radices quarũdam

Granũ abſolutè poſitũ ſignificat coccũ baphicum.

herba

herbarum,sed abundantius ad pimpinellæ radices,& propriè ad illas quæ sunt annosæ & crassæ: quasi in superficie terræ.Rustici quidem in pluribus Italiæ locis colligunt, & præcipuè montanis & asperis. Vtrunque enim tam coccum quàm chermes,apud tinctores notissimum est.Nonnulli tamen ignorantes chermes, coccum intelligunt,ob id,quia in exordio præsentis descriptionis legitur declaratum,quòd sunt grana tinctorum. Sed hi decipiuntur: quoniam chermes est aliud à cocco: & hoc multis est clarū. Vnde aliqua res tincta in cocco,coccinea dicitur:quæ autem in chermes,chermesina (vt diximus) vocatur.Modus autem tingendi setam in chermes,apud ipsos infectores,& alios plures, notissimus est. Nec expedit quidem scribere ipsum,quoniā aromatarij non habent exercere tingendi artem: sed quando volūt huiusmodi confectiones parare,in quibus ingreditur ipsa seta tincta in charmes,ab ipsis tinctoribus possunt eam emere. Et aduertendum quòd ipsa seta debet esse recenter tincta: quod clarè Author notauit,cùm dixit:Et propriè,super cuius tinctura non præterijt spatium extensum &c.Hoc autem diximus,quia scimus quòd plurimi,cùm inueniunt in receptis setam tinctam in chermes:accipiunt scissuras seu quisquilias pannorum sericorū charmesinorum,quas proijciūt sartores, tanquam nō amplius aptas ad vestimentorum vsus: super quarum tinctura,transierunt plures anni, non aduertentes,quòd dicit author: Fac modicū bullire,donec aqua rubeat. Ex præfatis autem scissuris seu frustulis, siue per modicam siue per multam decoctionem,nunquam aqua rubebit: & per consequens,nullam possunt tribuere medicinæ virtutem. Igitur (vt diximus) necesse est, vt sit recenter tincta. Non tamen recentissimè,sicut extrahitur ab infectionis vase,vt adhuc permadescat: sed post primam vel secundam suæ exiccationis diem: & inde inter spatium octo vel decem dierum,fiat operatio submersionis eius in succo pomorum dulcium,& aqua rosata &c.Præterea non ignorandum,quòd hoc nomine chermes vel charmes,vocatur etiam tinctura rubri coloris,cuiusdam generis laccæ,siue(vt mauis)lacchæ,vt legitur apud Serapionem in capitulo de laccha.Item animaduertendum quòd in pluribus locis huius Antidotarij, & alibi per mendosas impreßiones, pro chermes est positū chesmes: vnde inibi legitur mēdosè: Seta tincta in chesmes. Et quādoq; per cōtrariū in aliquibus locis,in quibus legendū est chesmes, legitur chermes. De quibus omnibus locis suis dicetur. Chesmes autem sunt passulæ, id est vuæ passæ

Chermes à cocco differt.

Chesmes,

sine

ſine arillis. Pro quibus lege infrà, in lohoc ad caliditatem. Et de ſeta, vide in confectione de muſco dulci.

De Ambra.

AMbra quidem declarabimus in Diambra. Sed quia author dicit in præſenti confectione, ambræ crudæ, inſurgit dubium, quare dixerit ambræ crudæ, cùm ambra nõ coquatur: quia non ſuſtinet aliquid de decoctione? Dicendum quòd Author notauit hoc, ne aliquis liquefaceret illam in aliquo calido liquore, & poſtea commiſceret in iſtam confectionem. Quod quidẽ foret, præter ſuam intentionem. Et ideò ad maiorem expreſsionem ſubiunxit: Minutatim inciſæ. quaſi dicat: non prius liquefiat, ſed ſicuti eſt, incidatur minutatim, & ponatur in confectionem calidam: non tamen bullientem, ſed habeat tantùm caloris, quòd ipſa ambræ fruſtula poſsint liquefieri. Et hac de cauſa voluit Ambram incidi, vt ad liquefaciendum eam ſufficiat parua caliditas: quæ nõ ſufficeret, ſi integra poneretur. Quia quantò pars maior eſt, tantò maiori calore, vt bene liqueſcat, indigere videtur. Qui quidem multus calor, non eſſet de authoris intentione.

Ambra cruda.

Confectio de Xyloaloës &c. V.



RAESENS confectio ab ipſo xyloaloës, quod eſt lignum aloes, nomen accepit. Et licet non ſit multùm in vſu, veruntamen eſt optima compoſitio. Sed ſciendum quòd per omnes impreſsiones, in ipſius lectione, eſt vna circumloquutio, in qua permutata eſt vna dictio: pro qua, licet peritus aromatarius potius percipiat ſenſum authoris, quàm ſenſum literæ: tamen ſimplex & nouus, ac competenter literatus aromatarius ſenſum literæ ſequens, de facili poteſt errare. Quoniam cùm ibi legatur: Foliorum citri, & corticum eius: ſecundum literam intelligũtur folia arboris, & cortices etiam arboris: quia illud relatiuum eius, de natura ſui ſemper refertur ad ſuum antecedens: non obſtante, quòd quandoque pro antecedenti ponatur ſequens. Si autem antecedens accipitur pro arbore, ergo & ſuum relatiuum. Et non eſt dicendũ, quòd antecedens debet intelligi de fructu: quia arbores tantùm, & plantæ, producunt folia. Ergo ſecũdum literam accipiendæ ſunt cortices arboris, & non fructus. Quod quidem eſt falſum. Porrò huiuſmodi error (vt ſæpe contingit) ab imperitia librariorum ortum habuit. Nam in multis antiquis libris,

libris,sic scriptum est:Foliorum citri,& corticum citri:vel citrij, in hoc secundo, vt in vno correctissimo exemplari legitur. Et quidem rectius,quia absq; relatiuo,ad vtrunq; refertur:primum videlicet ad arborem,secũdum autem ad fructum: quia vtriusq; genitiuus,simili voce profertur,scilicet citri.Scriptoribus autem modernis & impressoribus,visum est elegantius dici cum relatiuo,quàm replicare dictum vocabulum.Et potius suæ ignauie, quàm doctoris peritiæ attendentes,veritatem voluminis corruperunt.Quapropter rectius legendum est: Foliorum citri,id est arboris,& corticum citri,id est fructus.Auicena quidem in quinto canone,tractatu tertio primæ summæ, habet duo electuaria de xyloaloes,sed ipsorum descriptiones multùm differũt ab ista. Rhasis etiam in antidotario diuisionum, cap.de medicinis cordis,habet confectionem de xyloaloës,similiter differentem. *Cortices citri.*

De Xyloaloes.

XYlumaloës,siue mauis xyloaloës, id est lignũ aloës. Xylon enim Græcè,lignum Latinè dicitur. Agalochum, vel agallochũ à Dioscor.& Paulo vocatur. Agalochon enim Grecè scribitur,quod in Serapione,agaloyan semibarbarè: & similiter in Auicenna agalugin vel agalugem legitur.De quo ipse Auicenna in secũdo can.cap.facit.vbi probatur eius error,scilicet quòd tanquam diuersum, scripsit aliud capitulum de Xyloaloës. Sed maiori errore culpandus est Christophorus de Honestis, qui in confectione de musco dulci,dicit Auicennam non pertractasse in secundo can.de ligno aloës,cùm (vt diximus) duo capitula fecerit.Signum est,quòd neutrum ipsorum ipse Christophorus legit.Etiam non sine culpa est Ioannes Michael Sauonarola : qui in quinto suæ practicæ,vbi de lignis quibus in medicinis vtimur, petractat deceptus quasi lignum aloës & xyloaloës fuissent diuersa,vtrunq; scripsit. Ait enim de lignis:Lignum aloes,lignũ tamarisci:xyloaloës, &c. À quibusdam alijs agalugi, agalosia, & agalusini,id est lignum aloës scribitur. A Serapione autẽ, Hoad vocatur.Etiam absolutè descriptum,lignum Indum, est lignum aloes:vt probatur per ipsum Serapionem in proprio cap.& per Auicennam in cap.agalugin & cap.xyloaloës. Porrò secundum prædictos multa sunt genera & species ligni aloes, & diuersis nascuntur regionibus:vt in India,& Arabia,&c. Sed omnibus melius est Indum (aduerte tamen quòd non intelligimus per lignum Indum hîc notatum,illud quod vulgò Lignum sanctum, & lignum Guaicum nominant.)& propriè illud quod absolutè,

lignum Indum vocatur. Sed qualiter sint ipsius arbor, folia, fructus, &c. nullus depingit. A Dioscoride tantùm dicitur quòd est lignum, quod ex India atq; Arabia importatur, thyino siue thyię vel thuiæ ligno simile, maculatum, odoratum, gustu astringens cum quadam amaritudine, & quòd cute verius quàm cortice vestitur, &c. Serapio autem & Auicenna dicunt, quòd melius est Indum, nigrum, trahés ad varium colorem, habens multā aqueitatem, graue, durum, grossum, in quo nulla est albedo, & quod remanet multùm super ignem, & quod magis submergitur in aqua: natans verò, est priuatum vita & spiritu: & est malum, &c. Sophisticatur autem lignum aloës multis modis: vt cum lignis consimilibus, & præcipuè cum lignis radicum syluestris oliuæ, & chamælææ atq; Thymelææ, &c. Et quandoq; bulliunt ipsum lignum bonum, & accepta decoctione desiccant illud, atq; vendunt. Vnde rarissimè ab aromatarijs purum emitur. Qui autem volunt cognoscere atq; secernere bonum à malo, accipiant frustum ipsius, & ponant super carbones viuos, sed non flammantes: & si, cùm vritur, spirat bonum odorem, & liquescit bulliens tanquam incensum aut bitumen, bonum est: quod autem non est huiusmodi, proijcite: quia vel non est ipsum, vel est non bonum, id est mortuum: & prius bullitū aqua, &c. Per saporem autem, & submersionem in aqua, nō sunt bonæ probationes: quoniam plura ligna sunt (vt diximus) ligno aloës similia, amara, & quæ in aquis submerguntur, &c. Quod autem dicitur à Pādectario, & nonnullis alijs ex iunioribus, de paradiso terrestri, &c. nostris temporibus per Lusitanorum nauigationes, probatū est esse fabulosum: quoniam (vt audiuimus) hi ingētes syluas inuenêre plurium generū ligni aloës. Attamē adhuc à nemine potuimus ediscere foliū eius, &c. Dicitur autem lignum aloës (vt Ruellius, de Natura stirpium ex Aetio refert) à quadā coloris similitudine, quam habet cum aloës herbæ succo. Et fortasse etiā ab amaritudine, licet ipsum lignum non sit ita amarum, vt succus herbæ aloës. Aliter autem, multùm differt alterum, ab altero.

Xyloaloës quomodo cognoscatur.

De Sisymbrio.

SIsymbrium duplex est: alterum videlicet genus mentæ, quam nonnulli balsamitam, & mentam aquaticam appellitant: & alij (vt Brasaulus scribit) mentem Florētinam nominăt. Verūtamen multi pro menta Florentina, intelligunt mentam communem, id est hortulanam. Alij autem, teste Dioscoride, hoc sisymbrium vocant serpillum, & herbā Veneriā, vel Venereā. Arabicè autem

auté dicitur, nemam, seu nemem, vel nemen, quo nomine etiam & serpillum vocant Arabes. Et hoc genus sisymbrij dicitur terrestre, vel campestre: quoniā in terrenis & cāpis nascitur: quamuis etiam iuxta riuos aquarum plurimum reperiatur. Vnde & menta aquatica nominatur. Et dicitur etiam terrestre, seu campestre ad differentiā alterius sisymbri, quod est aquaticum: quoniam semper in aquis oritur, de quo mox pertractabimus. Sisymbrium auté terrestre, id est balsamita, ab omnibus cognoscitur. De quo facit Auicen. cap. sub nomine nemem vel nemam, secundum Bellunensem. Vnde valde mirati sumus de Simone Ianuensi, & Ioanne Iacobo Manlio &c. iunioribus, qui culpāt Auicennæ interpretem, quòd male interpretatus sit, Nemen, id est sisymbrium. In quo ipsi potius culpādi sunt. Nam rectissimè interpres Auicennę hoc exposuit: quoniam (vt legenti & conferenti ad inuicem patet) nō est principaliter capitulum de serpillo Dioscoridis, vt ipse Simō dicit, sed potius est ipsummet capitulum de sisymbrio, balsamita vulgò dicta. Porrò vt videri potest in Dioscoride, multa de sisymbrio dicuntur, quæ etiam Serpillo cōueniūt. Vnde putamus hoc sisymbrium (vt ipse Dioscorides scribit) serpillum dici. Et licet Auicenna, aliqua in suo cap. (quod incipit Nemen) de serpillo commisceat: veruntamé habet in eo omnia ferè ad literam, quæ Dioscorides de hoc sisymbrio posuit: quamuis nō sic ordinatè. Ait enim Dioscorides lib. 2. cap. cxx. Contra stillicidia vrinæ, calculososq; , semen ex vino bibitur. Auicenna autem, quando bibitur cum vino prohibet distillationem vrinę, & extrahit lapidem. Item Dioscorides: Tormina & singultus sedat. Auicenna: Et confert dolori ventris pungitiuo cum vino, etiam confert singultui cùm ex eo bibitur cum vino: & semen eius est fortius. Item Dioscorides: Folia in capitis dolore, fronti aut temporibus illinuntur. Auicenna: Et fit emplastrum ex folijs syluestris super caput & frontem, & super tempora, ad soda, & confert. Dioscorides item, Contra vesparum, apumq; ictus. Auicenna: Et ex eo fit emplastrum puncturæ vespæ, &c. Quis igitur legens hæc, audebit dicere hoc cap. Auicennæ de Nemen, nō esse de sisymbrio? Sed reuera ipse Auicenna accipiens ex Serapione, cōfudit sisymbrium cum serpillo. Nam hoc nomen Nemem, siue nemen, apud Arabes, est æquiuocum ad sisymbrium, & ad serpillum. Vnde Serapio sub vno capit. quod est 299. quod incipit, Nemen, duo capitula Dioscoridis conclusit: videlicet capitulum de Serpillo, & capitulum de sisymbrio terrestri, siue agresti,

vt ipse scribit. Et primum descripsit capit. de duobus generibus serpilli, postea subiunxit capit. de sisymbrio: quod barbarè & corruptè, sisnabarion nominat: vt legenti, & Dioscoridi conferenti, non est dubium. Ex quo titulus dicti capituli Serapionis, nō debet stare absolutè de serpillo, sed de serpillo & sisymbrio. Et similiter capitulum Auicénæ, de Nemem nō est de sisymbrio tantùm, sed de sisymbrio & serpillo mistum, atq; cōfuse editum. Et scias, quòd per sisymbrium absolutè descriptum: hoc semper intelligitur, quod licet aliquando (vt in locis siccioribus) transeat in formam nepitæ, vt vix dignoscatur à nepita illa videlicet, quæ vulgò mentucia dicitur: tamen odore semper cognoscitur, quoniam mutando formam, non mutat odorem. Alterum autem sisymbrium à Dioscoride descriptum, quod est aquaticum: est illud propriè quod vulgò cresionem, vel crescionem, & nasturtium aquaticum nominant: ex eo, quòd sapore maximè æmulatur nasturtium. Vnde aliqui cardaminam, quasi nasturtianam vocant. Nam cardamum Græcè, nasturtium est Latinè. Nonnulli etiam hoc sisymbrium aquaticum (vt Dioscorides tradit) sion appellant. Non quòd sit propriè sion, sed quia oritur in riguis, vt sion: atq; vt plurimum, simul cum eo crescit: vnde coniectamus ex eo esse quod vulgò dicitur, cresiō siue crescion: tanquam si diceretur, crescens cum sion. Non est dubium in eo, quin sit ipsum: quoniam ad vnguem conuenit Dioscoridis descriptioni. Auicenna verò vocat istud pupillam oculi, & erucam aquæ, & apium aquæ, & facit de eo cap. quod est de pupilla oculi. Sed existimauit idem esse cum sio: quia fecit aliud capit. quod barbarè inscribitur, de sumio. Vbi Bellunensis pro sumio, vertit sium, & pro pupilla oculi, vertit charealhayn. Vnde in capitulo de sumio legitur: Sumium quid est, est curati albani: pro quo Bellunensis vertit Charealhayn, vt suprà, quod est pupilla oculi. Et sequitur: Existens in aquis stantibus, & in ipso est bonus odor, & dicetur in capitulo de caf &c. In capit. de caf, autem erat scribendum, charealhayn præfatum, quod est pupilla oculi. Ergo ipsa duo capitula, sunt vnum & idem, vt legenti non est dubium. Sion autem propriè est illa herba, quæ vulgari vocabulo Romæ, Channæa dicitur. Et ipsum est verè lauer. Non obstante quòd nonnulli abutantur his vocabulis, vocando lauer, & crescionem: qui vnam, & qui aliā herbam. Vnde est, quòd à quibusdam hoc sisymbrium aquaticum, falsò lauer dicitur: ac etiam est quædam herba nascens in aquis, quæ in acetarijs simul cum

Pupilla oculi.

Eruca aquæ.

Apiū aquæ.

cum prædictis comeditur, & non est ingrati saporis: quæ à quibusdam similiter, lauer falsò appellatur: quamq; alij etiam falsò crescionem vocare non desinunt. Cuius quidem herbæ fatemur nos verum ignorare nomen. Porrò hi non animaduertunt, quòd sisymbrium aquaticum, & illa herba (cuius proprium nomen ignoramus) non habent odorem: cùm verum lauer, scilicet sion, vel sium, dicat Dioscorides habere folia odorata. Igitur channæa præfata, est verum lauer: quia habet (vt Dioscorides scribit) folia olusatro similia, quæ sunt odorata, &c. vt quilibet experiri potest: quoniam cùm confricuerit digitis folium eius, persentiet suum bonum odorem. Hæc sanè sunt, secundum Dioscoridis veritatem. Quæ autem ab alijs, tam antiquis, quàm junioribus, de sio dicuntur, tum breuitatis causa (cui semper studebimus) tum etiam quoniam sunt in ipsis plura contradictoria, quæ non parum conturbant legentium mentes, libenter omisimus. Curiosus verò lector, quærat per se ipsum: vbi etiam inter alios plures, inueniet errorem Simonis Ianuensis, & Pandectarij, scribentium crescionem esse Dioscoridis senecionem, &c.

Descriptio electuarij Sarbotheng, & est lætificans, descriptione Hamech *filij Zachariæ, &c.* VI.


DECLARATVR in præsentis electuarij exordio, quid sarbotheng significat, hoc est lætificans. Vnde electuarium sarbotheng, id est electuarium lætificans. Et ponit Author hoc electuarium, authoritate Hamech filij Zachariæ: & eiusdem authoritate, ponit alium modum electuarij lætificantis, in practica, scilicet in capit. de cura maniæ, & melancholiæ sanguineæ. Filius Zachariæ autem, qui est Rhasis, in pluribus suis libris, vt in nono ad Almansorem, & in Continente, &c. Habet plura, variaq; electuaria lætificantia. Etiam in antidotario Nicolai est electuarium lætificans. Iuniorum quoq; plurimi, vt Bartholomæus de Montagnana Consiliator, &c. ponunt electuaria lętificantia: quære apud ipsos. De gallia muscata, quæ est compositio, quære in distinctione de trochiscis. Simplicia autẽ alibi declarantur. Sed vbi dicit: Fiat omnium trituratio bona, intelligatur subtilissima.

Rhasis est filius Zachariæ.

Modus electuarij de citro ex inuentione nostra &c. VII.



VM dicit Author: Ex inuẽtione nostra. declarat ipsum apud alios non esse quærendum. Veruntamen in præsenti descriptione, pro omnibus consimilibus declarandus est vnus pessimus error, qui vitio librariorum passim per impressiones, in pluribus compositionibus legitur. Igitur animaduertendum quòd sicut in isto electuario, ita & in multis alijs pharmacorum descriptionibus, pluries per ipsas impressiones reperitur positum vnũ quinque, vel ℥. vel ℨ. vel alterius generis ponderum, pro vno semis. Sed huiusmodi erroris causam cõiectauimus, atque inuenimus. Nam, vt legẽtibus exemplaria manuscripta patet, sæpe scriptores antiqui vtebantur abbreuiationibus, in transcribendo libros, & præcipuè illarum dictionum quarum frequentia nõ minima erat in libris: arbitrantes illas (ob sui frequentiam) sine difficultate à lectoribus posse intelligi: nolentes in minus necessarijs, cõsumere tẽpus & chartas. Hinc fuit, quòd in pluribus medicinalibus libris pro vno semis frequentabant scribere primam literam tantùm ipsius dictionis cum puncto, sic f. vel sic ß. Vt exempli gratia, In præsentis electuarij descriptiõne scripserũt, musci ℨ. ß. & dosis eius est ℥. ß. &c. Vel sic: musci ℨ. f. dosis eius est ℥. f. &c. scriptorum sequentium postea nonnulli illud f, longum, & extensum conuerterunt in s, paruum & retortum, scribentes sic, Musci ℨ. s. dosis eius est ℥. s. Hinc impressores, & artis medicinæ imperitiores, putantes illud s, paruum, atque retortum, esse characterem abachistarum, quẽ simili figura in suis characterijs numerationibus, pro quinque describunt, aliqui ipsorum cum dicto Abachistarum signo, quinque significante, & scripserunt & impresserunt. Nonnulli autem peius, magnificantes errorẽ, loco eius signi posuerunt v. quod more antiquorum Latinorum, vsq; in præsentem diem, pro quinque numeratur. Hinc est, quòd in præsenti descriptione per plurimas excusiones, legitur mẽdosè, Musci ℨ. v. & dosis eius est ℥. v. quibus in locis legendũ est verius, musci ℨ. s. dosis eius est ℥. s. vt in exemplaribus & libris correctis habetur. Etenim si fuissent quinq; musci ℨ. potius esset inscribendum de Musco, hoc electuarium, quàm cõfectio sequens, in qua duo tantùm musci ℈. ingrediuntur. Consimiles igitur errores quocunque fuerint, locis suis connotabuntur.

Errorũ causa.

Confe

Confectio de musco dulcis, &c. VIII.



VLLI dubium est, quòd à musco præsens confectio denominationē accepit. Dulcis autem dicitur, ad differentiam amaræ, quæ post ipsam immediatè sequitur. Auicēna quippe in quinto can. scilicet in primæ summæ tractatu primo, habet 6. cōfectiones de musco, & vna tantùm ex ipsis cognominatur dulcis: & tractatu tertio, habet etiam vnum electuariū de musco. Filius Serapionis autem in vij. sui Breuiarij, habet tres descriptiones, quarum prima dicitur dulcis: secūda, Diamuscum amarum: tertia, nec dulcis, nec amara titulatur. Haliabbas etiam in x. practicæ habet medicamē de musco dulce, necnon & amarū, ac etiam præter hæc vnum electuarium musci. Rhasis quoque in nono ad Almansorem, cap. de tremore cordis. habet vnum electuarium, quod vocat Diamuscū pretiosum. Et in antidotario diuisionū, cap. de medicinis cordis. habet vnam aliam cōfectionem de musco. Et Bartholomæus de Montagnana in suo antidotario, habet Confectionem diamusci matricalis. Diamuscum autem idē est, *Diamuscū.* quod compositio, seu electuariū, seu confectio de musco. Omnibus autem vsitatiores sunt istæ filij Mesuæ. Animaduertendū autē, quòd in præsenti descriptione de musco dulci, per omnes impressiones, est vnum mendum: videlicet vbi legitur, galliæ, ocimi citrati, omnium añ. ʒ. ij. s. Legendum est rectius: galliæ, ocimi citrati, añ. ʒ. j. s. vt est in cunctis exemplaribus correctis.

De Seta.

VVlgaris notitiæ hodie Seta est. Sed rectius dicendum sericum, vel sera, à seris vermiculis qui aliter bōbices dicūtur. At cùm legitur, setæ crude adustæ, videtur esse contradictorium in lectione: quoniā crudū & adustum sunt contraria. Non enim potest esse crudum, quod est adustum. Bene tamen potest aduri, quod est crudū. Ad quod dicendum quòd Author non sine ratione hoc dicit. Et ratio hæc est: videlicet quòd sciens ipse sericū *Seta cruda.* in bullienti aqua, vbiq; extrahi à suis folliculis, & quòd sericum sic extractū, potest aliquo modo dici coctū: ideò Author posuit crudum, quia non quærit hoc sic extractū: sed vult, vt accipiātur folliculi recentes, quos omnino nō tetigit aqua. Qui forficibus dissecti, & pelliculis intrinsecis, ac vermiculis viuis vel mortuis, optimè purgati, incidantur in frusta, & assentur, &c. Modus verò assandi ipsam setam, pro diamusci compositione ponitur à

Bulchasi, in libro Seruitoris. Lege ibi.

De Ocimo citrato.

SVprà in electuario de gemmis, de omni ocimo mentioné fecimus: hîc autem ocimum citratum tantùm est elucidãdum. Omnes etenim iuniores, vt Simon Ianuensis, Christophorus de Honestis, Luminare Maius, Lumen apothecariorum, Thesaurus aromatariorũ, &c. in hoc ocimo citrato hallucinati sunt. Et qui melissam, & qui ocimum gariofilatum, & qui vnum, & qui duo simplicia esse putantes plurimas scripsêre fatuitates. Eniniuero ocimum citratum non est melissa, sed est species basiliconis, per se distincta ab alijs & similiter à melissa. Planta enim eius Venetijs primum vidimus, & inde semen collectum, paucis antè annis Romam attulimus. Vnde nunc Romæ à multis cognoscitur. Folia enim eius sunt latiora, & longiora omnibus speciebus ocimi. Sunt etenim tãquam folia citri. Et odor ipsius ocimi est, vt perfectissimus odor citri. Quæ folia, si non fuissent molliora folijs citri, multi deciperentur in ipsis, credentes nõ ocimi sed citri folia esse. Et his tantùm notis distinguitur à communi basilico. Et hoc verè (vt suprà diximus) putamus esse, quod scribit Serapio capitulo 175. quoniam nulla reclamat nota. Non obstãte, quòd ibi nihil de suo citrio odore legatur: quoniam forsan vel ab authore, vel ab interprete imprudenter omissum sit. Semẽ quidem, vt commune basilicum, habet nigrum, & oblõgum: flores albos, &c. Non habemus in eo dubiũ. Porrò siquidem potest esse, quòd eiusdem virtutis sit cum melissa: quoniam si cõmuné habét odorem, non est impossibile, vt easdem habeãt vires. Quòd si habét, licitè possumus altero pro altero vti: quod quidem sapientioribus iudicandum relinquimus.

De Been, & Ben.

DE hoc Behen, vel Been, vel Beem, poteramus facere declarationem suprà in electuario de gẽmis, & in cõfectione de xyloaloës, in quibus etiam recipitur. Sed quia hæc confectio de musco dulcis, est in frequentiori vsu, & plurimi ex iunioribus, in cõfectione ista consueuerunt illud declarare: ideò & nos voluimus concordare cum illis, faciendo declarationem de ipso, in præsenti confectione. Et licet Ben non ingrediatur in istam confectionem, hac de causa tamen, vt aliqui non decipiãtur in eo propter consimilem prolationem, quam quasi habet cum been, aliqua de eo necessaria subscribemus. De béen igitur inter Doctores mira varietas in scribendo probatur. Vnde alij sine aspiratione

tione

tione Been, alij autem cum aspiratione Behen scribunt. Veruntamen omnes in vnum cōcordāt, scilicet quòd sint radices albæ, & rubeæ quæ ex Armenia deferūtur. Quorū authoritates pro maiori parte, ob eius clariorem declarationem, adducemus. Igitur Auicenna in secūdo cañ. scribens sine aspiratione ait: Been quid est? frusta aspera, vel lignea, quæ sunt radices ex siccitate contractæ, carnosæ, seu habentes rugas, vel lineationes: & sunt duarum specierum, quarum vna est alba, & altera rubea &c. Vbi Bellunensis pro been, rescripsit bhemen. Cum Auicenna autem tenet Simon Ianuēsis dicens: Been est radix quæ de Armenia defertur: & est de eo album, & rubeum, &c. Concordat cum istis & Thesaurus aromatariorum, affirmans quòd debet scribi per duplex ee, sine h, Serap. autē describit aspiratè, sic: Ienden, id est behen. Abēmesuai: Species eius sunt duæ, scilicet rubeæ & albæ, & sunt ambæ venæ in magnitudine radicis pastinacæ paruæ, &c. cum quo conuenit Lumen apothecariorum dicens: Behen scriptum duplici ee, & cum h, idē est, quod radix alba & rubea: quæ ambæ portantur de partibus Armeniæ, &c. Luminare Maius autē, reprehendēs Lumen apothecariorum, sic ait: Hic etiam dicit quòd been cordiale debet scribi per, h, quod apud probos Authores non reperitur. Nam Serapio est Author non solùm & probus & fide dignus, sed plurima laude dignissimus, qui scribit cum h, behen. At ipse bonus vir in electuario de gemmis, in huius declaratione adducit authoritatem Serapionis, amoto illo h, authoritate sua. Matthæus Syluaticus autem, id est Pandectarius, econtrà scribit: quia cōcordans se cum Serapione, ad authoritatem Auicennæ, quam ipse adduxit, addit h, quod quidem Auicenna non habet. Porrò Christophorus de Honestis scribit prius sine h, been, & dicit quòd est radix alba & rubea: & paulo pòst describit cum h, & dicit, quòd illud idem est: Insuper nos autem dicimus quòd vel cum h, vel sine eo scribatur, nihil refert: & idē est, quod radix alba, & radix rubea, &c. Attamen ipsæ radices ex Armenia ad nos amplius non aduehuntur, & quæ apud nostrates colligūtur, non sunt radices been, sed alterius herbæ: quoniam radices been sunt paruæ, vt radices pastinacæ erraticæ: & sunt benè odoratæ, vt probatur per Doctorum descriptiones: Radices autem huius vsualis adulterini been, sunt grossæ, & sine bono odore: & præcipuè radix rubea. Etiam affirmant Doctores, radices been habere viscositatem quandam, quam istæ vsuales minimè habēt: ergo non sunt, &c. Potest autem poni loco eius, teste Auicenna

Been ſup= plentia. in dicto capitulo de Been, quantitas ponderis eius tuderi, & medietas ipſius linguæ auis. Sed ſecũdum Haliabbatem, qui (ſi non eſt additio interpretis) aſſerit abſolutè been eſſe paſtinacam ſyluestré, poteſt poni ipſa paſtinaca ſylueſtris. Ait enim in ſecundo practicæ, cap. 43. Been quoq; duæ ſunt ſpecies, eſt enim rubeũ & albũ, & eſt paſtinaca ſylueſtris, &c. Ben verò per ſimplex e, & ſine h, eſt fructus cuiuſdam arboris, ſimilis myricæ, teſte Dioſcoride, à quo balanus myrepſica, id eſt glans vnguentaria appellatur: vt patet, conferendo cap. Serapionis de ben, quod incipit Habben, id eſt granum ben, cum capitulo ipſius Dioſcoridis de glande vnguẽtaria. Ait nanq; Dioſcorides lib. 4. cap. 141. Glans vnguẽtaria, fructus eſt arboris myricæ ſimilis, magnitudine auellanæ nucis: cuius nucleus græcarũ nucum, id eſt amygdalarũ more tritus, humorem reddit, quo ad pretioſa vnguẽta, pro oleo vtũtur. Naſcitur in Aethiopia, Aegypto, Arabia, & Petra oppido Iudææ. Præfertur plena, recens, candida, quæ facilè delibretur &c. Idem dicit Simon Ianuenſis, & addit quòd hoc granũ eſt album, triangulatum, ſimile carthamo: ſed maius nec ita oblongum, à quo exprimitur oleum muſcellinum, quod Dioſcorides vocat oleum balaninum, &c. Et nos affirmamus, quod verum dicit: quoniam pluries Romæ habuimus ex illis à quodam mercatore, Franciſco Macza nomine, qui illã vendebat. Et propriè vulgariter grana illa vocabat, fructo de bene: quaſi dicat fructum de ben. Eſt granum triangulatum, album, magnitudine paruæ nucis auellanæ, trahens aliquantulum ad formam piſtaciorum: intus habens ſubſtantiam vnctuoſiſsimam, quę digitis compreſſa reddit oleum abundanter. Et omnes Authores conueniunt in hoc, præter Chriſtophorum de Honeſtis, & Quiricum de Auguſtis de Terthona, dictum Lumen Apothecariorum, qui valde hallucinati ſunt, tenentes ben eſſe ſemen cataputiæ, ſcilicet Keruæ. Non enim aduerterunt, quòd Author noſter in ſuo de ſimplicib. lib. facit capitulum de Ben: & diſtinctè capitulum de Albemeſuch, quod eſt cherua. Et in hoc Antidotario docet fieri oleum de ben: & per ſe, oleũ de cherua, id eſt de cataputia. Opinamur eos in affinitate vocabulorum deceptos eſſe: intelligẽdo pro Almeſus, quod eſt granum ben, Albemeſuch, quod eſt cherua. Quia de vtroque eſt magnũ, & paruum, &c. Miramur etiam de peritiſsimo viro Antonio Muſa Braſaulo, qui in ſuo Simplicium Examine deceptus eſt, intelligendo ſub hoc nomine been & ben fructum. Nam been non eſt fructus, ſed radix Armeniaca,

Ant. Muſæ Braſauli error.

meniaca, &c.Bellunensis quidem in Auicenna pro ben, rescripsit ban.

De Spica in generali.

Est animaduertendum de Spica, quòd quandocunq; est absolutè descriptũ, spica, vel spica nardi, aut nardus simpliciter, vel nardi spica: semper intelligitur, & idem est, quod spica inda, & spica aromatica. Vocatur spica, attamen est radix, teste Galeno, primo de antidotis, qui ait: Spicam nardi appellamus, licet radix existat, à similitudine quam cum spicatis obtinet. Hæc Galenus. Similiter quandocunq; inuenitur, spica nardi aromatica, seu nardus aromatica, idem est quòd spica Indica, seu nardus Indica. Item si reperitur, spica nardi indicæ, seu spica nardi aromaticæ, idem est & clarius intelligitur. Quum autem inuenitur, spica Celtica, seu nardus Celtica: idem est quod spica Romana, nardus Romana: spica Gallica, & nardus Gallica. Et econuerso, si reperitur nardus Romana, seu spica Romana, &c. Idem enim sunt spica Celtica, spica Gallica, & spica Romana, & nardus Celtica, nardus Gallica, & nardus Romana. Si autem inueniatur, spica nardi Celticæ, seu Romanæ, seu Gallicæ, apertius habebitur. Sub nardi quidem nomine, intelligitur tam spica aromatica, id est inda, quàm spica Celtica: sed quia spica Aromatica est nobilior & præstantior Celtica, ideò quando absolutè legitur, spica, seu nardus, de nobiliori semper est intelligendum. De speciebus autem nardi Indicæ & nardi Celticæ, non oportet facere declarationem: quoniam satis clarè scriptum est de eis à Dioscoride, & cæteris fide dignis authoribus. Sed aduertendũ, quòd aliquando inuenitur scriptũ per libros, nardus mõtana, vel nardũ syluestre, vel nardũ rusticũ &c.& sunt aliæ res, vt patet per Dioscoridem, qui primi libri capitulis, videlicet 8.9.& 10. secundum Hermolai trãslationem particulariter de ipsis loquitur. Quære ibi. Hoc tamen non omittẽdum, quòd plurimi putant idem esse nardum celticam, & saliuncam: sed reuera sunt duo ab inuicem distincta, quamuis odore & virtute non differãt. Vnde sub nomine speciei nardi celticæ, & pro ipsa spica celtica, hodie plurimi saliuncam emunt. Potest tamẽ indifferenter alterũ pro altero administrari. Est enim saliunca tam breuis, quòd rarò pollicarẽ altitudinem transcendit. Vnde à Plinio scribitur, quòd necti non potest. Portant eam herbarij in sacculis, & hoc est notum. Spica Celtica autem illa est, quæ in manipulos redacta, atque ligata, cum folijs oblon

Spica absolutè sumpta.

Nardus.

Saliunca.

oblongis,&c.venditur.Plinius quidem de vtraque loquitur.

De Musco.

MVſcus enim duplex eſt: vel (vt melius dicatur) muſcus eſt nomen commune,ad duo ſimplicia. Igitur eſt muſcus,res naſcens ſuper arbores,& lapides &c.Et hoc bryon dicitur Græcè,Arabice autem vſnee,vel aſne,vel axneeh.Facit enim Dioſcorides de huiuſmodi generibus duo capitula: videlicet vnum de muſco arborum,in primo libro: & alterum de muſco marino, in quarto libro. Serapio autem facit cap.de vſnee,quod quaſi ad literam,eſt capitulum Dioſcoridis de muſco arboreo. Auicéna verò de his,confuſè in duobus capitulis pertractauit: quorũ alterum intitulatur de muſcho:vbi Bellunenſis pro muſcho reſcripſit thaleb.In quo cap.tangit muſcum fluuialem,aqueum,& terreum,& marinum atque petroſum &c.Alterum autem inſcribitur de vſnee, in quo dicit quòd vſnee ſunt cortices tenues, ſubtiles,circumuolutæ ſuper arborem ferentem glandes, & pinum, & nucem &c.Et de huiuſmodi muſci generibus,non intelligitur,cùm abſolutè muſcus deſcribitur. Et præcipuè in his, & ſimilibus cordialibus confectionibus. Sed eſt alter muſcus, ſcilicet illa res valdè odorata,quam vulgò muſcum, & muſcatum vocãt: de quo apud Græcorum & Latinorum antiquos, nulla fit mentio. A iunioribus autem Græcis,licet de eo non pertractent, vt eſt Aëtius, Paulus, Actuarius &c.in ſuis compoſitis pharmacis quandoque receptum legimus,& moſchum vocant. Arabicè au-

Miſch. tem meſch,vel miſch,& almiſch dicitur. Serapio enim facit de eo cap.Sed in ipſo Arabum authoritates tantùm adducit: quia (vt diximus) à veteribus Græcorum & Latinorum non ſcribitur.Similiter & Auicenna in ſecundo cañ.habet capitulũ de hoc muſco:& in de viribus cordis,etiã illius meminit. Scribunt etiam de muſco hoc odorato,& alij Arabes:vt Rhaſis,in tertio ad Almanſorem:& Auerrois,in quinto Colliget &c.Magis diffuſè autẽ Serap.& Auicéna:quibus aſſerẽtibus quòd excipitur ex quodã animali,quod Gazella nuncupatur,cùm in partibus noſtris non reperiatur,oportet nos (velimus,nolimus) credere. Iuniores autẽ ferè omnes,de hoc muſco pertractant. Sed omnibus clarius Braſaulus in ſuo ſyruporũ examine. Legitote ergo apud ipſos. Hoc tamen non ignorandum quòd muſcus in modica quantitate,eſt magnæ operationis:& ideò ſufficit parum de eo in medicinis apponere.Nec debet conteri,ſed diſſoluendus eſt in aqua roſarum: vel alio conuenientiori modo aptandus, vt optimè commiſceatur

misceatur cum alijs medicinis. Præterea animaduertendũ quòd muscus facillime adulteratur: vnde multoties stercus murium, & plura consimilia delusoria, pro musco venduntur. Neq; confidendum, quia folliculi videntur integri: quoniam non desunt impostores qui eos effingunt simillimos, atq; varijs implent rebus, & ponunt inter verum muscum vsquedum recipiant eius odorem: postea extrahunt, & vendunt mulierculis, & non peritis viris &c.

De Melle.

PLura etenim sunt mellis genera: sed quando absolutè scribitur, de melle apum, optimo, dulci, tenacis substantiæ, scilicet non multùm aquoso: colore flauo, trahenti ad albedinem, & propriè colore palearum (vt author noster, in sermone de aqua mellis scribit) odorato, scilicet bene olente, digitò adhærente, puro &c. intelligitur. Mel apum diximus ad differentiam mellis alterius rei, alteriùs ve animalis. Quoniam sunt quædam animalia, apibus multo maiora, atque ferociora, quæ vt plurimum in cauernis arborum mellificant, & vulgò crabrones, siue calabrones appellantur: quorum mel, multi colligunt, & comedunt &c. Dulce autem posuimus ad differentiam amari: quoniã in Sardinia, teste Dioscoride, reperitur mel amarũ, ob id, quia inibi absinthio vescantur apes. Cætera non sunt dubia. Præterea cùm sit, quòd Author dicat in præsenti descriptione: Confice cum melle crudo, quod sit quadruplum ponderis omnium. Insurgunt nobis duo quæsita. Primum est, an mel omnino crudum sit administrandum? Quoniam vt aiunt Dioscorides, & Serapio, capitulo de melle. Dioscorides: Mel crudum inflat aluum, & tussim proritat, ob quam causam despumato vti oportet. Serapio autẽ authoritate ipsius Dioscoridis, illud idem scribit. Inquit enim: Et mel, cuius spuma non est ablata, facit tussim, & laxat ventrem: quare necessè est, quòd non administretur, ante quàm auferatur spuma eius. Igitur &c. Secundum est, an debeamus semper sumere quadruplum ponderis omnium specierum, de ipso melle, vt ipse Author dicit, & nunquam triplum, vt Auicenna, Haliabbas &c. præcipiunt? Ad primum dicẽdum, quòd Dioscorides & Serapio illo in loco intelligunt mel crudum per se solum, non esse administrandum ægris: mistum autem cum alijs medicinis (vt in præsenti confectione) bene potest administrari. Et hoc non solùm probatur per præsentem Authoris nostri cõfectionem, sed & per alios probos authores. Vnde filius Serapionis in septimo

breuia

breuiarij, in sui diamusci dulcis confectione, ait: Conficiuntur cum melle non decocto. Et Auicenna in quinto canone, in prima & penultima descriptione confectionũ de musco, dicit: Confice cum melle crudo. Sed ad hæc poterit quispiam obijcere, dicens quòd licet dicant isti cum melle crudo, vel non decocto: tamen non per hoc declarant illud non esse despumandum, quoniam mel in sua prima bullitione potest despumari: & per illum, non intelligitur coctum, sed despumatum tantùm. Ergo despumandum est. Ad hanc quidem obiectionem, plures habemus authoritates contrariũ probantes: videlicet quòd omnino ipsum mel, pro huiusmodi confectionibus, non debet igni appropinquari. Vnde Auicenna in sua confectione de musco dulci, clarè ait: Confice cum melle quod est sicut extrahitur de fauis, quod non inuenit ignis, crudum, ad vnum tria &c. Item Haliabbas in decimo practicæ similiter in sua confectione de musco dulci, dicit: Et cum faui fluentis melle, quod ignem non attingit, distemperabis &c. Et in hieræ picræ descriptione, ait: Dabis cum melle distemperatas crudo, quod ignis non attigerit. Igitur cùm specificatur mel crudum non est despumandum. Vnde mel istius confectionis, & similium, oportet vt sit optimũ, & purissimum, quod non indigeat despumatione: quoniam in quinto cañ. in modo syrupi acetosi Galeni, secundum Bellunensis traductionem, sic ait Auicenna: In bono melle non eleuatur spuma. quapropter non est necessarium, vt decoquatur multùm. Et Gentilis super quintum ipsius Auicennæ, scilicet super confectionem de musco dulci præfata, dicit: Mel cùm est purum, non indiget despumari: despumari autem expostulat, ipsius impuritas. Ergo omnino sicut extrahitur de fauis, est administrandum in præsenti confectione. Etenim ratio, qua Authores moti sunt, vt cum melle crudo conficiantur huiusmodi electuaria, hæc est: Videlicet quòd considerantes ipsas confectiones capitis ægritudinibus debere conferre, melius visum est eis esse, si conficiantur cum melle crudo, quàm cum melle cocto: quoniam mel crudum (vt dicit Dioscorides) inflat, habet quandam ventositatem, qua mediante facilius vapores huiusmodi confectionum ascendunt ad caput, ad confortandum cerebrum &c. Reliqua autem mellis crudi nocumenta, species, & cætera quæ cum eo miscẽtur, auferunt, siue comprimunt: ex quo postea, nec tussim cõmouet, nec aluum lacessit. Et per consequens benè. Ad secundùm autem dicimus, quòd generaliter in omnibus compositionibus &c. semper obseruãdi sunt

Mel crudũ quare cõfe-ctionib. adhibeatur.

ſunt canones & regulæ illius Authoris, de cuius libro ipſarũ compoſitionum deſcriptiones ſumuntur. Verbi gratia: In præſenti Antidotario filij Meſuæ, ſua obſeruanda ſunt præcepta. Et in libris Auicennę, & Haliabbatis, ſemper ipſorum obſeruandæ ſunt regulæ. Et ſic de ſingulis alijs Authoribus. Igitur ſi de mente filij Meſuæ parabitis confectiones, & Electuaria &c. vbi alia non aſſignatur regula, ad iſtam ſemper eſt recurrendum. Et ſic cuilibet ſpecierum ponderi, quatuor mellis dabitis pondera. Et eadē regula obſeruetur etiam in omnibus compoſitionibus quæ cum ſolo rob, aut zuccharo, aut ſimili, in forma Electuarij conficiuntur. Illis autē, quæ in tabulis, ſeu rotulis, in forma ſolida, ex zuccharo parantur, alia infrà aſsignabitur regula. Aduerte quoque quòd vbicunque de melle non ſpecificatur crudum, aut coctum, ſemper de deſpumato eſt intelligendum. *Mel nõ ſpecificatũ, deſpumatũ denotat.*

Confectio de Muſco amara, &c. IX.



D SVPRASCRIPTAM confectionē, quæ vocatur de Muſco dulcis, ſi addātur hæc pauca ſimplicia, amplius non erit dulcis, quoniam amaritudo quorundam iſtorum ſuperat illius dulcedinē: ex quo poſtea rationabiliter dicetur Confectio de Muſco amara. Sed ſciendum, quòd per impreſsiones, in iſta deſcriptione, ſunt aliqua, non rectè poſita: videlicet vbi in ipſis legitur: Cinnamomi 3.j.s. lege rectius, Cinnamomi. 3.ij.s. confice vt ſuprà &c. Quoniam ſic eſt in omnibus exemplaribus manuſcriptis, & in illo de vulgari excuſione. Et ſic habet Lumen apothecariorum, & Paulus Suardus, qui aliter Theſaurus aromatariorum dicitur, & Nicolaus Præpoſitus. Luminare Maius autem mendoſè habet vt impreſsiones. Item, in fine iſtius deſcriptionis, per plurimas impreſsiones neſcimus, ad quid ſit additũ iterum aloës 3.j.s. alias 3.ij.s. Caſſetur quoniam fruſtrà eſt ibi, nec legitur in libris correctis &c. De aloë autē, & eius lotione quære infrà in pilulis alephanginis.

Modus confectionis teſticuli uulpis, & eſt Satyrion. X.



OCATVR nempe iſta compoſitio, Confectio teſticulorum vulpis, ab ipſis teſticulis quos recipit. Et non intelliguntur de vulpe animali, ſed ſunt radices cuiuſdam herbæ, ſic vocatæ, quæ aliter ſatyrion dicitur. Vnde interpres in eius exordio declarauit, dicēs: eſt ſatyrion. Poteſt & iſta nempe, vt ſequēs,

vocari

vocari Diasatyrion. Imò rectius, quia maiorem quantitatẽ recipit de ipsis testiculis, & est minor compositio quàm sequens. Etenim idem significat, confectio testiculorum vulpis, quod Diasatyrion. Veruntamen quia Authori placuit sic vocare eas, vt cognoscatur altera, ab altera, fiat vt ipse statuit. Et ista vocatur, Confectio testiculorum vulpis. sequens autem specialiter, Diasatyrion. Sed sciẽdum, quòd in præsenti descriptione sunt per impressos libros quinque simplicia quæ in exemplaribus antiquis non legũtur, nec in libro de vulgari impressione: videlicet, Dragaganti, gummi Arabici, alfelengiemisch, cubebæ, & macis. In duobus tãtùm libris de recẽtioribus manuscriptis inuenimus, & inibi erant cum linea in inferiori parte signata tanquam semicassa: ex quo apertè nobis patuit, illa esse quorundam additiones, quæ postea à librarijs textui inserta fuere. Deleantur igitur de textu, nec in confectione immisceantur, nisi de voluntate alicuius medici (pro suis infirmis duntaxat) ordinatũ fuerit. Quoniã cuilibet medico, pro suis infirmantibus licitum est, & quandoque expediens, secundum necessitates, non solùm permutare aliqua in confectionibus &c. sed addere, & minuere. Imò & alia, de sua inuẽtione, pharmaca ordinare. Verũtamen (vt diximus) pro suis ægris tantùm. Est etiam in Antidotario Nicolai, vnum aliud Diasatyrion, diuersum ab istis.

De Satyrione.

CVm sit quòd Author in præsenti descriptione dicat: Accipe satyrionum, qui abscinduntur à patre suo. (Et alia litera habet à pari suo, quæ falsa est) multi errant in collectione ipsorum, non intelligentes, quid sit abscindi à patre suo. Et hic est sensus: Ille abscissus est à patre suo, qui generatus est à patre suo. Nam hæc herba satyrion siue satyrium, & quælibet eius species similiter, talem habet naturam, quòd quolibet anno generat in fusto radicis eius vnam radicem, in forma vnius testiculi vulpis animalis: & sic in primo anno vnam, & in secundo anno generat aliam similem. Et secunda tollit virtutẽ primæ, taliter quòd illa prima quæ est tanquam pater, amissa sua virtute debilitatur, mollificatur, moritur, & exiccatur. Filius autẽ crescit, impletur, magis viget, &c. Et ita in tertio anno generat aliam, quæ noua suscipit virtutem veteris: ita quòd non amplius habet semper quàm duas radices, rotũdas in forma testiculorũ: & vna ipsarũ est tanquam pater, reliqua verò loco filij. Qui filius, interfecto patre suo, generat sibi filiũ, qui postea est interfector ipsius, &c.

Et

Et in hoc dignoſcitur pater à filio, quia filius eſt tactu durus, ſiue firmus, ſuccoſus, plenus, & tener: pater verò eſt mollis tactu, rugoſus, terroſus, nigrior, & ſemimortuus. Quoniam ipſe pater amittendo ſubſtantiam ſuam debilitatur, (vt diximus) exiccatur, & perditur. Quapropter filius, id eſt nouus teſticulus, eſt accipiendus pro huiuſmodi confectionibus. Et ne decipiaris in nomenclaturis: quoniam hæc planta plura habet nomina. Vnde dicitur ſatyrion, ab effectu: teſticulus vulpis, à forma, à ſimilitudine, necnon & virtute: quia in re venerea eſt tãquam teſticulus in animali: vocatur etiã interfector patris ſui, à proprietate & natura: triphyllon ſiue trifoliũ, à numero foliorũ, quia non amplius quàm tria folia producit, &c. Et ne fortè quis diceret, quòd ſatyrium abſolutè, non intelligatur teſticulus vulpis, Author noſter in iſtarum duarũ confectionũ deſcriptionibus, declarauit apertiſsimè cùm in prima quam de teſticulis vulpis inſcripſit, dixit: Accipe ſatyrionũ, qui, &c. In ſecũda autẽ econtrà, vocauit ipſam Diaſatyriõ, & poſtea dixit: Recipe teſticulorũ vulpis, &c. Et ſcias ꝙ hoc eſt ſingulare ſatyriũ: quoniã ſatyriũ habet plures ſpecies in ſuo genere, veruntamen abſolutè (vt dictũ eſt) de hoc ſemper intelligitur. Etiã ſi non ſpecificatur de veteri, ſemper radix noua ſumenda eſt, & precipuè ad venerẽ excitandam. Et econtrà, ſcilicet ad libidinẽ coërcẽdam, altera debemus vti: quoniã omnes tradunt alterã alteri aduerſari. Et hoc in omni ſuo genere intelligitur, quamuis in Dioſcoride nõ legatur niſi in capitulo, de teſticulo canis: quoniã de vtroq; teſticulo vulpis, ſcilicet nouo & veteri, noſtris tẽporibus pluries experiẽtia habita eſt, ſcilicet quòd teſticulus vulpis nouus comeſtus maximè excitat libidinẽ. Et ecõtra ſi quis comederit veterem radicẽ per plures dies, velut puellulus, nihil perſentiet libidinis. Et ſic de ſingulis. Genera autẽ, ſiue ſpecies ſatyrionũ, Simon Ianuẽſis octo ſe vidiſſe enumerat. Verũtamen palma Chriſti vulgò dicta, non eſt Buzeiden, vt ipſe credidit, de quo clarius mox dicemus. Dioſcorides quidem facit cap. de ſatyrio triphyllo, quod verè eſt teſticulus vulpis nuncupatus. Facit etiam cap. de altero ſatyrio, cui plura contribuit nomina. Item facit alia duo capitula: vnum videlicet de teſticulo canis (ſic enim vocatur apud nos, à Græcis autem orchis, aut cynoſorchis dicitur) & hîc quoq; vulgaris notitiæ eſt. Alterum cap. eſt de teſticulo, qui ſerapis nuncupatur, & hi ambo ſpecies ſatyrionum ſunt. Facit præterea & duo alia capitula, videlicet de Cratego no & de phyllo: quæ à quibuſdam etiã putantur eſſe ſatyrionum

Satyrij nomẽclatura.

Satyrij vires contrariæ.

genera,& præcipuè phyllum. Serapio autem cap. 90. de testiculo vulpis, scribit vtrunq; capitulum Dioscoridis de satyrio, per quod etiam probatur testiculus vulpis idem esse quod satyrium. Et capitulo 91. de testiculo canis, ipse Serapio describit capitula Dioscoridis de testiculo canis,& de testiculo serapia, pro quo inibi barbarè Sadachia legitur. Facit & aliud cap. Serapio de bu

Buzeiden. zeiden, quod dicit esse speciem satyrionis,& est 260. in quo capitulo nec Dioscoridem, nec aliquem alium Græcorum citat. De quo Buzeiden & Auicenna similiter in secundo canone capitulum facit, quod buzeiden, vel buzeidan, vel buzidan (vt Bellunensis traduxit) Simon Ianuensis authoritate glossatoris librorum Rhasis ad Almansorem, declarat esse illam satyrionum speciem, quæ vulgò dicitur palma Christi. Et hoc etiam dicit Lumінare Maius, in triphea maiori Auicennæ, vbi & adducit authoritates Galeni & Serapionis. Nobis autem non clarè constat hoc esse verum, quoniam contradicit Serapioni & Auicennæ: qui dicunt buzeiden esse radices duras, lignosas, albas, rugosas,& asperas, similes behen albo,&c. Palma Christi autem (vt quasi quotidie videmus) habet radices teneras, lenes, sine rugis, subcitrinas, & absq; vlla lignositate: ergo non potest esse buzeiden. Bellunensis autem in suis interpretationibus, in litera Alhabe: dicit, quòd hæc radix Damasci est nota, & similatur raphano paruo, oblongo: & quòd quidam dicunt esse speciem hermodactylorum,& apud Arabes appellatur alhabe, & buzeiden. Quapropter quænam sit ista species satyrionis lignosa, dicta alhabe, & buzeiden, adhuc incompertum habemus. Omnes enim species satyrionis, quas cognoscimus, sunt carnosæ, & absq; lignositate aliqua. Hermolaus Barbarus in suis Corollarijs, pro buzeiden scripsit bucheiden: & similiter Ruellius in suo de Stirpibus. Brasaulus autem in suo Simplicium examine, tenet firmiter quòd bucheiden sit palma Christi: & addit quòd Auicenna scribit de ea in secundo cañ. sub nomine digiti citrini,&c. Ergo secundum ipsum, Auicenna facit duo capitula de palma Christi: scilicet capitulum de buzeiden,& capit. de digitis citrinis. Sed re vera neutrum ipsorum est de palma Christi. Porrò quòd palma Christi non sit buzeiden, iam probauimus. Veruntamen si palma Christi sit digiti citrini Auicennæ, lectoribus coniectandum dimittimus. Hoc autem dicimus, quòd si palma Christi (vt omnes credunt) est genus siue species satyrionis, clarè patet, quòd non est digiti citrini: quoniam Auicenna in ipso capitulo de digitis citrinis,

nis,nihil de proprietate venerea cõmemorauit: quæ proprietas, in omni satyrionum genere specialius & efficacius viget: neque in permutatione ipsius posuit loco eius aliquod genus satyrionis, sed hezeriascen, siue hazarasen, & sod. Vel vt Bellunensis vertit, hezargiesan, & shad. De hezeriascen autem ipse Auicenna facit cap. in secundo cañ. in quo cùm dicit: Loquemur de eo in capitulo de fesire, scilicet fessera, vel fescera. declarat apertè, hezeriascen esse fesceram, id est bryoniã, quæ & vitis alba dicitur. Quod confirmat Bellunensis in suis interpretationibus. Et in capitulo de fesire ipse Auicenna ait: Fesire quid est? est alhazarasen, & est vitis alba, &c. Sod autem seu shad, vt ipse Bellunensis etiam interpretatus est, est cyperus. Neutrum quippe istorum valet ad excitandam venerem. Igitur ex dictis patet quòd digiti citrini non sunt species satyrionis, & per consequens, non est palma Christi: quoniam palma Christi, tam in radicibus, quàm in folijs, quàm etiam in cæteris notis, probatur esse ex speciebus satyrionis. Preterea scribit Ruellius quòd satyrium triphyllum, galliarum Rura, testiculum sacerdotis nominant. Apud nos autem Rura, pro testiculo sacerdotis intelligunt chelidonium minus, quod non est satyrij genus. Etiam Pandectarius facit capitulum de testiculo sacerdotis, quod ad vnguem est de chelidonio minori: ex quo pro testiculo sacerdotis semper intelligendum est chelidonium minus, & non satyrium trifolium. Sunt præterea & alia plura genera satyrionum, quæ sine aliquo speciali nomine, visu tantùm cognoscimus: quæ quidem indifferenter satyria & testiculos nominamus: & inter ipsos, qualis sit testiculus leporis, à quibusdam descriptus, nescimus secernere. At inter tot genera quæ vidimus, hæc tãtùm præcisè cognoscimus & distinctè, videlicet Satyrium triphyllum, testiculum vulpis, & testiculum canis, & palmã Christi: cuius folia sunt maculata, maculis nigris: & radix eius est tanquam manus pueri, vnde & palma Christi dicta est: in reliquis autem aliqualiter dubitamus. *Testiculus sacerdotis.*

De Lacte ouino.

NOta quòd dicit Author in præsenti descriptione, vt coquantur satyriones cum lacte ouino dulci, &c. Non enim inuenitur lac ouile amarum, pro cuius differentia dicatur lac ouile dulce: sed posuit dulce, ad differentiam acetosi, & non recentis. Lac quidem recens est dulcissimum, quapropter pro dulci, intelligitur recentissimè emulsum ab ouilibus mammis: quia *Lac dulce.*

lac non diu permanet in sua dulcedine. Tempore enim æstiuo, sæpe ante duodecimam horam, à sua emulsione acescit. Et ideo cum lacte ouili dulci, id est recenti. Item nota, quòd vbi dicit: Et postea funde super totum, syrupum, cuius modus est: Accipe, & cætera quæ sequuntur. Est intelligendum, quòd debes prius de illis succis, & zuccharo formare syrupum: & post ipsius perfectam decoctionem, fundere talem syrupum super totum, scilicet illud supradictum, id est super satyriones in lacte decoctos: &c. Item nota, quòd vbi Author in pluribus locis, præcipit sumi succos coctos & despumatos, intelligitur, quòd succi ipsi tandiu coquendi sunt, vsq; dum perfectè posśint despumari, & defecari, atq; clarificari, &c. Aliter autem erit intelligendum, si dixerit, despumatos, & coctos: quia tunc post despumationem essent decoquendi vsq; ad medietatem, vel saltem vsq; ad tertiam partem,

Succi cocti & despumati.

Confectio alia testiculorum uulpis, & est Diasatyrion, *&c.* XI.



IN præsenti descriptione, per omnes impresśiones, est vnus error: videlicet vbi in ipsis legitur, seminis napi: lege sinapis, vel seminis sinapis: quod rectius & clarius. Vtroq; enim modo legitur in exemplaribus antiquis. In nullo quidem penitus inuenimus scriptum: seminis napi. vt est in impresśis libris. Igitur emendandus est locus.

De Secacul.

DE Secacul nempe inter doctores, & præcipuè iuniores, discordes habētur opiniones. Vnde sunt qui declarāt ipsum esse iringum, id est centum capita. Alij verò affirmant esse fraxinulam, siue fraxinellam, id est sigillum sanctæ Mariæ: quæ herba vulgò hodie geniculus vocatur. Et quòd neutrum ipsorū sit, mox ostendemus. Non enim est iringus, quoniam Serapio diuersum, atq; separatim, de vtroq; scripsit capitulum: & secacul posuit inter medicinas calidas, & humidas: iringum autem, inter medicinas frigidas, & siccas. Ergo Secacul non est iringus. Et quòd non sit fraxinella, quæ vulgò dicitur sigillum sanctæ Mariæ, & geniculus, patet expresśe per eundem Serapionem, in capitulo proprio de secacul, declarantem folium secacul esse similem folio iulben. Iulben autem siue iulbere, vt Simon Ianuensis, & Pandectarius exponunt, est legumen quod Latinè vocatur

Iulben.

catur piſum. Porrò piſum non habet folium ſimile fraxinellæ. Et ſequitur ipſe Serapio, quòd ſecacul habet radices in groſsitudine pollicis, & in lõgitu dine indicis: fraxinella autem habet radices longas, per palmum & dimidiũ, & quandoq; amplius. Et ſequitur Author, quòd ſecacul habet flores in colore violarum, ſed maiores: fraxinella autem habet flores albos, minores quàm viola. *Fraxinella.* Item in condito de ſecacul, tam præſentis antidotarij, quàm filij Serapionis, quàm etiam aliorum, habetur, quòd ſecacul habet radices ex parte exteriori cineritias, quæ intus habent venas duras, quibus amotis, ſecacul efficitur arundinoſum: in quibus vacuitatibus arũdinoſis, cùm conditur, ponitur fruſtum zinziberis humectati, & gariofilus. Fraxinella autem habet radices intus & foris albiſsimas, teneras, abſq; venis interioribus, quæ poſsint amoueri, &c. Ergo ſecacul non eſt fraxinella. Etiam Serapio dicit, quòd ſecacul ſunt radices cõtextæ, ſicut ſcel: fraxinella autem habet vnicã radicem tantùm. Item dictus filius Serapionis in ingiba ſecacul, dicit: Scias, quòd ſecacul ſunt radices ſicut zinziber, & exportãtur ex India, & fit ex eo ingiba, cùm eſt recens. Et quia apud ipſum non inueniebatur recens, docuit nos modum conficiendi de ſicco. Etiam Auic. teſtatur, quòd radices ſecacul exportantur ex India: & nemo ſcribit ipſas extra Indiam inueniri. Fraxinella autem vbiq;, in locis vmbroſis, & humectis inuenitur. Author nouarum additionum in hoc antidotario, etiam dicit hoc idẽ, & quòd in partibus noſtris non inuenitur ſecacul. Et licet in ſemine non videatur diſcrepari fraxinella à ſecacul, attamen in alijs notis valde differunt inter ſe. Iringus verò, in nullo penitus concordat cum ſecacul, dummodo cap. Serapionis de ſecacul, ſit vera deſcriptio ipſius ſecacul: quoniam aliqui volunt, quòd interpres ipſius Serapionis non rectè traduxerit illud cap. quod nec ipſi probant. Igitur ex ſupradictis, expreſsè patet, ꝙ ſecacul non eſt iringus, neq; fraxinella. Porrò quia in partibus noſtris non inuenitur, & ex India amplius non exportatur, poſſumus loco eius apponere radices bauciæ: quoniam dicit Author noſter, in condito de baucis, quòd valet ſicut cõditum de ſecacul, & fit eodem modo. Etiam Auicenna in ſecundo cañ. cap. de ſecacul, teſtatur hoc dicens, quòd virtus eius eſt ſicut virtus bauciæ. *Secacul ſupplentia.* Item in defectu ſecacul, poteſt ſubminiſtrari buzeiden, vt ipſe Auicenna in præfato capit. de ſecacul declarauit, dicens: Loco eius ponitur buzeidẽ. Sed quid propriè ſit buzeidẽ ignoramus. Lege de eo ſuprà: in declaratione de ſatyrione. Præterea animad-

uertendum, quòd in modernis Serapionis impreſsionibus, ad titulum cap. de ſecacul, eſt additum & iringis. ſic enim legitur: De ſecacul, & iringis. Et illud, & iringis, ab ignorantia correctorum illarum impreſsionum eſt ſuperadditum: ſed falſò, & malè: in libris enim de prima impreſsione non legitur. Ad quid ergo in titulo dicitur, & iringis, cùm poſtea in toto capituli proceſſu, omnino non legatur iringus? Ex hac enim cauſa verè ſcimus dictum correctorem eſſe in numero eorum, qui falſò dicunt ſecacul eſſe iringum. Et quia detinebatur in eodem errore, vt erat ipſe cæcus, nitebatur obcæcare & mentes legentiũ ipſum capitulum de ſecacul, corrũpendo titulum eius cum additione, & iringis. Caſſetur igitur, & legatur ſimpliciter: De ſecacul. De iringis autem quære infrà. Denum ſciẽdum, quòd Author præcipit, vt prima aqua cicerum abijciatur, & in ſecunda elixentur radices ſecacul. Pro illa prima aqua autem, intelligitur prima ipſorum ebullitio, ſcilicet quòd poſt quàm bullierint prima vice, cõtinuo abijciatur illa decoctio primæ ebullitionis, & cum alia aqua bulliant vſque ad perfectam ipſorum decoctionem. Et ſit quantitas cicerum ad aquam proportionaliter, ſicut fieri ſolet cùm coquũtur, vt comedãtur, &c. Sed quare vult Author, vt abijciatur prima bullitio? Quia in ciceribus exiſtunt duæ proprietates, quarum vna eſt in ſuperficie corticum expanſa, ſcilicet humiditas baurachia cum quadam ſubtili caliditate, quæ quidem eſt præter huius confectionis intentionem, & hęc tollitur ſola bullitione. Eſt autem & altera proprietas, quæ ſedet in toto corpore eorum, ſcilicet humiditas ſubtilis, dulcis, & nutribilis: veruntamen inflatiua, & portatiua aliarum medicinarum ad alia membra, quam non dimittũt in aquam, niſi optimè decoquantur. Et hæc valde competit huic confectioni. Et ideò præcepit Author, vt in ſecunda aqua elixentur redices ſecacul.

Cicerũ proprietates.

De *Raphano.*

RAphanus eſt illa herba domeſtica, quæ per antonomaſiã radix appellatur, qua communiter veſcimur. Et quia clarum ſcriptum eſt de eo à Dioſcoride & cæteris fide dignis authoribus, ideò nolumus adducere tot ipſorum authoritates, quia inter eos non videtur eſſe aliqua diſcrepantia: cauſa breuitatis ſtudioſis relinquimus, vt & ipſi legant. Veruntamen hodie plurimi imperiti Aromatarij potius ad ea, quæ ad lucrum faciunt, attendentes, errant accipientes pro raphano, qui vnam, & qui aliam rem: non legentes aliter, quid ſit raphanus. Vnde multi ſumunt

munt pro raphano, ac raphanum vocant quandam herbã, quam Hungari, qui eam in embãmatibus libenter comedunt, turmam appellant: quæ quidem herba habet folia magno lapatho similia, quæ in primo eorum ortu sunt valde laciniata, & scissa. Et similiter, quæ in autumno nascuntur. Reliqua autem sunt integra, longa, & ampla, vt rumicis. Radices habet albas, longas, digitali crassitudine, acuto sapore, vellicantes linguam, vt Piper. Caulem emittit cubitalẽ, super quem sunt flores albi, parui, &c. Sed quid propriè sit hæc herba, incompertum habemus. Et alij pro raphano, alijs diuersis vtuntur herbis. Insuper autem dicimus, quòd inuenitur etiam in pluribus locis, sed abundantius in regno Apuliæ, quædam raphanorum species, quæ ab incolis illarum partium, proprio & vulgari vocabulo, vocantur raphani. Qui quidem ab his (quas radices vocamus) non differunt in aliquo, præterquàm in forma radicis suæ: quia ista, quam radicem dicimus (vt scribitur) habet suam radicem longam: & illi raphani habent radicem rotundam, simillimam rapis hortensibus. In reliquis autem notis nulla est differentia inter eos, pariterq́ue seruntur, & multoties olitores semen vtriusque seminant commistè, quibus natis nõ dignoscitur alter ab altero, nisi è terra prius euellatur. Et de vtroque reperitur radix alba, & nigra exterius, interius verò vterq; est albus. Quamobrem iudicio nostro possumus hoc rotundo vti liberè sicut & longo, non obstante, quòd de rotundo Authores nullam faciant mentionem. Vel fortasse non habuerũt de eo notitiam, vel proprietas loci, & aëris (quod magis credendum est) suam permutauit formam: & sic nõ est diuersum, sed idem genus. Vnde (vt dictum est) possumus eo vti. Est præterea & raphanus syluestris, quem Dioscorides asserit à Romanis armoraciam vocari: vnde vsque hodie, vulgò Romæ quasi per idem vocabulum, primis tantùm literis inuersis, ramoraciam dicunt. Sed de ista non intelligitur, cùm absolutè raphanus scribitur.

Turmæ herbæ descriptio.

De *Lus.*

LVs etenim est genus serpentariæ, & Author addit planũ, ad differentiam crispi. Lege de ipsis infrà, in hiera Hermetis.

De *Cepa.*

DIcitur hoc Cepe, & hæc Cepa: res quidem notissima, & plurium generum est: sed quando absolutè describitur, de cõmuni intelligitur. Et quamuis Ascalonia habeatur ab omnibus pro laudatiori: veruntamen absolutè (vt diximus) & pro com- *Ascalonia.*

muni, intelligimus vsitatiorem cepam, quæ habet magnũ caput: vnde & cepa dicitur, quasi sepha. Porrò & inter bulbos connumerantur omnia ceparum genera: sed cùm simpliciter scribitur bulbus, intelligitur comestorius, scilicet ascalonia. Specificauit autem Author de humida: hoc est de recẽti. Et ex capite tantùm exprimẽdus est succus, non autem ex folijs, vel barbis eius. Nicolaus quidem in suo antidotario non succum cepę, sed semen bulbi habet in huiusmodi confectione.

De Stinco.

Scincus. SCincus sanè rectius, quàm stincus dicitur. A Marcello Virgilio Florentino autẽ, scingus dictus est. Nam hoc vocabulum stincus, in libris plurimis, ab interpretibus & authoribus æquiuocatur. Et tam schinum, id est lentiscum, quàm scincum, vocãt stincum. Et vtrunque corruptè, & barbarè. Vnde est oleũ de stinco, in præsenti antidotario, de quo infrà. De scinco igitur, Dioscorides secundo libro, Plinius 8. & 28. libris, Aetius secundo libro, & Paulus Aegineta 7. libro, pertractant. Est nanque (vt isti aiunt) terrestris crocodili proprium genus. Est enim animal in aquis degens, lacertæ simile, sed ventrosius: & caudam latam, vt anguilla habens ad natandum aptam. Serapio quidem cap. 459. renes vocat, & dicit, quòd sunt stinci. Et hac de causa putamus vocasse renes, quoniã quotquot de hoc pertractant, scribunt de proprietate partium eius, quæ renes amplectuntur: quarum sola drachma, ad excitandam venerem potenter operatur. Auicenna autem in tribus cap. loquutus est de hoc animali, & fortasse in quinque, quod barbarè Guaril nominauit. In primo autem capitulo quod de guaril intitulatur, nihil de venerea ipsius potestate pertractauit, præterquàm quòd caro eius sit multùm calida. Solummodo proprietates stercoris eius enumerauit, tangens primum illud quod Dioscorides secundo libro in calce capituli fimo scripsit: de quo Hermolaus particulare capitulũ fecit. Quod quidem stercus à Græcis crocodilea vocatur. Reliqua duo capitula Auicennæ, intitulantur de stinco, in quibus error ipsius comprobatur, qui vnum, & idem, pluries capitulauit. Preterea ipse Auicenna facit & quartum capitulum quod est de tinsa, vel tempsa animali: quod animal, secundum Simonem Ianuẽsem, est crocodilus: sed an terrestris vel fluuiatilis, ab eo non declaratur. Quoniam si est terrestris, est idem quod guaril, scilicet scincus. Ad quod credendum inclinatur animus, ab eo quod in ipso capitulo de tinsa legitur: hoc est, quòd stercus eius valet albugi

Guaril.

Crocodilea.

bugi

albugini oculi: quod similiter in cap. de Guaril. legitur. Item facit & quintum cap. quod est de lacerto, vbi illud idem dicit, scilicet quòd stercus eius valet albugini oculi. Pādectarius autem capitulo Rhule, declarat quòd hoc animal est simile lacertæ: sed quòd non habet caudā rotundam, vt lacerta, sed lateraliter pressam, &c. Et quòd est ventrosum animal. Et ita nos pluries circa Romā in aquis stātibus vidimus. Vnde scinci siue (vt mauis) stinci, qui venduntur sicci cum duabus caudis, probantur non esse veri. Platearius enim dicit, quod inueniūtur stinci in Apulia, sed vltramarini sunt efficaciores. Vocatur nempe scincus Terrestris crocodilus, vt Plinius refert, quia simillimus est crocodilo. Præcipua tamē differētia cognoscitur à crocodilo, squammarum seta à cauda ad caput versa. Ex quo ridiculum nobis visum est, quod scribit Bellunensis in suis interpretationibus, in litera Cocodrillus. Ait enim: Cocodrillus secūdum Arabes, si parit oua in aquis, tunc generatur alius Cocodrillus: si verò in campis, iuxta aquas, tūc nascitur stincus. Et propterea dicitur, quòd stincus sit de semine cocodrilli. Hæc ille. Nam circa Romam & in Apulia nunquam vidimus crocodilos siue (vt mauis barbarè) cocodrillos: scincos autem sæpius. In defectu autem scinci, teste Paulo, in fine 7. satyrion ponitur. Et intellige pro satyrione absolutè descripto, testiculus nouus: quoniam alter in huiusmodi confectionibus, & similibus, esset expresè contrarius.

De Eruca.

ERuca est nomen commune ad vermiculos qui in oleribus oriūtur, qui per aliud nomen, campæ vocantur: & ad quædam herbarum genera. Sed cùm Author specificauit de semine, clarè ostendit, quòd ipse non quærit cāpas. Erucæ herbæ autem plura sunt genera: absolutè autem intelligitur de communi & satiua siue vsuali, quam Romani ruchectam vocant: in partibus Apuliæ autem, erucam, siue rucam saracenicā appellant. Sed neque à Diosc. neque à quouis aliorum, eruca depingitur. Probatur tamē, quòd sit hæc satiua qua vtimur, per similitudinē: quam ipse Diosc. notauit in cap. de altero sisymbrio, scilicet, quòd illius sisymbrij aquatici folia cùm sunt adulta, erucæ folijs simillima scissa sunt. Et (vt ipse Diosc. Author est) tam herba, quàm semen erucæ, maximè valet ad concitandā libidinem. Ex quo Author noster posuit ipsum semē, in præsenti confectione. Præterea Diosc. in fine cap. de Eruca, describit Erucā syluestrē, quam asserit in Iberia. id est Hispania quæ occidentem spectat, copiosè

nasci: vnde nonnulli hodie Erucam Hispanicam nominant. Plinius autem istã pro tertio sinapis genere intellexit. Et hæc propriè est illa, quæ nascitur in campis incultis, & in vineis, & iuxta oppida, quam aliqui Erucam nobilem, & alij Erucam longam nominant: quoniam folia longa habet, & interdum fibrata, raris tamen fibris, flore luteo, semine in corniculis minuto, radice alba & lignosa, &c. quę multis non est incognita. Hanc Ruellius erysimum esse credidit, Veruntamen hallucinatus est: quoniam erysimum alia planta est huic simillima, quæ minori folio & altiori crescit caule, tractuq; asperior est. Quæ quidem semper iuxta vrbes & domicilia, secusque vias nascitur, & rarissimè in cãpis. Vnde intus Romam, hubertim habetur. Dioscorides cap. de erysimo dicit, q̃ erysimum habet folia vt Eruca syluestris: quinimò & flores, & semen, &c. quasi omnia similia habet, atque maiori munitur acrimonia (vtranq; enim distinctè cognoscimus) Sed (vt diximus) Ruellius non cognouit erysimum, nec Hermolaũs vidit: quoniam suo in Corollario 351. dicit: Erysimõ nostri herbarij significant, quæ vulgò nobilis Eruca dicitur, quam & Erucæ veræ præferunt, &c. Nam verum est, quòd hodie multi libentius comedunt erucam nobilem, id est longam præfatam, quàm erucam communem & veram: attamen erysimum à nemine comeditur, nisi in medicis necesse fuerit. Et hoc verum erysimum, nostra tempestate, pluribus tam medicis quàm herbarijs, Romæ præsertim, notum est: quodq; esse genus erucæ, nullus negare potest. Vnde similiter vt Pandect. nonnulli plures erucam geratinam vocãt. Porrò si eruca nobilis præfata, id est longa, secundum ipsos erit erysimon, quænam igitur erit syluestris eruca, à Dioscoride descripta? Quam ideo ipsi non declarauerunt, quia nescierunt eam. Est etiam & eruca aquæ, quam cardaminã, & crescionẽ vocamus: de qua Auicenna facit cap. sub titulo Pupilla oculi. Lege suprà

Erucæ descriptio.

De Lingua auis.

SVnt quorundam opiniones neotericorum asserẽtium, quòd Lingua auis non sit semen fraxini, sed sit quædam herba, quę vulgò dicitur lingua passerina, & corrigiola: Græcè autem polygonia, quæ Latinè centumnodia dicta est. Et hanc adducunt rationẽ: Passer est auis, ideò lingua passerina, est lingua auis, &c. Alij volunt quòd sit aliud, sed re vera errant: quia lingua auis, verum est semen fraxini, vt probari potest per Auicen. & Serap. & Simon. Ianuensem, & alios plures probos Authores. Idque eò maxi

maximè quia dictus Serapio,plurium authoritate probat,quòd semen fraxini augmentat sperma,quæ res multùm conuenit intentioni huius confectionis: & econtrà,polygonia carens tali proprietate,nihil confert ei,sed potius nocet:quia habet aliquas proprietates,huiusmodi confectionis intentioni omnino contrarias. Igitur concludendum est,quòd est semen fraxini,& non centumnodia.De fraxino autem,in oleo de fraxino dicemus.

De *Baucia*.

BAucia licet à nonnullis variè exponatur, secundum,tamen Diosc.Serap.& quamplurimos Authores imò secũdum veritatem,est pastinaca syluestris. Est etiam carui agreste,siue syluestre: quoniam tria hæc,scilicet baucia, pastinaca syluestris, & carui agreste,sunt vnum & idem,vt melius probabimus infrà,in descriptione trochiscorum de ligno aloës. Et hîc ingreditur semen,& non radix.Et similiter in alijs compositionibus, nisi specіatim scribatur radix,semper intelligitur semen.In condito verò de baucijs radices ingrediuntur. Vide etiam de Baucia infrà in triphera muscata. *Baucia, pastinaca syluestris, carui agreste idem sint.*

De *Radicum infusione*.

DIcit Author in præsenti descriptione:Terantur (scilicet radices præfatæ) & infundatur super eas, lactis vaccini, aut ouini quantitas quæ supereminеat radicibus duobus digitis: olei sisamini,&c. Vbi sciendum, quòd hinc sumitur regula generaliter obseruanda in omnibus compositionibus, in quibus omnes, vel pro parte sunt infundendæ medicinæ in aliquo liquore, seu aqua carente quantitatis determinatione : vt in confectione Hamech,in qua Author dicit:Hæc omnia infundantur in aquæ casei quantitate sufficienti. Et sic de singulis. Sed nota quòd hæc supradicta regula , non intelligitur pro minimis rebus: vtputa , pro rheubarbaro infundendo , causa propinandi medicinam infirmo,&c.Quia cùm infunditur rheubarbarum, vel agaricum , vel simile , debet aromatarius animaduertere, vt cùm aliqua discretione fiat talis infusio : videlicet, vt non sit tam modica quantitas liquoris , quòd res infusa remaneat sine conuenienti imbibitione : nec sit ita superabundans , quòd stomachetur infirmus in sorbendo medicinam , cum tanta liquoris quantitate. Et si non omnia possũt scribi, tenetur tamen aromatarius omnia bene,& diligenti discretione ponderare. At pro meliori declaratione huius regulæ,lege infrà, in confectione de Mezereon . *Quantitas sufficiens in infusionibus quomodo intelligatur.*

Conf-

Confectio de Galanga, &c. XII.



AB IPSA Galanga quam recipit, sumpsisse nomen præsentem confectionem, nullus inficiabitur. Sed quare non potius à ligno aloes, quod in eadem quantitate intrat, & est dignius illa? Respondetur, quia ad effectus, ad quos ordinata est ista confectio, magis valet Galanga, quàm lignum aloes. Et ideò ab effectu ipsius Galangæ, quæ & basis eius est, rationabiliter denominatur Confectio de galanga, &c. Auic. in quinto cañ. scilicet in summa secunda, tractatu sexto, habet Electuarium de galanga, quod in multis conuenit cum præsenti descriptione. Arnaldus de Villanoua etiam in suo Antidotario, habet vnum electuarium quod intitulatur Diagalanga, sed multùm differt ab ista confectione.

De Galanga.

SErapio scribens de Galanga nullam Græcorum adduxit Authoritatem, quasi apertè declarans ipsam Græcis fuisse incognitam. Apud nos etiã (vt volunt aliqui, & præcipuè Antonius Musa Brasaulus) non reperitur. Hæc autem radix, quæ pro galanga habetur in vsu (teste ipso Antonio) acorus est: & illud quò pro acoro communiter vtuntur aromatarij, aliud est, vt infrà patebit. Imò verius secundum alios, radix qua vtimur pro galãga, est radix squinãti, & non acori: quapropter lege in Diamoron sia. Pro galanga autem, quia non habetur, teste Auic. in capitulo de galanga, ponitur cherfe cariofillatum, si haberi potest, quod est cortex arboris gariofillorum: vt interpretatus est Andreas Bellunensis, & infrà commemorabitur in confectione de cinnamomo. Vel pro galanga potest poni pondus ipsius de gariofilis: vt dictus Andreas, in capitulo de galanga rescripsit. Et scias, quòd Auic. facit duo capitula de Galanga: vnum videlicet sub proprio titulo de galanga, aliud verò sub titulo de casurudar, siue chaserudar. Lege apud ipsum.

Galãgæ supplentia.

De Carui.

SI de Carui vellemus controuersias iuniorum & seniorũ Authorum concordare, erit nobis tanquam cum parua cymba, magnum atq; procellosum intrare pelagũ, in quo expositi postea potius de submersione, quàm de salute esset sperandum. Vnde intelligenti pauca minus, malum est tacere, quàm malè loqui. Verũtamen quod de eo sentimus, succinctè notabimus. Cla-

rum

rum est, quòd Serap. in suo cap. de Carui, quod incipit: Caruia. describit per sententias totũ cap. Diosc. de caro. Ex quo expresse patet idem esse apud Diosc. carum, siue caros: quod apud Serap. carui, siue caruia. Caros à Diosc. non depingitur, sed tãtùm dicit, quòd est semen notum. Vbi à Marcello Virgilio additur exiguum, quod nec in Hermolao, nec in Ruellio, nec in antiqua translatione, neque in Serap. in authoritate quam adducit, legitur. At reuera, vt omnes firmiter tenent, nil aliud est caros, quàm carata, seu cariota: quasi caruiota, vulgò dicta. Porrò si bene considerabimus capitulum Serap. de carui, inueniemus ipsum Serap. non de vno solo genere, seu de vna sola ipsius specie loqui: quia cùm dicit authoritate Aben mesuai: Est grossius quàm cyminum. declarat illud carui genus, quod hodie ab Hispanis habetur in vsu, & ab ipsis vulgò, quasi caruia, caroueia, siue caroeia, siue alcarauea vocatur. Et nostris tẽporibus ipsum semẽ à mercatoribus Romã delatũ est, quod quidẽ est ita cymino simillimũ, quòd pro cymino vendebatur. Nos verò rem bene perscrutantes inuenimus non esse cyminum, sed Hispanorũ alcarauea. Et hoc putamus esse in Dios. tertium genus dauci, quod dicitur habere semen cymino simile: non obstante quòd ab ipso Serapione, bis scribatur: quia in cap. de dauco, ipse Serapio similiter authoritate Diosc. scribit tertium dauci genus, quod habet semen cymino simile: quoniam potest esse, quòd sit genus dauci, & genus carui: quoniam horum plantæ, scilicet dauci, bauciæ, carui, & similiũ, habent multam inter se affinitatem. Vnde saluo semper meliori iudicio, putamus quòd indifferenter potest vnum pro alio administrari: & specialiter pro carui, possumus tam Dioscoridis caro, quàm alcarauea præfata liberè vti. Etiam pro cari siue carui semine, rectè ponitur anisi semen: quoniã Diosc. Serap. Auic. & cæteri omnes, quasi vno ore dicũt hoc semẽ valere in omnibus, vti anisi semen. Et aduerte, quòd præfata duo carui genera, intelliguntur satiua siue domestica. Carui agreste autem siue syluestre, sine dubio est baucia: scilicet pastinaca syluestris, & non est cordumeni, &c. De quo lege suprà, & infrà in trochiscis de ligno aloës.

De Zucchāro ponendo in compositionibus.

LIcet suprà in Electuario de aromatibus, annotauerimus de hoc zuccharo, quomodo debeatur poni in confectionibus: vtputa, in illa & ista, & similibus: tamẽ quia in hanc confectionẽ maior quantitas ingreditur: ideò cum aliqua ratione, magis

quiesce

quiescemus legentiũ mentes. Nam (vt ibi diximus) zuccharum ponitur tantùm in compositionibus ad inuescandum medicinas, & ad ingrossandum confectionem in qua ponitur. Porrò huiusmodi confectiones omnes cum melle conficiuntur. Et hac de causa, quia mel est magis carminatiuum, quàm zuccharum: vt patet in Electuario de aromatibus, & in Diacymino, & in Dianiso, & in Benedicta Nicolai, & in quamplurimis alijs similibus compositionibus: quæ quidẽ cùm sint inuentæ vt expellant ventositatem, omnes cum melle cõficiuntur, & non cum zuccharo. Et ideò si zuccharum ratione mellis poneretur, satis modicum de melle dicta compositio reciperet: ex quo non posset cõsequi effectum expellendæ ventositatis, ad quem ipsa ordinata fuit. Necesse est ergo vt non ponatur zuccharum ratione mellis. Et temeritas magna est dicere quòd sit ponendum ratione specierum. Quamobrem, vt dictum est, per se in puluerem redactũ ponatur vltimo loco in cõpositione vbi ingreditur: vt exemplum habemus in Triphera saracenica Nicolai. Et idem testatur Platearius, in Benedicta Nicolai.

De contritione specierum.

QVamuis sit generalis regula, quòd species omnium electuariorum solutiuorum, debeant communiter grosso modo puluerizari, & non solutiuorum subtiliter: tamen non est regula quæ non habeat aliquam exceptionem. Quamobrem sciendum, quòd species huius confectionis galangæ (licet non sit confectio solutiua) debent teri grosso modo: non tamen grossissimè, sed secundum vsum solutiuorum. Et ratio est, quia hæc confectio habet principaliter expellere ventositatem grossam: quoniam si species essent subtilissimè contritæ, non permanerent diu in stomacho: & non permanendo, non habent tantum vigorem in operando. Quapropter oportet vt species huius confectionis & similium, non triturentur subtiliter, sed more solutiuorum, vt dictum est. Lege de hoc etiã in Diacymino secũdo.

Diarhodon descriptione communi, &c. XIII.



ROSIS Diarhodon dicitur: descriptione communi autem addit Author, quia communiter ab omnibus habebatur in vsu, & ad differẽtiam aliorum quæ sequuntur, quæ sunt aromatica rosata, quæ fortasse non erant in communi vsu: quoniam omne aromaticum rosatũ, potest nuncupari Diarhodon. Imò omnis

omnis compoſitio,quæ ex roſis denominatur, Diarhodon dicitur. Vnde trochiſci Diarhodon, id eſt trochiſci de roſis, &c. A Nicolao quidẽ in ſuo Antidotario,ponitur vna alia deſcriptio, quæ ab ipſo intitulatur: Diarhodon abbatis. Porrò in Antidotario magno vniuerſali vnde ipſe Nicolaus excerpſit ſuum Antidotarium,in tali deſcriptione neque abbas, neque abbatiſſa legitur. Sunt etenim in præfato antidotario vniuerſali ſiue magno,tres ſub hoc titulo,Diarhodon deſcriptiones: quarum prima dicitur, Diarhodon Iulij: ſecunda, Diarhodon magnum: & hæc ea eſt deſcriptio quam accepit ipſe Nicolaus. Tertia autẽ intitulatur, Diarhodon Galeni: & hæc eſt deſcriptio præſentis Antidotarij filij Meſuæ. Arnaldus quidem de Villanoua,habet in ſuo Antidotario duas deſcriptiones ſub hoc titulo: ſed prima, quam Diarhodon abbatis intitulauit, à Nicolao accepit. Sed ſciendum,quòd per impreſsiones ſunt in præſenti deſcriptione plura menda. Et primùm videlicet vbi legitur: Accipe foliorum roſarum rubearum ʒ.xxx. Lege ʒ.xx. Item ante gariofillorum notationem,deeſt cinnamomum. Lege igitur ſic: Cinamomi, gariofillorum,galliæ muſcatæ,&c. Item in quibuſdam ex ipſis impreſsionibus,bis poſita ſunt duo ſimplicia, ſcilicet dragagãtum, & gummi arabicum. Caſſentur priora,quæ ſunt ante ligni aloës deſcriptionem. Item in eo loco vbi ſunt illa duo præfata ſimplicia caſſanda in aliquibus,& præſertim nouis excuſionibus,deeſt Berberi. Lege rectius ſic,maſticis,berberi,ligni aloës,&c. Item vbi legitur,camphoræ ʒ.j.s. lege verius ʒ.s. Item vbi legitur: Confice cum ſyrupo de roſis, & aqua roſarum: Lege correctius,confice cum ſyrupo de roſis,ex aqua roſata vel roſarum: quoniã ita ſe habent hæc omnia in cunctis antiquis exemplaribus,& correctis libris. Et ſcias, quòd Author dixit, cum ſyrupo de roſis ex aqua roſata (id eſt ex infuſione roſarũ quam vocat aquam) ad differentiam ſyrupi roſati,ex ſucco roſarum. Conſimile mẽdum eſt in Diambra,quo in loco antiquorum exemplarium aliqua habent cum ſyrupo roſato ex aqua roſarum: & aliqua cum ſyrupo roſato ſimpliciter: per quem ſemper intelligitur ſyrupus roſatus,ex infuſione roſarum: cum quo ſyrupo multa aromatica & plura electuaria ſequentia conficit. Per quod declaratur præfatum mendum. Probatur etiam,quòd debet eſſe ſyrupus ex infuſione roſarum,per Luminare Maius in operatione infuſionis roſarum: vbi declarans,quòd cum ſyrupo facto ex illa infuſione conficiuntur multa,aſsignauit per exemplum, præſens Diarhodon

rhodon

rhodon descriptione communi. Et similiter Thesaurus aromatariorum in Diambra, dicit: Confice cum syrupo rosato, facto ex aqua infusionis rosarum, &c. Vnde emẽdentur loca. Præterea animaduertendum, quòd sunt non nulli aromatarij qui dispensantes præsentem compositionem Filij Mesuæ, ponunt in ea trochiscos Diarrhodõ Nicolai, & nõ trochiscos Diarrhodon ipsius filij Mesuæ, non rectè. quia licet vtrique inter se parum differant, attamen quando hæc compositio paratur secundum Authorem nostrum, ponendi sunt in ea trochisci ab eo ordinati. Et quãdo fit secundum Nicolaum, in omnibus obseruanda est regula ab ipso tradita. Et sic de singulis, videlicet quando aliqua compositio dispensatur, illius Authoris accipienda sunt simplicia, & cetera si habet, cuius dispensandæ compositionis descriptio est. Quæ autem apud ipsum non sunt, ab alijs fide dignis sumenda censemus. Quoniam multoties per idem nomen, (vt mox de spodio dicemus) apud diuersos Authores, diuersa notantur & simplicia & composita.

De Spodio.

QVid de Spodio dicemus? Quomodo tot differentes Authorum opiniones concordabimus? Enimuero supra vires nostras onus assumimus, tamen confidimus in Deo nostro IESV Christo, quòd ipse qui est summa veritas, ostendet nobis pauperculis, lumine gratiæ suæ, quam quærimus veritatẽ. Sciendum igitur, quòd Græcorum spodium, non est idem cum spodio Arabum. Nam spodium Græcorum (vt videri potest in quinto Diosc. libro, & apud alios Græcos, ac etiam Latinos Græcos imitantes, species thutiæ, id est pompholygis est: quia idem est thutia, quod põpholyx. Ait enim Diosc. Pompholyx specie sola, non genere à spodio distat. Imò thutia est melior pars illius materiæ, quia spodium cadens in pauimentum fornacis, immiscet se carbonibus, & pilis, & alijs immundicijs. Quod spodium Græcorum, à Serap. in capitulo de Thutia describitur, pro deteriori thutiæ specie. Et hoc quidem Græcorum spodium per os non sumitur, nec vsquam adhuc, tam apud Galenũ, quàm apud alios Græcos, legimus ipsum intrinsecus propinatum: præterquàm apud Actuarium nouissimum ferè Græcorum, in medicinis, quas ab Arabibus sumpsit. Sed neque thutiam. Extrinsecus autem in vnguẽtis &c. passim lectitamus admotum: quod etiam testatur Manardus super trochiscis de spodio. Spodium autem Arabum, vt plurimum administratur per os, in confectionibus & ele

Spodij differentiæ.

Thutia.

Põpholyx.

Spodiũ Græcorum.

& electuarijs cordialibus,&c. Vnde necesse est, vt sit diuersum à spodio Græcorum. Igitur secundum Auicennam, spodium sunt radices cannarum adustarum &c. Idem dicit Auerrhoys, in quinto Colliget, & quidem clarius. Spodium (inquit) carbo est nodorum arundinum Indiæ adustarum &c. Vnde multi hodie, spodium de canna vocant, quamuis nullus illud habeat. Bellunensis autem in capitulo Auicennæ de spodio, pro cannarum rescripsit alcanna. Et in suis interpretationibus, declarat alcanna, dicens: Alcanna seu alcona, sunt arbores subtiles, longæ, habentes nodos sicut canna: sed differunt, eo quod huiusmodi alcanna nō habēt concauitatem, & Arabes vtuntur eis loco lancearum: & ex eis reperiuntur arbores grossæ, ex quibus conficiuntur vasa magna, vtilia siue vtensilia. Et spodium fit maximè ex radicibus arborum prædictarum subtilium, combustis. Hæc ille. Vnde secundum ipsum, hoc nomen alcanna, ad plura refertur. Quoniam Auicenna, & Serapio, &c. habent aliud capitulum de alcanna quæ est cyprus arbuscula, de qua infrà, in oleo de alcanna. De spodio autem Serapio facit capitulum, sed non declarat ipsum: tamen conferendo cum capitulo Auicennæ in pluribus probatur, quòd idem est. Ex quo coniectamus Auicennam, ex ipso Serapione sumpsisse. Ergo ex prædictis concluditur, quòd in compositionibus Arabum quibus vt plurimum vtimur, & præcipuè in ijs quæ per os sumuntur, per spodium, non est intelligendum spodium Græcorum, vt nonnulli ex iunioribus declarauerunt. Etiam si Græci concessissent, suum spodium per os posse sumi, nihilominus in Arabum compositionibus, Arabum spodium necessariò administrare debemus, & non Græcorum. Manardus quidem tenet, quòd hoc spodium factum ex radicibus cannarum adustis, sit quasi vnum ex antispodijs Dioscoridis. Ergo si est antispodium, quare præcipit, vt non admittatur in compositionibus? Præterea nescimus qua authoritate muniatur Platearius, vt dicat, quòd optimum spodium fit ex ossibus elephantis combustis. Et addit, quòd elephas habet ossa solida, vt sunt dentes, & illa non comburuntur: quæ medullam habent, illa comburuntur & illa dicuntur spodium, &c. tanquam si dentes elephantorum careant medulla, quod est falsum. Vnde hodie aromatarij ipsum sequuntur, vbiq; vtentes pro spodio tam Græcorum quàm Arabum, ossibus combustis. Et si sunt elephantis, Deus scit. Nos enim suspicamur illa esse ossa alterius animalis potius quàm ossa elephantis: vtputa bouis, vel arietis, vel ca-

Spodium Arabum.

Spodium de canna.

Spodium nostrum.

nis,&c.quoniam cùm sint combusta, & in frustula & puluerem redacta,quibus notis possumus amplius cognoscere illa esse elephantis potius,quàm alterius animalis? Nam velle hodie negotiatoribus credere,periculosum est: quoniam generaliter perijt ab eis fides. Etiamsi sint (vt aiunt) vera elephantis ossa, hæc quæ pro spodio combusta venduntur, & si possunt admitti in medicinis cordialibus, in spodij Arabum vice, nec approbamus nec reprobamus.Potius enim est medicorum,quàm nostrorum hoc perscrutari.Tamen saluo semper meliori iudicio,quia spodium cannarum Indiæ non habetur,minus malum nobis videtur esse, si pro dicto cannarum Indiæ spodio, vtamur radicibus cannarum nostrarum artificiosè adustis. Et omnino nullus præsumat ponere in medicinis, ore sumendis, spodium Græcorum: nec ipsorum antispodia, neq; pompholygem,id est thutiam dictam:quamuis præstantior sit,non solùm antispodijs omnibus, sed & ipso spodio Græcorum, teste Galeno qui ait, nunquam se vsum fuisse spodio: quoniam nunquam defuit illi pompholyx: quoniam huiusmodi (vt diximus) antispodijs,spodio,pompholyge, & similibus, non intrinsecus propinando,sed extrinsecus admouendo duntaxat, Græci vtebantur. Quapropter mirati sumus de quibusdam iunioribus viris admodum peritis, vt sunt Manardus,Brasaulus,&c.qui præcipiunt indifferenter administrari pompholygem,vel antispodia Græcorum, vbicunq; spodium desideratur,non excipientes compositiones illas Arabum, quæ ore sumuntur. Eo maximè quòd ipsi testantur Galenum non vsum fuisse huiusmodi,nisi per exteriora admouendo:quomodo ergo audent dicere, vt in trochiscis, & electuarijs, ore assumendis ponantur? Imò iudicio nostro melius est, vel (vt rectius loquamur) minus malum est,demere ab huiuscemodi Arabum descriptionibus ipsum spodium, quàm loco eius thutiam, vel simile subministrare. In compositionibus autem tam Græcorum quàm Arabum,quæ ore non recipiuntur, non negamus posse administrari,& Græcorum spodium,& antispodiũ quodcunq;,& pompholygem, & alia plura. Hæc equidem sunt, quæ de spodio collegimus, in quibus non citauimus alios iuniores, vt Simonem Ianuensem, & cæteros,ne ipsorum controuersiæ essent in nostro libello causa confusionis. Qui vult igitur, apud ipsos (si placet) legat. Et de modo faciendi Græcorum spodium,antispodia,& pompholygem, legitote apud Dioscoridem,&c.

De

De modo conficiendi.

INſuper ſciendum, quòd hodierni medici volunt, quòd ſpecies præſentis confectionis, & ſimilium plurium, conficiantur cum zuccharo in forma ſolida: quod quidem apud nullum antiquorum legitur eiuſmodi factum eſſe, ſed omnes (vt patet) in forma electuarij fieri debere ſcriptitarunt: quorum factionem magis commendamus, & ita debet fieri: quia ipſi authores omnia cum debita proportione, & experimentorum probatione deſcripſerunt. Nunc autem ſecundum modernos, non poteſt talis compoſitio in forma ſolida habere ſuam debitam proportionem: quia ponitur minus quantitas ſpecierum quàm poneretur, ſi in forma electuarij fieret. Quia non amplius quàm vnam ſpecierum vnciam, pro qualibet libra zucchari ſubminiſtrant. Etiam quia dictæ ſpecies non poſſunt habere ſuam fermentationem, in tali forma: vt haberent in forma electuarij. Etiam quia virtus electuarij, facilius tranſit ad loca ſiue membra remota, quàm cõfectionis ſolidæ. Quapropter infirmus non conſequitur effectum operationis, ſecundum intentionem Authoris ipſius. Item non poſſunt præfatæ ſpecies omnes ſimul conſeruari, quia ſemina ibi poſita breui temporis ſpatio rancerent, & corrumperent reliquas ſpecies. Vnde oportet, vt abſq; ſeminibus, ipſæ ſpecies cribellatæ aſſeruentur, vt commodius & expeditius ad iuſſum medici continuò conficiantur. Et ſi bene, Deus ſcit. Attamen aromatarius parans hoc electuarium & ſimilia, ſecundum voluntatem medici præcipientis, non peccat. Quia medici eſt ordinare & præcipere, aromatarij autem diſpenſare & conficere. Et magis debet aliquando aromatarius obedire intentioni, quàm deſcriptioni: quoniam quandoq; medicus, in ſcribendo receptas, errat: non dicimus abſolutè ignorantia vel mala intentione, ſed calamo imprudenter ſcribendo ʒ. pro vncia, vel econtra ℥. pro drachma. Vt quidam medicus ordinans medicinam pro vno fratre noſtro valetudinario, ſcripſit apertè & clarè. Diaphiniconis ℥. iiij. Cùm intẽtio ipſius eſſet ſcribere ʒ. iiij. Nos autem intentionem potius, quàm lectionem obſeruantes iiij. ʒ. poſuimus, ex quo medicus poſtea laudauit nos beneficfeciſſe. Qua in re conſulimus aromatarijs, ſi fortè inueniant in aliqua recepta aliquid, quod credatur eſſe errore deſcriptum, tutius eſſe (ſi fieri poteſt) accerſire medicum, quàm intentionem ipſius interpretari.

Aromaticum rosatum stomachicum, &c. XIIII.



SVB hoc titulo Aromaticum rosatum, ponit Author in præsenti antidotario tres descriptiones: sed in hac prima, per impressos libros, sunt aliqua emendanda: & primo vbi legitur: Accipe foliorum rosarum rubearum ℨ.j.s. lege rectius, ℥.j.s. Secundo Vbi legitur: Trociscorum Diarhodon, galliæ muscatæ ana. ℨ.ij.s. lege ana. ℨ.ij. Item vbi legitur: Zinziberis, nucis muscatæ ana ℨ.ij.s. lege verius, ana ℨ.j.s. vt est in omnibus correctis exemplaribus, &c. Pro syrupo rosato, intellige syrupum factum ex aqua infusionis rosarum. Simplicia alibi declarantur.

Aromaticum rosatum descriptione Gabrielis, &c. XV.



PRAESENS aromaticum rosatum Gabrielis, ab omnibus ferè habetur in frequēti vsu. Et licet quidam dicat (cuius opinio nō est imitāda) quòd plurimarum descriptionum eiusdem tituli, quando absolutè scribitur, semper de prima debet intelligi. Vt exempli gratia, in præsenti antidotario sunt plura aromatica rosata: secundum ipsum autem quando simpliciter petitur aromaticum rosatum, de prima descriptione est intelligendum: quod est falsum. Et probatur contrariū in multis pharmacorum descriptionibus, vt in istis, & in confectionibus de satyrione, & in trochiscis de spodio, & similibus pluribus, ex quibus primæ descriptiones communiter non habentur in vsu. Nos autem dicimus, quòd omnes descriptiones positæ à quocunq; Authore, apud ipsum Authorē erant vsuales. Medici autē subsequētes frequentantes aliquas, & aliquas dimittētes, ob frequētiorem quarundam vsum venit, quòd à quibusdam temporibus in successu temporū, illæ notatæ fuerunt signo alicuius additionis: videlicet habetur in vsu, vel vtitur, &c Quapropter sciendū, quòd illæ clausulæ, si fortè reperiātur, non sunt Authoris, sed scriptoris, seu impressoris. Et licet omnes descriptiones huiusmodi aromaticorū hîc positæ sint bonæ, attamen ista, quæ dicitur descriptione Gabrielis, tanquam omniū optima, maximè ab omnibus laudatur, & vbiq; paratur in forma solida dūtaxat, & nō secundū Authoris nostri doctrinā. Sed aduertendū, quòd per impressiones,

nes, præsens descriptio nō est sine mendis. Vnde vbi in ipsis legitur, Spicæ ℈ ij. antiqua exēplaria pro maiori parte habēt ℈. ij. & aliqua sic, Spicæ ℈. vnius partes duas, quod idem est. Itē nonnulla habent sic, Spicæ, ambræ ana. ℈. ij. postea, musci ℈. j. & sic fortasse rectius: tamen dimisimus, vt in pluribus inuenimus.

De Machazari, vel Mazahari, &c.

NOn possumus nō admirari, in præsenti descriptione & sequenti, & in aromatico gariofilato, & in such alharif, & in confectione ramich, & in cap. de tamarindis, & in cap. de soda, & similibus, super vno barbaro vocabulo, illo videlicet quod post sandalum immediatè sequitur: hoc est Machazari, vel mazahari, vel macozir, &c. De sandalo autem non dubitamus deberi intelligi de sandalo citrino, quia semper (vt plurimi testātur) quando reperitur sandalus absolutè, citrinus intelligitur: qui est magis aromaticus & laudabilior cæteris, vt probatur per Serapionem dicentem. Et melius ex sandalo est citrinum, &c. Sed illud vocabulum quod sequitur, si referatur ad sandalum vt sit cognomen ipsius, vel si sit aliud ab eo, adhuc non clarè habemus. Multi nempe ex iunioribus volunt, quòd referatur ad sandalum: vnde & pro citrino, siue luteo exponunt. Quod confirmauit Simon Ianuensis, cùm loquens de citrino, dixit: Hoc vocat Aben Mesuæ mazahari. Ad quod credendum inclinatur animus ab eo, quia nusquàm solum legitur, sed semper post sandalum: non obstante, quòd in quibusdam libris, inter sandalum & ipsum vocabulum, medietur punctus: quoniam ab imperitis librarijs maiora his committuntur menda. Porrò non valemus inuenire veritatem significati ipsius dictionis, quia puritatem veri vocabuli ignoramus. Etenim vltra 70. barbaras variationes, huius barbari vocabuli, per varios codices, in varijs descriptionibus reperimus, quas omnes describere ridiculum fore non dubitamus. Vnde exempli gratia tantùm, sunt qui sic, & sunt qui sic, & sunt qui aliter habent machazari, mazahari, macoziri, matasari, mazazir, &c. Et nonnulli nihil horum habent, sed in eis simpliciter legitur sandali. Et aliqui de recentioribus habent scriptum, sandali citrini. Quapropter ex tot & tantis barbaris & variatis dictionibus (vt diximus) nō valemus syncerè comprehendere, quænam sit illa quæ significat illud, de quo Author intendit. Præterea sciendum, quòd in quibusdam antiquis exemplaribus, & in priori excusione librorum nostri Authoris, & propriè inter simplicia sunt quædam synonyma, in quibus legi-

Santalus absolutè.

Santalus citrinus.

tur: Machazir, id est odoriferi. Quę quidem expositio benè conuenit sandalo citrino. Sandalus enim citrinus (vt suprà notauimus) odoratior est alijs. Quare, si ita est, non malè agunt, qui citrinum exponunt: quoniam idem est sandalus citrinus, & sandalus odoriferus. Et sic, illud vocabulum ad sandalũ referri debet. Nos autem tanquam nihil reputamus illud vocabulum ibi descriptum, quoniam sandalus simpliciter & absolutè (vt diximus, & omnes communiter tenent) intelligitur sandalus citrinus: & ipsum ponimus in hoc, & in cæteris locis vbi expetitur. Veruntamen tam hoc quàm cætera dubia, iudicio prudentiorum committimus perscrutanda, simul & diffinienda. De sandalis autem quære infrà in trochiscis de scandalis.

Sãtalus odoriferus.

Aromaticum rosatum minus, &c. XVI.



HOC præsens aromaticum rosatum quod est tertium in ordine, vocatur minus ad differentiã supradictorum quæ sunt maiora: non quia habent maius specierum pondus, sed quia recipiunt maiorem simplicium medicinarum numerum & varietatem. Quamuis & ea causa etiã possunt supradicta dici maiora, quia stando vnaquæque descriptio in suo esse, quodlibet ipsorum duorum præfatorum aromaticorum habet maiorem quãtitatem specierum, quàm istud quod vocatur minus. Etiam vocatur minus, quia minores habet virtutes: vt in sui exordio clarè probatur.

Aromaticum muscatum, &c. XVII.



DICITVR muscatum ob id quia recipit maiorem musci quantitatem, quàm quodlibet præscriptorum. De simplicibus ipsius quære alibi.

Aromaticum gariofilatum, &c. XVIII.



NVLLI dubium est à gariofillis, quos recipit, sumpsisse nomẽ præsens aromaticum. Quod quidem à pluribus habetur in frequenti vsu, in forma solida, vt cætera.

De Gariofilis.

GAriofilus aromaticus, vt per descriptionẽ Serap. videri potest, sine dubio est ipse quo in officinis vtimur. Et hîc, secundum Auic. est gariofilus fœmina: quia secundum ipsum, triplex est gariofilus, scilicet masculus, fœmina, & hortulanus. Vnde secundũ ipsum Auic. optimus est, qui fœmina cognominatur. Et mascu

masculus est ille, qui vẽditur inter gariofilorum ramulos, qui est grossus, oblongus vt olea, nigerq;: vt testatur ipse Auic. in proprio capitulo, dicẽs: Et qui masculus est, est sicut nucleus oliuæ, sed longior, & vehementius niger &c. Qui quidem à nonnullis Antofilus dicitur. Nam masculus non ponitur, nisi ad fœminæ differentiam. Vnde quamuis expresse cùm loquitur de altero gariofilo dicens: ille qui est melior, est similis nucleo sicco, &c. non specificet quòd sit fœmina, tamẽ tacitè subintelligitur. Etenim quod in 2. cañ. subticuit, in quinto cañ. postea declarauit, cùm in vno electuario, quod vocat Alchalcha tarahã magnum, vtrunq; masculum & fœminam distinctè & specificatè posuit. Sed quando absolutè scribitur gariofilus, semper fœmina intelligitur. Gariofilus autem hortulanus etiam, quamuis ab ipso Auic. in 2. cañ. nõ scribatur, nihilominus in quinto cañ. in pluribus descriptionibus descriptus inuenitur: vt est in electuario de camphora secundo, & in oleo de ierbuet, &c. Et hic gariofilus hortulanus est (vt putamus) hic flos pulcherrimus, qui in vasis fictilibus, super domorum fenestras vbique ad decorem tenetur. Qui quidẽ odore maximè æmulatur gariofilum aromaticũ, & forma etiam nõ multùm elongatur ab eo, licet sit maior. Et quòd sit hortulanus, est ita omnibus notũ quòd non indiget alia probatione. Et hũc florem Luminare Maius scribit vocari Tunici, secundum Manfredam de monte imperiali. Tamen tunici, vel tuneci, in additionibus Pandectarũ, legitur esse herba turca, quæ est cardo sanctus vulgò dictus: quamuis ibi malè legatur, cardo benedictus, pro cardo sancto: quoniam cardo benedictus alia herba est. Hũc etiam gariofilum hortulanum, Leonardus Fuchsius betonicæ speciem, in suo de Stirpibus, & multas ibi ponit betonicas. Sed qua ratione hic gariofilus possit betonica dici, non cognoscimus. Porrò huiusmodi gariofili hortulani, sunt plures species, sed differentia in ipsis est color floris: quia alius est coccineus, id est rubicũdus, & alius est coloris subrubri, qui vulgò dicitur gariofilus incarnatus, & alius est albissimus, & alius est varius, hoc est, diuersi coloris: videlicet albi & rubri: & ex quolibet istorum reperitur alius, cuius calix, cùm floret, scinditur ex vno latere, & alius qui non scinditur. Item reperitur alia species, cuius flos est maximus omniũ: in cuius medio nascitur alius flos, ita quòd est flos in flore: & post apertionem primi, septimo vel octauo die, aperitur secundus. Vnde quidam ingeniosi, vt efficiatur maior, non permittũt crescere nisi singulos in singulis surculis. Et cùm

Antofilus. *Gariofilus absolutè.* *Gariofilus hortulanus.*

aperitur primus flos, dextrè forficibus circuncidunt pelliculam calicis vsque post medium, vt folia ipsius floris hincinde expandantur & dilatentur: & post apertionem secundi, dextrè etiã pelliculam sui calicis è medio extrahũt. Et sic, ita efficitur magnus, quòd aliquando vtraque manu cõcludi non potest. Vt proprijs oculis sæpius vidimus. Et huiusmodi gariofili genus, frequentius habetur in partibus Apuliæ, quem incolæ loci gariofilum barisanum vocãt, à Baro ciuitate Apulię, vbi copiosius habetur. Sunt pręterea & aliæ species sylueftris huiusmodi gariofili. Vnde quędã ex eis est in montibus, qui gariofili sunt rubri, minimi, & quasi inodori: quinque tantùm folia habentes, &c. quos gariofilos montanos nominamus. Et quædam species, quam pluries vidimus, nascitur supra parietes turrium & domorum, cuius planta in omnibus est similis hortulano gariofilo, nisi quia folia ipsius plantæ sunt strictiora, & stipites subtiliores, & flores minores, subrubri: qui non amplius quàm quinque folia habent, vt præfati montani, sed sunt valdè odorati, vt hortulani, &c. Omnes hę species, tam hortulanorum quàm syluestrium gariofilorum, notæ sunt in Italia. Et tam plãta, quàm flos, gariofilus dicitur. Non seritur semine gariofilus, sed germinis trãsplantatione, Octobri mense, ac Februario. Romæ autem nescimus an superstitiosè an deuotionis causa in festo sancti Francisci semper ab omnibus fit ipsorum transplantatio. Omnes enim species porraceis constant folijs, multo tamen breuioribus & strictioribus, &c. Sed mirum quippe est, quòd apud antiquos tam pulcherrimi floris nulla habeatur mentio. Et si (vt diximus) non est gariofilus hortulanus Auicennæ, fatemur nos ignorare ipsum apud Authores priscos, quid sit. Ex iunioribus nõnulli, quasi diuinando vel potius somniando, de eo pertractant. Credimus tamen quòd tam pulcher flos plures habeat pulcherrimas virtutes atque proprietates. sed quia hodierni medici potius ad lucrum (vt plurimum) quàm ad inuestigandum rerum naturas attendunt, multa sunt apud nos tanquam si non fuissent: quia præter decorem aspectus & similia vana, nullus amplius est ipsorũ vsus. Pro syrupo citrino autem, intellige syrupum de corticibus citri.

Gariofilus barisanus.

Gariofili montani.



Aromaticum nardinum, &c. XIX.

NARDINVM dicitur à nardo Indica quam recipit in bona quantitate, quæ sub nomine spicæ Indæ hîc describitur. In quibusdã enim locis habetur

tur in vsu hoc aromaticum,sed in forma solida,vt cętera.Notandum tamen,quòd in præsentem confectioné & alias plures,non intrat cinnamomum,sed cinnamũ: vt probatur per cũcta correcta exemplaria,in quibus clarè legitur Cinnami. Cinnamum autem(vt infrà declarabimus)est vna ex speciebus cinnamomi,nõ tamen nobilior illa quæ per cinnamomun absolutè & antonomasticè intelligitur: quoniã plures sunt cinnamomi species,seu genera.sed benè potest poni cinnamomum(si habetur) pro cinnamo. Pro quibus,lege in confectione de cinnamomo. Item in hoc aromatico recipitur gallia sebellia,& non gallia muscata, vt aliquæ impressiones mendosè habent. De gallijs autem,quære in distinctione de trochiscis.

Diacyminum bonum,&c. XX.



HOC Diacyminum est magis vsuale, q̃ illud quod infrà describitur,licet aliqui magis vtãtur Diacymino Nicolai:& quodlibet ipsorũ paratur à modernis in forma solida. Sciendũ verò ꝙ per impressos libros,legitur mendosè in præsenti descriptione,musci.℈.j.legẽdũ enim est.℈.s.vt est in omnibus antiquis exemplaribus (quæ vidimus semper subintelligẽdo) ac etiam in vulgari excusione. Auic.in v.cañ.tractatu tertio,primę summę. habet quatuor,quasi consimiles Diacymini descriptiones.Filius Serapion. in septimo sui Breuiarij capitul.xx.habet duas descriptiones,similes duabus Auc.Rhasis quidem in nono ad Almansorem,cap.de his quæ cõfortant stomachũ,habet vnum electuarium diacyminũ. Et in antidotario diuisionum,cap.de medicinis stomachi, habet etiam cõfectionem diacymini. Arnaldus de Villa noua autem in suo antidotario,habet diacyminum, & vt intuenti patet, à Nicolao ad literam accepit.Quapropter miramur de tanto viro,qui pro Karya myristica,id est nuce muscata, quæ est in descriptione Nicolai, intellexit mastichem,& sic posuit in sua descriptione.De cymino autẽ quære infrà in alia Diacymini descriptione:& similiter de contritione specierum huius confectionis,lege ibi,& in confectione de galanga.

Dianisum,&c. XXI.



CLARVM est quòd ab aniso,dicitur Dianisum præsens cõfectio: quia maior quantitas de eo recipitur.Intrat in præsens quippe Dianisum pyrethrum: pro quo animaduertendum quòd hoc

quod colligitur in Italia, quo pro pyrethro vtuntur aromatarij, non est pyrethrum. Lege de eo in philonio persico. Et de Aniso, vide in trochiscis de aniso. Paratur & hoc à modernis, in forma solida. Arnaldus vero de Villa noua in suo antidotario, habet hanc descriptionem in paucis variatam. Species autem huius cõfectionis non sunt subtiliter puluerizandæ, sed sicut species Dia cymini, & similium ventositatem expellentium, &c.

Diambra, &c. XXII.



B ipsa Ambra tanquam ab excellentiori medicina, præsens confectio Diambra dicitur. Rectius tamen, Dia Ambra: & similiter Dia Anisum, esset scribendum & pronuntiandum, sed euphoniæ, id est bonæ sonoritatis gratia, expungitur vnum a, à medio, vt in multis alijs consimiliter factum passim legitur. Communiter paratur hæc confectio, sed in forma solida, &c. Aduerte quòd vbi legitur, in præsenti descriptione, per impressos libros: Confice cum syrupo rosato, & aqua rosata. legendum est rectius: Confice cum syrupo ex aqua rosata. Quamobrem lege suprà, in Diarhodon descriptione cõmuni. Item in fine præsentis descriptionis per ipsos impressos libros legitur: Dosis eius est ℥.iij. vel iiij. Cassetur illud vel iiij. & legatur simpliciter: Dosis eius est ℥.iij. vt est in cũctis exẽplaribus, & in vulgari æditione. Filius quidem Serapionis in septimo habet duo electuaria de ambra, diuersa tamen ab ista compositione. Sed Auicenna in quinto cañ. tractatu tertio, primæ summæ, habet Electuarium Alkesin, dictum electuarium ambræ.

De Ambra.

AMbra quidem ab antiquioribus, & præcipuè Græcis, non describitur. Apud Arabes autem & apud recẽtiores quosdam tantùm, ipsam legimus: sed non possumus de ea certam habere notitiam: tum, quia in partibus nostris non colligitur: tum etiam, quia Authores non satis clarè de ipsa pertractãt: sed putant omnes, sic esse, vel sic fuisse, & audita narrant. Omnibus autem ipsorum dictis bene discussis, potius Serapioni quàm cæteris credimus, scilicet quòd (vt ipse refert) nascatur in fundo maris tanquam fungus in terra: & non quòd sit sperma cœti, vel alia res, vt plurimi fabulantur. Ipsam etenim sæpissime præ manibus habemus, quid autem propriè sit, nescimus. Virtutes tamen

tamen eius,pro maiori parte,experti sumus: & meliorem,quàm putabamus,inuenimus.Sed sciendũ,quòd melior ambra est illa, quæ est grisia:& post ipsam est illa,quę trahit ad quandã citrinitaté.Nigra verò,& alba,sunt malæ:quapropter,in medicinis nõ sunt administrandæ.Quare autem ab ignauis dicatur Ambraca ni,lege infrà in gallia muscata.Est etiam & alia res, quæ ambra, vel ambrum,vel ambar,siue ampar caninum dicitur,quod tenetur esse genus electri,quodq; Hermolaus,corollario 119. succinũ orientale nominat,& pro charabe quidem, à nonnullis accipitur. Lege de hoc in trochiscis de charabe. Est quoque aliud genus lapidis nigerrimi,quem ambrum nigrum vulgò vocant.Supradictum autem ambrum giallum, id est citrinum nominant. Et de his generibus indices,quæ coronæ dicuntur, ad persoluendum Deo Christo seruatori nostro & virgini Mariæ matri eius laudes,& grates,parantur.Et huiusmodi indicum genera,mulieribus maxime placent.

Ambrarum quæ præstãtior.

Ambra canina.

Confectio de cinnamomo,&c. XXIII.

QVARE dicatur de cinnamomo pręsens cõfectio, haud est qui ignoret.Sed sciendum,quòd in ipsius descriptiõe,per omnes excusiones sunt duo errores. Primus vbi legitur:Darseni,cymini.legẽdum est rectius:Darseni cinnami:& est vna res tãtùm, vt mox declarabimus.Alius error est vbi legitur: Gariofilorum, piperis longi &c.anã.3.iij.legendũ est verius anã 3.ij.quia sic est,secundum veritatem,in cũctis exemplaribus antiquis, & correctis libris.Auicenna quidem in quinto cañ.habet vnum electuarium de cinnamomo,quod differt ab ista confectione.

De Cinnamomo,Darseni,Cinnamo,Casia, & Casia fistula.

CLarum est apud Serapionem,quòd cinnamonium est darseni & darseni est cinnamomũ. Inquit enim Serapio:Darseni,id est cinnamomũ. Et sequitur,cum authoritate Dioscoridis quòd variè nominatur à varietate linguarũ & locorum,vbi reperitur: & non curat nũc illud vno,nũc alio nomine vocare, scilicet nunc darseni & nunc cinnamonium. Et loquens de vna & eadem specie, primum vocat eam darseni,dicens: Et darseni quidem multæ sunt species,& denominatur,&c.Hinc sequens dicit:Et melius cinnamomum ex ista specie,est illud &c.Quamobrem patet, quòd darseni est cinnamomum,& cinnamomum est dar

Darseni.

& est darseni. Et non est dicendum, quòd pro cinnamomo intelligitur optimum & electum, & pro darseni est accipienda una ex deterioribus speciebus eius, vt nonnulli ex iunioribus dixerunt: quia de quo intelligitur vnum, intelligitur & aliud, cùm absolutè quodlibet ipsorum reperitur scriptum. Et cinnamomum sæpius, darseni autem raro: vt est in confectione alchermes &c. vbi intelligitur cinnamomum electum. Et quòd intelligitur electum, specificatur ab Authore nostro in Aromatico muscato, & alijs pluribus pharmacis, in quibus legitur darseni electi: ergo non est cinnamomum grossum. Item Auerrois in quinto Colliget ait: Darseni, id est cannella subtilis, dulcis, aromatica: calida est & sicca in tertio gradu, & est supremũ in omnibus medicinis aromaticis, &c. Et in Antidotario Abumeronis Auenzoar, in electuario quod confert stomacho, legitur: Darseni, & est cinnamomũ nigrum, & odoriferũ valde. Vnde etiam legitur passim Casia nigra, quæ est casia mausolites, similis cinnamomo mausolitidi, &c. Item Andreas Bellunensis in suis interpretationibus Arabicorũ nominũ dicit: Cherfe, vel Kerfe apud Arabes, est nomen cõmune ad omnẽ corticẽ, sed absolutè dictũ, accipitur pro cortice cinnamomi, maxime grosso. Darsini verò apud Arabes est cinnamomum magis aromaticum. Kerfe igitur differt à darsini, sicut cortex magis aromatica, & cortex minus aromatica: & per cinnamum apud Latinos, intelligendũ est cinnamomum grossum, non multùm aromaticũ: & per cinnamomum, intelligere debemus corticem subtilem cinnamomi magis aromaticam. Cherfe verò gariofilatum, est cortex aromatica, habens odorem gariofilorum, quæ extrahitur ab arbore ipsorum. Hæc Bellunensis. Ergo darseni, siue darsini, siue darsenum, quæ idem sunt, non differt à cinnamomo. Quando autem alterum ipsorum scribitur cum cognomine alicuius speciei, tunc clarius habetur. Vt exempli gratia, per cinnamomum, siue per darsenũ, vel darseni absolutè scriptum intelligitur electum: per cinnamomum masoliticum seu mausoliticum, siue per darseni masoliticum, idem, scilicet electum: quia cognomen sibi adhærens intelligitur de electiori specie. Per cinnamomum cinnamum, vel per darsenum cinnamum, de alia inferiori specie intelligitur. Quoniam nolens Author electum, declarat speciem minus electam quam vult. Et quandoq; etiam nolens electum, scribit inferiores species simpliciter per cognomina tantùm, videlicet cinnamum, vel cherfe, &c Et quòd per cinnamum vel cherfe vel simile absolutè

Cãnellæ facultas.

Kerfe.

lutè

lutè deſcriptum,non intelligatur electũ,probatur & per ſupradictam Bellunenſis authoritatem, necnon & per Rhaſim, qui in tertio ad Almanſorem cap.de ſpeciebus coquinæ,ait:Cinnamũ, cinnamomo vicinum exiſtit: licet eo ſit debilius. Et cap.de litera caph(vt eſt in noſtro antiquiſsimo exẽplari)kerfe,id eſt cinnamomium groſſum,calidum eſt &c.Et ſic de ſingulis reliquis ſpeciebus. Vnde nunquam ſine errore eſt cùm reperitur vtrunque cinnamomum & darſeni ſimpliciter & abſolutè deſcriptum in vna & eadem compoſitione: vt infrà in confectione de cytonijs bona,vbi mendoſe vtrunq; impreſſum.Vide nunc quæ res pluribus det anſam errãdi.Vnde Luminare Maius nõ rectè,in ſucahal ertif,reprehendit Lumen apothecariorum,de darſeni.Et Manardus in Aromatico muſcato, per darſeni intellexit darſiſahan, quod eſt aſpalathum. Et in præſenti deſcriptione, hac ratione quia vtrunq; ſcribitur,approbauit non eſſe cinnamomum,ſed darſiſahan. Enimuero ipſe peritiſsimus vir, in hoc hallucinatus eſt,& codicis menda roborauit ſuam falſam opinionem.Vnde ſciendum,quòd Author noſter bene poſuit: quia non abſolutè ſcripſit darſeni,vt videri poteſt in omnibus antiquis & correctis exemplaribus,in quibus omnibus apertè & clarè in præſenti deſcriptione eſt ſcriptum: Darſeni cinnami.Sed moderni librarij ſeu librorum excuſores,qui rectius debent dici confuſores, vel ignorantia,vel quomodocunq; ſit,non intelligentes quid ſit cinnamum,non ſolùm ſeparauerunt à darſeni,ſed pro cinnami impreſſerũt cymini:& fecerunt duo mala. Vnũ videlicet,quòd cõfuderunt Authoris deſcriptionem. Alterum, quòd addiderunt ad ipſam confectionem,vnum ſimplex,ſcilicet cyminum, quod non eſt de mente Authoris.Cinnamum autem,ſiue cinamum(vt dictum eſt)eſt vna ex ſpeciebus darſeni,id eſt cinnamomi.Darſeni autem & cinnamomum,ſunt nomina communia, ſiue generalia omnibus ſpeciebus ipſius. Græcè quidem & Latinè dicitur cinnamomum,ſiue mauis cinamomum: Arabicè autem darſen ſiue darſeni,&c.& nunquam(vt diximus) ſimul in vna compoſitione ambo ſcribuntur ſimpliciter,quia vnũ & idem ſignificãt. Cinnamum autem (vt ſcripſimus) cùm abſolutè legitur, vt eſt ſuprà in Aromatico nardino,& infrà in Cõfectione de cytonijs bona,& in Electuario de perſicis,&c.non intelligitur cinnamomum electum,vt aliqui putauerunt,ſed ſpecies illa ſic cognominata,quæ eſt inferior cinamomo maſolitico. Quod quidem, nõ ſolùm per ſupraſcriptas authoritates probatur, verum etiam

patet

patet clarissimè per plurimas Authorum descriptiones electuariorum & similium, in quibus ambo habentur, vel immediatè vnum post aliud cum copula, vel mediatè hinc inde inter alia simplicia: vt est in quinto can. Auicennæ in electuario quod inscribitur, Fangius aliud, & in electuario Indo, & in electuario de Camphora descriptione alia. & in electuario de Camphora fortiori, & similibus in quibus immediatè est cinnamoni & cinnami. Mediatè autem in dicto quinto can. legitur in pluribus descriptionibus: vt est confectio cognominata imperialis, & electuarium alkeisim, & electuarium Alsehereben, & Ars scoriæ decoctæ, & descriptio alia de Aniuden, & electuarium de Camphora primum, & electuarium de Cinnamomo, & Suffuf Aristotelis &c. Item in septimo Breuiarij filij Serap. cap. xx. in pluribus electuarijs inueniuntur ambo cinnamomum & cinnamum, ingredientia vnam & eadem compositionem. Et in quinto dicti Breuiarij cap. iij. de baras, authoritate Gabrielis, immediatè in vno medicamine legitur cinnamomi & cinnami. Similiter & in decimo practicæ Hali filij Abbas, in descriptione pilularum Aromaticarum, & in Diacymino, & in Diachenzi, &c. mediatè ambo leguntur: ergo nõ sunt idẽ. Quãdo autẽ immediatè & sine copula reperitur sic, cinnamomi cinnami: vt est in præfato decimo practicæ Hali, in lueresenum Diacamphoreum, & similibus: vel darseni cinnami, vt est in præsenti confectione de cinnamomo, specificatius habetur, & idem significat quod cinnamum simpliciter. Et sic de singulis est intelligendũ. Vt si fortè reperiatur, Cinnamomi kerfe, vel Darseni kerfe, &c. Illa autem dictio, cymini, quæ post darseni immediatè legitur per omnes impressiones, in præsenti descriptione deleatur, & eo in loco absque puncto intermedio scribatur cinnami: vt postea legatur rectè, & de mente Authoris, Accipe Cinnamomi subtilis, & electi ℥.xv. darseni cinnami, enulæ ana ℥.iiij. &c. Restat nunc videre, quid sit cinnamomũ. Verum itaq; cinnamomum, in rei veritate, nostris temporibus, vt sciamus, non est visum in Italia. Quo enim pro cinnamomo vtimur, casiæ species est, quæ vulgò cannella dicitur: quam quidem in duas differẽtias diuidũt omnes, scilicet in grossam, & subtilem, vel finalẽ. de quibus postea dicemus. Nam vt ex lectionibus Diosc. Gal. Plin. Serap. Auic. & aliorum pluriũ probatur, qui omnes in vnum concordant, dicentes, quòd cinnamomum debet habere inter alias, has conditiones siue notas, videlicet vt sit nodosum, habens multos ramulos frequentibus no-

Cinnamomum.

dis

dis cinctos,& suo bono odore trahens ad odorem rutæ & cordumeni,id est cardamomi,& sua acuitate habens parum falsedinis, & si quando franguntur rami eius,eleuetur puluis omnia vincens odoris suauitate,&c.(quarum nulla in cãnella hac videtur esse) cõsta ipsam cannellam non esse cinnamomum. Et ad cognoscendum cinnamomum,qualiter sit ramosum, similitudinẽ dedit nobis Diosc.in capitulo de corallio, dicẽs,quòd coralliũ est ramosissimum,vt cinnamomum.Apud Serap.autem legitur corallium simile casiæ ligneæ in figura sua habẽs multos ramos, sed hîc fuit error interpretis qui vertit casiam ligneã, vbi debuit vertere cinnamomum. Præterea non est verisimile,quòd si antiqui habebant maximam penuriã de cinnamomo,nos habeamus ex eo maximã abundantiam. Et quòd antiqui tam Græci,quàm Arabes habuerunt penuriam de cinnamomo, & per Gal.& per Serap.necnon & alios plures,facillimè probatur: qui videntes, quod ob eius carentiam vbique non posset haberi cinnamomũ, pluribus in locis declarant in ipsius defectu, quid sit pro eo substituendum. Vnde Gal.passim de hoc pertractat:sed ne lector in perquirendo vagetur,aliqua assignabimus loca.Igitur primo de Antidotis,vbi multa in præparatione theriaces de cinnamomo scripsit,ait loco cinnamomi,ponendam esse optimam casiam duplicatam.& exempla in contrarium,de pane optimo & furfuraceo,& de vino falerno,& cæteris, conclusit,contra hoc non valere,vbi & subiunxit, quòd ipsi Galeno,nunquam defuit cinnamomum, &c.Ibique etiam dicit, quòd Quintus famosissimus medicus,pro cinnamomo sumebat carpesium. Item secundo de Antidotis,in præparatione Mithridatij,ait metrice:Quidam carentes cinnamomò, tantùm in vicem põdus locant ex cardamomi semine. Item hoc idem ferè dicit tertio de medicamentorum compositione secundum locos.Quòd si etiam (inquit) cinnamomum habeas,id quoque indes: huius penuria, casiam, tum quæ gizerros & motodes,item carpesium quod copiosissimum in Syda Pamphiliæ,atque idcirco vilissimo constat. Quintus autem cùm cinnamomum desideraret,hoc illius loco, duplicatum indebat,sicut nonnulli casiam.Item 6.de sanitate tuenda,post triplicem picræ descriptionem,ait: Minimè verò latet, & quòd in penuria cinnamomi ponendum pro eo sit,optimæ casiæ duplũ: quam aliàs ea esse virtute nonnulli putant,vt nihil ab inualido cinnamomo absit: nam à generoso etiam talis casia longè superatur.Verum sicut in boni panis inopia, vel vilissimo vescimur: sic

ſic in cinnamomi penuria,exquiſita vtemur caſia.Item quinto de ſanitate tuenda loquens de dia aloës dicit:Diuites eam quæ cum cinnamomo conficitur,accipiunt. Quaſi dicat, quòd pauperes non valebant emere cinnamomum,tam carè vendebatur. Et alibi pluries ab eo ſcribitur, quòd ipſe ſemper parauit optima medicamenta ob id, quia illi nunquam defuit cinnamomum:apertè innuens, quòd alijs aliquando deerat.Similiter Serapio illud idem dicit, vnde cap.de caſia lignea, ſic ſcribit: Et caſia lignea ponitur loco cinnamomi in confectionibus,duplicato pondere ex ea,& eſt vtilis & iuuatiua. Et cap.de zurumbet,ait. Si non habes cinnamomum,pone pro eo zurumbet. Et capitulo de ſauina quod incipit, Abel: dicit ſauinam poni pro cinnamomo,duplicato pondere,&c.Item Paulus de Arnabo loquens,dicit: Vnde Poſidonius,V bi cinnamomi copia non datur, hoc vtendum eſſe cenſet.Item Ioannes filius Serapionis,in ſeptimo videlicet,in tractatu de hieris,in hiera aloes,ex Galeno accipiens dixit: Et ſi non inuenimus cinnamomum proijciamus in ipſam ex caſia lignea bona,in duplum quod eſt: quia in caſia lignea eſt, quæ eſt melior,adeò donec in virtute cinnamomi eſt debilis: quod eſt, quia cinnamomum bonum quando comparatur ad caſiam ligneam bonam,tunc virtus eius eſt diminuta valdè ab eo.Verum nos facimus ſicut eſt actio eius qui non inuenit panem mũdum, & comedit illum qui eſt infrà ipſum: ſimiliter nos adminiſtramus caſiam ligneam electam quando non inuenimus cinnamomum. Etiam Auicenna in cap.de cinnamomo,ſcribit:Loco eius ponitur cortex caſiæ ligneæ ſtipticus,aut duplum ipſius de cubebis,aut duplum eius de abel. Et in cap. de abel, quod eſt de ſauina, idem poſuit. Multa & alia cauſa breuitatis dimiſimus. Satis enim hæc ſunt. Quapropter ſi apud ipſos fuiſſet abundantia ex cinnamomo,non eſſet opus inſinuare,quid in defectu ipſius poni debet. Quia de illa re cuius copia habetur,fruſtrà eſt dicere:ſi non inuenis aliam rem,pone in eius loco aliam. Vt exempli gratiam,tanquam ſi diceret:Si defuerit tibi aqua pura,appone pro ea aquam roſaceam,vel vinum,&c. Et ex his dictis poteſt quiſpiã conſiderare,quanta virtute donatum ſit cinnamomum,ſi locum eius vix impleat optimæ caſiæ ligneæ duplum. Moderni autem aromatarij, vt plurimũ tenẽtes iſtam caſiam ligneam, id eſt cannellam vſualem, eſſe verum cinnamomum, ponunt pro cinnamomo in medicinis,ſimplici pondere duplicato pondere: vnde non rectè faciunt.Sed peſsimè agunt illi, qui dimittentes veram caſiam,

Caſia lignea.

casiam accipiunt cortices radicum cuiusdam generis scoparum, vel genistarum, sine odore, sine sapore, & sine virtute, quę possint in medicinis loco veræ casiæ administrari: quæ & Romæ in ruinis ædificiorum vetustorum plurimū habentur. Talis enim planta à Simone Ianuensi, in litera Myrica depingitur: & falsissimè omnes vocant eam casiam ligneam, nō legentes aliter conditiones & proprietates veræ casiæ ligneæ, & vbi nascatur: quoniam (vt aiūt Dioscorides, Serapio, &c.) Casia lignea nascitur in partibus Arabum, vbi nascuntur aliæ species aromaticæ &c. Casia autem simpliciter, semper intelligitur casia lignea. Etiam quandoq; reperitur scriptum, siue impressum casia fistula, & debet intelligi casia lignea. Vt exempli gratia, est in antidotario Nicolai in electuario quod intitulatur Antidotum hæmagogum, &c. quoniam plures sunt species casiæ ligneæ. Vnde Galenus primo de Antidotis multas enumerat, & præcisè illam, quæ fistula cognominatur, clarius tetigit, meliorem tamen approbans illam, cui barbarum cognomen gizi est. Simon quoq; Ianuensis testatur quòd casia fistula antiquorum, est casia lignea. Vnde in antiqua Dioscoridis translatione, cap. de casia, incipit: casia fistula &c. Dicit quoq; Serapio, quòd ex speciebus casiæ ligneæ duæ tantùm sunt vtiles in medicina, aliæ verò non sunt administrandæ. Et hæ duæ species, sunt istæ quas habemus, quasq; (licet falsò) cinnamomum subtile, siue cinnamomum finum, & cinnamomum grossum: vel cannellam subtilem siue finam, & cannellam grossam vulgò nominamus: tamen fina, ipsa est casia ma solites, quæ est proxima cinnamomo. Nam omnes notæ à Dioscoride, Serapione, & cæteris Authoribus descriptæ de casia lignea, de quibus possumus habere aliqualiter certam experientiam & cognitionem, videmus quòd conueniunt his speciebus, quibus pro cinnamomo vtimur. Etenim non scribitur de casia quòd habeat nodos, sicut cinnamomum: & istæ species sunt lenes, & planæ. Et cùm scribunt casiam esse rubram, corallio proximam, de recenti intelligendum est: quoniam (vt audiuimus) cùm casia est recens, est valde rubra. Vnde nunc pluribus annis siccata (vt videmus) est subrubra: quòd ferè omnes plātæ cùm siccantur, perdunt maximam sui viui & veri coloris partem. Etiam scribitur, quòd casia trahit ad odorem rosæ, cum participatione aliqua odoris vini. Qui odores, à diligenti perscrutatore facillimè percipiuntur in isto vsuali cinnamomo. At de sua acuitate, aromaticitate, linguæ mordicatione, &c. non est

Casia absolutè.

Casia fistula.

f

dubium, quin sint in ista cannella, & maximè bona. Vnde verissima est casia, & non cinnamomum. Etiam sciendum, quòd hæc casia grossa, quæ vulgò dicitur cannella grossa, quandoq; *Xylocasia.* dicitur xylocasia, id est casia lignosa, quasi lignum casiæ: quamuis verum lignum casiæ, sit meditullium ipsius. Et rectius scribitur casia, per simplex s: quàm per duplex: tamen (vt in superioribus diximus) per duplex ss, cassia idem intelligitur: nihil refert *Selicha.* quomodocunq; scribatur. Vocatur autem Arabice Selicha, vel *Cassia fistula vulgaris.* seliche, vel seliacha. Casia autem fistula vulgaris seu nota, qua communiter vtimur ad aluum lubrificandum, non est eiusdem generis cum casia lignea: nec antiquis Græcis (vt sciamus) cognita fuit. Ab Arabibus autem, Serap. Auicenna & cæteris bene describitur. Vnde Serapio cap. de casia fistula, solummodo Ara-*Eiarxamber.* bes citat. Et vocatur Arabicè, Eiarxamber, vel chaiarsandar. Vnde casia, & casia fistula, sunt nomina æquiuoca &c. His deniq; visis, concludendum est quòd caremus vero cinnamomo, *Cinnamomum supplentia.* sed loco eius (vt ex supradictis colligi potest) ponitur duplum ponderis eius, ex optima casia lignea, vel ex sauina, vel de carpesio, id est de cubebis, vel æquale pondus de optimo cardamomo, vel de Zurumbet, &c. Et pro cinnamo etiam potest compensari optima casia, sed simplici duntaxat pondere: quia cinnamum non est de electioribus speciebus ipsius cinnamomi, vt suprà iam probauimus. Alia plura de cinnamomo & casia, &c. breuitatis causa dimisimus.

De Zuccharo ponendo in compositionibus.

SVprà in electuario de aromatibus, & in confectione de galanga, iam declarauimus qualiter zuccharum in huiusmodi confectionibus sit ponendum: quare nunc, quia hîc Author subscribit, quòd quandoq; ponitur in eo duplum ponderis medicinarum de zuccharo puluerizato, sine melle, & accipitur sicut suffuf, sciendum quòd illud zuccharum quod prius ponebatur in confectione, quæ melle conficiebatur, non est intelligendum in ipsa descriptione, sed reliquis medicinarum pulueribus ponderatis, addatur duplum de optimo zuccharo etiam puluerizato. Et postquàm totum peroptimè cum speciebus commistum fuerit, quiuis vti poterit eo ad libitum in dapibus, &c. Suffuf autem idem significat, quod puluis. Quære de eo infrà in distinctione propria de suffufet.

Elect

Electuarium de granis myrti, &c. XXIIII.



FILIVS Serapionis in septimo sui Breuiarij, cap. xx. habet vnum electuariũ, de granis myrti, quod differt ab isto. Sed dicit Author in præsenti descriptione, quòd modus compositionis eius est, vt in electuario de aromatibus adiungatur, granorum myrti, &c. Vbi sciendum, quòd Authoris intentio est, vt tu accipias tantũmodo species electuarij de aromatibus, quibus addas pulueres rerum hîc descriptarum: & omnia simul commixta, confice cum sola miua aromatizata, absq; melle descripto in ipso electuario de aromatibus. Siquidem & alias quasi cõsimiles compositiones, eiusdem ferè intentionis, habet Author in præsenti antidotario, quæ omnes cum miua tantùm conficiuntur: vt est confectio electuarij ex inuentione nostra, & electuarium confortans stomachum, & confectio Alcanzi, & similia. Etiam in antidotario filij Serapionis est electuarium quod stat loco Alcanzi, quod similiter est eiusdem intentionis, & conficitur cum sola miua: ergo ista non est aliter conficienda. Sed sciendum quòd ferè in omnibus impreßionibus deest huic descriptioni vnum simplex, quod est castoreum: quodque locari debet (vt est in cunctis exemplaribus antiquis, & in quibusdam impreßionibus minus malis) in ana, ante Confice cum miua, &c. Sic enim rectè legendum est: Carui, anisi, cymini, seminis apij, infusorum in aceto vini & exiccatorum, & castorei ana ℥. v. Confice &c.

De *Myrobalanis*.

PRæcipit Author in præsenti descriptione, quòd bulliant myrobalani in aqua cytoniorum & vino odorifero, bullitione vna. vbi videndum, quare vult Author quòd bulliant ipsi myrobalani, & qualiter fieri debeat ipsa bullitio, vt sit virtuosa. Ad primum, teste ipso Authore, in cap. secundo primæ intentionis, de electione medicinarum, dicente: Aut educunt comprimendo sua proprietate, & exprimẽdo sicut myrobalani, &c. virtus myrobalanorũ duplex est, scilicet ꝙ educũt, id est soluũt. & educẽdo cõprimũt, id est restringũt. Et hoc ideo, quia ipsos duabus proprietatibus contrarijs, natura magistra decorauit. Vnde prima ipsorũ proprietas est, quòd ipsi habẽt partẽ aëreã calidam & humidã, qua mediante soluunt. Secũda est, quòd habent partẽ terreã, frigidã & siccã: & ideo restringunt. Sed quia Author intẽdit *Myrobalanorum virtutes sibi cõtrariæ.*

auferre ab eis partem qua mediante soluunt, quæ quidem simpli ci feruore tollitur: hac de causa præcipit, vt bulliant bullitione vna. Etiam ipse Author intendit augere partem ob quam restrin gunt, & vt sint magis confortatiui: ideo vult vt fiat ipsorum bullitio in aqua cytoniorum, & vino odorifero: quia aqua cytoniorum adiuuat eos in stipticando: & vinum dat eis vigorem, in confortando. Vnde bene est vt fiat talis bullitio. Ad secundum autem, scilicet qualiter debeat fieri ipsorum bullitio, ex mente Authoris, & substantia aliqua ipsorum bona huic confectioni sit competens, non diffundantur in aquam & vinum, propter illam bullitionē in qua sola pars eorum solutiua penitus destrui debet & amoueri ab ipsis. Nam clarū est, quòd si mersi myrobalani in illa aqua & in illo vino, existentibus actu frigidis apponantur ad ignem, donec bulliant bullitione vna: in tali non parua mora, non solùm dimittunt partem solutiuam, sed etiam multùm de substantia eorum stiptica & confortatiua de facto ipso diffunditur: quia vnaquæq; res in primo instanti quando infunditur, incipit attrahere sibi de liquore in quo infunditur, non dimittendo aliquid de sua substantia seu virtute: sed postquàm est satis imbibita de ipso liquore, incipit diffundere virtutem substantiæ suæ in ipsum, & quanto plus trahit moram in illo, tanto magis effundendo minuitur de suis virtutibus. Quapropter vt ipsi myrobalani non derelinquant de sua substantia confortatiua aliquid, est valde curandum: quia aliter esset præter Authoris intentionem. Ad quod igitur faciendum dicimus, quòd prius ponendum est vas cum aqua cytoniorum & vino odorifero ad ignem, & cùm incipit feruere, supermittendi sunt myrobalani grosso modo contriti & enucleati. Hinc peracta bullitione vna continuò extrahantur ab ipsa aqua & vino, & exiccentur, &c. Et sic faciendo, nihil penitus præter partem solutiuam in ipsa aqua & vino relinquunt. Et hæc est verissima Authoris intentio. Et talis modus teneatur in ipsorum bullitionibus, infrà in confectione Alcanzi: quia si aliter fiat in illis duabus bullitionibus, nihil aut parum remanebit ipsis myrobalanis de substantia ipsorum bona ad talem vel similē compositionem pertinente. Et absq; virtute medicina non est antidotis admiscenda.

Myrobalanorum bullitio vna.

De *Aqua Cytoniorum.*

NOtandum, quòd in pluribus receptis & descriptionibus, vt in ista & similibus, est scriptū siue impressum, aqua cytoniorum, & semper in rei veritate, intelligitur succus cytoniorum

rũ.Quod pluribus modis probari poteſt, & primo per Io.Serap. filium, in ſuo antidotario, in deſcriptione electuarij Gal.cũ aqua de cytonijs, vbi docet modũ faciẽdi ipſam aquã. Accipe (inquit) cytonia magna muza, & mũda ea à granis ſuis & corticibus, & cõ tere ea, & extrahe ex ſucco eorũ duo Kiſt, &c. Etiam in cõfectione Alcãzi, quę eſt cõſimilis intẽtionis, & in alijs quãplurimis, ipſe Author noſter ſpeciatim ſcribit: Bulliãt in ſucco cytoniorũ. ergo eſt ſuccus, & nõ aqua. Vbi notãdũ, q̃ generaliter quãdo reperitur in libris antiquorũ aqua alicuius rei, ſemper intelligitur, aut ſuccus, aut decoctio, vel ſaltẽ infuſio. Solũmodo aquã roſaceã, & aquã ab ſinthij legimus, aliquãdo per ſublimationẽ factã. & hoc apud Authorẽ noſtrũ: at nõ mirũ ſi apud ipſum, quia iã ſuo tẽpore cœperat corruptela aquarũ ſublimatarũ. Exempla certè de aquis, per quas intelligẽdi ſunt ſucci, aut decoctiões, paſsim habẽtur: ex quibus aliqua annotabimus pro illis, qui nõ poſſunt vacare multorũ librorum lectionibus. Author noſter in ſermone de aqua cicerũ, habet ſyrupũ conferentem pleureſi, in quo primùm dicit: Recipe aquæ Cucurbitæ &c. poſtea declarat eã in fine cõpoſitionis eſſe ſuccũ, dicẽs: Infundãtur omnia per diem & noctẽ in ſucco prædicto calido, &c. Itẽ in cap. de Rheubarbaro, dicit: Et ſimiliter magnificatur infuſio eius in aqua endiuiæ, & apij, prius bullitis & colatis, &c. cùm autẽ dixit bullitis & colatis, nõ intellexit aquas ſublimatas, ſed ſuccos: nã aquæ diſtillatæ nõ ſunt bulliẽdæ neq; colãdæ. Et hîc probatur iuniorũ medicorũ error, qui præcipiũt, vt infundatur rheubarbarũ in aqua endiuiæ diſtillata, &c. cũ potius deberet infundi in ſucco. Itẽ infrà in ſeptima diſtinctione de decoctionibus & infuſionibus, habet decoctionẽ fructuũ, quã vocat aquã. Et alia exempla multa dimittimus apud Authorem noſtrũ, ne ſimus prolixi. Item ex alijs Authoribus poſſunt ſumi exẽpla, vt eſt apud filiũ Serapionis in ſeptimo ſui Breuiarij, lo hoc de aqua fœniculi: vbi in fine apertè declarat ipſam aquam, eſſe ſuccum fœniculi. Itẽ apud Hali filiũ Abbas in ſecundo practicæ cap. 34. numero 79. legitur: Aut bibatur cum aqua roſata quæ exprimitur de recẽtibus roſis, &c. Lege etiã in cõfectione de mezereõ.

Aqua ſimplicium rerum quomodo intelligatur.

Rhabarbarũ infundatur in ſucco

De Miua.

NVnc videndum eſt ſi præſens Miua debet parari cum melle vel cũ zuccharo. Etenim ſaluo ſemper meliori iudicio, nos tenemus cum zuccharo conſtruendam eſſe: quia licet Author in propria deſcriptione ſcripſerit cum melle: tamen in fine addit quòd ſunt qui loco mellis ponunt zuccharum, & propriè quan-

do oportet. In ista compositione granorum Myrti, satis oportere nobis videtur, quia (vt testatur Christophorus de Honestis in cōdito de cytonijs, quod est miua) mel est magis absterſiuum quàm zuccharum. Et in hoc electuario granorum myrti, non quærit Author absterſionem, ſed potius ſedationem & confortationem: & ideò præparāda est iſta miua cum zuccharo, & non cum melle. Etsi Author in hoc electuario granorum myrti non ſpecificauit cum quo ſit præparanda, tamē in deſcriptione ipſius miuæ, cùm ſcripſit eam fieri cum zuccharo quando oportet, dimiſit nobis conſiderandum in omnibus compoſitionibus, vbi ingreditur miua, ſi ipſa miua, ſit conficienda cum melle vel cum zuccharo. Et cum illo quod eſt magis competēs illi compoſitioni debemus cōficere miuam. In iſto autem electuario granorum myrti magis competit zuccharū quàm mel: igitur cōficienda eſt cum zuccharo & non cum melle. Similiter & de ſpeciebus debemus habere cōſiderationem: quia in pluribus compoſitionibus legitur: Confice cum miua. & non ſpecificatur ſi debet eſſe aromatica, id eſt cum ſpeciebus, vel ſine ipſis: nec ſi cum miua ſimplici, vel acetoſa, &c. Quando autem ſcribitur, confice cum miua aromatica ſiue aromatizata, ſicut in iſto electuario & ſimilibus, tunc non eſt dubium, quòd debet habere ſpecies: tamē quia omnes poſſunt recipere ſpecies, ideò de qualibet poteſt intelligi. In illis autem in quibus non ſpręcisè ſcribitur miua aromatica, vt in confectione Alcanzi, & ſimilibus, eſt cōſiderandum, vtrum ſpecies competant illi compoſitioni, an non. Et ſicut melius videbitur peritis viris, ita fieri debet. Et non eſt dicendum, quòd ſi ſimpliciter eſt ſcriptum, confice cum miua, debet intelligi cum ſimplici miua: quia ſicut ſcripſit Author de melle & zuccharo, ita & de ſpeciebus quando oportet. Et illic dedit nobis regulam pro omnibus miuis ſequētibus: quia omnes, & ſingulæ poſſunt confici cum zuccharo abſque melle: & cum melle ſine zuccharo: & quandoque expedit cum vtroque, & cum ſpeciebus, & ſine ſpeciebus &c. Vnde notandum, quòd quandocunque reperitur absolutè, cōfice cum miua, ſemper intelligitur de prima miua. Sed (vt dictum eſt) debemus, vel cōſilio medici, vel aliquo bono modo ſcire, an illi confectioni conueniant ſpecies: & tunc cum prima miua aromatizata, eſt ipſa confectio conficienda. Si autem dicit: Confice cum miua aromatica, tunc eſt magis clarum, & intelligitur de prima cum ſpeciebus. Si autem dicit: Confice cum ſimplici miua, tunc intelligitur cum ſecunda miua, quæ ab Authore

Miua abſolutè.

intitu

intitulatur simplex,non obstante quòd,vt aliæ,potest recipere species,&c. Si autē dicit: Cum miua acetosa,vt est in electuario confortāte stomachum,tunc intelligitur cum tertia,vel quarta miua. Si verò cum miua facta ex succo fructuum,tunc de vltima descriptione intelligitur. Et in qualibet ipsarum est considerandum,si cum speciebus,vel sine: & si cum melle,vel zuccharo sit primùm paranda ipsa miua. Quoniam sicut oportet,ita est faciendum. Nam pro varijs infirmitatibus varia sunt administranda pharmaca: quoniam vnum pharmacum,non cōuenit omnibus infirmitatibus: nec omnia pharmaca,vni competūt infirmitati.

Dia Calamentū descriptione Galeni,&c. XXV.



AVICENNA quidem in quinto cañ.in primo tractatu primæ summæ, habet confectionem de calamento,in ponderibus,& quibusdam paucis differentē ab ista. Sed falsò in ipsa Auicēnæ legitur reusini, eo in loco,in quo præsens habet cheisim:quod Bellunēsis correxit & scripsit cheisum,quod idem est, quod cheisini. Item ipse Auicenna in tertio tractatu eiusdem primæ summæ,authoritate Galeni, habet electuarium de calamento,quod est eadem confectio: quamuis in quibusdā paucis differat. Filius Serapionis etiā in septimo,cap. 20. habet electuarium felemeki,quod felemeki ibi exponitur esse calamentum fluuiale,& habet electuarium diacalamentum: quæ duo electuaria,habent multam similitudinem cum ista confectione.

De Calamento fluuiali,& montano.

DE hoc calamento fluuiali siue aquatico, magna est disceptatio inter Doctores antiquos & iuniores,ita quòd mens legentis,& perscrutantis corū scripta,potius cōfunditur quàm quiescit. Iuniores enim affirmant ipsum esse mentastrum,id est syluestris menta. Dioscorides secundum omnium translationes, facit capitula diuersa de menta,mētastro,& calamento,& in capitulo de calamento,notat tres species calamenti: & dùm loquitur de tertia specie,dicit quòd assimilatur mētastro,& nascitur in aquosis & alijs locis. Reliquæ species non scribuntur in aquosis nasci. Ex quo igitur quia tertia species est quæ prouenit in aquosis,ideo illa accipienda est pro calamento fluuiali siue aquatico. Et cùm dicit quòd assimilatur mentastro,declarat non esse mentastrum:sed speciem calamenti mentastro similem,longioribus tantùm folijs,per quæ dignoscitur à mētastro. Serapio etiā

authoritate Dioscoridis, illud idem dicit, & diuersa cap.facit.
Calamentũ fluuiale est mēthastrũ. Simon Ianuensis autem absolutissimè scribit, quòd calamētum fluuiale est menthastrum. Luminare Maius cōcordat cum Simone, & citat Nicolaum, & Petrum de Crescentijs illudmet affirmātes. Etiam concordant cum istis, Author nouarum additionum in antidotarium filij Mesuæ, & Ottho Brunfelsius. Item ipse Simon in litera feudenegi, dicit quòd verum feudenegi, est mēthastrum fluuiale. Et à Serapione scribitur præcisè capitulũ de feudenegi, quod est de origano, pulegio, & diptamo. Menthastrum autem licet quandoque reperiatur in aquosis, veruntamen à nullo antiquorum scribitur in aquis nasci. Enimuero nos pluribus in locis, & præsertim iuxta aquarum semitas, varias vidimus mēthastri species: quarum vna longioribus folijs prouenit, alterius verò folia ad rotunditatem maximè declinant. Forsan quòd illa quæ longioribus folijs crescit, non sit menthastrum, sed cala-
Menthastrum. mentum fluuiale. Et illam, quæ habet folia rotundiora, putamus esse verum mēthastrum. Quoniam constat per Dioscoridem & alios Authores, calamentũ fluuiale habere folia longiora quàm menthastrum. Insuper autem dicimus, quòd siue sit calamentum fluuiale, siue sit mēthastrum, nō est magna difficultas inter ipsa, & sine aliquo respectu, potest poni alterum pro altero in medicinis: Quoniam antiqui (vt plures testantur, & præcipuè Matthæus Syluaticus, in capitulo de calamento) non faciebant differentiam inter virtutes istorum generum, scilicet mētæ, calamenti, pulegij, & similium. Calamentum autem fluuiale (vt suprà di-
Felemeki. ximus) à filio Serapionis, felemeki vocatur. Vnde in præfato electuario felemeki, dixit: Et est calamentum fluuiale. & infrà: Recipe calamenti fluuialis, & calamenti campestris, &c. Et infrà inibi dicit, quòd duæ species calamenti, scilicet fluuialis, & montani (quod vocat cāpestre) debēt esse ex Creta insula. ait enim: Et duæ species calamēti oportet quòd sint ex Creta: quòd si non inuenis vtranque, elige ex eis quæ nascuntur in locis altis, siccis:
Calamentũ montanum est nepeta. & similiter alhasce, &c. Calamentũ autem montanũ est nepita, vel nepeta (vtroq; enim modo scribitur apud Authores) & proprie illa, quæ vulgò dicitur mentucia, & nepitella. quoniam est
Nepeta. alia nepita, quæ alio nomine vocatur cataria, siue herba cataria:
Herba cataria, vulgò autem gattaria: nō obstante quòd & aliæ herbæ plures simili vocentur nomine, vt est valeriana, &c. Hæc autem nepita cataria habet folia similia vrticæ, vel potius melissæ, hirsutiora tamen, albiora, & maiora. Et habet hastas plurimas, quadrangu-

latas,

latas,rubentes,bicubitali altitudine aliquãdo se extollentes. In sapore autem similima est mẽtuciæ præfatæ,sed in odore potius æmulatur pulegium quàm mentuciam: vnde non desunt,qui vocant istam syluestre pulegium. Cati eam valde comedunt,& delectantur in ipsa:quamobrem catariæ nomen sibi vsurpauit. Tamen hæc herba ab Authore nostro calamentum syluestre vocatur:vnde lege infrà,in syrupo de calamẽto primæ descriptionis.

De Seseli,siue mauis Seseleos,seu Silere montano.

SEseli siue(vt aiunt)Seseleos vel siseleos,vulgò siler mõtanum dicitur. Et licet siler montanũ quo vtimur,non benè in omnibus videatur conuenire cum descriptionibus Dioscoridis de seseli:tamen non est cyminum syluestre,vt aliqui putant. Quia si legis vtraque capitula,videlicet de seseli & de cymino syluestri, magis videtur conuenire cum seseli,quàm cum descriptione de cymino syluestri. Clarum quippe est,quòd vtrunq; esse non potest,cùm omnes Authores diuersa de ipsis capitula faciant. Insuper sunt nonnulli,qui exponunt cyminum carmenum esse seseleos,quod quidem nobis non placet:pro quo vide infrà in Dyacymino. Verum si hoc siler mõtanum differat à seseli,nescimus. Scimus autem pro certo,quòd nõ est cyminum syluestre,sed (vt in dicto Diacymino ostendemus)aliud: quoniam pluries nos habuimus de ipso vero syluestri cymino. Attamen non haberemus pro magno inconuenienti,si siler montanum pro vtroque componeretur, scilicet pro seseli,si fortè non sit ipsum seseli,& pro cymino syluestri. Saluo tamen meliori iudicio, potius iudicamus apponendum esse pro seseli,quàm pro syluestri cymino. Et donec habuerimus meliorem de eo cognitionem semper pro seseli administrabimus. Pro cymino autem syluestri,cui non placuerit satiuo vti,hoc ponendo non putamus malum esse. Præterea Antonius Musa Brasaulus in suo simpliciũ examine,dicit, quòd hoc siler montanum conuenit cum duabus Dioscoridis descriptionibus de seseli: Videlicet planta conuenit seseli Massiliensi,& semen seseli Aethiopico,propter amaritudinem. Vnde illa acredo seminis,quam Dioscorides seseli Massiliensi tribuit,potest accipi pro amaritudine seselis Aethiopici. Et sic potest stare, quòd hoc siler montanum vsuale,sit seseli massiliense à Dioscoride descriptum.

Siler montanum supplet locum seselis & cymini syluestris

De *Petroselino.*

SEcundum Dioscoridem & ferè omnes Doctores,Petroselinum non est istud quod præ manibus habemus,& in hortis

vbique ſeritur: quodque vulgi corruptela petroſelinum falſò appellat. Cùm ſeparatim omnes faciant capitula de petroſelino, & ſelino, & cæteris generibus, ſiue ſpeciebus apij: quod quidem ſelinum eſt verè noſtrum vocatum petroſelinum. Et nota quòd in hac deſcriptione etiam habetur apium, quod eſt propriè ipſum ſelinum, de quo mox dicemus. Veriſsimum autem petroſelinum, licet dicatur à Dioſcoride in Macedonia naſci: tamen nos credimus in collibus Italiæ & alijs regionibus aſperis, quamuis non ſit cognitum, procreari. Quia nos proprijs manibus, in Rheatinis montibus, & ſuprà Palumbariam, pluries collegimus quandam apij ſpeciem inter petroſas crepidines exorti, quam putamus eſſe verum petroſelinũ, ſiue apium de petra: quam quidẽ herbam oſtendimus iam pluribus peritiſsimis viris & medicis, & herbarijs, qui omnes in vnum ad votum noſtrum conueniunt. Etenim in omnibus correſpõdet deſcriptioni Dioſc. de petroſelino. Sed quia non ſumus benè certi de eo, magis vſi ſumus hoc noſtro petroſelino domeſtico. Imò verius ſelino vſuali, & hortenſi, quàm ipſo: quia (vt multi teſtantur) parum aut nihil differt in virtute alterum, ab altero, id eſt ſelinum, à petroſelino

De Apio.

Apium ſimpliciter ſcriptum, vt in preſenti deſcriptione, ſemper (teſtantibus pluribus fide dignis authoribus, vt Plinio cap. 11. 20. libri, &c.) de ſelino eſt intelligẽdum, ſcilicet de noſtro vulgò nuncupato petroſelino. Quæ quidem ſpecies, ſelinum vocata, à Dioſcoride anteponitur omnibus alijs deſcriptionibus ſpecierum ſui generis. Etiam ſi ſcribatur apium hortenſe, ſiue ſatiuum, illud idem intelligitur Selinum, ſeu Græcè ſelinon. Quando autem ſcribitur petroſelinum, ſicut ſuprà, eſt alia ſpecies, & intelligitur apiũ de petra: quamuis in defectu ipſius (vt dictum eſt) poſsit poni ſelinum. Quãdo autẽ inueni ur ſcriptũ apiũ paluſtre, ſiue apiũ aquaticum, accipiẽda eſt iſta ſpecies, quæ ſimpliciter apud vulgares vocatur apium: quæ ſpecies, vt plurimum in aquoſis prouenit: vnde hydroſelinon Græcè dicitur. Quando autem apium Macedonicũ, quod Græcè hippoſelinõ, id eſt apium Caballinum vocatur: eſt alia ſpecies. Et apium riſus, ſiue apium raninum, aliud genus eſt, &c. Et ſic eſt videndum, de quo apio Author intelligit, cùm apiũ ſcribit. Vnde in præſenti deſcriptione duas apij ſpecies poſuit, apium petreũ videlicet & apium ſatiuum: quod ſatiuum propriè eſt noſtrum vulgò petroſelinum falſò nuncupatum, quod libenter ab omnibus in ciborum condimen

Selinum.

Apium hortẽſe ſiue ſatiuum.

Apium paluſtre.

dimentis assumitur. Verum petroselinũ autẽ est (vt suprà iam diximus) apium de petra, quod non seritur in hortis, sed sponte in in crepidinibus mõtium oritur. Et abundantius in Macedonia.

De Hasce, seu Halasce, vel Haasce &c.

HAsce, quamuis ab Authore nostro, etiã sub capitulo de hysopo seu hyssopo describatur, tamen secundum veritatem non est hysopus: quoniã si esset hysopus, fuissent tres hysopi species secũdum ipsum, qui postea immediate facit aliud capitulum de duabus speciebus hysopi. Omnes doctores, excepto ipso Authore nostro, concordant in vnum, scribentes quòd sunt tantùm duæ, & non tres hysopi species. Vnde magis credendum est tot viris, quàm ipsi soli. Et licet etiam qui interpretatus est vocabula filij Serapionis dicat in Sinonymis, hasce, id est hysopus hortensis. non est tamen tantæ authoritatis, vt ei plus fidei adhibeatur, quàm Dioscoridi, &c. Credimus autem (si non est error interpretis) Authorem nostrum à similitudine quam habet cum hysopo, deceptũ putasse hasce esse hysopi speciem, & nominasse eam speciem duplici nomine, videlicet hasce, & hysopum: quoniam scribendo particulariter eius differentias & proprietates, dicit quòd est mater epithymi: & infrà absolutè scribit hasce. Etiam in suis canonibus ponit in pluribus locis hasce, & hysopum, tanquam aliud ab hysopo. Ex quibus quidem credendum est, eum dubitasse, si verè esset species hysopi: quod vel ex ipsius verbis cognoscitur cùm scripsit: Dicunt quidam quòd est hysopus hortensis: rursum alij, quòd est vna ex speciebus origani, &c. Hasce autem siue haasce (vt omnes exponunt) est thymus, quod etiam patet concordando capitula Authoris nostris de hasce, & Serap. de thymo, & Auicennæ, de Haasce, cum capitulis Dioscoridis & aliorũ de thymo. Etiam Simon Ianuensis in litera thymus, dicit, quòd thymus vocatur Arabice hasce. Vnde Serapio cap. de thymo, quod incipit Hasce, id est thymus, &c. ergo haud dubiè hasce est thymus. At quia Author in præsenti descriptione posuit alhasce, non est quærendũ an sit aliud, ab hasce: quia illa syllaba al, vt dictum est suprà, in confectione Alchermes, aliquando additur dictionibus pro articulo, seu præpositione: vnde alhasce, id est de hasce. Cùm autẽ dicit, extremitates alhasce, dat intelligi quòd accipiẽdæ sunt cimæ thymi, non epithymum, vt præsumũt nonnulli insipiẽtes aromatarij. Quid autem sit thymus, quære infrà in syrupo de epithymo.

Diatri

Diatrion pipereon descriptione communi, &c. XXVI.



OMEN accepit hæc cõpositio à tribus speciebus piperũ quæ in ipsam ingrediuntur. Auic. in quinto canone habet diapipereõ, cuius descriptio in multis cum ista cõcordat. Filius Serap. in septimo habet duas descriptiones quasi similes, & vocantur Electuaria diapipereon: sed prima quam ponit authoritate Galeni, magis conuenit cum ista. Sed animaduertendum, quòd per multas impreßiones, in præsenti descriptione, est error in dosi. Secundum veritatem legendum est: Dosis eius est, ab ℥.j. vsque ad ij. & non à ʒ.j. &c. etiam in quibusdam impreßionibus, deest ameos, quod debet esse post spicã. Omnia hæc sic se habẽt, in antiquis exẽplaribus. Nã si legis filiũ Serapionis authoritate Galeni, nõ ad ʒ. sed ad coclearia exhibet hoc electuariũ, &c.

De omni Pipere.

PIper triplex in medicina quæritur, longum, album, & nigrũ. Non quòd sint tres differẽtes plantæ, ex quibus procreentur tres variæ species Piperum, sed quia de eadem planta fructus tribus varijs colliguntur temporibus, ex quibus prima ipsius collectio potius debet dici germen aut flos, quàm fructus: quoniam in principio suæ germinationis, germinat queadmodum auellana & similia faciunt in partibus nostris: & de illo germine antequàm floreat colligitur, & vocatur Piper longum. Postea illud, quod non est collectum, crescendo floret, & facit fructum in racemulis, de quo ante maturitatẽ sumitur: & quia à natura sui immaturũ est albicans, ideò sic collectũ & exiccatũ, Piper album appellatur. Quod verò residuũ est in plãta, maturescẽdo nigrũ efficitur, & Piper nigrũ nũcupatur. Et sic ex vna & eadẽ arbore, omnes tres Piperũ species ab Authoribus descriptæ colliguntur. Si quis verò his verbis nõ vult prestare aures, legat cap. Diosc. de Pipere, legat Plin. legat Serap. legat & omnes probos Authores tã Græcos quàm Arabes: necnõ & Latinos, tam antiquos quàm recentiores, quos breuitatis causa dimittimus, qui omnes quasi vno ore huius rei veritatem testantur. Præterea, quia Piper albũ aut non colligitur diuisim, aut si colligitur, nõ tamẽ defertur ad nos sicut Piper nigrum & longum, ex ipsis granis nigri Piperis, lecta grana albiora seu subalbida sunt pro Pipere albo administrãda: quoniam in collectione ipsorum granorũ, nõ omnia sunt æqualiter matura, vt videre licet in nostris arboribus, nõ omnes vnius

Piper lõgũ. *Piper albũ.* *Piper nigrum.*

arboris

arboris fructus, vno die maturescere, sed successiuè de die in dié, & quum maior pars illorum ad perfectioné suæ maturitatis peruenit, licet aliqui sint immaturi, simul colliguntur omnes: vnde creditur quòd Piperis grana quanto sunt nigriora, tanto maturiora: & econtrà quantò albiora, tantò acerbiora. Et saluo meliori iudicio, in defectu Piperis albi, pro eo potius apponendum esse censemus Piper longum quàm nigrum, quia in stipticitate & confortatione magis conueniunt inter se. Potest etiam poni nigrum, quia cùm album sit in medio, de vtroque ipsorum participat. Siquidem, secundum Philosophum, medium participat de extremis. Similiter si caremus longo, potius debemus accipere album quàm nigrũ, quia album magis appropinquat lõgo, quàm nigrum. Et è diuerso, in defectu nigri ponendum est albũ, quia propinquius est. Item quandocunque duæ ipsorum species desunt, per reliquam supplendum est. Sed quando simpliciter legitur Piper, semper albũ intelligitur, secundum aliquorũ opinionem, & probat Nicolaus Præpositus in suis analogijs, & etiam quia (vt aiunt Auic. & filius Serap. in diacymino, quod ipsi ponunt authoritate Galeni) Piper album cõfortat stomachũ plusquàm aliæ duæ species. Sed dictus filius Serap. habet in sua descriptione, quòd loco Piperis albi quando deest, debemus vti helleboro nigro. Quod quidem esse ipsius filij Serapionis, haud facilè credi potest. Nam in descriptione Galeni, quæ intitulatur Diospoliticum, quod est in quarto de sanitate tuenda, nõ legitur, nec in descriptione Auic. Quare sic lege: Quòd si non inuenitur Piper album, vtere loco eius nigro. & illud ex helleboro tollatur: quoniam non conuenit in tali descriptione helleborum. Quin vbiq; malũ est pro Pipere albo, vti helleboro nigro. Igitur emendandus est locus. Item quando legitur macropiper, intelligitur longum: quando autẽ leucopiper, illud est album: cùm autẽ melanopiper, intellige nigrum. Et sic est secundum veritatem. Lege etiã de Pipere infrà in Hiera diacoloquintidos inuẽtione Ruffi.

Piper albũ absolutè.

Diacyminum ualens, &c. XXVII.



IACYMINVM à cymino quod recipit, nomen sibi vendicauit. Mirati sumus de Christophoro de Honestis, qui in sua commẽtatione asserit, vocari Diacinnamomum. Et quamuis cinnamomum in ipsam compositioné ingrediatur, tamen non est tantæ quantitatis seu qualitatis, quòd prædominari cymino,

mino &c.posſit, atque exinde ſibi nomen compoſitionis vſurpare. Diacyminum igitur legẽdum eſt,& non diacinnamomũ.

De Cymino carmeno,& Cymino in generali.

CYmini tãtùm tres ſpecies,ſiue tria genera à Dioſcoride deſcribuntur. Et primo de ſatiuo loquẽs,cõmendat ſuum ſaporem in generali de quacunque regione: & in particulari,maximè laudat Aethiopicum,quod ab Hippocrate,regium nuncupatum eſt. Poſtea facit deſcriptionem de ſylueſtri, quod diuidit in duas ſpecies,&c. In hac autem compoſitione, Author poſuit cyminum carmenum. Eſt igitur nunc videndum,an hoc cyminum carmenum,ſit vna ex ſpeciebus à Dioſcoride deſcriptis,an alia diſtincta ab ipſis. Et quid eſt cyminum carmenum? Certum eſt quòd Pandectarius confunditur in ſuis deſcriptionibus,cùm confundit cymini ſpecies,dicens: Cyminum carmenũ, id eſt ſeſeleos,cyminum album idem,cyminum dulce idem, cyminũ ruſticorum idem. Si autem eſt ſeſeleos, quomodo eſt dulce? Non enim legitur apud quenquam, ſeſeleos dulcedinem habere,&c. Item citat Serapionem ſcribentem authoritate Dioſcoridis, & dicentem: Et eſt quoddam boni ſaporis, & propriè eſt carmenum,& eius expoſitio eſt regale,&c.quæ cauſa tædij non ſcribimus. Diligens lector facilimè omnia percurret.Simon Ianuenſis credit non bene expoſitum eſſe Galenũ in medicina,quam compoſuit Herodi ad ſtomachum,quòd cyminum carmenum ſit ſeſeleos.Inferre volens,quòd ipſe ſit alterius opinionis.Et ſubſcribens authoritatem Serapionis dicit, quòd exponitur regale, & eſt boni ſaporis: quaſi dicat,hanc deſcriptionem magis approbo.Serapionis autem hæc ſunt verba: Camum ſiue camin, id eſt cyminum.Rhaſis: Cyminum carmenum eſt agreſte.Quam Rhaſis authoritatem putamus additam eſſe libro Serapionis,quia poſtea ſequitur authoritate Dioſcoridis dicens: Eſt quoddam boni ſaporis,& eſt proprie carmenum, & eius expoſitio eſt regale, &c.Quæ quidem Serapionis deſcriptio à Simone citata,eſt ipſamet deſcriptio Dioſc.de Satiuo cymino, & non de ſylueſtri. Et vbi Dioſc.dicit ab Hippocrate regium appellari,Serapio ſcribit regale exponi. Etiam quandoq; cyminum Carmenum vocatur cyminũ Indum, vt patet per filium ipſius Serap.in ſeptimo Breuiarij,in Confectione Inda: vbi habet cymini Indi,& eſt Carmeni,&c.Carmenum autem dictum eſt à regione.Vnde Auic ſic ſcribit: Eius,aliud eſt Carmenium (quod idem eſt quod carmenũ) & aliud eſt Perſicum,& aliud Enium, & aliud Nabathium. Carmenium

menium verò nigri coloris est,&c. Cùm autem Diosc. laudat Aethiopicũ, potest esse quòd illa regio dicta Carmenia (vel rectius Carmania, quæ est in Asia) à qua nomen accepisse creditur, sit in Aethiopia: quia secundum Ptolemæum, Plinium, & alios cosmographos duæ sunt Aethiopiæ, quarum altera situatur in partibus Asiæ: altera verò in Aphrica. Et sic carmenũ, idem est quod Aethiopicum. Siquidem & Galenus in tali descriptione, speciatim habet Aethiopicum: per quod clarius probatur Carmenũ significare idem quod Aethiopicum. Item Hali filius Abbas, in decimo practicæ, in diacymino & alijs in locis, nõ Carmeni, sed Carmanici habet, quod credimus rectius, ex quo probatur à regione dictum. Etiã posset dici, quòd à similitudine dicatur Aethiopicum, vt subintelligatur nigrum, tanquam pellis Aethiopum. Ad quod consentit descriptio Auic. qui dicit, cyminum Carmenum esse nigri coloris, &c. His igitur bene discussis, colligitur, quòd cyminum Carmenum non est seseleos, vt volunt Matthæus Syluaticus, & cæteri ipsum sequentes. Nec est cyminum syluestre, vt aliqui credunt: neque enim est alia species cymini à Dioscoride non descripta. Sed est cyminum Carmenum idem quod Aethiopicum: domesticum, seu satiuum, optimum, & electum, boni saporis, necnon & optimi odoris, à Dioscoride in primo loco, & pro satiuo descriptum, &c. Quapropter pro cymino Carmeno, accipiendum est quod melius inueniri potest, scilicet satiuũ, recens, optimum, &c. Et sic erit secundum veritatem, & de mente Authoris. Cyminum siue cuminum, quod idem est, satiuum licet in Diosc. non legatur in Italia nasci, attamen in illa ora Italiæ, quæ olim Magna Græcia, nunc verò Apulia dicitur, laudatissimum habetur, de quo abundantius & recentius, per totam Italiam & extrà, exportatur. Et ideò laudabilius cæteris: quia cùm sit quòd cyminum nõ potest diu asseruari, antequam ex Aethiopia & alijs regionibus veniat ad nos, erit corruptum, seu propinquum corruptioni. Quare non erit currendum in Carmeniam, neq; in Aethiopiam, neque in alias mundi prouincias, cùm possimus habere hoc Apuliense, quod est optimum & vulgaris notitiæ: quamobrem de eo non est dubium declarandum. Syluestre autem cyminum apud nos (quod sciamus) nõ sponte prouenit, sed satum (vt experti sumus) nascitur, & crescit sesquipedali altitudine, folijs, qualia Diosc. pingit capitulis quatuor aut quinq;, melanthio haud dissimilibus: seminibus albis, plenis, satiui cymini odorem & saporem imitantibus, &c. & propriè est illud semen,

Cyminum Carmenũ.

Cyminum Apulienſe.

Cyminum ſylueſtre.

men,quo vtplurimum nostri tẽporis aromatarij abutuntur pro minori cardamomo,quodque nonnulli (quamuis malè) vocant nigellã citrinã. Possumus tamen, saluo semper meliori iudicio, pro cymino syluestri vti siler e mõtano, vel semine veri ammeos, vel carui vel (vt melius dicamus) domestico & vsuali cymino, vt dictũ est suprà in Diacalamenti descriptione. Cyminum dulce autem, secundum Platearium, est anisum, & non seseleos, &c. Præterea sciendum, quòd Author vult, vt pridie infundatur cyminũ in aceto, hac de causa: videlicet vt acetum temperet caliditatem eius, & faciat operationem suam meliorem. Modum autem infusionis eius, ac omnium medicinarum, quære infrà in Confectione de mezereon, in generali règula. Insuper quæritur, quare Author in prima Diacymini descriptione, posuit simpliciter cyminum: & in ista specificauit Carmenum? Dicendũ, quòd ipse Author postquam fecit experientiam de prima compositione, inuenit quòd vigor potentiæ eius non protendebatur ad sedandum dolorem stomachi generatum à grossa ventositate, & flegmate grosso, &c. Et ideò fortificauit illam, permutando, addendo, minuendòve suam descriptionem, & operationem componendo istam. Tamen placuit ei etiam seruare primam descriptionem, vt si cui placuerit, posit ea vti in paruis nécessitatibus. Et propterea hĩc posuit cyminum Carmenum, quia teste Auic. in capitulo de cymino. Cyminum Carmenum est fortius omnibus alijs speciebus. Quamobrem fortiores habet virtutes, & operationes in dissoluendo grossas ventositates, &c. pro quibus hæc compositio ordinata est.

Cyminũ syluestre supplentia.

Cyminum dulce.

De Ammio vel Ammi, siue mauis per genitiuum minus rectè, ameos.

NOn est hodie quòd sciamus in Italia, qui ameos certi veram agnoscat plantam. Vnde varij pharmacopôlæ varijs pro eo vtuntur plantarum seminibus. Certè verum ammiũ, non est cognitũ in Italia, neque est, quod multò peius est, qui quærat agnoscere. Omnes enim accipiunt quod primum ad manum venit. Emunt & vendunt, sed quid emant, quídve vendant, ignorant. Et quoniam de simplicibus medicinæ necessarijs, vix decimæ partis veritatem sciunt, contrarius effectus pluries sequitur ex operationibus suis quàm morbi curatio. Pro ammi autẽ confitemur nos ambigere, an verũ sit quo vtimur. Attamen valde approximatur Diosc. & aliorum Authorum descriptionibus. Vnde mallo (vsquedũ habeatur cognitio veri ammos) vti eo, quàm tot diuersis herbarum seminibus, non solùm nobis sed etiam medicis

Ammi nostri descriptio.

dicis peritioribus incognitis. Planta autem feminis quo vtimur, est exilibus folijs, tenerrimo ac minimo fœniculo similibus. Hasta recta, duobus palmis ferè extollitur, gracilibus ramulis plena, in quorum summitatibus vmbellulæ sunt breues, dauco similes, multò tamē minutiores, in quibus flosculi albi, & semina minutissima insunt. Quorum odor cumino satiuo non absimilis est. Sapor autem non (vt ait Dioscorides) origani (si tamen hoc quo vtimur verum origanum est) sed dicti satiui cumini, acutior tamen, & quasi ad Piperis gustum trahens. Sed plus de cumino, quàm de Pipere sapit. Dictam autē plantam cum semine, folijs, & parua radice (quę alba est & lignosa) ostēdimus pluribus probatis medicis, ac eruditionibus viris, à quibus omnibus valde laudatum est tale semen, pro ammi in confectionibus admittendū. Quod quidem semen plurimi credunt esse verum ammi, quodq; quibuscunque quotidie possumus ostendere: quoniam circa Romam, & pluribus in alijs locis prouenit in inculto solo, & iuxta viarum semitas.

De *folijs Rutæ.*

IN hoc Diacymino, & similibus, in quibus scriptum est, Foliorum Rutæ siccorum. hoc notatum habeas, quod dicit Galenus libro quarto de regimine sanitatis, circa medium (videlicet in confectione diacymini, quam ipse vocat Diospoliticum) quòd folia Rutæ sint commensuratè præsiccata: quia si sint vehementer desiccata, acria fiunt, & amara, & magis calida. Et si sint sicca minus, quàm oportet, remanet in eis quædam humiditas superflua indigesta, qua mediante fiunt ventosa, & impediunt vltimationē digestionis, &c. De quo quidem, est valde curandum. Idem hoc etiam referunt, filius Serapionis & Auic. in suis de antidotis, scilicet in diacymino authoritate Galeni descripto. Galenus quidem vult vt sint desiccata ad ignem, in vase fictili: perfectè tamen prius in fornace decocta. Peritus autē aromatarius, omnia agat diligenter prudenti discretionis mensura: quoniã hîc, & in similibus, non potest assignari determinatus punctus cognoscendi quãdo folia Rutæ, & similia, sint mediocriter siccata. Hoc tamen dicimus, vt ita siccentur, quòd possint optimè puluerizari. De Ruta quære infrà.

De *Baurach.*

BAurach, id est nitrum, cuius quidem sunt multæ species, & ex varijs prouincijs, & ex varijs coloribus, vt Author noster in proprio cap. scribit. Ab omnibus autem laudatur habens ru-

bedinem,& maxime illud quod fit in Armenia. Et fortaſſe generatur in terris,in quibus eſt illud laudatiſsimum lutum,quod vocatur lutum armenum,hoc eſt, bolus armenus. Nam Author hîc poſuit Baurach rubei,quod eſt optimum,ad differentiam albi,& cæterorum quæ non ſunt tantæ bonitatis. Nonnulli ſiquidem hallucinatur,putantes Baurach rubeum eſſe ſal Ammoniacum,quod non eſt. Sed cùm nos caremus Baurach rubeo, atq; armeno(ſaluo ſemper prudentiorum iudicio) poſſumus loco eius ponere de optimo nitro albo. Et ſunt qui ponunt pro eo in compoſitionibus ſal rubeũ,quod excauatur è montibus, in Italia,& Hiſpania,& alijs locis: quos credimus non malè agere, quia illud ſal acutius eſt marino: ſed nobis videtur eſſe melius,vt apponatur pro eo,(ſicut diximus) ſal nitrum album,minerale,ſi haberi poteſt: ſin autem,artificiale. Et nota quòd hæc cōpoſitio diacymini præſens,eſt ordinata pro magnis neceſsitatibus,ſcilicet ad expellendum groſſas ventoſitates,vt ſuprà dictum eſt:& ideò Author poſuit in ea Baurach: quia,(vt teſtatur Auicenna in cap. de Baurach)Baurach non comeditur,niſi propter magnam cauſam.In paruis verò neceſsitatibus,Diacymino ſupraſcripto debemus vti: niſi alicui magis placuerit vti Diacymino,in antidotario Nicolai annotato.

Nitrum rubeũ ſupplentia.

Sal montanũ in Italia & Hiſpania,&c.

De Contritione ſpecierum.

INſuper notandum,quòd licet hoc Diacyminum non ſit ſolutiuum, contritio tamen ſpecierum eius debet eſſe groſſa,quia habet expellere ventoſitatem groſſam &c. Atque huius rationē reddunt Galenus,& filius Serapionis, & Auicenna authoritate ipſius Galeni,loquendo de diacymino locis ſuis,quaſi vno ore,in his verbis: Et oportet(aiunt) vt ſcias iterum,quod quando vis vt ſit eius euacuatio, plus ſit contritio medicinarum groſſa. Et illud ideò,quoniam ſcio hominem qui cōtriuit hanc medicinam contritione vltima: quoniam non ſciuit illud, quod ego dixi: quare non reſoluit naturam omnino.Imò prouocauit fortiter. Et venit ad nos mirans,& quærens de cauſa in hoc. Et illud ideo, quoniam ipſe exiſtimabat,quòd in corpore illius viri eſſet proprietas, quæ eſſet cauſa in hoc quod accidit. Poſtquam ergo feci ſcire eum,quòd cauſa in illo,eſſet diſpoſitio compoſitionis eius: tunc compoſuit eam ſecundò,ſicut præcepi ei,& cōpleta eſt eius operatio. Oportet ergo vt ſerues hanc determinationē in compoſitione reliquarum medicinarum.Hæc illi. Hoc etiam authoritate ipſius Galeni,breuiter tangit ipſe Author noſter in capitulo

tulo de rectificatione medicinarum, cum modis triturationum, in exemplo secundi, quod est vt medicinis aliqua proprietas acquiratur, dicens: Inquit Galenus, Institi vltimè triturando, & puluerizando cyminum, & cùm esset naturæ solutiuum, factum est vrinæ prouocatiuum, &c. Quapropter est aduertendum in contritione aliquarum compositionum, quæ licet non habeant soluere, habent tamen expellere ventositatem, &c. Vt est Diagalanga, & hoc diacyminum, & similia. Species enim huiusmodi grossiori modo sunt cõterendæ

Confectio de seminibus, &c. XXVIII.



IN pluribus antiquis exemplaribus non habetur hæc præsens confectio de seminibus. Tamen quia in aliquibus est, non iudicauimus ipsam amouendam esse de loco suo. Confectio enim de seminibus, & diaspermaton, idẽ significãt. Sperma enim Grecè, Latinè semen dicitur. Sed sciendũ, quòd in impressis libris magis mendosis, vbi legitur: Cardamomi, spicæ, caryofylorum añ.3.iij. legendum est, añ.3.iiij. vt est in exẽplaribus illis, & in libris correctis. Species nãq; istius confectionis terendæ sunt sicut species Diacymini, & similium &c. Auic. in quinto cañ. habet vnã confectionem de seminibus, quæ differt ab ista.

De Amomo.

FRustrà est in Amomo prolõgare sermonem, scilicet in describendo antiquorum & iuniorum controuersias, de huiusmodi simplici. Quod enim nũquam habuimus, nec vidimus, neque per quamuis tertiam personam cognoscere valuimus, declarare non possumus. Hoc tamen est silentio prætereundum, videlicet quòd hodierni aromatarij pessimè agunt, substituentes pro amomo quoddam semen inodorum cuiusdam vilissimæ herbæ, non legentes apud Dioscoridẽ, quòd amomum est valde odoratum, &c. Quod autẽ legitur in Serapione de pede colũbino, cõiectamus potius esse interpretis, quàm authoris, quoniam pes colũbinus non est amomũ. Iuniores quidem conati sunt hoc elucidare, sed magis obtenebrarũt. Legito te apud ipsos. Vnũ denum insuper est dicendũ, quòd caremus amomo vero: quia nec ab Armenia, neq; à Medorum regionibus, neq; è Ponto, verum amplius ad nos exportatur amomũ. Sed pseudo amomũ multiplex, & abũdè vbiq; colligũt nostri Herbarij: super quo, & alijs pluribus, non magis herbarij & aromatarij, quàm medici (quorũ

est proprium officium inuestigare medicinas,& facere vt habeantur veræ) vituperandi sunt. Nam quomodo possunt habere honorem suæ artis medicæ, si composita medicamenta non componantur ex veris medicinis? At si quædam non possunt haberi vera simplicia, vel saltem vt ex æquipollentibus compensentur. Et non vt vnusquisq; ad libitum ponat quicquid ad manum venit. Enimuerò medici fugientes laborem, committunt suum honorem,& vitam hominum, etiam & suam manibus ignorantium aromatariorum. Quoniam vtplurimum aromatarij hodierni sunt idiotæ,& nõ curant studere nisi his è quibus magis lucrum accipiunt. In quorum officinis, libri (præter diurnale computorum dati & accepti) non habẽt locum. Et quod peius est, sæpius cum ignorantia cohabitat mala conscientia, &c. Sufficit intelligenti pauca. Vnde quia non habetur amomum, loco eius, secundum Galenum, Aetium, Paulum Serapionem,& alios plures, acoro vti debemus. Sed quia etiam caremus vero acoro, possumus vti asaro: quoniam (saluo meliori iudicio) inuenimus in nostro Rhasi antiquissimo manuscripto, quòd amomum, acorus, & asarum, ad inuicem mutuantur vnum pro alio.

Amomum supplementia.

Confectio de Cytonijs bona &c. XXIX.



PRAESENS confectio,& sequens,& alia, quæ habetur in fine tertiæ distinctionis, ab ipsis cytonijs denominationem sumpserunt. Etiã & omnes miuæ, si fiunt cum speciebus, possunt largo modo dici cõfectiones de cytonijs. Sed sciendũ, ꝙ additiones, siue aliquæ siue omnes, quæ scribũtur in fine istius cõfectionis & similiũ, nõ sunt in ipsas cõfectiones apponẽdæ ab aromatarijs, nisi de mãdato medici cognoscẽtis infirmi necessitatẽ,&c.

De Cinnamomo, & Darseni, & Cinnamo.

SVprà in cõfectione de Cinnamomo disputauimus de Cinnamomo,& darseni, & cinnamo, &c. Sed quia in præsenti descriptione est per impressos libros cinnamomum, & postea infrà in eadẽ descriptione legitur darseni,& vtrũq; simpliciter, oritur dubium nostræ supraiscriptæ declarationi aduersans: quia si per cinnamomum, & per darseni intelligeretur vnum & idem, author non posuisset bis idem simplex in ipsa descriptione, non obstãte quòd sit per varia vocabula. Ad quæ respondemus, quòd si ita esset, vt in libris impressis habetur, verè contradiceretur nostræ declarationi de cinnamomo,&c. Sed quia nos possumus pro

bare

bare per viginti & plura exemplaria antiqua, quæ vidimus, omnes impreßiones in hoc & in multis alijs locis esse mendosas, apparet puto non contradici nostræ descriptioni. Annotauimus quidem suprà in cõfectione de cinnamomo, quòd quandocũq; ambo, scilicet cinnamomum, & darseni, inueniuntur simpliciter posita in vna & eadem compositione, semper est error in ipsa descriptione: & ita reuera est. Nam libri antiqui & correcti non habent hîc scriptum cinnamomi, sed cinnami. Et qui nolũt credere, accedant, videant, legant & ipsi, veritatemq; perscrutentur, &c. & intelligent quemadmodum in dicta cõfectione de cinnamomo declarauimus, quòd aliud est cinnamomum, à cinnamo. Lege ibi. Sed bene scimus huiusmodi erroris originẽ, quam ad maiorem veritatis certitudinem succinctè describemus. Siquidem (vt alià s diximus) conati sumus habere apud nos tot libros antiquos manuscriptos, quot inuenire potuimus. Et nullo labore aut pretio perterriti, nõ solũ intra vrbẽ, sed & extra, habito aliquorũ indicio, omni diligẽtia quęsiuimus: vnde quosdã emimus, quosdã qui habebãt cõmodauerũt nobis, quosdã verò gratis, amore Dei, & eleemosynę causa, à nõnullis accepimus. In illis igitur multa perspicimus, quæ in impreßionibus sunt vitiata. Vnde ex dictis libris aliqui hîc, & alijs in locis habent scriptũ in longũ & sine abbreuiatione sic: Cinnami, vel Cinami. Aliqui autem cũ abbreuiatione habent quatuor vel quinq; primas literas, scilicet cina, vel cinna, & super vltimã ipsarũ, quod est a, est positum i, sic, cinaⁱ, vel cinnaⁱ, taliter quòd quilibet potest dictam dictionẽ abbreuiatã, duplici sensu intelligere, scilicet pro cinnami, & pro cinnamomi. Quapropter nõnulli intelligentes pro cinnamomi, ignorãtes quid sit cinnamũ, scripserunt atq; impresserunt cinnamomi. Quo errore plurimi hallucinati, inuenientes in aliquibus descriptionibus (vt hîc, & similibus) cinnamomi, & darseni, exposuerũt darsenũ esse cinnamomũ grossum. Quorũ vnus Christophorus de Honestis, in postillatione huius cõfectionis, in duplicem errorẽ delapsus est, & cõtrariũ expressè exposuit. Primus error est, quia illa dictio cinnamomi, quæ debet dici cinnami, per quod quidẽ significatur cinnamomum grossum, accepit pro cinnamomo electo: & darseni, quod verè est cinnamomũ electum, exposuit pro cinnamomo grosso. Secundus verò est, quòd vbi Author petijt vnã drachmã de cinnamomo nõ electo, quod est cinnamũ, & tres de electo, ipse declarauit apponendã esse vnã de electo, & tres de grosso. Igitur secundũ veritatẽ, legẽdum est,

Librorũ copia quomodo pareter.

Christophori de Honestis error.

cinnami in ista descriptione, & non cinnamomi. Quid autem sit cinnamum, quidúe darsenum, in confectione de cinnamomo prænotata, latè traditum est.

Confectio de Cytonijs facta cum succo cytoniorum, &c. XXX.



AEC quidem confectio, quæ fit cum succo cytoniorum, potest cōnumerari inter miuas acetosas. Quæ similiter, vt omnes miuę conficiuntur, potest & ipsa confici cum speciebus, & sine speciebus, &c. vt textus declarat. Sed aduerte lector, quòd in aliquibus impressionibus, in præsenti descriptione, reperies duos errores. Primus est, quòd vbi legitur, piperis lōgi, zinziberis, cinnamomi, añ.℥.j. legendum est ʒ.j. posita est enim ibi mendosè ℥. pro ʒ. Secundus error est, quòd positum est vnum quinque sic v. pro vno semis: videlicet vbi legitur: caryofyllorum, ligni aloës, añ.℥.v. lege rectius añ.℥.s. Causam autem huiusmodi erroris lege suprà in descriptione modi electuarij de citro, ex inuentione nostra. Ibi enim videbis quanta cæcitate librarij, imò correctores librorum ducuntur.

Electuarium de pomis, &c. XXXI.



NICA regula in præsenti descriptione, plura electuaria perstrinxit Author: vt in fine ipsius descriptionis clarè patet, cùm legitur: Hoc etiam modo fit electuarium de pomis acetosis, & electuariū de pomis paruis, & aromaticis, & dulcibus: scilicet & electuariū de pomis aromaticis, & electuariū de pomis dulcibus.

De Pomis, seu Malis.

POma, & Mala, idem sunt. Pomorum autem, seu malorum, tam dulcium, quàm acetosorū: tam redolētium, quàm odore carentium: tam domesticorum, quàm syluestrium, plura sunt genera, siue species, & differētiæ. Super omnia autem laudabiliora sunt illa, quæ cōmuniter ab Italis vocātur apia, quia sunt domestica, dulcia, & optimè olentia. Quoniā quędam alia sunt domestica, & dulcia, sed non olentia: & quædā etiam sunt domestica, & bene olētia, sed non dulcia: & quædam sunt domestica, sed neque dulcia, neque olentia. Et quædam sunt dulcia, siue redolentia, sed minimè domestica. Et nota quòd quandocunque est nobis necesse vti pomis, siue dulcibus, siue acetosis, siue domesticis, siue syluestribus, semper de magis redolentibus debemus accipe

Apia poma præstantissima.

Pomorum electio.

cipere,quia meliora sunt. Exépli gratia,quidam indiget Pomis dulcibus:si non potest inuenire apia,ex alijs speciebus dulcibus, quæ vidētur magis olere,sumere debet. Et ita etiā intelligēdū est de acetosis,&c. Et si duæ species pomorū æqualite secūdū suum proprium odoré olent,illa sunt eligenda quorū sapor magis viget. Verbi gratia,si ex dulcibus sint duæ species simili bono odore fragrātes,quæ ipsorum sunt dulciora,illa sunt meliora. Et de acetosis,quæ sunt acetosiora. Et sic de singulis. Similiter potest dici de pyris,& persicis,& cæteris fructibus, ex quibus multæ & variæ reperiūtur species. Lege etiam de malis infrà,in Diasiracost.

Electuarium de Persicis, &c. XXXII.



ANIMADVERTENDVM quidem, quòd in hoc electuario non intrat cinnamonium, sed cinnamum. Quid autem sit cinnamum,quære in confectione de cinnamomo.

De Persicis.

PErsicorum (vt in electuario de pomis iam diximus) plura sunt genera,& species,& differentiæ. In quibus,licet Author non determinauerit de qua specie sint sumenda persica pro huiusmodi electuario cōficiendo,quasi affirmans ad libitū de quocunq; posse sumi:tamé semper eligenda sunt meliora & laudabiliora. Præterea,dicit Author in hac descriptione: Exerceas in eis decoctionem cum syrupo:sicut diximus in confectione de cytonijs. Vbi notandū,quòd persica,cytonia,poma,& similia,quando conficiuntur,semper sunt conficienda cum melle,aut zucchаro syrupizato. Et ideò cùm dicit,cum syrupo,intellige cum zuccharo,aut melle syrupizato,sicut diximus in confectione de cytonijs. Vbi intelligendū est,quòd illud mel est prius despumandum,& ad formam syrupi reducendū:& postea carnes cytoniorum in vino decoctæ,sunt in ipso cómiscendæ. Et similiter agendum est cum zuccharo,in ista compositione,& similibus. Et hæc sit regula pro omnibus consimilibus electuarijs & confectionibus,in quibus non est notatus modus conficiendi: vt est electuarium de pomis,& similia. Etiam istud non est prætermittédum, quòd vbi dicit Author in hac descriptione: Terantur persica sicut medulla. intelligitur quòd Persica sint côterenda cōtritione vltima: quia ob suam aliqualé immaturationem,quam ipsa persica debent ex Authoris præcepto habere, sunt tenacia & dura. Et hac de causa (vt coniectamus) vult vt bene terantur,ne ali- *Electuaria cōficiēdi regula.*

quæ ipsorum particulæ integræ, granulorum modo remaneant, quæ possent sensui visus, vel gustus recipientis aliquod præbere fastidium. Vel etiam potest esse, quòd multa ipsorũ cõtritio acquirat eis aliquam proprietatẽ bonã, & huic electuario cõpetentẽ & necessariã. Forsan vt facilius digerãtur, &c. Et ideo posuit, sicut medulla, quia medulla est æqualiter in sua pulpa pertractabilis. Quæ licet sit palpabilis, potest tamẽ dici sine tactu: quoniã cõprimẽdo ipsam, nihil remanet inter digitos. Et qualis est ista, talis quidẽ debet esse persicorũ pulpa post suã contritionẽ, &c.

Electuariũ quo utũtur reges, & delicati, &c. XXXIII.

Electuariũ secundũ quo utuntur reges, &c. XXXIIII.



IN prima istarũ duarũ descriptionum, cõmuniter per modernos, & excusos libros, sunt duo errores. Vnus videlicet vbi legitur, Olei rosati amygdalæ recentis, & dulcis, &c. Nusquam legimus apud Authores fieri oleũ rosaceũ admiscẽdum electuarijs & cõfectionibus, ex oleo amygdalino. Licet quis posset illud parare ad aliquorum lasciuiã, sicut pigmentarij hodierni (vulgò dicti profumerij) faciũt ex varijs florũ generibus: tamen prædicta olea non recipiuntur ad medicinæ vsus. Enimuero in nullo antiquorũ voluminũ est ita descriptum, sed omnia habẽt simpliciter: olei amygdalæ recẽtis, & dulcis. & ita verius: deleatur igitur illud rosati. Alius error est in titulo ipsius, videlicet vbi legitur: Reges, & prælati. In antiquis autem exemplaribus, non Reges & prælati, sed Reges & delicati habetur scriptũ. Et sic melius nobis videtur. Quid facit prælatio ad corporis dispositionem? Multi quidẽ sunt ad tẽpus repleti, & dum fungũtur prælationis officio, cõceditur eis talis electuarij vsus: sed postquam amoti fuerint, interdicetur eis: quia si non sunt prælati, nõ possunt eo vti. Res etenim risu digna. Igitur, reges & delicati rectius legẽdum est. In secundo autẽ electuario, quod est eiusdem tituli, licet dicat Author, quòd valet sicut primum: tamẽ est minoris efficaciæ, & virtutis. Neutrum quippe nostris temporibus parari vidimus.



Electuarium de fructibus, &c. XXXV.

AVTHOR in præsenti descriptione, vt patet in exordio ipsius, principaliter intẽdit restringere & sedare fluxum vẽtris: & ideò cõposuit hoc electuarium ex rebus stipticis, & cõfortatiuis. Cùm autẽ legitur hîc: Pirorum

rorum ponticorum:non intelligitur de Ponto,sed immaturorum,& astringentis saporis:& malorum acidorũ,id est acetosorum. Et nota,quòd omnes fructus huiusmodi compositionũ debent esse immaturi,non tamen multũ,sed medium habent inter acerbitatem & maturitatẽ: quia non solùm habẽt stipticare,sed etiam & cõfortare. Quod quidem probari potest per plures descriptiones ipsius Authoris,& præcipuè per electuariũ de persicis,vbi dicit: Accipe carnium persicorũ mediocrium inter maturitatem & acerbitatem &c. Et per electuarium de sorbis,vbi ait: Accipe carnium sorborum immaturorum,vicinorum maturitati,&c.quamuis barbarè legatur sorbarum. Quoniam si fructus sunt valde acerbi,non multùm cõfortant. Et si sunt valde maturi,habent paruam,aut nullam stipticitatẽ,de quo est maximè curandũ. Præterea est notandũ,quòd nonnulli errant in conficiendo hoc electuarium: quia accipiunt acetum infusionis sumach,& succũ acrestæ,æquali põdere vel mensura,& insimul in ipsis elixant ipsos fructus. Tamen de intentione Authoris aliter se habet litera. Non enim legitur: Accipe carniũ cytoniorũ &c. quorum singulũ elixatum fuerit in aceto vini forti,in quo infusum fuerit sumach die ac nocte,& succo acrestæ, &c.sed dicit,& succi acrestæ,qui genitiuus succi,copulatur genitiuis præfatorũ fructuum,& cum illis in primo ana includitur. Modus autẽ conficiendi præsens electuariũ talis est: Accipe acetũ vini forte,& infunde in ipsum sumach,per diẽ & noctẽ: postea in tali aceto elixa vnumquenq; prædictorũ fructuũ per se,& etiam in dicto aceto elixa sorba per se. Post omniũ autem & singulorũ elixationẽ, accipe succi acrestæ,& carniũ seu pulparum singulorũ fructuũ (demptis sorbis) ana librã vnam. Sorborũ autem carniũ ℥.v. zucchari ℔.iiij. Liquefac zuccharum in dicta succi acrestæ libra,& duc ad ignẽ: & post primã bullitionem appone carnes sorborũ & aliorũ fructuũ,& cum mellis spissitudinem habuerit,adde succi berberis ℥.ij.& dimitte ad ignẽ vsq; ad eius cõsumptionẽ,quo consumpto remoue ab igne,& superadde puluerum spodij,& acetosæ añ.℥.j.& reconde in vase vitreo,& vtere. Item potest fieri hoc modo: Vniatur succus berberis succo acrestæ,& in vtroq; simul misto liquefiat zuccharum. Et iuxta nostrum iudiciũ erit prǽstantius,quia in maiori quãtitate succorum, citius & melius liquescit zuccharum. Et non erit necesse post primam ad mellis spissitudinem coctionem, amplius in igne permanere. Cætera fiant vt dictum est. Etiam nota,quòd vbi dicit: Succi acrestæ,su-

Fructus in compositionibus.

Fructus acerbi.

Fructus maturi.

per cuius triturationе elaborandum est vsque ad consumptionem vltimam granorum. intelligitur, quòd debemus tam diu cõtundere acrestã, donec granula ipsius interiora sint vltimatè cõtusa: quia Author etiam intendit tribuere huic electuario virtutem stipticam, quam ipsa granula habent. Cæterum, de infusione sumach, & quæ quantitas sit ponenda, quære in confectione de Mezereõ, vbi ponitur generalis regula infundẽdi medicinas.

Confectio alia Galeni, & est confectio de acetosis, &c. XXXVI.



CONTENDVNT aliqui, & volunt non esse Galeni præsentem confectionem, ob id quia sandalos, & camphoram recipit. Sed de hoc satis diximus in electuario de aromatibus. Vnde siue sit, siue non sit ipsius Galeni, parum refert, dũmodo sit optima confectio. Dicit Author, quòd est confectio de acetosis confectionibus. Quasi dicat. Hæc est vna ex confectionibus acetosis, quia cõficitur cum rob acetositatis citri, vel rob acrestæ, &c. Notandum autem, quòd per multas impresſiones in præsenti descriptione, desunt quatuor simplicia: videlicet, semen melonis, & semẽ acetosæ, cum suo pondere scilicet ʒ.iiij. & semẽ portulacæ, & buglossæ semẽ, cũ suis põderibus, scilicet añ.iij.s. In Antidotario à nobis emendato, omnia locis suis locata, & suis veris ponderibus restituta reperies: quia multoties aliqua, quæ in paucis libris, puta in vna impresſiõe vel duabus, aut in vno vel duobus, vel tribus libris manu scriptis sunt errata quę prætermus, & illa tantùm notamus, quæ in libris pro maiori parte habẽtur minus correcta. In ipso autem Antidotario, omnia erunt ad amussim castigata, & diligẽti studio perscrutata, ac à peritisſimis viris examinata, & approbata: propterea quære ibi.

De *Cubebis.*

PLurimos Authores, pro cubebis declarandis, percurrimus. Etenim legẽdo tot varias opiniones, mẽs quæ quiescere desiderat, in maioribus perplexitatibus, & dubijs, irretiri videtur. Antonius Musa Brasaulus non parum laborauit super hoc, nec ipse nobis ad plenum satisfecit. Nos verò sine dubio dicimus, quòd veris caremus cubebis, si volumus Plateario credere, qui ait: Eligenda est, quæ acutum habet saporem, cum multa aromaticitate. Istæ autem cubebæ, quibus communiter pharmacopôlæ vtuntur, non solùm non habent acutum saporem, sed cum qua

quadam pauca amaritudine insipidæ sunt, & nullam præbẽt aromaticitatem. Præterea Pandectarius capitulo de Kubebis, scribit authoritate Plinij, tres cubebarum species: videlicet duas priores syluestres, quarum prima concordat descriptioni Platearij, quasi ad literam. In ipsa autem attestatione Pandectarij non signatur locus, vbi Plinius hoc dicat. Nos autem nusquam in Plinio valuimus talem clausulam inuenire. Vnde aliquando dubitauimus volumen Pandectarij, vitio librariorum (vt sæpe fit) in hoc esse deprauatum, & Platearius, non Plinius esse legendum. Sed reuera hoc esse non potest, quia in Pandectario notantur tres species, & Platearius de vna tantùm loquitur. Si autem hæc Pandectarij descriptio fuisset vera, verè apud nos duæ cubebarum species inuenirentur, videlicet prima & vltima: quia vltima quæ pro domestica scribitur, haud dubiè esset species cubebarum, qua communiter vtuntur aromatarij. Et prima, cuius grana sunt minora, & sicut piper acuta, adhuc in nostra officina habetur, & possumus omnibus ostendere. Quas cubebas, & pro cubebis à quodã mercatore Veneto habuimus. Veruntamen si sunt Platearij cubebæ, nescimus. Nobis autem videntur esse meliores his, quæ in officinis cõmuniter habentur. Libenter enim huius rei veritatem edisceremus. Cæterũ, multi decipiũtur credentes myrtũ agrestẽ, esse cubebas, inter quos Simon Ianuensis, Pandectarius, & Luminare Maius, qui bonus vir in cõfectione Anacardina, multa confundit, volens ꝙ myrtus alba, myrtus agrestis (quæ aliter bruscus, & ruscus, siue ruscũ dicitur) cubebe, burũgi, abrungi, & alia plura sint vnum & idem. Etenim myrtus alba, non est myrtus agrestis: quoniã Dioscorides facit cap. de myrto satiua alba, & nigra: & cap. separatim de rusco, id est de myrto agresti. Et quòd myrtus agrestis nõ sit abrugi, probatur per Serapionẽ, qui facit cap. de myrto agresti sub titulo de cubebis: & separatim cap. de abrugi &c. Cubeba autem apud Græcos, carpesium vocatur. Et hoc clarius in hiera picra Galeni ostendemus. Vnde miramur de fatuitate quorundam istorum iuniorũ, qui conãtur probare myrtum syluestrem esse carpesium, id est cubebas. Nam carpesiũ est semen valde odoratum, sine nucleo osseo: & ita virtuosum, quòd (vt in confectione de cinnamomo iam diximus) pro cinnamomo ponitur in medicinis. Semen autem rusci, id est myrti syluestris, cùm recens frangis, fœtere non parum persentis. Et alia plura sunt, ex quibus probatur, myrtum agrestem non esse carpesium: pro quo lege Hermolaũ in corollario de myrto syluestri.

Simõ Ianuẽsis, Pãdectarius & Luminare Maius notãtur.

Carpesium.

Lege

Lege & Ruellium in primo & tertio de natura ſtirpiũ, vbi & aſſerit, ab Actuario doctore Græco, & barbaro vtente vocabulo, cubebas vel combebas ſcribi. Quòd autem capitulũ Serapionis de myrto agreſti, intitulatur de cubebis, à malo interprete eſſe factum, haud, qui rectũ iudicium habuerit, negabit. Siquidem non de cubebis, ſed de myrto agreſti, vel de ruſco, ſiue (vt mauis) de bruſco intitulandum erat. Etiam quæ in calce ipſius capituli leguntur: Ego poſtquam aggregaui, &c. non Serapionis, ſed ipſius interpretis iudicantur eſſe verba illi capitulo addita. Qui interpres, ſcilicet Simon Ianuenſis, etiam in ſua claui, in litera Kubebe, eadem verba ad literam (falsò tamen cum authoritate Serapionis) poſuit. Errant etiã magnopere qui pro cubebis, ſemẽ viticis, id eſt. agni caſti accipiunt. Differt enim vitex à carpeſio, &c.

De *Faufel*.

FAufel, ſiue fufel ſecũdũ Serap. & Auic. eſt fructus ſimilis nuci muſcatæ, & eſt propriè auellana Indica, quæ habet virtutes & proprietates ſandali rubei: vnde Rhaſis in 3. ad Almanſorem etiã dicit: faufel, id eſt auellana Indica. Sed quia amplius nõ exportatur de ipſo faufel, authoritate præfatorum authorum loco eius poſſumus vti ſandalo rubro.

Confectio de prunis, &c. XXXVII.



EPERITVR per omnes impreſsiones, & in preſenti deſcriptione error, videlicet vbi legitur: Zucchari albi ℔. j. aquæ violarum ℔. ij. &c. Etenim antiqua exemplaria ſuper hoc non vniformiter ſe habent. In nullo tamen eſt, aquæ violarum ℔. ij. ſicut impreſsiones habent. Vnde ſciẽdum, quòd dictorum exemplariorum quædam habent ſic: zucchari albi ℔. j. vel ij. Hincq; ſine aqua violarum ſequitur: Confice, &c. Quædam autem abſolute ſic: zucchari albi ℔. ij. Decoque, &c. Et quædam: zucchari albi ℔. ij. aquæ violarum ℔. j. Et quædam: zucchari albi ℔. j. aliàs ij. aquæ violarum ℔. j. Et quædam: zucchari albi ℔. ij. aquæ mellis ℔. j. Et quædam: zucchari albi ℔. j. aquæ violarum ℔. j. Et quædam: zucchari albi ℔. j. aquæ mellis ℔. j. Et quædam: zucchari albi ℔. ij. s. aquæ violarum ℔. j. Ita quòd in quálibet iſtarum varietatum ſunt tres, vel quatuor, vel quinq;, aut ſex libri, qui conueniunt, concordantes ſe ad inuicem. Nam certum eſt, quòd ℔. j. zucchari eſt parua quantitas ad duas libras carnium prunorum. Vnde coniectauimus rectius ſtare ſecund

cundum illa exemplaria quæ habent: Zucchari ℔.ij.s. ſed quia in exordio ipſius deſcriptionis legitur, quòd hæc confectio ſoluit naturam: ideo hoc potentius faciet, ſi addatur ipſi confectioni ℔.j. aquæ violarũ, quàm ſi ſine ipſa conficiatur. Sed nota quòd pro aqua violarum, intelligitur infuſio violarum. Aqua mellis autem non ita conuenit. vnde ſaluo meliori iudicio, decreuimus legi: Zucchari albi ℔.ij.s. aquæ infuſionis violarum ℔.j.

De Prunis.

PRunorum ſecũdum Dioſcoridem, Damaſcena ſunt laudabiliora, & præſtantiora. Et omnes ferè Authores cõcordant cum eo, præter Auicennam qui magis laudat Armena. Author noſter capitulo proprio, vtraq; commẽdat, ſed anteponit Damaſcena. Et quia ipſe erat Damaſcenus, in præſenti deſcriptione noluit ſcribere: Accipe pruna damaſcena. Quoniã exiſtens Damaſci, ipſa pruna valde ſatis erant nota omnibus hominibus dictæ ciuitatis. Sed quia in partibus Damaſci, ſicut & in partibus noſtris, variæ ſunt prunorum ſpecies, ideo poſuit nigrorum, ad differentiam alborum: ſcripſit oblongorum, ad differentiam rotundorum: & muzorum, ad differentiam acerborum, & maturorum. Quia muzum dicitur omne illud quod eſt medium inter acerbum & maturum, & inter dulce & acre. Lege etiam de hoc, in Diaſiracoſt, vbi de pomis agitur. Pruna autem, quæ apud nos vocantur Damaſcena, habent omnes conditiones, & notas ab Authore deſcriptas. Illa ergo ſunt accipiẽda pro tali, vel ſimili compoſitione. Præterea ad maiorem declarationem, quòd debent eſſe pruna Damaſcena, Nicolaus in ſuo Diaprunis ſpecificauit de Damaſcenis. Ergo illa ſunt accipiẽda, in quorũ defectu, ex alijs melioribus aliorũ generũ ſupplẽdũ eſt. *Muzum.*

Electuarium de Sorbis, &c. XXXVIII.



SVNT etenim & in præſenti deſcriptione aliqua menda. Primum, vbi legitur: In aqua, in qua roſæ prius decoctæ fuerint, & corticum granatorum. rectius nempe legendum eſt, & cortices granatorum. Hoc enim mendum confundit ſententiam, quoniam aliquis nouus & imperitus poteſt intelligere ſecundum talem literam, quòd debemus accipere carnium ſorborum (non ſorbarum) ſimul & corticum granatorum tres libras (non quatuor) quod quidem falſum eſt, & malè intellectum. Et ex hoc error patet, quia non poteſt quis ſcire

quantum

quantum de vno, & quantum de altero est sumendum: videlicet si æquali pondere, vel plus de vno, quàm de altero, &c. Nam si post illam dictionem granatorum esset ana, fuisset tantummodo error contra Authoris intentionem, & lectio esset clara. Et quilibet de singulo acciperet tres libras, quamuis malè. Sed verus textus (vt in exēplaribus antiquis habetur) talis est: Accipe carniū sorborum immaturorū, vicinorū maturitati, & elixatorum in aqua in qua rosæ prius decoctæ fuerint, & cortices granatorum &c. Et est intelligendū quòd in aqua decoctionis corticum granatorū, & rosarū, sunt elixāda sorba. Quantitas autē corticū granatorum, & rosarum (quia hîc non specificatur) debet esse cum omni discretione, vt non sit nimis superflua, neq; tam parua quòd virtus electuarij debilitetur. De qua re hîc, & in similibus semper est curandum. Aliud mendum est, vbi post cortices granatorum sequitur ℔.iiij. rectius autem ℔.iij. vt est in cunctis exemplaribus correctis. Et sic est secundum veritatem.

De Sorbis.

SOrba vulgaris notitiæ sunt plus, quàm vt declarari debeant. Sed miramur vnū tanta librorū deturpatio seu deprauatio quòd scribatur barbarè Sorba, bæ: & sorbæ, sorbarum: pro sorbum, bi: & sorba sorborum. Nam apud omnes Grammaticos, & linguæ Latinæ peritos, non nisi neutro genere legimus. Vnde Plinius lib. 23. Sistunt aluum sorba sicca, nam recentia stomacho, & aluo citæ prosunt. Martialis: Sorba sumus molles nimiùm durantia ventres. Palladius: Sorba suos partus meritò maioris honestant. Columella: Sorba manu lecta in vrceolos picatos adijcito, &c. Arbor ipsius autem hæc sorbus, bi, dicitur.

SECVNDA PARS DISTINCTIONIS *primæ, quæ est de Antidotis amaris, magnis.*

Theriaca Diatessaron, &c. XXXIX.



QVID propriè significet Theriaca, & quare hæc compositio vocetur Theriaca, aliàs Deo concedente declarabimus. Cognominatur autem præsens compositio diatessaron: id est, de quatuor rebus. Tessara enim Græcè, Latinè quatuor significat. Nam mel non cōnumeratur inter res conficiendas: quoniam mel, zuccharum, rob, & similia non conficiuntur, sed sunt res per quas, & in quibus cætera

confici

confici possunt.& sic de quatuor rebus, absque melle intelligitur. Parua etenim est hæc compositio, sed magnas habet virtutes, vt in sui exordio patet.

De Gentiana.

CVm absolutè legitur Gentiana, de radice semper intelligitur. Gētianæ radix autē, aromatarijs notior est, quàm ipsius planta: quoniam ipsi non colligunt herbas. Folia nuci inglādi, siue (vt mauis) plantagini proxima habet, &c. omnia vt Dioscorides scribit. Sed sciendum, quòd ipse Dioscorides nihil de eius odore tetigit: vnde plures hallucinati sunt, scribētes Gentianam nullum habere odorem, quod est falsum: quoniam Gentianæ radix est valde odorata, sed cùm est recens, ita parum sentitur eius odor, quòd non bene exercitatis, inodora videtur. Sicca autem optimum, & non paruū spirat odorem, vt quilibet experiri potest. Forsan isti qui negant Gentianam esse odoratam, recentem & non siccam odorarunt. Nam in rei veritate plura sunt quæ recentia minimum aut nullum spirant odorem: sed cùm siccātur, deoccultant odorem suum: quapropter vide in pilulis de rheubarbaro.

Triphera Saracenica magna, &c. XL.



RIPHERA, vel trifera, ab aliquibus interpretatur delicata, id est plena delicijs, seu delicijs assueta: quia reddit hominem lætum, tenerum, ac hilarem tanquam adolescentem. A nonnullis verò interpretatur iuuenilis, siue iuuenescere faciēs, vt testatur Nicolaus in sua Triphera Saracenica. Vtraque interpretatio cōuenit. Quamobrem Auicēna quarto cañ. fen. 7. tract. primo, capitulo 16. de cis quæ caniciem tardant, dicit specialiter esse tripheras factas ex myrobalanis, &c. Et ideò ad ea quæ faciunt ad prolōgationem vitæ, ingrediuntur tripheræ. Dicitur autem Saracenica, quia Saracenis primum excogitata fuit. In omnibus quidem tripheris tam Authoris nostri, quàm aliorum, recipiuntur myrobalani, tanquàm basis & fundamentum totius compositi: quia ad effectum huiusmodi tripheræ consequēdum, sunt magis conuenientes myrobalani, quàm aliæ res. Quod patet per dictum Auicennam, vbi suprà, qui ait: Masticatio quotidiana myrobalanorum kebulorum &c. tardat caniciem, fortasse conseruabit adolescentiam, vsque ad finem vitæ. Hæc ille. Et nota, quòd tripheræ sunt sumendæ ieiuno stomacho: quòd etiam, *Caniciē remoræntia.*

vbi

vbi suprà, probat ipse Auicenna dicens: Amator adolescentiæ sumat ex huiusmodi confectionibus adolescentiam facientibus anno integro, super quas expectet vsque ad meridiem, deinde comedat cibum. Et hoc totum notatum habeas pro omnibus triphcris, & similibus cõfectionibus. Sed aduerte, quòd hanc cõpositionem nõ intrat cinnamomum, sed cinnamum. Falsò etenim per impressiones legitur in hac descriptione, cinnamomum, vt per exemplaria cuncta probatur, quæ cinnamum habent. Quid autem sit cinnamum, iam dictum est suprà.

De Myrobalanis.

MVltùm fuerat conueniens facere declarationem de Myrobalanis, in aliqua istarum tripherarum: sed melius visum est nobis fieri in confectione Hamech secunda propter aliquam causam inibi necessariò declarandam, propterea quære ibi.

De Spica.

ANimaduertendum quòd in multis libris, & præcipuè impressis, in præsenti descriptione, bis est positum Spicæ. Luminare Maius quidem animaduertit errorẽ, & scripsit, quòd aliqui intelligunt vnam pro Spica nardi Indicæ: alteram verò, pro spica nardi Celticæ: & quòd ambæ debent ingredi compositionem istam. Si autem vtraq; est simpliciter, & absolutè descripta, quare potius prima accipiẽda est, pro nardo Indica, quàm secunda? Et si spica Indica est nobilior & melior Celtica, quare minus est sumendum de spica Indica, quàm de Celtica? Non enim sunt ponderatæ vnomet pondere. Etenim volunt, quòd prima intelligatur pro Indica, & secunda pro Celtica. Sed reuera est error in textu, quia in libris antiquis non est nisi semel: videlicet in primo ana, immediatè post foliũ. Certè Author malè & confusè scripsisset ambo sine cognomine. Cassetur igitur secunda descriptio spicæ, & pro prima, intelligatur spica nardi Indicæ. De spica autem, lege in Diamusco dulci.

De Seitaragi.

NOn possumus tot varias Doctorum opiniones, hîc de Seitaragi necessariò declarãdas, breuibus restringere verbis. Ideò parcendum est nostræ prolixitati. Non sit vobis tædiosum vel semel legere, quod nobis non fuit molestum colligere, & magno labore describere. Igitur pro declaratione eius, quia non est vocabulum Græcum, neque Latinum, sed Arabicum, necesse est ab Arabibus incipere. Quid ergo dicit Serapio de Seitaragi? Inquit enim: Seitaragi, id est Hausab. Et sequitur authoritate Ga-

leni:

leni: Virtus eius, & sapor, & odor, sunt similia virtuti, sapori, & odori nastrutij, nisi quia est minus desiccatiuum ipso, & calefacit in quarto gradu. Galenus autem septimo de Simplicium medicamētorum facultatib. sub nomine lepidij, eisdem ferè verbis: Lepidium (inquit) ex quarto est ordine excalfacientiū, simile nasturtio, tum odore, tum gustu, tum viribus, sed minus eo desiccat. Deinde ipse Serapio, authoritate Dioscoridis, quasi ad literam dicit omnia, quæ Dioscorides de lepidio: excepto, quòd Dioscorides tradit in principio, lepidiū à nonnullis gingidiū vocari. Ergo clarè cōstat seitaragi esse lepidium. Paulus Aegineta autem libro tertio, cap. 77. quod est de Ischiade, id est de coxarum morbis, dum loquitur de Iberide, ait: Quam nonnulli lepidium, alij verò agriocardamum, id est, syluestre cardamum appellant. Quæ vero apud nos nascitur, fruticosa est, folia lauri comparia, & longe maiora possidens &c. Et idem Paulus, libro septimo scribit: Lepidium, quam & iberidam nuncupant. & reliqua omnia sicut Galenus posuit. Ex quibus colligitur idē esse seitaragi, hausab, lepidiū, gingidiū, iberis, siue iberida, & agriocardamū. Quod quidem esse falsum mox ostendemus. Præterea Auicenna secundo cañ. cap. de seitaragi dicit: Ille qui est Indus, est frusta ligni, parua, subtilia: & cortices, sicut cortices caryofylli. Et inde sequitur: Et ille, qui est fructus, declinat ad rubedinem & nigredinem, &c. Quæ quidem Auicennæ descriptio, vsq; ad hunc locum, non cōuenit cum vllo Authorum, tam Græcorum, quàm Latinorū, quàm etiā Arabum. Et subsequitur: Et alseitaragi quidem oritur in parietibus antiquis, & vbi non ningit: (quod verius debet dici, vt correxit Andreas Bellunensis, vbi nō foditur, neq; aratur) & habet folia sicut sunt folia nasturtij, &c. Et infrà dicit: Et est sicut nasturtiū, cuius sapor, & odor, similantur cordumeni (vbi rectius putamus esse legendū cardaminæ, per quam herbā nasturtium aquaticū significatur) & folia eius sunt ipsi similia (vel secundū Bellunensem, virtus eius est ipsi similis) & est calidus, & siccus, in fine secundi. Hæc Auicēna. Qui autem bene cōsiderabit capitulū ipsius Auicennæ de seitaragi, licet confusè loquatur, inueniet quòd ipse nō loquitur tantùm de vna sola specie, sed plures differentes, imò plura genera sub hoc nomine tangit. Primum igitur seitaragi, siue primus (vt ipse scribit) quem ipse cognominat Indum, nō est herba, vt patet in litera, sed est quædam species casiæ ligneæ. Quodquidem testatur dictus Andreas Bellunensis in sua interpretatione Arabico-

rum nominum,ac etiam in quinto cañ.ipsius Auicennæ,in pluribus cõfectionibus & electuarijs,vbi legebatur casiæ,vel casiæ Indæ,ipse Andreas rescripsit sytragi, vel sytragi Indi:quia sic fatetur esse in Arabicis exemplaribus. Etiam patet, quia in pluribus cõfectionibus & electuarijs filij Serapionis,in quibus legitur seitaragi,seu seitaragi Indi, in eisdem Auicenna loco eius habet casiæ,seu casiæ Indæ:vt in electuario Alfangius,& alijs pluribus.In nonnullis etiã confectionibus ipsius Auicẽnæ legitur casiæ, quæ loca dictus Andreas non permutauit.Vnde in illis locis non intelligitur seitaragi Indus, sed est alia casiæ species. Et confirmatur etiá per Rhasim in tertio ad Almansorem,qui ait:Setaragi, seu setarach,id est,cassia. Etiã aduerte, quòd in quibusdã cõpositionibus Auicennæ & aliorum,legitur cassiæ Persicæ, & idem est quod seitaragi Persicum:quoniam reperitur & seitaragi Persicum,vt in quinto Breuiarij filij Serapionis capitulo tertio de Baras,& alijs in locis habetur.Sed nota quòd seitaragi,siue sytragi,siue setragi,siue sitarag,siue sitaregi,& similia,idem significãt: nec refert quomodocunque scribatur.Errore quidem librariorum,& imperitia peregrinarum linguarum,multoties vera vocabula vitiantur,vt patuit suprà in declaratione saudali machasezari.Etiam de hoc seitaragi Indico loquutus est Hali Abbas secundo practicæ capitulo 42. quod est de medicaminibus quæ sunt ligna,numero 370. vbi dixit: Sitaregum melius Indicum, &c.secundum seitaragi autem quod scribit ipse Auicenna,est species cuiusdã fructus.vnde dicit: Et ille qui est fructus,&c.Et de hoc secũdo præter ipsum ex tot Authorib.nõ inuenimus adhuc aliquem loquentem. Deinde sequitur de tertio,dicens: Et alseitaragi quidem oritur in parietibus antiquis,& vbi non foditur,neque aratur &c.Quasi dicat, & ex seitaragi quidem est, qui oritur in parietibus &c. Cuius descriptio conuenit descriptioni Dioscoridis de iberide,quæ est in primo libro,penultimo capitulo.Et descriptioni Plinij de iberida.libro 25. capitulo 8. Et descriptioni Pauli,de iberida, libro & capitulo supradictis. Et descriptioni Aetij Amideni de iberide, siue cardamina.cap. 194.tertij libri:& cap.2.libri,siue sermonis duodecimi.Etiam & descriptioni Vincentij Beluacẽsis, cap.88.libri decimi speculi naturalis,necnon & descriptionibus Simonis Ianuensis,& Pandectarij,de iberida,&c.Et eadem descriptio tertij seitaragi Auicennæ conuenit etiam descriptionibus Galeni,& Pauli de lepidio. & descriptioni Serapionis de seitaragi authoritate Gale-

ni,& descriptioni Pandectarij de lepidio, authoritate eiusdē Galeni. Dioscorides autē cap. de iberida, asserit eam vocari etiā cardamanticā. Ergo replicādo quæ suprà memorauimus, clare idē videntur esse seitaragi, hausab, lepidiū, gingidiū, iberida, agriocardamū, cardamantica, & cardamina. Quòd si nō essent idem, eadē descriptio nō conueniret omnibus. Vt exēpli gratia, si seitaragi cōuenit descriptionibus præfatorū Authorū de lepidio, & iberida: ergo illud idē quod est seitaragi est lepidiū & iberida. Et quod est lepidiū, idem est iberida, & seitaragi. Et sic de singulis. Vbi sciendū, quòd valde decipiuntur, qui simpliciter credunt idē esse iberidam, lepidium, gingidium, seitaragi, &c. Cùm sit quòd potest probari cōtrariū per Dioscoridē, Pliniū, & reliquos Authores, qui diuersa de ipsis capitula faciunt, scilicet de lepidio, de iberida, de gingidio, &c. Præterea descriptio Serapionis de seitaragi authoritate Dioscoridis conuenit (vt suprà dictum est) descriptioni ipsius Dioscoridis de lepidio: & in aliquibus cōuenit descriptioni Plinij de eodem, scilicet lepidio. lib. 19. cap. 8. Et descriptioni Pandectarij similiter de eodem, authoritate Stephani, sed nō conuenit cum dictis Auic. descriptionibus, excepto quòd quædam operationes descriptæ in Serapione, & eædem in Dioscoride, conueniunt cum quibusdam operationibus ipsius Auicennæ circa finem præfati cap. de seitaragi: licet ipsæ virtutes & proprietates in Auicenna descriptæ possint etiam inueniri in illis speciebus seitaragi, ab ipso positis. Vel etiam quia ipse Auicenna (vt patet in litera) aliqua audita narrat. Et quod audiuit de ista specie seitaragi, posita à Serapione, ipse contribuit suis speciebus. Vnde illud quod habet Serapio in fine (quod quidem est Dioscoridis) scilicet quòd radix seitaragi suspēsa collo, sedat dolorem dentium. In Auicē. autem (forsan à malo interprete) legitur: si seitaragi radix suspendatur super aurem, sedat dolorē vesicæ: absurdum nobis videtur hoc dictum. Sit autē quomodocunque, parum facit ad nostram descriptionem. Præterea, si aliquis dicat, quòd hæc descriptio Serapionis non sit distincta species ab illis Auicennæ, probatur quòd est: quia Serapio ponit ipsam in tractatu de calidis & siccis in quarto: Auicenna autem dicit, quòd in caliditate, & siccitate, nō transcendit secundū gradum: ergo nō est eadem species. Et sic cōcludendum est ex supradictis, quòd sunt quatuor species seitaragi ad minus: quia etiam vltra hæc, est alia species seitaragi, seu casiæ, quæ vocatur Persica. Quia ipse Auicenna in quinto cañ. videlicet tractatu primo, in *Seitaragi quatuor species.*

medicina quæ vocatur Donũ dei,habet casiam Indam,quod est seitaragi Indũ:& casiã Persicã,quod est seitaragi Persicũ.Quod quidẽ,in eodẽ loco,probatur per dictũ Andream Bellunensem. Non obstante quòd ipse Auicenna in suo capitulo de seitaragi, nihil loquatur de seitaragi Persico,forsan est illud,quod sub nomine fructus,secũdo loco describitur.Vel cõcludendũ est, quòd seitaragi est nomẽ cõmune,ad quatuor & plura & varia simplicia.Vnde quãdocunq; in aliqua cõpositione petitur seitaragi,est diligẽter perscrutãdũ de quo seitaragi Author intelligat.In ista autẽ triphera,Author noster speciatim posuit,Seitaragi Indi.Et dixit Indi,ad differẽtiã seitaragi Persici,& aliorũ.Et intelligitur seitaragi positũ ab Auicenna in principio suæ descriptionis de seitaragi.Et secundũ veritatẽ,est quædã species casiæ,propinqua casiæ ligneæ,quæ ab aliquibus (vt diximus) vocatur casia Inda, ab alijs autẽ seitaragi Indũ,siue(vt mauis) Indus,vt in multis descriptionibus antidotariorũ Auicennæ & filij Serapionis clarissimè patet.Est enim res aromatica,quæ huic cõpositioni magis quàm lepidiũ,seu iberida cõpetit: loco cuius in hac triphera & vbiq; potest poni casia lignea.Illis in locis autẽ,in quibus seitaragi est intelligendũ pro lepidio,si nõ habetur ipsum lepidiũ:rectè loco eius potest administrari rubea(vt ex calce cap.Auicennæ,& ex Galeni medicamẽtis inuicẽ alternãtibus habetur)ac etiã nasturtiũ,quia vt dictũ est suprà,lepidiũ æquipollet nasturtio tã viribus,quàm odore,quàm gustu.Etiã loco seitaragi lepidij potest poni iberida,quoniã easdẽ ferè virtutes habet.Nã teste Dioscoride,ambo coxẽdicis prosunt &c. Attamẽ quia(vt diximus)non sunt idẽ lepidiũ,& iberida,probatur per capitula diuersa,quę de ipsis describuntur à Dioscoride & cæteris Authoribus.Sed quia cõmunes habebãt operationes,cõmunia fecerunt ipsorũ nomina.Vnde iberida ab aliquibus vocatur lepidiũ, & ab alijs lepidiũ nominatur iberida &c.vt suprà in authoritatibus Dioscoridis & Pauli patuit.Et nõ est mirũ,cũ res sint diuersæ,si nomina sint cõmunia,& æquiuoca:quoniã in pluribus rebus,etiã & herbis, cõsimilia videmus esse facta,ut apud Dioscoridẽ est Sideritis,& Heraclea &c.Etiã plurimi ex Iunioribus errant,vt Pãdect.& cęteri qui declarant seitaragi lepidiũ,esse nasturtiũ agreste:quia licet Paulus & cæteri,iberidã,siue lepidiũ,dicãt à nõnullis vocari agrio cardamũ,hoc tamẽ per similitudinẽ,nõ per essentiã dicũt. Quoniã(vt patet)omnes loquũtur per similitudinẽ,cũ dicũt:Et est simile nasturtio,vel habet odorẽ & saporẽ nasturtij,&c. Etenim

Seitaragi.

Seitaragi supplentia.

Pãdectarij error de lepidio.

enim huiusmodi descriptiones ipsorũ potius confundũt quàm aliquid declarãt. Vnde Simon Ianuẽsis etiã in plurib. literis plura cõfundit. Luminare Maius quoq; hallucinatus in Dianasturtio, tanquã alter Aesculapius, aut Apollo, qui dubia solueret, iactauerait: Et hoc apud me fuit secretũ. Certe ipse bonus vir in multis valenter se præbuit, sed in aliquibus, & præcipuè his, pessimè descripsit. Vnde declarationes quidẽ ipsius de seitaragi, lepidio, iberide, nasturtio, casia, tapsia, senecione, & similibus ita cõfusæ sunt, quòd cuilibet legẽti, & bene perscrutãti sunt Chaos magnũ & impertrãsibile. Etenim ipse volens vnũ declarare, circa duodecim simplicia cõfudit. Nec per hoc clarũ factũ est illud. Certum quippe est, quòd non omnia possumus omnes, fecit nanq; ipse quod potuit: & si melius cognouisset quis dubitat quin rectius fecisset? De seitaragi ergo satis diximus, sed quia pluries tactum est, de lepidio, iberida &c. licet istam tripherã nõ ingrediantur, tamẽ visum est nobis hîc percõmodè esse ipsorũ declarationem breuiter annectere. Et primũ de iberida. Iberis igitur, siue iberida ab Ibero Hispaniæ fluuio (vt volunt aliqui) nomẽ accepit, iuxta quem maxima ipsius copia inuenitur. Sed prout potuimus in Dioscoride, Plinio, ac alijs coniectare, vera iberida est illa herba, quæ vulgò vocatur vincitoxicũ. Herba quidẽ ipsa, præ manibus habetur. Etenim intus, & extra vrbẽ, ac etiã præsertim in platea Capitolij, & in ruinis murorũ plurimũ nascitur. Accipite ergo ipsam plantã, & cõsiderate doctorũ scripta, & apertè cognoscetis ipsam esse. Galenus autem & Paulus sub nomine lepidij ipsam describũt ratione qua suprà, scilicet quòd æquiuocãt ista nomina. Ipse Paul. etiã memorato lib. iij. cap. de coxẽdicis, quando loquitur de iberide, tacitè tangit eam: illud tamen rememorando, quòd à nonnullis lepidium, & agriocardamum appellatur. Hinc subsequens declarat apud ipsos aliã speciẽ iberidis esse, dicens: Quæ verò apud nos nascitur fruticosa est, folia lauri comparia habens. Quæ planta à Plinio, præcitato libri 19. cap. 8. de lepidio loquente, videtur tangi cùm dicit: folijs laurinis, &c. Auicenna quidem & Serapio sub nomine seitaragi, ipsam Dioscoridis iberidam depingunt. Sed Auicenna sub illis verbis, videlicet: Et Alseitaragi quidem oritur in parietibus antiquis, &c. Serapio autem in principio capituli, authoritate Galeni, verba iam suprà allegata refert. Et hæc satis de iberida. Nunc igitur ad lepidium redeamus. Iam diximus, quòd sunt multorum opiniones, qui volunt lepidium & iberida vnum

Luminare Maius in multis errauit.

Iberis.

Vincitoxicum.

Lepidium.

& idem esse: & inter alias ipsorum probationes, asserunt textum Dioscoridis in multis esse deprauatum, & quòd primo libro sunt addita duo capitula: scilicet vltimum, quod est de halicacabo: & penultimum, quod est de iberide. Quia non bene videtur stare descriptio istarum duarum herbarum inter arborum descriptiones. Et quòd ad maiorem certitudinem (vt testatur Marcellus Virgilius Florentinus) in aliquibus Græcis exemplaribus correctis non reperiuntur. Nos ipsis certè dedissemus fidem, si apud alios Authores non inuenissemus quod cõtrariari posset. Si igitur textus Dioscoridis est deprauatus, quid dicendũ de Plinio, qui iberidã 25. libro, lepidium autẽ 19. scribit? Et quid de Vincentio & cęteris, qui diuersa de ipsis capitula faciunt? Et nec Dioscorides, nec Plinius, neq; cæterorum aliquis dicit idem de lepidio, quod de iberida, sed vt res diuersæ sunt, ita in diuersis cap. diuersa loquũtur. Dioscorides enim dum loquitur de iberide, testãtur ab aliquibus vocari cardamãticam, & non lepidium. & in cap. de lepidio, ait: Lepidiũ aliqui gingidium vocãt. Et nec in cap. de iberida, facit mẽtionẽ aliquam de lepidio: nec in cap. de lepidio aliquid de iberida: loquitur. In cap. autem de gingidio, scribit ab aliquibus vocitari lepidiũ. Et quamuis lepidium dicatur gingidium, & gingidium vocetur lepidium: non tamen probatur idem esse lepidium, & gingidium: sed bene diuersum. Igitur sicut lepidium & gingidium apud Dioscoridem vocatur alterum pro altero, ita apud Paulum & alios, iberis & lepidium erunt. Salua tamen semper veritate, ac prudentiori iudicio, nos certè tenemus, quòd iberida sit aliud diuersum à lepidio. Et in hoc magis adhæremus Dioscoridi & Plinio, quàm Paulo & cæteris contrarium asserentibus. Quid sit igitur intelligẽdum pro lepidio, iuxta nostrum & quamplurimorum expertorum ad hoc consultorum iudicium, Deo fauente, succinctè vt erit possibile, declarabimus. Dioscorides enim secundũ Ruellij traductionem 193. cap. secũdi libri, breuiter loquens de lepidio, dicit: Lepidium aliqui gingidium vocant, herbula vulgò nota, muria cum lacte seruatur &c. Ex quibus habetur, quòd ipsius tẽporibus erat ita omnibus notissima plantula, quòd subticuit formam eius. Sed hodiernis temporibus, apud nostrates, etiam exercitatissimos latet. Vltra mare autem, scilicet apud Aegyptios, & Syros, vt testatur Marcellus Virgilius: & in Pãnonia, vt scribit Hermolaus Barbarus, adhuc est in frequenti vsu. Neuter tamen ipsorum apertè depinxit formam ipsius plãtulæ. Plinius autem asserit lepidium

seri,

feri,& quòd in cubitalem altitudinem extollitur,folia lauri habens,fcilicet figura: tactu autem non dura, vt lauri folia arboris,fed mollia,multarum aliarum herbarum fimilitudine.In fine autem,vt Diofcorides & ipfe ait:Vfus eius nõ fine lacte. Ex quibus Plinij verbis colligitur forma foliorum lepidij,& altitudo plantæ,& quòd reperitur fatiua.Columella cap.8.vltimi libri de re ruftica,oftendit duas effe lepidij fpecies,fcilicet fylueftrem,& fatiuam:& vtriufque fpeciei folia,muria,& lacte condiri. Quod etiam pofuit dictus Marcellus,in fua adnotatione. Hermolaus etiam in fuis corrollarijs fcripfit,à Columella duplici fpecie lepidium fcribi,fcilicet fylueftre,& fatiuum.Hinc addit,quòd quidam accipiũt fylueftre,pro iberide: & fatiuum,pro lepidio.Hoc etenim Hermolai iudicium,multùm nobis videtur veritati proximum:cui fcripta Pauli,& aliorum,omni contradictione fepofita bene conuenire valeant. Quia ipfe Paulus lib.7.cùm loquitur de lepidio,de fylueftri quidẽ intelligit,id eft de iberide:quod clarè patet memorato libro 3.cap.de coxendicis.vbi de vtroque lepidio loquitur,fub nomine iberidis:quonia, vt diximus,vtrunque nomine vtrunque appellat.Et primùm de fylueftri loquens, dicit,quòd ifchiadicis prodeft vfus herbæ iberidis,quam & lepidium,nonnulli verò agriocardamum appellant.Vnde quia fylueftre lepidium eft,rectè putamus à nonnullis agriocardamum, id eft fylueftre,& non fatiuum cardamum appellari. Hinc fequitur de altera lepidij fpecie,id eft fatiua, quam iberidá nominat, dicens:Quæ verò apud nos nafcitur &c.Nam femper ifta circũloquutio,apud nos,potius refertur ad res domefticas, quàm ad fylueftres: & ideò dictũ Pauli fic interpretari poteft: Quæ verò apud nos nafcitur,id eft,illa verò quam ferimus. Et fequitur:fruticofa eft,folia lauri comparia,&c. Et fic non difcordat à Plinij defcriptione,qui dicit lepidium feri,& habere lauri folia,&c. Et concordat cum defcriptione de feitaragi,authoritate Diofcoridis,&c. His vifis,reftat adhuc concludendum,& declarandum, quid apud nos propriè fit hoc lepidium, & quo nomine apud vulgares habeatur. Enimuero iudicio plurimorum fidedignorum,ac noftro,vt omnes fimul perfcrutati fumus,aut eft illa herba,quæ vulgò vocatur piperella,quia(vt Hermolaus fcribit)herbarij hodierni eam non lepidium,fed raphanum appellant.Hæc herba quidem piperella,habet odorem acutifsimum,necnon & faporem medium inter nafturtium & raphanum.Igitur non eft multùm à veritate alienũ,tenere hanc piperellam,effe lepidium.

Lepidiũ ex authoris fententia.

Aut esse illa, quæ vulgari vocabulo apud nos dicitur Crapinella, vel caprinella. Quia dicit Simon Ianuensis in litera Sceitaragi, quòd quidam sceitaragi vocauerunt nucem viduarum, seu nucem captiuam. Et nos quidem paucis antè annis, proprijs auribus, à quodā aurifice de regno Neapolitano oriūdo (dum ostendebamus ei dictam crapinellam, interrogādo de nomine & proprietate ipsius, quia sciebamus ipsum curiosum in cognoscēdis herbis, & quòd habebat multarum herbarum cognitionem) audiuimus in patria sua, nucem captiuam nūcupari. Etiam à quodam sacerdote Siculo, nomine Iordanus de Caruba Messanēsis, habuimus, quòd in Sicilia, pluribus in locis, tali nomine, scilicet nux captiua, appellatur dicta crapinella. A quampluribus quoq; alijs dictum est nobis, quòd in multis locis Italiæ, tali vocatur nomine, scilicet nux captiua. Scimus etiā & in partibus Apuliæ, viduas mulieres, nūcupari captiuas: vnde nux captiua, quasi idem significat, quod nux viduarū. Et licet ipsa crapinella habeat paruum odorem, in cōparatione nasturtij: tamen in sapore est acutissima, & cum mordicatione multa vlcerat, quamobrem potest & ista etiā intelligi pro lepidio. Et tā ista quàm supradicta piperella in folijs, & ferè omnibus alijs particularitatibus, cōueniūt descriptionibus Dioscoridis, Plinij & aliorum, de dicto lepidio. Enimuero in hoc ipsi Authores valde confusè loquuntur, & videtur in ipsorum descriptionibus modo vna, modo altera tangi. Pro certo autem tenemus, quòd altera ipsarum est lepidium. Vtraque enim est vlceratiua: quoniam vtriusq; acrimonia maximè viget: folia lauri similia, & maiora sunt: & præsertim piperellæ folia. Quæ piperella quidem, à nonnullis seritur, quoniā vtuntur ea in embammatibus. Caprinella autem sponte nascitur, & intus, & extra vrbem, incultu gaudet solo &c. Neutram tamen cum lacte vnquam comedimus. Imò nullus est qui audeat comedere crapinellam. Quæ autem ipsarum sit intelligenda, pro lepidio: arbitrio prudentiorum dimittimus. Nobis autem potius placet, si pro dicto lepidio intelligatur crapinella, quàm piperella: quamuis hodie non feratur crapinella, nec comedatur: attamen qui vult, potest illam serere, atque comedere, sed cum lacte duntaxat: quoniam non sine lacte vescebantur ea antiqui. Multa nempe antiqui comedebant, quæ hodierni respuunt, ac vilipendunt. Insuper si quis obijciat, dicens, quòd crapinella non potest esse lepidium, quia Dioscorides diminutiue herbulam, siue plantulam scripsit, scilicet paruā herbam esse lepidium, crapine

pine

crapinella autem non est parua planta: ergo non est lepidium. Ad hoc respondemus, quòd si Dioscorides dicit herbulam, Plinius autem asserit in cubitalem altitudinẽ extolli. Testatur etiã & Paulus, fruticosam plantam esse. Crapinella quidem rarissimè transcendit mensuram vnius cubiti extẽsi: ergo bene potest esse lepidium. Præterea videmus per experientiam infinitas plantas, tam arborum quàm herbarum, in vno loco magis quàm in alio fruticare, & abundare in stipitibus, folijs, &c. Quapropter quid mirum, si apud Dioscoridẽ erat parua planta illa, quæ apud Plinium eleuabatur in cubiti altitudinem? Cùm ex varietate locorum, & cœlo, sæpe hoc accidat. Postremò sciẽdum, quòd piperella apud Serapionem, capitulo de ligno aloẽs, non est herba, sed fructus cuiusdam generis ligni aloes, de quo nihil est dicendum in hoc loco. Multa, & alia (quæ si scripsissẽmus, fuissent lectu digna) causa breuitatis, tanquam minus necessaria dimisimus. Hęc quidem satis.

De Rheubarbaro, seu Ruta.

EST animaduertendũ, quòd descriptiones huius tripheræ per libros varios, variæ habentur: & tam libri antiqui, quàm impressi, non conueniunt inter sese, super vno simplici: videlicet, quòd quidã libri impressi post lignum aloẽs, habent rheubarbarum, & quidã rutã, & consimiliter antiqua exẽplaria: sed maior pars impressorum habent rheubarbari impressum, econtrà autẽ maior pars exẽplariũ habent rutæ descriptum. Veruntamẽ (saluo semper meliori iudicio) in tam optimã cõpositionem iudicamus potius esse admittendũ rheubarbarũ, quàm rutam, quia, vt probatur per capitulum Dioscoridis, ruta habet multas operatiões cõtrarias huic cõfectioni. Vt exẽpli gratia, extinguit geniturã, &c. Et hic error ex abbreuiationib. scriptorũ processit, &c.

De Origano Persico.

ORiganum Persicum, quod habet Autor in præsenti descriptione, & in triphera minori ex arte Fenonis, & alibi, nil aliud est, quàm origanũ de illa regione Persia. Sæpe enim apud Serapionis filiũ, & apud Auic. in suis antidotarijs, habetur origanum Persicũ. Etiam apud dictũ Auic. in quinto cañ. tractatu primo, videlicet in Scelite, legitur & origanum Persicum, & origanũ Alincũ. Sed hæc origani genera, neq; à Diosc. neq; à quoquam aliorũ notãtur, in suis de Simplicibus. Quapropter cuius virtutis & proprietatis sit origanum Persicum, scire non valemus. Apud omnes ferè Authores, origanũ Heracleoticũ lauda-

bilius habetur. Si autem origanũ Persicũ est idem cum heracleotico, vel si est alia species inferior seu laudabilior eo, nescimus. Siquidem certum est, quòd si hæc species origani Persici fuisset nobilior alijs sui generis speciebus, Diosc. Plinius, & cæteri, silentio non præterijssent. Et si hoc origanum Persicũ est vna de inferioribus speciebus, miramur quare Author in tam nobiliori cõpositione voluerit tale origanum persicum potius, quàm heracleoticum ab omnibus approbatũ. Præterea de origano quidem dicit Antonius Musa in suo examine, quòd hoc origanũ quo cõmuniter vtimur, est illud quod Dioscorides cognominat heracleoticũ: verũtamẽ hoc nobis nõ clarè cõstat. Nam Dioscorides ait, quòd origanũ Heracleoticum habet folium non dissimile hysopo. Folium autẽ origani vsualis multùm differt ab hysopi folio. Vnde vel hoc non est origanum, vel illud non est hysopum. Dioscorides enim folium hysopi non describit. Præfatus autem Antonius dum pertractat de hysopo, probat hoc quo vtimur, non esse hysopum: & sic secundum ipsum habemus origanum, & caremus hysopo. Sed si descriptionem simplicium nostri Authoris obseruabimus, certè hysopum erit apud nos, & nõ origanum: quia (vt diximus) Dioscorides vult origanum habere folia similia folijs hysopi. Secundũ Authorem nostrum autem, nos habemus hysopum. Sed si est idẽ cum Dioscoridis hysopo, certum non habemus: quoniam hoc hysopum Authoris nostri, non habet flores & semina in corymbis, vt vult Dioscorides, qui capitulo de chrysocome ait: Comãtibus corymbis figura hysopi &c. Si hysopum Dioscoridis non cognoscitur, minimè potest cognosci origanum. Secundum Authorem nostrum autem, hysopum est simile thymo. Et quidem patet quod hoc hysopum quo vtimur, habet folia similia thymo, licet maiora. Sed secundum Serapionem, hysopum est simile maioranæ: multũ enim differt maiorana à thymo. Præterea dicit ipse Serapio, capitulo de origano, authoritate Dioscoridis: est origanum trium specierum. vna dicitur heracleotica, habens folia similia folijs hysopi, & capita non rotunda, sed velut diuisa &c. Si ergo secundum ipsum Serapionẽ, hysopũ assimilatur maioranæ, potest esse quòd hoc origanũ (vt vult dictus Ant. Musa) sit illud heracleoticum Dioscoridis. Cõstat enim maioranã habere folia obrotunda: quibus percõmodè possunt assimilari folia huius origani vsualis Et sic secundũ Serapionẽ habemus origanum, & non hysopum: & secundum Authorẽ nostrum habemus hysopum, & non origanũ.

Sed

Sed reuera, si hæc in Dioscoride repetamus, vtrunq; ignoramus. Dum ergo non habemus meliorem notitiam de ipsis, & hoc pro origano siue Persico, siue Heracleotico, & illud pro hysopo, vbicunq; opus erit ponendũ in compositionibus, non prohibemus. Etiã loco origani potest administrari hasce, id est thymus, teste Auicenna, qui in cap. de origano dicit, quòd origanum est in potentia sicut hasce, & syrupus eius est sicut syrupus alhasce.

De Musco.

QVasi semper in hoc simplici codices sunt varij, vnde q plus & qui minus habẽt de ipso simplici, scilicet in vno & eodẽ loco. Vera etenim litera de Musco, in præsenti triphera talis est: Et sunt qui aromatizãt, cũ Musci drachmæ vnius quarta. Quoniã multa exemplaria sunt, quæ in hoc concordant.

Triphera muscata, quam fecit Alcãzi, &c. XLI.



PRAESENS triphera cognominatur muscata, à musco ipsam ingrediẽte, tanquam à re nobiliori. Errores huius descriptionis cum simplicibus declarabuntur.

De Casia, quæ est Inda.

MVltùm profectò vitio recẽtiorum scriptorum, & impressorũ mendosi facti sunt libri, & præcipuè medicinales: vt sunt antidotaria, & volumina de simplicibus, seu compositis medicinis pertractantia: partim ex ignorantia vocabulorũ, partim verò ex parua simpliciũ cognitione, vnusquisq; inconsultè vt sibi visum est, nõ simpliciter ab exẽplaribus transscribendo, sed permutando, vitiando, peruersè declarãdo, addendo, minuendòve scripsit, siue impressit. Vnde legitur equidẽ in presenti descriptione per omnes impressos & incorrectos libros, casiæ: & post casiæ immediatè, spicæ Indæ &c. Et vtraque dictio, scilicet casia & spica, à puritate, & rectitudinis sensu est amota. Et licet ad spicã nihil aut parũ faciat si scribatur cũ cognomine illo, aut sine: quia semper spica simpliciter scripta, intelligitur spica Indica nardi, id est spica aromatica. Attamẽ aliter est dicẽdũ de casia, quia casia, siue (vt mauis) cassia absolute descripta, nõ intelligitur Inda, sed lignea. Et quamuis casia lignea nascatur in India, nõ tamẽ si scribitur casia Inda intelligitur lignea. Aliud est enim casia Inda, & aliud casia lignea: quia per casiã ligneã absolutè, intelligitur casia masolites, propinqua cinnamomo, virtute & bonitate, &c. Casia Inda autem est species casiæ ligneę, sed inferior supradicta, quæ

Spica absolutè.

Casia lignea.

Casia Inda.

quæ alio nomine vocatur ſeitaragi Indum: de quo multa ſuprà in triphera Saracenica. Sed dicet forſan aliquis: Si caſia lignea eſt maſolites, & eſt nobilior, quare non potius adminiſtratur ipſa ſemper, vbicunque petitur caſia, vel Inda, vel lignea? Ad hæc reſpondemus, quia fortaſſe Author cognouit in caſia Inda aliquã virtutem, ſeu proprietatem, pro qua magis competit huic confectioni caſia Inda, quàm caſia lignea. Et ſi ei ſic placuit, nõ eſt noſtrum permutare, neque addere, vel minuere, niſi neceſsitate compulſi, in defectu proprij ſimplicis ſupplere velimus per æquiualens. Et nunquam ſi habetur propriũ ſimplex eſt permutandũ in aliud, ſiue melius, ſiue peius: quia hoc facere eſt potius boni medici, quàm aromatarij. Vnde Auicenna in quinto cañ. tractatu de Theriacis, circa principium, ex Galeno accipiens, dicit: Et meum quidẽ conſiliũ eſt, vt nõ remoueant aliquid, quod experimẽtum iuuatiuũ inuenit: fortaſſe enim illa complexio cum illo pondere &c. Author igitur noſter (vt per antiqua exẽplaria clarè conſtat) in præſenti deſcriptione non vult caſiam ligneam, ſed caſiã Indam, quæ (vt dictum eſt) eſt ſeitaragi Indum. Sic enim legitur in omnibus præfatis antiquis, & correctis exẽplaribus: Caſiæ Indæ, ſpicæ, &c. Recentiores autem librarij (vt coniectamus) auferentes à caſia illa dictionem Indæ, contribuerũt ſpicæ, & dictionibus inuerſis impreſſerũt ſic: Caſiæ, ſpicæ Indæ, &c. Et vbi prius intelligebatur ſeitaragi Indum, modo intelligitur caſia lignea. Igitur ſcribatur rectè ſic: Caſiæ Indæ, ſpicæ, &c. Poteſt inſuper quis obijcere dicens: Quòd ſi idem eſt ſeitaragi Indum, & caſia Inda, quare Author non ſcripſit in præſenti triphera, ſeitaragi Indi, ſicut fecit in ſupradicta triphera ſaracenica: ſed ſcripſit caſiæ Indæ? Reſpondendum, quòd Author noſter non ſcripſit Latinè: ſed interpres conſiderans quòd in dicta triphera ſaracenica, immediatè ante ſeitaragi Indum, eſt poſita caſia, quæ eſt caſia lignea, noluit iterum ſcribere caſiam, ne eſſet aliqua dubitatio in legendo: ſed poſuit per vocabulum Arabicum ſeitaragi, & addidit Indi, ad differentiam aliarum ſpecierum ſeitaragi. In præſenti autem triphera, quia non erat iterum caſia, placuit ei (ſicut & in multis alijs confectionibus fecit) ſcribere caſiam Indam. Et non ſolùm in hoc, verumetiam & in multis alijs ſimplicibus, interpres transferendo vnum & idem ſimplex, modo Latinis, modo Græcis, modo Arabicis, ſiue Chaldaicis vſus eſt verbis. Vt patet per varias huius operis deſcriptiones.

De

De Baucia, & Dauco.

NOn desunt, & præcipuè recentiorum, qui Bauciam, & Daucum vnum & idem esse affirmant. Etenim Serapio de eis separatim capitula facit, & Bauciam inter plantas calidas in secundo, Daucum verò inter calidas & siccas in tertio, scribit: ergo non sunt idem. Dioscorides quidem sub nomine Bauciæ cap. non habet, sed sub nomine staphyllini, siue Pastinacæ erraticæ, quod idem est, Vt patet concordando cap. Serapionis de baucia, cum capitulo præfato Dioscoridis de staphyllino. Et infrà ipse Dioscorides habet cap. de Dauco, quod concordat cum capitulo de dauco Serapionis. Marcellus Florentinus autem super capitulo Dioscoridis de pastinaca erratica multa dixit: vltimatè conclusit idem esse daucum & pastinacam erraticam: & quòd Dioscorides non à diuersitate rerum, sed à varietate locorum & virium, varia de eis scripsit capitula. Nos autem salua semper veritate, sicut de eis Dioscorides, Plinius, Serapio, & alij fide digni authores diuersa faciunt capitula: ita credimus, & absque dubio tenemus res esse differentes. Præterea, nonnulli dicũt quòd daucus est semen bauciæ, quod ita non esse, facile probatur per Auicennam, in quinto cañ. videlicet, in descriptione quæ intitulatur Ars scoriæ decoctæ: & est prima descriptio, in qua habet semen bauciæ, & semen dauci, inmediatè vnum post alterum. Si autem daucus est semen bauciæ, ad quid iterũ posuit semen dauci? Nunquid reperitur semen de semine? Vt possit stare daucus pro semine bauciæ: & semen dauci, prò semine seminis bauciæ? Non obstante, quòd ipse Auicenna in descriptionibus suis de dauco, & baucia, seipsum confundat. Sed nota, quòd Auicēna scribit cap. bauciæ, in litera g, sub nomine gezar, quod quidem Luminare Maius minimè animaduertit: quia in Diacurcuma magna, declarans daucum, asserit capitulum bauciæ Auicennæ non reperiri. Insuper autem multa fuissent tanquam necessaria interferenda, pro tot diuersitatibus opinionum Doctorum de dauco, & baucia declarandis: sed vt ne lectionis prolixitate legẽtis animus fastidietur, curiosis lectoribus omnia perscrutãda relinquimus. Hoc tamen non prætereundũ existimamus. Quia cùm sint plures dauci & bauciæ species, & inter se daucus & baucia, siue pastinaca, parum differant: nõ pro multo inconuenienti tenemus, administrari alterum pro altero. Sed quia daucus Creticus est cæteris laudabilior, si potest haberi, apponatur tam pro dauco, quàm pro baucia. Apud nos quidem tres tãtùm species bau- *Daucus Creticus.*

cia,

ciæ,seu pastinacæ,id est staphyllini reperiuntur: duæ syluestres, & vna domestica carota,seu cariota vulgò nuncupata:quæ quidem (vt suprà diximus) est genus carui. Syluestrium autem vna eleuatur in cubitalem altitudiné,& aliquando plus vel minus,secundum loca, quæ in medio vmbellæ floridæ & albæ habet aliquid parũ cœrulei,seu violacei coloris.Quam equidé specié,pro baucia,siue erratica pastinaca,siue carui agreste,recipimus:quia Dioscor. descriptio,& aliorũ de pastinaca erratica, & descriptio Serapionis,& cæterorũ de baucia, magis cõueniunt huic, quàm alteri. Specie autem altera (cuius planta vltra palmum raro assurgit,& locis asperrimis,& montanis ad meridiem expositis, vt plurimum gignitur) loco veri dauci vtimur: quia Dioscorides cap.de dauco,tria genera scribit,quorum primum ad vngué conuenit huic plantæ,vt veritas in re ipsa apertissimè videri potest. Et radix huius plantæ est optima, vt in fine cap.ipse Dioscorides notat,quod genus,Creticum nominat: quia in Creta melius,& semen eius odoratius,& laudabilius videtur omnibus. Sed communiter aromatarij semine maioris plantæ,scilicet bauciæ, pro dauco vtuntur. Secundum autem dauci genus à Dioscoride descriptum,adhuc incompertum habemus. Tertium autem genus, suspicamur esse speciem carui,quam Serapio in cap.de carui,authoritate Aben mesuai, describit: quæ species in Hispanijs est in frequẽtivsu,& ab ipsis carouela,siue carauera vulgò,& alcarauea dicitur.De qua satis in superioribus dictum est.

Pastinaca syluestris.

De Cinnamomo, quod est Cinnamum

IN præsentem tripheram non intrat Cinnamomum, sed Cinnamum.Mendosè enim legitur per omnes impressiones,cinnamomi. Lege igitur rectius cinnami,vt est in cunctis antiquis exemplaribus correctis.

De Scoria.

IN fine descriptionis huius tripheræ,ferè per omnes impressiones legitur mendosè:Et quandoque ponũtur in ea scoriæ ferri nutritæ ℨ.ij.Verius legendum est ℥.ij.Errore enim librariorũ posita est ibi ℨ.pro ℥. Nam cuncta exemplaria antiqua & libri correcti cõcorditer habent ℥.ij.& ita debet esse. Et si aliquis obijciat,quòd tanta quantitas scoriæ sit superflua, respondebimus ei,quòd si in sequenti triphera,quæ ponitur authoritate Galeni, & in descriptionibus quinti canonis Auicénę,& septimi Breuiarij filij Serapionis,quæ vocantur de scoria,potest poni de ipsa scoria ad pondus omnium aliarum medicinarum: quare hîc non possunt

possunt admitti ℥.ij.quarum pondus non ascendit ad quartam partem ponderis aliarum medicinarum? Igitur ponendæ sunt ℥.ij. Et sic est melius,& de mente Authoris. Item si quis adhuc obijciat,dicens: Quoniam illa additio est ad libitum, ideò potest quilibet ponere multùm,aut parũ, sicut sibi melius videtur. Respondemus,quòd nullus debet facere contra Authoris determinationẽ. Quia si Author determinauerit alicuius simplicis summam ponderis in addendo,debemus addere illam summam tantùm determinatam,nec plus,nec minus. Vbi autem Author non determinat,est cum omni discretione faciendũ. Quia si indiscretè paretur aliqua compositio,potius potest officere,quàm proficere. Modum autem nutriendi & præparandi scoriam,quære in libro Seruitoris. Sed nota quòd scoria, secundum Dioscoridem, Plinium,& alios probos Authores,est multiplex, scilicet scoria æris,scoria ferri,scoria plumbi,scoria argenti,&c. Vnde Author posuit speciatim ferri,ad differentiam aliarum. Scoria autem, secundum dictum Plinium,& antiquiores alios,nil aliud est quàm fex,seu spurcitia,seu recrementum cuiuscunq; metalli. Hoc etiam testantur aliqui ex iunioribus,vt Simon Ianuensis,Brasaulus,&c. Pandectarius autem maximè confunditur in suis descriptionibus de scoria,squãma,ærugine,& similibus:& vult,quòd squamma & scoria sit idem: quod est falsum. Nam & ipse etiam fatetur,quòd scoria est illud,quod fabri ferrarij de suis fornacibus globatim proijciunt,& quod vulgò dicitur Cacca ferri. Ergo si est cacca ferri,non est squamma: quia squammæ ex malleorum percussionibus ab ipso ferro separantur. Et ideò squammæ dicuntur,quia assimilantur squammis piscium,quas Græci lepidas vocant. Squamma etiam à nonnullis battitura nuncupatur. Vnde synonymantur hæc,scilicet squamma ferri,& battitura ferri: & squamma æris,& battitura æris,& similia.

Scoria.

Cacca ferri.

Squãma ferri.

Battitura ferri.

Triphera Galeni,&c. XLII.



AFFIRMANT nonnulli & hanc tripherã non esse Galeni,quãuis ab Authore nostro scribatur authoritate ipsius Galeni: tum quia in operibus Galeni nõ reperiuntur tripheræ, tum etiam quia in ipsa sunt aliqua simplicia, quę tã Galeno quàm cæteris antiquis Græcis (vt aiunt) fuerunt incognita. Sed miramur de hoc,quòd cùm triphera sit vocabulum Græcũ, quod Latinè interpretatur delicata,apud Galenum non reperiantur tripheræ:

pheræ:idq; eo magis quum ferè omnes Authores sub ipso Græco vocabulo suas describant tripheras. Sed rectius per ph, quàm per f. Præterea si hęc triphera nõ esset Galeni, nescimus quam ob causam Author voluerit tribuere ipsi Galeno quod suum non erat. Etenim & in fine ipsius descriptionis etiam Author citat Galenum, dicens: Et Galenus quidem quandoque addit scoriam ferri, &c. Super quo nos tenemus, quòd proculdubio credẽdum est, non omnia Græca, neq; Arabica, vsque in præsens, Latinitati esse donata. Quapropter (vt aliàs diximus) si aliquoties apud quosdam Authores reperitur aliquid authoritate Galeni notatum, quod in operibus ipsius Galeni minimè legitur, est considerandum quòd sint alia ipsius Galeni opera (quibus nos caremus) vbi ab Authoribus attestata legebantur. Et non est absolutè dicendum, hoc Galenus non dixit: vel hoc falsò attribuitur Galeno, & huiusmodi similia. Et quod de Galeno dictum est, de pluribus alijs Doctoribus etiam dici potest. De myrobalanis, & cæteris simplicibus autem, priscis Græcis (vt aiunt) incognitis, dicendum quòd (sicut suprà notauimus) vel ipsa simplicia apud ipsos Græcos alijs vocabantur nominibus, vel fortasse ea addita sunt ab Arabibus huiusmodi, & similibus compositionibus, propter aliquam causam nobis ignotam. Quia & alia consimilia facta videmus, videlicet quòd ad aliquas antiquorũ compositiones, successores eorum addiderunt plura simplicia, vt de theriacis legitur, &c. Sunt & per impresiones in præsenti descriptione aliqui errores, videlibet vbi legitur: Cinnamomi, caryofyllorũ ana ʒ.vij. legendum est rectius: Cinnami, cariofyllorũ ana ʒ.vj. Item vbi legitur: Been albi, & rubei: lege Tuderi albi, & rubei. Et quare sic, mox dicemus. Item vbi legitur: Musci ʒ.vnius partes ij. lege verius: musci ʒ.vnius partes iij. quoniam sic habetur in cunctis exemplaribus correctis.

De Myrobalanis.

QVia dicit Author in præsenti descriptione: Recipe omniũ Myrobalanorum. propterea ad sciendum quot sunt species ipsorum, & quæ sunt, quęre infrà, scilicet in confectione Hamech secunda. Ibi enim satis de eis dicetur.

De Tuderi (& non Been) albi, & rubei.

CVncta etenim antiqua exẽplaria (exceptis quibusdam paucis) habent scriptum in præsenti triphera: Tuderi albi, & rubei, &c. In impresionibus autem non Tuderi, sed Been albi, & rubei, legitur: quod iudicauimus non rectè. Illorum verò paucorum

rum(quæ mendoſa excepimus)quædam,quæ nouiſsimè iudicantur ſcripta,habent vt impreſsiones abſolutè,been albi, & rubei. Quædam verò habent ſic:Tuderi albi & rubei,id eſt been albi & rubei.Et ex hac peruerſa lectione(vt putamus) emanauit quòd aliqui falſiſsimè declararunt tuderi eſſe been,& librarij poſtea ignorātes quid ſit tuderi,quidve been, putātesq; pro ſua gloſſatione falſa,idē eſſe, expungendo tuderi,ſcripſerūt atq; impreſſerunt been,tanquam magis clarum. Sed reuera aliud eſt tuderi,& aliud eſt been: vt clare per Auic.probari poteſt,qui in ſecūdo canone,ſeparatim de vtroq; capitulum facit.Et in fine cap.de been dicit,quod loco eius ponitur quātum eſt ipſum de tuderi, & medietas ponderis eius linguæ auis. Item ipſe Auic.in quinto cañ. in Zehemirem magno primæ & ſecundæ deſcriptionis,& in Zehemirem paruo,& in confectione cognominata Imperialis,& in cōfectione quæ inſcribitur Ars ſcoriæ decoctæ,& in triphera maiori,& in ſimilibus,in quibus omnibus & ſingulis habet vtrunq;, ſcilicet been album & rubeum,& tuderi albū & rubeum : ex quibus patet quòd been & Tuderi non ſunt idem. Igitur legendum eſt:Tuderi albi & rubei.vt correcta exemplaria, necnon & vulgares excuſiones habent,& eſt ſecundum veritatem.Been autem quid ſit,ſuprà in confectione de muſco dulci iam dictum eſt.Tuderi verò quid ſit,haud facilè,ob ſcriptorum variationes,poſſumus declarare : veruntamen quod de eo ſentimus ſuccinctè ſcribemus. Facit nanq; de tuderi Auicen.capitulum in ſecundo cañ. quod vt legentem non latet,quaſi ad literam,eſt capitulum Dioſcoridis de hormino.Latinè autem(vt in Dioſcoride legitur)geminalis dicitur.Hac enim noſtra tēpeſtate,licet ſint plurimi dantes operam ſimplicium cognitioni,tamen adhuc nō inuenimus aliquem qui talem plantam nobis valeat oſtendere. Hali abbas enim in ſecūdo practicæ,ſcribit tuderi inter ſemina,cap.35.quod eſt de virtutibus ſeminum:vbi laudans croceum, nihil de rubeo & albo meminit. Nec ab Auicenna in dicto capitulo dicitur reperiri album & rubeum, licet in ſuis deſcriptionibus quinti canonis,legatur (vt dictum eſt) tuderi albi,& rubei. Neq; à Dioſcoride ſcribitur hormīnū inueniri album & rubrum. Et quamuis planta ipſius reperiatur ſatiua & ſylueſtris,non tamen in colore,nec in forma aſſerunt alteram ab altera diſcrepari. Semen tantummodo ſcribitur à Dioſcoride duorum generum eſſe,ſcilicet alterum fuſcum,alterum verò nigrum. Ab Auicenna autem abſolutę notatur ſemen eſſe nigrum. Finaliter à nullo tam anti-

Tuderi est horminum. quorum, quàm iuniorum scribitur tuderi, siue horminum, quod idem est, inueniri album & rubeũ. Quamuis recentiores omnes confusè loquãtur: quoniã (vt legenti patet) nesciunt quid est tuderi. Igitur si tuderi nõ distinguitur in albũ & rubeũ, miramur quare Author noster, & Auicena & ceteri in suis confectionũ descriptionibus posuerunt tuderi albi & rubei, & non potius nigri & fusci, vel longi & rotundi, vel aliter secundum ipsorũ differentias. Vnde coniectamus, quòd potest esse (sicut testatur Nicolaus Pręposìtus, quòd flos vnius sit albus, & alterius rubeus) quòd ab ipsa florum varietate doctores vocauerint alterum album, & alterum rubeum &c. Prætereа sciendũ, quòd Reuerẽdissimus dominus Cardinalis de Rhodulphis habet vnum vetustissimum librum Dioscoridis totũ Græcum, maiusculis literis, & manu scriptum, in membranis pergamenis: in quo libro omnes herbarum, arbustorum, atq; arborum plantæ cum folijs, floribus, fructibus, ac radicibus suis, miro opere depictę, proprijsq; coloribus fucatæ, atq; summa diligẽtia excultæ sunt. Qui liber licet ob maximam vetustatẽ, magnam literarum atq; colorum amiserit partem, attamen adhuc multa visu digna retinet. In eo autem libro vidimus horminum depictũ tali aspectu, videlicet ramulis pluri mis, folijs inter melissam & prasium nigricantibus superius, inferius verò albicãtibus: corniculis longis, in quibus semen, vt corniculis faseolorum, singulis per singula folia dependentibus, & spectantibus versus radicem, quæ erat nigricans, longa & ramosa &c. Cuiusmodi plãtam viuã nusquàm vidimus. Insuper etiam animaduertendum quòd illud quod legitur apud Diosc. de horminicaule, scilicet quòd horminum habet caulẽ quadrangulum, semicubitalem: apud Auic. legitur de radice, & malè: quem Auicennæ errorẽ, à malo interprete processisse non dubitamus. Præterea Ruellius dicit, quòd horminum satiuum est illa herba, quæ apud Gallos vulgò Totabona & Oruala (quasi auro valet) dicitur: & Romæ matrisaluia, & herba del matrone vulgariter nuncupatur. Si autẽ hæc herba sit verè horminum satiuũ, nobis ægrè constat. Nam plura sunt quæ reclamant. Vt est altitudo plantæ, quæ à Dioscoride semicubitalis describitur: in matrisaluia autẽ, bicubitalis, & quandoq; altior. Item folium eius est maximum, & non rectè marrubio comparãdum. Item folliculi seminis non videntur ad radicem spectare &c. Et cùm his reclamat pictura supradicta, quamuis illam non tanti facimus, quia potest esse non vera, sicut & vera. Item dicit ipse Ruellius, quòd hæc planta totabona

Dioscoridẽ vetustissimum manu scriptũ cũ figuris habet Cardinalis de Rhodulphis.

Horminum quale in vetustissimo codice.

Auic. error de hormino.

tabona non reperitur nisi in hortis sata. Nos autem plures per montes, & loca syluestria, & inculta inuenimus. Etiam & in Gallijs, & particulariter in Prouincia, non longè à sancto Maximino hubertim vidimus supra colles, & iuxta vias &c. Igitur quid propriè sit horminum satiuum hucusq; nescimus. Item ipse Ruellius vult, horminum syluestre esse centrum galli. Si igitur horminum syluestre est centrũ galli, peristereon quid erit, de quo Dioscorides separatim ab hormino facit capitulum? Nam secũdum ipsum Ruellium, vt per sua scripta probatur, horminum syluestre, centrumgalli, siue gallitricum, & peristereon, siue verbenaca, sunt vnum & idem: quod non facilè creditur. Fatemur enim nos vtrunq; (supple verum) Dioscoridis horminum ignorare. Et horminum Plinij, quod est genus tritici, adhuc non bene cognoscimus. Pro hormino autem, scilicet tuderi, potest poni been: quia si tuderi (teste Auicenna) ponitur pro been, econtra autem loco tuderi potest administrari been.

De Fulfulmine.

Est etiam in præsenti descriptione vnum simplex, barbarico vocabulo descriptum, quod quidem per varios libros diuersosq; Authores variatis notatur literis: veruntamen omnes declarant esse radicem piperis. Et si reuera codices variantur in ordine descriptionis, & quantitate literarum, tamen in prolatione vocabuli taliter approximantur, quòd bene percipitur idem esse: & quòd errore librariorum ignorantium peregrinas linguas, & simplicitatem veri vocabuli, vt in multis alijs, ita & in hoc volumina deprauata sunt. Nihil enim facit ad rem, si reperiatur fulfulmen, siue fulfumen, siue fufulmen, siue alufulfumen, siue (vt in Auicenna) fulfuminúe, & consimilia plura: quæ omnia idem sunt quod radix piperis, vel lignũ eius, vt omnes (sicut dictũ est) exponũt. Vnde & Rhasis in tertio ad Almansorem etiã ait: Fulfelemie, id est radix piperis. Sed quia non exportatur, & de facili haberi nõ potest, multi volunt vt loco eius ponatur piper nigrum. Manardus autem dicit, quòd loco eius potes sumere ozymum. Sed si rectè, nescimus. Fortasse ipse legit in quinto can. Auicennæ in tractatu de hieris: videlicet in hiera Eufaracatis, vbi legitur: Fulfulinion, & est ozymum montanum. & ex hoc putamus dixisse, potes sumere ozymum. Sed in rei veritate textus Auicennæ in dicta hiera est mendosus, vt probatur per Bellunensis traductionem: quòd illud, est, in illa circumloquutione vacat: & sunt duo simplicia, & non vnum cum declaratione. *Auic. textus in hiera mendosus.*

Sic enim est vera litera, secundũ Bellunensem, fulfulmum, & ozymum montanum. Et sic patet, quòd fulfulmen nõ est ozymum.

Triphera maior ex arte Fenonis, &c. XLIII.



IN omnibus ferè exemplaribus antiquis, præsens triphera non minor, sed maior intitulatur. Et iudicio aliquorum rectius, quia respectu sequentis tripheræ, hæc bene potest dici maior: vnde & sequens minor inscribitur. Sed si vtraq; sit vnius Authoris, nescimus. Veruntamen parum refert quomodocunq; dicatur, siue maior, siue minor. Rhasis autem in antidotario diuisionum, in capitulo de medicinis stomachi, habet confectionem Fenonis, in multis huic tripherę cõformem. Attamen animaduertendum, quod in præsenti descriptione per omnes impressiones est vnus pessimus error, videlicet vbi legitur nasturtij, assari &c. Non enim presentem tripheram ingreditur asarum: itaq; rectius legendum est, nasturtij assati. In nullo penitus antiquorum & emendatorum librorum est scriptum assari, sed in omnibus concorditer distincte & clarè legitur, Nasturtij assati. Cõsimilemq; errorem in sequenti reperies triphera. Lege ibi.

De Nasturtio.

NAsturtij plura sunt genera: vt satiuum, syluestre, & aquaticum &c. satiuũ autem in albũ & nigrũ diuiditur: vt Plinio placet. Sed quando absolute scribitur, sicut in ista triphera, semper intelligitur satiuũ & vsuale, siue albũ, siue nigrũ: quoniã virtute nõ differunt. Et hîc ingreditur semen quod magis competit medicinæ, quàm herba. Domesticũ siue satiuũ notius est, quàm syluestre. Cardamũ à Græcis dicitur, & vulgò Romæ allegrectũ, vel agrectũ vocatur. Apuli autem dictionibus inuersis, turtionasum appellant. Præterea hoc in loco notandũ nobis visum est, de semine nasturtij assati, quòd quãdo datur ad cõstringendũ, non debet cõteri: quia in cõtritione ipsius destruitur pars eius cõstrictiua. Et hoc refert Author noster in 2. cañ. tertij capituli, tertiæ intentionis, dicẽs: Et ex eis etiã quæ experta sunt ad restringendũ est, vt granorũ nasturtij à 3. ij. vsq; in aureos ij. torrefiãt, & impinguentur decoquẽdo cum succo cytoniorũ, aut myrtorũ, & propinetur, est enim vltimũ ad illud, & propriè si non conterumtur: destruitur enim viscositas eorum in cõtritione. Hæc ille. Quamobrem in præsenti triphera ipsum semen debet assari, & nõ conteri: quia ipsa cõfectio habet abscindere fluxũ ventris, vt textus declarat.

Nasturtiũ absolutè.

Semẽ nasturtij assati.

declarat. Hac etiam de causa probatur asarum nõ cõuenire huic confectioni, quia est solutiuũ: & semen nasturtij est assandum vt sit magis constrictiuũ. Et aduerte quòd asarũ scribitur per simplex s, & non per geminũ, ss, vt in multis libris legitur, quæ causa fuit origo supradicti erroris: quia ob abusionem describẽdi assari, pro asari: librarij inueniẽtes in ista triphera & alijs locis assati: facillimè imprudẽter hallucinati rescripserunt atque impresserunt assari, pro assati. Et cõuertẽtes t, in r, fecerũt duo mala: vnũ videlicet, quòd abstulerũt à nasturtio assationẽ necessariã: & alterum, quòd addiderunt simplex incõueniens: imò directè contrarium. Lege etiã de nasturtio infrà in pilulis de coloquintida.

De Olibano.

Rectius libanũ, quàm olibanũ Græcè dicitur, Latinè thus & incẽsum: Arabicè autẽ, Ronder vocatur. Distinguũt illud Authores, in masculinũ & fœmininũ. Thus masculũ dicũt illud quod est rotundum, lucidũ, trahẽs ad albedinẽ, tãquam gutta, seu lachryma coagulata. Et hoc per olibanum absolutè intelligunt. *Olibanum* Quodq; non est huiusmodi, fœmininũ esse volunt. Purgamentũ *absolutè.* autem, siue furfur incẽsi, mãna thuris vocatur. Copiosè enim ha- *Manna thu* betur thus, & vulgare est apud omnes, sed arbor ipsius quæ liba- *ris.* nus, & libanotus dicitur, nostratib. incognita est plus quàm dici *Libanotus.* potest. Libanotis verò, rosmarinũ, herba est cuius radix thus re- *Libanotis.* dolet. Et libanotis etiam potest vocari illa herba, quæ vulgò incensaria dicitur. Cuius folia odore perquàm maximè æmulantur incensum. Herba quidem pluribus cognita. Semper autẽ cùm reperitur libanum, siue olibanum, siue thus, siue incensum absolutè, masculum intelligitur. Libanus quoq; mons est, in quo sunt ingentissimæ cedri arbores. Sed sciendum, quòd libanus pro thuris arbore, tam masculino, quàm fœminino genere legitur. Vnde Hieronymus: Quasi libanus non incisus &c.

De Charmezith.

Charmezith, vel karmezik, vel charmazech &c. secundũ Auicennam est fructus tamarisci. Quod confirmat Bellunensis in suis interpretationibus dicens: Charmazech, seu chermazech, est fructus arboris Athel, quæ est species tamarisci, & est arbor magna, nota in Aegypto: & fructus supradictus apud Aegyptios & Syrios appellatur hadebe &c. Idem dicit in litera Alathel, vbi etiam addit, quòd folia Athel sunt similia folijs tamarisci notæ. Et quòd tam fructus istius arboris, quàm fructus tamarisci notæ, vocatur chermazech &c. Hadebe autẽ vocatur fructus

dictæ arboris Athel tãtùm,& non fructus tamarisci notæ. Vnde quilibet istorũ fructuum potest intelligi,& est bonus. Verùm secundũ Serap. charmezit,est tota ipsa tamarisci arbor domestica, & propriè est illa quam Bellunẽsis vocat Athel. Syluestris autẽ, vt probatur per Dioscoridẽ,& ipsum Serapionem,est ista nota. Nos autem potius laudamus in tali triphera poni fructũ,& præcipuè domesticæ arboris,quia fructus est stipticior planta,teste Auic. qui in cap. de tamarisco ait,sed est fructus eius vehemẽtioris stipticitatis. Et maximè quia ipsa cõfectio habet sedare vẽtris fluxum, vt textus declarat. Vnde in omnibus locis,in quibus legitur charmezit,&c. debet intelligi fructus tamarisci domesticæ, quia particulariter de ipsa Serapio loquutus est,cùm charmezit scripsit. Non obstãte quod Bellunensis dicat fructum syluestris similiter nuncupari. Quando autẽ legitur fructus tamarisci, potest intelligi de syluestri potius,tãquam de notiori,quàm de domestica minus nota. Lege etiam in confectione Alcanzi.

De Myrobalanorum assatione.

SCias quòd assatio myrobalanorũ ab Authore præcepta,iudicio quorũdam eruditorum,vt sit virtuosa & bona, taliter fieri debet. Accipe myrobalanos enucleatos,& cultello incide in paruas particulas,videlicet ad granorũ piperis,aut parui ciceris modum,nec puluerizentur omnino: statim butyro bouino recenti,manibus fricando lini eos:& in patella lento igne assa,& confrige eos,spatula agitando semper donec primus eorum color deperdatur,& quasi insipientes cremari depone eos ab igne. Quos bene cõtritos,cum alijs rebus,secundũ regulã ab Authore traditã,aromatiza cum musco,& confice cum melle despumato.

Triphera minor descriptione cognita, &c. XLIIII.



LEGITVR per omnes impressiones in præsenti descriptione: Inuoluãtur myrobalani butyro vaccino & fricentur, &c. Melius est autem in exemplaribus manuscriptis,sic: Inuoluantur myrobalani butyro vaccino,& frigantur &c. Et ita rectius,quoniã intẽtio Authoris est,vt,sicut in suprascripta triphera,ita & in ista myrobalani aut frigãtur, aut assentur in sartagine cum butyro vaccino,& postea cõficiantur. Modũ autẽ frixionis eorum,in supranotata triphera (si placet) lege. Sunt & alij errores in ista descriptione. Vnde vbi in præfatis mẽdosis impressionibus legitur,& in descriptione alia: Cyperi,olibani,seminis

apij,nasturtij,assari,ana sextam partem 3.vnius &c.sunt ad minus tria méda. Primum est,quòd semen apij penitus non legitur in exemplaribus antiquis,quapropter(saluo semper meliori iudicio)opinamur non esse admittendum. Secundum médum est (sicut suprà de nasturtio,& asaro) quòd vbi legitur nasturtij,assari,legendum est nasturtij assati: vt correcta exéplaria, vnà cum Nicolao Præposito hìc & in suprascripta triphera habent. Nam asarum omnino non competit huiusmodi confectionibus, nec nasturtium non assatum. Tertium mendum est, vbi legitur: ana sextam partem 3.vnius.legendum est emendatius:ana sextã partem vnius,scilicet partis,& non 3. Huiusmodi enim error in isto loco,& simplicibus,per se manifestissimus. Nam si reliquæ medicinæ accipiendæ sunt per partes,plus,minúsve,ad libitum conficientis,quomodo possunt istæ per pondus determinatum semper bene conuenire omnibus partibus tam magnis quàm paruis prius acceptis,vt aliquãdo non sit disproportionata cõpositio? Vt exempli gratia, Si de quolibet myrobalano accipiatur pars in quantitate vnius ℈.aut minus, ista simplicia cyperus,olibanum &c.necessariò accipienda sunt,secũdum ipsorum taxatum põdus,nec plus,nec minus quàm legitur. Et si recipiatur de quolibet dictorum myrobalanorum pars,in quantitate quinque librarum aut plus,ista quidem eodem pondere, quo suprà,sunt recipienda &c. Quod absurdum est credere. Quis enim Author tam amens scripsisset talia? Enimuero non Authores,sed deprauatores librarij,in hoc culpandi sunt:qui inconsultè,& indiscretè,& sine bona castigatione libros nõ paucę authoritatis,& maximi momenti scribunt atque imprimunt. Igitur sic rectè scribẽdum est: Cyperi,olibani,nasturtij assati,ana sextam partẽ vnius partis.

De aromatizatione Pharmacorum.

Sciendum quòd licet ad libitum cõficientis sit posita quantitas musci,pro præsentis tripheræ aromatizatione: tamẽ non est ponendum parum de ipso musco,quòd non sentiatur ab olfactu. Auaritia nempe ducti multoties aromatarij fraudant compositiones pharmacorum,in musco,ambra,& similibus simplicibus pretiosis,non ponẽtes necessariam ipsorum quantitatem, ab Authoribus determinatã. In præsenti autem triphera,& similibus, quia non specificatur pondus ipsius musci: credimus quòd in prodigalitate non peccabunt. Igitur de bono consilio regulamus & dicimus,quòd in hoc & similibus accidentibus,est

semper Deus præ oculis habendus,& discretio moderata,& conscientia bona sint(in quibus deest)mensura agendarum rerum. Attamen quia præsentis tripheræ simplicia per partes recipiuntur,similiter & muscus per partem est commensurandus. Igitur, saluo semper prudētiori iudicio,non minus debet esse quàm semis sextadecima vnius partis.Vt exēpli gratia,si ex quolibet myrobalano accipiuntur ℥.ij.de musco autem debemus accipere ʒ. s.Et sic erit ipsa cōpositio virtuosa,atq;optimè aromatizata.De melle emblicorum,quære in electuario de gemmis. Præterea insuper,vbi legitur:Et in descriptione alia &c.Sciēdum,quòd hæc circumloquutio non est à scriptore,tanquam si scriptor inuenerit codices istius Authoris varios,ita quòd vnus codex esset dissimilis alteri,sed est ab ipso Authore apposita. Et idem significat quod & apud alios. Quia Author describit varias medicorū intentiones & opiniones,& non diuersas eiusdē operis descriptiones.Et confirmat hoc quod sequitur : Et apud alios scoriæ ferri &c. Etiā in suprascriptis tripheris,& in multis alijs pharmacorum descriptionibus,vt patet,huiusmodi consimilia annotauit.

D*iacurcuma maior. &c.* XLV.


ON possumus non admirari de præsentis & sequentis cōfectionum titulo,quòd vtraque carens curcuma, tituletur Diacurcuma. Recentiorū declarationibus mens nostra non acquiescit,scilicet quòd dicatur à colore &c. Attamē verbis quæ Luminare Maius ponit,scilicet quòd credit errore librariorū esse positū Diacurcuma,pro Diacrocoma,à croco ipsam cōpositionem intrāte(licet crocoma apud Auic.sit aliud)crederemus,si in aliquo antiquorū voluminū fuisset variatus aliquo modo titulus ipse.Enimuero omnes tam antiqui,quàm recētiores codices nostri Authoris,cōcorditer habēt scriptū,Diacurcuma.Et Crocoma quidem apud Auicen.est fex olei de croco. Quapropter non rectè diceretur Diacrocoma,sed melius vocaretur Diacrocon.Præterea in maiorē admirationē inducimur,quia similiter & apud filiū Serapionis & Auicennā,sunt cōfectiones Diacurcumæ vocatæ,& nulla ipsarū recipit curcumā. Si ergo dixerimus, quòd libri Authoris nostri talibus in locis sint deprauati, quid dicemus de Auic.& de filio Serapionis,qui(vt diximus)pari modo in suis antidotarijs,sine curcuma,Diacurcumas habent? Nos autem tenemus pro certo,esse errorem in huiusmodi inscriptione. Veruntamen quomomodocunq; dicatur siue Diacurcuma, siue

ſiue Diacrocoma,ſiue diacrocon,ſiue aliter,nihil facit ad effectũ ipſius confectionis conſequendum,ad quem ordinata eſt.

De Curcuma.

ET quamuis Curcuma nõ ingrediatur in præſentẽ cõfectionem,tamẽ quia de curcuma intitulatur,ab ipſa inchoãdum eſt.Curcuma igitur non eſt iſta,quæ in officinis falſò pro curcuma vẽditur:quæ potius eſt radix cyperi Indi,vt rectè nõnulli coniectauerũt:de qua ſuprà,cũ zedoaria diximus,& in trochiſcis de cyperis dicetur. Sed Curcuma in rei veritate plurima eſt apud nos.Nec oportet ipſam in nũdinis emere.Paſsim enim ac hubertim,in locis incultis,& circa ſepes,intus & extra vrbem naſcitur. Quoniã vt probatur per Serap.Curcuma nil aliud eſt,quàm chelidonia.Quod quidẽ legentẽ,& Dioſcoridi conferentẽ,non latet.Auicen.enim non facit in 2.cañ.cap.de Curcuma.Et chelidoniũ,ſiue chelidoniã, ſub titulo Cauchun deſcribit:pro quo Bellunenſis Chaliduniun reſcripſit. Vulgò autẽ Celidonia appellatur. Reperitur enim maior,& minor. Sed maior eſt notiſsima, quia tota croceo ſucco madet &c. Minor autem eſt illa,quæ vulgò teſticulus ſacerdotis dicitur:& ab alijs fauarella,ſiue fauarola nuncupatur. Et nec iſta ignoratur. Veruntamẽ quãdo abſolutè chelidonia,ſiue curcuma petitur,ſemper de maiori intelligitur: quia magis ea vtimur,quàm minori.Minor enim à nonnullis in acetarijs comeditur &c.

Chelidoniũ Cauchun.

Fauarella.

De Semine Apij.

SEmen veri Apij,eſt ſemẽ illius herbæ,qua cõmuniter vtũtur omnes ad cõdiẽda carniũ & piſciũ iura.Quæ quidem vulgò, falſò vocatur petroſelinum,vt dictũ eſt ſuprà in Diacalamẽto. Propterea lege ibi.Etiam illic,quid ſit petroſelinum reperies.

De Phu,ſiue Fu.

ANimaduertendum equidem,quòd per omnes ferè impreſſiones deeſt in præſenti deſcriptione vnum ſimplex, quod eſt phu,quod quidẽ per cũcta exẽplaria legitur inter raued ſeni, & meu,locatũ. Etiã & Auic.in ſua Diacurcuma maiori (quæ in ſimplicibus multũ cõuenit cũ iſta filij Meſuæ)habet phu,& meu, in vno ana.Quapropter iudicamus illud eſſe ponendũ in cõfectione. Fu enim idẽ eſt quod phu,rectius tamẽ phu,quia Græcè per φ ſcribitur. Eſt autẽ phu(vt omnes teſtãtur)herba illa,quæ vulgò, valeriana dicitur. Nam omnes notæ deſcriptæ de phu à Dioſc.Plinio & cæteris Authoribus,cõpetũt dictæ valerianæ vulgari,vt legẽtem non latet,præter florẽ. Quoniã Dioſc.& cæteri

Valeriana.

volunt phu habere florem similē narcisco,& maiorem: dicta autem valeriana habet minimū florē. Reperitur quoq; & altera valeriana, quæ in initio ortus sui habet folia paruæ betæ non dissimilia, sed cùm adolescit, variantur,& plurimis scissuris fibrata proueniūt, vt proprijs oculis pluries intuiti sumus,& ista cōsimiliter habet florē paruissimū,& minime narcisco comparandum. Vtraq; enim notissima est in Italia. Est & tertia valerianæ species, in partibus Ferrariæ, vt Brasaulus scribit. Nec ipsa in omnibus cōuenit Diosc. descriptioni. Sed quid mirū, si in aliquo differant? quoniam (vt in superioribus iam diximus) sæpe à varietate locorum plantæ diuersificātur qualitate, necnō & virtute. Quapropter donec videamus aliam conuenientiorem plantam, semper tenebimus, quòd altera istarum sit verum phu. A nonnullis syluestre nardum dicitur. Dioscorides Author est.

De Meo, siue vt mauis, meu.

MEum, siue vt aliqui scribunt, meu inflexibiliter, à Dioscoride ponitur in Macedonia & in Hispania plurimum nasci. Verùntamen paucis antè annis inuenimus ipsum in nostra Italia, videlicet in montibus Nursiæ. Et ab incolis illius loci, non meum, sed spicula vulgò dicitur. Et sine dubio est ipsum meum à Dioscoride descriptum. Nam ad vnguem omnes notæ de meo, ab Authoribus positæ, conueniunt isti plantæ: quæ (vt diximus) vulgari vocabulo apud montanos illos, spicula nūcupatur. Reperitur etiam & in Calabria,& alibi: quam nonnulli imperatricem,& imperatoriam, siue herbam imperatoris nominãt. Etiam in Hispanijs, circa montes Asturiæ degentes, à quodam fratre nostri ordinis habuimus de radicibus plantæ veri mei Hispanici: tamen ipse frater non vocabat ipsam plantam meum, sed sistram. Dixitque nobis, quòd ab omnibus illius regionis habitatoribus, sistra vocabatur. Sistra autem, secundum Pādectarium, Simonem Ianuensem,& alios plures, est ipsum meum. Dictas autem radices, Hispania, Romam nobiscum detulimus,& comparauimus ipsas radicibus dictæ spiculæ,& ambæ eiusdem speciei esse, ab omnibus qui viderunt, iudicatæ sunt. Quapropter non est necesse amplius ab Hispanis & Macedonibus ipsas perquirere. Et quamuis Dioscorides, Plinius & cæteri laudent Athamanticum, forsan quia (vt putamus) non viderunt meum Italicum: quoniam si vidissent, iudicassent ipsum optimū, quoniam certissimum est, terram regionis Italiæ non esse inferiorem alijs Europæ partibus, in procreandis herbis,& cæteris rebus

Sistra.

bus à summo omnium bonorum datore vsibus hominum concessis. Et specialiter Plinius non vidit meum in Italia sponte natum, quoniam ipse testatur quòd tempore suo non nisi à Medicis ferebatur in Italia. Nec Dioscorides cùm dicit, quòd in Macedonia & in Hispania plurimum gignitur, negat in alijs mundi partibus posse gigni. Dicit autem, plurimum in Hispania & Macedonia: quasi dicat, quia in alijs regionibus non ita copiose habetur. Ista autem radix, qua communiter à multis annis vsq; in hodiernũ diem omnes pharmacopôlæ pro meu vsi sunt atq; vtuntur, minimè est meu. Non enim meu habet radicẽ grossam, vt est ista, quam ipsi vendunt. Non obstante quòd in Serapione legatur: Et habet radicem non subtilem. Est enim ibi menda in codice, quia librariorum incuria, vel quomodocunque sit, illud, non, ad textum Authoris additum est. Debet enim dici: Et habet radicem subtilem. Probatur, quoniam Serapio non à se: sed authoritate Dioscoridis illud dicit. In Dioscoride autem patet contrarium, cùm dicit meon habere radices longas, tenues &c. Præterea nonnulli hallucinati sunt in sistra: vt sunt Petrus Paduanensis postillator antiquæ Dioscoridis translationis, & Lumen apothecariorum, & Thesaurus aromatariorum, & cæteri qui volunt ipsam sistram esse phu, valerianam. Quod falsum est. Etenim in propinquitate vocabuli errauerunt. Siquidem pro sistar, intellexerunt sistram: quoniam sistar est phu, id est valeriana: sistra autem est meu. Lege Pandectarium, qui vtrunq; ponit, scilicet sistar, & sistram. Etiam præfatus Petrus Paduanensis, Luminare Maius, & alij plures volũt quòd Mu Auicennæ, sit meu. Nobis autem non bene videntur conuenire descriptiones ipsorum adinuicem, quapropter putamus aliud esse, adhuc tamen nobis incompertum. Meon autem siue meum, meu, sistra, & spicula, idem est, quod etiam nonnullis anetum syluestre nuncupari non displicet.

Petrus Paduanensis, Lumen apothecariorũ, & Thesaurus aromatariorũ errauerunt in sistra.

Sistar, id est phu.

De Absinthij & Eupatorij succo.

NOta quòd succus tam Absinthij quàm Eupatorij debet esse prius cõdensatus, vt succus liquiritiæ, nõ tamen ita durè, antequam veniat in pharmaci administrationẽ: quoniã sic ab Authoribus huiusmodi, & cõsimiles succi administrãtur. Etenim duæ drachmæ ipsorũ succorũ recentiũ & liquidorũ, essent tanquàm nihil in præsenti descriptione. Succi nẽpe liquidi nõ conueniunt cõfectionibus quæ nõ sunt aliquo modo bulliẽdæ, siue decoquendæ: & tunc ponuntur in maiori portione &c. Qualiter

autem

autem ipsi succi sint condensandi, quære apud Bulchasim. De absinthio autem, & eupatorio, quære in distinctione de syrupis.

De Scordio, siue Scordeon.

SCordij rectius, quàm Scordeon imperitè in genitiuo dicitur. Non solùm vulgares omnes, verùm etiam & ex doctioribus plurimi ita confirmati sunt in sua obstinata & falsa opinione de Scordio, tenêtes illud esse allium, & (quod peius est) syluestre allium, vt supra modum difficile nobis videatur auferre posse ab eis pertinaciam tam peruersæ credulitatis, & veritate edocta eis persuadere vt à calumnia cedant, atq; cõsentiant verbis aliquorum fidedignorum Authorum, qui non allium, sed herbam alterius formæ (vt mox patebit) esse declarant. Nam clarũ est, quòd Arabũ libri habẽt Scordeon, in quibus capitula de allijs pertractãt. Sed si sit error Authorũ, scilicet Serap. Auic. & cæterorũ, vel si ipsorum volumina incuria interpretũ, aut librariorum vitio sint deprauata, adhuc ignoramus. Propinquitas enim vocabuli eos (à quibus emanauit error) fefellit. Quia cùm deberent scribere Scorodon, scripserunt scordeon. Sed reuera, aliud est scorodon, & aliud scordium, siue mauis, scordeon. Legitote igitur antiquiores tam Græcos quàm Latinos, & præcipuè Diosc. & Plinium, qui de ipsis diuersa faciunt capitula. Diosc. enim secũdum Hermolai translationem, libri secundi cap. 144. habet scorodon, quod est allium: cui subsequitur cap. de scorodopraso, quod est quædam species inter allium & porrum, cuius planta pro allio syluestri, nõ incõgruè sumi potest. Hinc libri tertij cap. 106. scribit scordium, quod non est allium, sed est quædam herba trisagini, id est chamædry simillima, in paludosis & altis nascẽs: quamobrẽ, à Latinis Trisago palustris nuncupatur. Habet & quadrangulum caulem &c. ibi notata. In vno tantùm, hoc est, in suo odore, imitatur allium. Quam herbam pluribus in locis, & non longius ab Vrbe multoties collegimus. Et quia à nonnullis magis commendatur Cretense scordium, adhibita diligenti cura & solicitudine, ab insula Cretensi nobis delatum est: & vtrunque impræsentiarum apud nos reperitur: nec differt alterum ab altero, præterquàm quòd Italicũ, iudicio plurimorũ, videtur odoratius esse Cretẽsi, fortasse quia Cretẽse nõ sit ita recens vt Italicũ, & ob vetustatem amiserit sui odoris partẽ. At verò Plinius lib. 25. cap. 6. scordium herbam depingit. De allio autem, quod & scorodon appellat libro 19. scripsit. Preterea, nec in Auic. nec in Serap. reperitur caput de vero scordio. Capitulum autem ipsorum de scordeon

Scordium. *Trisago palustris.*

deon (quod rectius legendum est de scorodo) est de allio, quia scorodon idem est Græcè, quod allium Latinè. Et de allio tãtùm pertractat, & non de palustri trisagine, quod est scordium. Sed animaduertendum est, quòd in translatione antiqua Dioscoridis, in capitulo de scordeon, multa primũ de allijs enumerat, postea sequitur de scordio herba. Et in vnomet capitulo, ac sub vno & eodem vocabulo, duo diuersa simplicia confundit. Sed hoc credimus errore Petri Paduanensis, vel ipsius Dioscoridis interpretis factum fuisse. Et potius est mali interpretis error, quia infrà ponit aliud cap. de ipsa herba scordio, quam non scordium, sed barbarè, scorium vocat. In cuius lectione multa diminuta sunt, & nonnulla male translata: quia vbi debet dici ipsam herbã habere odorem allij, legitur, cum odore Oleastri. Diligens lector facillimè cõprehendit errorem. Igitur quammaximo detineãtur errore, Simon Ianuẽsis, Pandect. Luminare Maius, & cæteri vnà cum caterua medicorũ, & aromatariorũ minus peritorũ & vulgariũ: bonarũ literarũ amatores, nõ ægrè percipiũt. Nostri temporis autẽ Ruellius, Manardus, Antonius Musa, & cæteri bonæ memoriæ ac disertissimi viri, cõtra vulgi crassam ignorantiã magnopere conati sunt ostentare veritatem, tam de scordio, quàm etiam de nonnullis alijs simplicibus in re medica pernecessarijs. Legito apud ipsos. Ergo vbicunque reperitur in cõpositionum descriptionibus (supple Doctorum approbatorum & antiquorum) scordium siue scordeon, quod idem est, non allium agreste, sed hanc herbam apponito. Demum, ne quis decipiatur in odore huius herbæ scordij, & accipiat illam herbam alliariam vulgò dictam, quæ apud Pandectariũ Rimamarina, alliarica, & pes asini nuncupatur: cuius folia sunt vt malua rotunda, quæ habent odorem allij: quæquidem herba in arundinetis, & vmbrosis locis vbique reperitur. Etiam sunt & aliæ herbæ, quæ allium imitantur odore, sed non sunt scordium, nec scordij species. Scordium enim (vt dictum est) habet folia non maluæ sed trisagini, id est chamædry simĩlia. Et habet florem rubeũ, alliaria verò album. Hasta est scordio quadra, alliariæ rotunda: ex quibus patet, scordium esse aliud ab alliaria.

Petri Paduanẽsis error de scordio.

Simõ Ianuẽsis, Pandect. Luminare Maius errauerunt in scordio.

Rimamarina. Alliarica. Pes asini.

De Scolopendria.

SColopẽdria herba, nõ est lingua ceruina, qua hodie cõmuniter omnes aromatarij pro Scolopẽdria vtũtur: sed est illa herba, quę vulgò cetrach siue Cetherach dicitur, quamq; Diosc. asplenió & scolopẽdrion vocat. Aspleniũ quidẽ, quia ad splenen desiccandum

Cetheracb.

candum

candum & curandum nil melius. Scolopendrium autem, à simi-
Scolopēdra vermis. litudine quam habet cum scolopendra verme animali, quod habet pedes 14. scilicet ex quolibet latere septem. Ad cuius formā, folia huius herbæ plurimis incisuris munita, quasi vermes multos pedes habentes similitudinem scolopendræ sibi vendicarunt. Et hoc plurimi testantur. Et præcipuè Serap. cap. Scolofendriō, quod est de scolopendria: dicens authoritate Diosc. nominatur hoc nomine propter similitudinem cuiusdam vermis dicti scolofendra: & eius compositio est 14. pedum &c. Nam Arabes, teste Simone Ianuensi, loco p, (quo carent) per f, scribunt atque pronuntiant. Quamobrem scolofendrion, pro scolopendrion scribunt. Andreas Bellunensis autem, schulufendrium vertit. A
Argentina. nonnullis vulgaribus hæc herba, Argētina vocatur: quia rugositas, quam folia eius inferius habēt, ob splendorē suū albicantem, ad colorē argēti assimilari potest. Præterea, hi qui duræ ceruicis sunt, sibi ipsis tātū credētes, legāt Dios. qui facit cap. de phyllitide, quod est de ista lingua ceruina: & infrà facit cap. de Asplenio, quod est de scolopēdria: ergo scolopēdria nō est lingua ceruina. Item Petrus de Tussignana super nono ad Almansorem, cap. de Icteritia, scribit syrupū, cuius cōpositionem intrāt scolopēdria, & lingua ceruina: ergo nō sunt idē. Sed obijciet forsan aliquis, dicens, ꝙ Dios. & Serap. asserūt scolopendriā habere folia similia folijs Polypodij: ista autē argētina, id est cetherach nō est huiusmodi: ergo nō est scolopēdria. Ad hoc respondebimus, ꝙ minus habēt similitudinē, cū polypodio, folia linguę ceruinę, id est phyllitidis, q̄ folia cetherach. Et si secundū ipsum cetherach nō est scolopendriū, propter foliorū dissimilitudinē, à fortiori minus potest esse lingua ceruina, cuius folia dissimiliora sunt polypodij folijs, q̄ folia cetherach. Etenim cetherach folia habēt quandā (licet paruā) similitudinē cū polypodio: vt est scissura foliorū &c. Nā & polypodiū dicitur à multitudine pedū: quam ob causam, scilicet ob multitudinē pedū, quam scolopendriū habet, dicitur polypodio assimilari. Ergo concludendum est, cetherach esse verum scolopendrium, siue mauis veram scolopendriam.

Diacurcuma minor &c. XLVI.



MINOR præsens confectio dicitur ad differētiam supradictæ, quæ maior est: quoniam plura simplicia recipit. Et licet textus dicat, quòd valet ista minor ad ea quæ magna, rationabiliter potest addi, sed

sed non tãtùm. Quia sicut est minor in simplicibus, ita putamus esse ipsam minoris operationis & virtutis. Quapropter monendi sunt aromatarij, ne vendant minorem pro maiori: nec ista minor debet parari, nisi iussu medici ipsam ordinantis. Vnde hæc generalis regula notanda est pro omnibus compositionibus ex quibus maiores & minores eiusdem effectus reperiuntur: videlicet, quòd semper compositiones maiores sunt parandæ. Minores autem non parentur, nisi ex præcepto medici. Hoc autẽ diximus, quia scimus aliquos, qui auaritia ducti & spe maioris lucri, minores & simplices cõpositiones pro maioribus & cõpositis sæpe parabant & vendebant. Quod quidem est malum apud Deum & homines. Ex quo nos arguentes illos, obijciebant Aristotelis authoritatem, dicentes: Frustra fiunt per plura, quæ possunt fieri per pauciora. Si igitur minor siue simplex confectio valet sicut maior, ad quid frustrà cum nostro damno tenemur parare maiorem? Ad quæ nos præfata cùm respondissemus, scilicet quòd minor valet ad ea quæ maior, quia est eiusdem intentionis, sed non tantùm, quia est debilioris operationis & virtutis, obmutuerũt. Quapropter validior & maior semper paranda est.

Maiores cõpositiones reseruãdæ parentur, non minores.

Diamorusia &c. XLVII.



HAEC præsens confectio in multis exemplaribus antiquis, non Diamorusia, sed homorusia intitulatur. Et in aliquibus sine aspiratione, Omorusia legitur. In Auic. autem & in Breuiario filij Serap. in decimo practicæ Hali abbatis sunt huiusmodi confectiones, in paucis tamen differentes ab ista. Sed in Auic. legitur homorusia: in filio Serapionis verò, Modus confectionis omorusiæ: & in Hali, Ammorusiæ confectio inscribitur. Et Pandectarius dicit: Homorusia est quædam confectio &c. Quapropter vel aspiratè vel non, nihil refert. Vnde rectius (vt putamus) titulari debet præsens confectio Diahomorusia, vel Diaomorusia. Veruntamen bonæ sonoritatis causa expunctum est illud o, consimiliter factum fuit in Diambra, & similibus. Sed aduertendum, vbi mendosè per impresiones legitur in præsenti descriptione, costi, trium piperum añ. 3. j. legendum est rectius, añ. 3. s. vt est in cunctis exemplaribus antiquis, & similiter in Auic. & filio Serap. & Hali. Item pro cinnamomo, lege cinnami: vt est in præfatis exemplaribus. Quod cinnamum est inferius cinnamomo. Vnde loco eius in huiusmodi confectione, filius Serap. Auic.

& Ha

& Hali abbas præfati, casiam habent quæ similiter est cinnamomo optimo inferior.

De Acoro.

ACorus, vel acorum, siue acori radix (cuius vsus, teste Diosc. frequentissimè in antidotis habetur) si ipsius Diosc. verba pensabimus, hæc qua vulgares aromatarij vtuntur, verissimè nõ erit. Quoniam præter formam, nil aliud habet cum acoro simile. Nonnulli autem asserunt (quorum vnus Brasaulus) radicem, quam galangam vulgò nominant, acorum esse. Quãquam alij, & forsan melius, velint non galangam, sed radicem illam, quæ apud vulgares calamus aromaticus falsò nuncupatur, veram esse acori radicem. Ex quibus Manardus non solùm hoc testatur, sed etiam dicit, quòd pro acoro semper vocato calamo aromatico vsus est. Nos autem potius adhæremus Manardo &c. qui tenet vocatum calamum aromaticum esse acorum, quàm illis qui galangam præfatam. Quæ galanga (vt mox infrà dicetur) tenetur aliud esse. Descriptio nempe Dioscoridis de acoro (vt videri potest) magis cõuenit huic calamo aromatico vsuali, quàm supradictæ galangæ. Radix autem, qua cõmuniter pro acoro vtuntur, aliud est: quia cùm sit rubra, absque odore, & insipida, acorus nõ potest esse: quia acori radix (teste Dioscoride) habet esse alba, iucundè odorata, gustuq; acris &c. quæ omnia in præfato falsò vocato calamo aromatico vsuali, perquàm maximè reperiũtur. Quamobrem verissimè credendum est esse acorum, ac pro acoro, quocunque opus fuerit, apponi placet multis. Hæc autẽ planta acori officinarum, inter Iridis species annumerari debet. Vocatur à Latinis (vt Dioscorides & Apuleius scribunt) herba veneria. Etiam scribit ipse Apuleius, quòd hæc herba rarò inuenitur, & quòd non potest cognosci, nisi cùm flosculum emiserit. Vnde etiam probatur, quòd non potest esse acorus hæc planta vsualis, quæ passim in aquosis reperitur &c.

Calamus aromaticus supplet Acorum.

De flore Squinanti.

SQuinantum barbarè, idem significat quod Græcè schœnoanthos. Schœnum autem Græci dicũt, quod Latini iuncum rotundum odoratum. Et anthos Græcè idem est quod Latinè flos. Vnde Squinãtum (licet barbarè scribatur) flos schœni, id est iunci rotundi odorati, est. Sed cùm in libris Arabũ legimus florem squinãti, non possumus per squinantum intelligere florem schœni, sed plãtam eius, id est culmũ, siue ipsum iuncum. Sed hoc mali interpretes (vt putamus) fecerunt: qui per schœnum, squinantum

nantum verterunt. Vnde in dictis Arabũ libris per florem squinanti intelligimus simpliciter florẽ schœni: & per radicẽ squinãti, radicem schœni: quia per squinantũ absolutè, plantam ipsius schœni intelligunt. Schœnum autẽ, siue mauis, squinantum, non sunt illæ paleæ (vt peritis placet) quibus vbiq; in officinis vtũtur: quia descriptio Diosc. de schœno odorato non conuenit illis, vt quilibet videre potest: nõ enim habent radices notabiles ad medicinæ vsum, sed quasi capillaceas paruas, & nullius roboris vel momenti, nec mordicant linguã ipsæ paleæ: & quamuis sint aliqualiter odoratæ, nõ tamen spirãt rosæ odorẽ: & quod maius est, videmus quòd nõ producunt iuncũ, sed calamũ nodosum, sicut est calamus hordei aut frumẽti: quoniã vtplurimũ exportantur cum parte ipsius calami. Vnde nõnulli rectè existimãt ipsum squinantũ vsualẽ esse plantã calami aromatici: quia calamus aromaticus officinarũ manifestè probatur quòd nõ est calamus, cùm sit radix: quã radicẽ plurimi (vt suprà diximus) volũt esse verã acori radicẽ. Cùm enim dicimus calamũ, nõ intelligimus radicem. Sed si quis dixerit quòd hæc radix quæ recipitur in officinis pro calamo aromatico, est radix ipsius calami: hoc fortasse poterit esse. Verũtamen cùm petitur calamus, nõ est accipiẽda radix, nisi vrgẽte necessitate in ipsius calami penuria. Reuera igitur squinantũ nõ habemus. Sed multorũ quidem nõ spernendorũ est opinio quòd hæc radix, qua cõmuniter pro galãga vtimur, sit radix ipsius veri squinanti. Etiã à nõnullis, qui fatẽtur se vidisse vivam plantam istius galãgæ vsualis, habuimus, quòd ad vnguem correspõdet Diosc. descriptioni de iunco rotũdo odorato. Galanga autem, quæ (vt suprà diximus, Græcis incognita fuit, & à nobis minimè cognoscitur) alia planta est, & apud Arabes solummodo perquirenda. Vnde tam pro floribus quàm pro ipso schœno (quibus caremus) quàm etiã pro ipsa radice possumus vti vbi oportet hac vsuali galãga. Possumus quoq; vti (saluo semper prudentiorũ iudicio) hoc vulgari squinãto, quam esse (vt diximus) plantã calami aromatici, opinantur plures. Quoniã vt in Dioscoride & cæteris fide dignis Authoribus videri potest, virtutes & proprietates calami aromatici & iunci odorati nihil aut satis parũ, inter se differunt: ex quo bene potest alterum pro altero compensari. Et aduertãt simplices, quòd schœnũ & schinus non sunt idem: quoniã schinus est lẽtiscus, de quo aliàs. Præterea sciendum quòd Auicenna scribit authoritate Dioscoridis, quòd sunt duæ species squinanti, scilicet vna quæ est infructifera, & altera

Squinãtum absolutè.

Squinãtum supplet galã garsualis.

fructifera, quæ facit fructum nigrum &c. Si ita est, poterit forsitan esse, quòd hoc squinãtum vulgare sit altera ipsarum. Veruntamen in nulla Dioscoridis traductione hoc legitur, vnde coniectamus esse errorem ipsius Auicennæ vel saltem sui interpretis.

De *Marmacur*.

TEmporibus Nemroth non credimus fuisse tot vocabulorum confusiones, quot hodie in rei medicæ libris reperiuntur. Quapropter de hoc simplici, sub huiusmodi tenebrosa voce occultato quid afferamus, nescimus. Percurrendo etenim varios Authores & libros, varias inuenimus opiniones atq; descriptiones. Nam ex his exemplaribus quæ legimus: pauca, vtpote tria tantum, habẽt marmacur, & duo marmacor, & quinq; quorum quælibet hæc singula videlicet habent vocabula, marmatur, marmacum, marmatum, maratri, marmatar: reliqua autem vniformiter omnia habẽt marmacar. Marmacar autem, in quibusdam synonymis antiquissimis Arabicis, inuenimus expositũ esse melissam. Quamobrem coniectamus talem dictionem esse corruptã, & rectius marmacar quàm marmacur esse legendũ. Enimuerò quisquis nesciens veritatem alicuius vocabuli, præsumit interpretari aut declarare, potius est reprehẽsione quàm laude dignus: quia diuinat tantùm. Et si non hoc, minimum malum maximum facit, queadmodum sæpius plurimis, & præcipuè iunioribus accidisse comprobatur. Marmacur igitur quid sit, à nullo antiquorum describitur. A recentioribus autem, videlicet à Luminari Maiori, & à Paulo Suardo exponitur esse marrubiũ, scilicet prasium: & à Ioanne Manardo melissa, & sic putamus optime. Item Luminare Maius vult marmacur esse marum Auicen. Auicenna autem cap. de maru, primam ipsius speciem non marmacur, sed marmacor vocat. Quod quidem marmacor ab ipso Luminari declaratur esse melissa, his verbis: Sapientes dixerunt, quòd per marmacur volumus intelligere prasium siue marrubium, & per marmacor volumus intelligere citrariam, id est, melissam. Et idem confirmat in suffuf de ligno aloes. Si igitur marmacor est melissa, & maru Auicennæ est marmacor: ergo melissa est maru. Ergo marmacor, & marmacur sunt idem. Et quidem Auicenna facit capitulum de maru, & capitulum de marmacora, & capitulum de prasio. Si autem capitulum de marmacur, non est illud quod inscribitur de marmacora, non reperitur aliter apud ipsum Auicennam. Et minimè apud alios. Et quamuis filius Serapionis habeat marmacur in sua omorusia, tamen ab ipso

ipſo quid ſit non declaratur. Nos autem credimus idem eſſe mar macar, marmacor, marmacur & cętera conſimilia. Auic. enim in dicto capitulo de maru, dicit quòd prima eius ſpecies eſt marma cor: poſtea nõ declarat ibi, nec per aliud capitulum quid ſit marmacor, ſed immediatè poſt dictum capitulum ſubſcribit capitulum de marmacora, vbi dicit quòd nota eſt. Quod quidem capitulum firmiſsime credimus eſſe capitulum de marmacor: quia primum, ſcilicet in capitulo de maru, poſuit omnes eius ſpecies in generali: demũ in particulari, in ſequenti capitulo tangit tantùm ipſam maru ſpeciem, marmacor vocatam. Non obſtante quòd vocat ibi eam marmacora, & nõ marmacor, quia idem eſt. Quæ ſpecies plurimorum authoritate probatur eſſe meliſſa & non praſsium. Vnde Serapio cap. de meliſſa, ait, Bederangie, vel bederungij, id eſt turungen, & dicitur marmacor, id eſt meliſſa. Simon Ianuenſis autem dicit: Marmacor Arabicè, vel marmacora, inquit Serapio, benderangie, id eſt turungen, & dicitur marmacor, & eſt meliſſa &c. Pãdectarius autem facit diſtinctionem, dicens: Marmacur, marmacor, id eſt marrubium vel marrubiaſtrũ &c. Hinc ſequitur, marmeus idem. Hinc addit, marmacon, marmacora, id eſt meliſſa &c. Veruntamen ipſe cõfunditur, quia marmacor, & marmeus (quod rectius dicendum, marmaheus) & marmacora, idem ſunt. Eſt enim ſpecies marrubij, ſed non eſt marrubiaſtrum: quia eſt ipſa meliſſa. Et quòd meliſſa ſit ſpecies marrubij, ſiue praſsij, probarur per Serapionẽ in dicto capitulo de meliſſa, & etiã per Dioſcoridẽ, & cęteros qui dicunt meliſſam ſiue meliſſophyllon habere ſimilitudinem marrubij ſylueſtris & praſsij. vnde Dioſc. inter marrubium nigrum (quod eſt ballote) & marrubium praſsium, ipſam locauit. Etiam Serapio authoritate Galeni, dicit, quòd virtus eius eſt ſicut virtus praſsij. Igitur ſi habet ſimilitudinem, & virtutem marrubij, ergo eſt ſpecies eius. Andreas autem Bellunenſis loco marmacor, vertit marmauſi, vel marmaheus: & pro marmacora, marmahaſus. Ex quibus ſupradictis patet, quòd omnia dicta vocabula idem ſignificant. Manardus quoq; (vt ſuprà diximus) cõfirmat marmacur eſſe meliſſam. Snnt præterea, & quorundam aliorũ opiniones variæ à ſupradictis, ſed quia ſunt parui momẽti, & quaſi nullius authoritatis & æſtimationis, cauſa breuitatis dimittimus. His ergo bene cõſideratis, concludendum eſt, marmacur, marmacor &c. idem eſſe, & propriè eſſe veram meliſſam: & nõ eſt marubiaſtrũ, neq; praſſium, neq; linguæ bouis ſpecies, neq; ſclaræa, neq; herba ſancti

Meliſſa eſt ſpecies marrubij.

Ioannis,neq; aristolochia longa & alia plura,quæ multi imperiti & phantastici asserunt & testantur.

Dialacca magna &c. XLVIII.



HAEC præsens confectio,& quæ immediatè sequitur,à lacca quam recipiũt nomen sibi vendicarũt. Et respectu sequentis,quæ minor inscribitur, præsens magna intitulatur. Ambæ tamen sunt optimæ,& nõ aspernandæ cõpositiones. Filius Serap. in septimo,Auic.in quinto,& Hali abbas in decimo practicæ habent maiorem & minorem Dialaccæ confectionem differentem in quibusdam ab istis filij Mesuæ. Animaduertendũ autem,quòd per impressiones in præsenti maiori descriptione sunt aliqua menda,videlicet vbi legitur in ipsis:Laccæ ablutæ,rauedseni,ana ʒ.ij.lege tu rectius:ana ʒ.iij.Item in omnibus fere libris tam manuscriptis quàm impressis inuenimus squinantũ in præsenti descriptione,& postea iterum infrà legitur:cimarum squinanti.In duobus tantùm exemplaribus reperimus absolute,cimarũ squinãti:& in vno simpliciter squinanti: quapropter putamus esse errorem in textu. Nihil enim differunt cimæ squinanti ab ipso squinanto, nisi fortè velis per cimam squinanti, vt intelligatur flos ipsius squinanti,& sic vtrunq; esset ponẽdum:quia pari modo vtrunq; legitur simul & immediate positum,in primo Breuiarij filij Serapionis capitulo de Soda accidente ex malitia complexionis frigidæ, cum materia.scilicet in modo infusionis de aloe,sic videlicet: squinanti & cimarum squinanti &c. Si autem pro cima squinanti non intelligitur flos, quare bis sit apponendum squinantum non inuenimus rationem : præfati enim Authores in suis descriptionibus semel tantùm habent. Sed in Hali sub nomine adechari legitur, quòd idem est quod squinantum. Vnde si semel aut bis,vel si flos aut cima, & quomodocunque,& qualitercunq; sit ponendum squinantum in ista confectione, prudentiorum iudicio medicorum definiendum committimus. Nos autem pro cima squinanti,si daretur copia, semper acciperemus florem.Item nota, quòd aristolochia debet esse rotunda & non longa(vt in aliquibus mendosis libris legitur)Rotunda enim ab omnibus communiter magis commendatur in medicina &c.Vnde & Auicenna rotundam specificatè posuit. Filius Serapionis autem vtranq; habet, rotundam scilicet & longam. Hali verò eo in loco, in quo cæteri habent aristolochiam

rotun

rotundam,ipse lelembachi habet. Vbi probatur lelembachi esse aristolochiam. Michael de Capella autem nesciuit pro quo staret in ista confectione lelembachi, vnde in suis synonymis sic scripsit: Lelembachum scripsit Stephanus 2. practicæ pro cappare, sed in confectione dialaccæ maioris nescio pro quo posuit. Hæc ille. In secundo practicæ autem non lelembachum, sed lilimbacum legitur, capitulo videlicet 38. forsan quòd lilembacum (vt ipse dicit) sit capparis: sed hîc clarè probatur, quòd lelembachum stat pro aristolochia. Nam sæpe vna sola litera, imò accentus diuersus alicuius dictionis constituunt res diuersas significare. Vnde & ab ipso etiam Michaële scribitur, quòd lilembace significat amygdalas amaras. Præterea sciẽdum quòd in aliquibus impreßionibus addita sunt huic descriptioni tria simplicia, scilicet phu, meu, & daucus, quæ in impreßionibus minus mẽdosis & in antiquis exemplaribus, ac etiã in vulgari æditione nõ leguntur, quapropter non esse admittenda iudicauimus.

De Lacca.

VEram laccam haud est qui viderit hodie in partibus nostris. Nec credimus in hoc simplici defecisse naturã. Apud Arabes enim est perquirenda lacca, quia tali voce non reperitur apud Græcos: licet aliqui putẽt (& fortasse bene) canchamũ Græcorũ esse verã Arabum laccam: quoniã multũ conueniũt descriptiones Græcorũ de canchamo cum descriptionibus Serap. &c. de lacca, tametsi ipse Serapio adducat plurimorum Authorũ opiniones, & quodammodo in principio cap. manifestè videatur sub nomine laccæ, canchamũ Græcorũ describere. Veruntamen nec canchamũ ipsum hac nostra tempestate visum est in Italia: quãuis nonnulli opinẽtur illud, quod vulgari nomine bézuin dicitur, esse verũ cãchamũ: quorũ opinio à pluribus nõ probatur. Quamobrẽ in defectu ipsius laccæ iudicio atq; cõsilio pluriũ peritißimorũ medicorũ, minus malũ est ponere vocatã hodie sanguinis draconis lachrymã (quãuis nõ sit verus sanguis draconis) quàm aliud peius. Lachrymã diximus, quia multi pro sanguine draconis abutuntur quadã mistura, quam & falsò sanguinẽ draconis nominant. Preterea de sanguine draconis lege in trochiscis de terra sigillata. Illud autem quo vtuntur aromatarij pro lacca, quodq; gummi de lacca nuncupant, minimè est lacca: quoniam nullam habet notã ab Authoribus laccæ, siue canchamo attributam. Et non putet quis illam rem qua hodierni pictores sub nomine laccæ vtũtur esse laccam: quia nõ est lacca, nec species eius,

Lachryma sanguinis draconis supplet laccã.

sed est res factitia, quæ Venetijs & alijs in locis componitur ex fece tincturæ grani, id est cocci, & alijs rebus. Quæ quidē videtur tangi à prefato Serapione, authoritate Isaac. Quamq; , saluo meliori iudicio, ad nil aliud, quàm ad picturæ vsum administrandam esse censemus. Modus autem ablutionis laccæ, secundum ipsum Serapionem in proprio capitulo, est quòd teratur lacca, & proijciatur super eam aqua decoctionis aristolochiæ, & squinanti, & moueatur baculo, & dimittatur residere, postea abijciatur aqua. Et si prima vice non lauatur bene, fiat similiter pluribus vicibus, donec aqua exierit clara & tunc erit lota.

Laccæ lauādi modus.



Dialacca minor &c. XLIX.

VOCATVR minor ad differentiam superioris, quæ magna intitulatur. Etiam dicitur minor, quia minores habet virtutes, & operationes &c.

De Aristolochia.

Aristolochia absolutè.

NOta quòd hîc etiam ingreditur aristolochia rotunda, & non longa, vt mendosæ impressiones habent. Et sciendū, quòd semper rotunda intelligitur, cum absolutè aristolochia petitur. Et si non specificatur de cæteris partibus, semper de radice subaudi, quæ est melior pars ipsius: quoniam folia & cæteræ eius partes rarissimè ad medicinæ vsum veniunt. Aristolochia autem (vt Dioscorides scribit) tria habet genera. Vnum habet radicem rotundam, vnde aristolochia rotunda nominatur, & aristolochia fœmina quæ notior est quàm vt declarari debeat. Reliqua duo genera habent radices longas, vnde vtraq; aristolochia longa dicitur. Sed altera ipsarum, quæ clematitis appellatur, habet radices tenues, longas ferè vt sunt graminis radices, qua communiter aromatarij hodierni vtuntur, vbicunque aristolochia longa expostulatur, non rectè, quoniā Dioscorides facit ipsam viribus inferiorem cæteris. Vocatur autē à quibusdam hæc multis nominibus, inter quæ sunt aliqua quæ alijs conueniunt plantis: vt sunt Chamæmelon, Malum terræ, Absinthium rusticum, &c. vt tradit Diosc. Altera verò longa quæ mascula cognominatur, à paucissimis hodie scitur. nos verò bene cognoscimus ipsam, quam pluries in montibus supra Sermonetum, non longè à Bassianis effodimus, atque effodere fecimus. Hæc equidem propriè, vt Dioscorides scribit, habet radices longas, palmares, & quandoque longiores, digitali crassitudine, buxeo intus colore, gustu amaro &c. Cui rationabiliter, capitulo de gētiana, radicē ipsius gentia

Aristolochiæ tria genera.

gentianæ similem fecit. Cùm autem aristolochia longa absolutè, & non speciatim de clematite legitur, semper hæc mascula intelligenda est, quę præstantior est, vt Dioscorides scribit. Postremo sciendum, quòd vbi Author noster in præsenti descriptione dicit: Cōfice sicut primum, subintellige quòd myrrha, & bdellium sunt infundenda in vino, & reliqua pulueriza nda &c. sicut dixit in Dia lacca magna.

Confectio de raued seni &c. L.



NTITVLATVR præsens cōfectio de raued, quod idem est quod de rheu, vel reu, vel rha. Seni autem, siue Sini, id est de illa prouincia sic dicta. Vnde raued seni, siue reu sini, rhabarbarum, siue rheubarbarum: rha turchicum, siue rheu turchicum, vel turchium: rha pōticum, siue rheu ponticum, idem sunt, & tanquam species vnius generis à varietate prouinciarum & locorum, varia nomina seu cognomina sortiuntur. Species dicimus illius rei, quæ vsitatiori vocabulo, rheubarbarum ab omnibus vocitatur. Quid autem sit rheubarbarū, raued seni &c. Deo concedente, in pilulis de rheubarbaro declarabimus. Non ignorandum, quòd in pluribus libris impressis, & in quibusdam paucis de recentioribus manuscriptis, mendosè legitur in præsenti descriptione: Recipe raued seni &c. ana ℥.j. lege rectius, ana ℥.v. Item est aliud mēdum, & hoc in quibusdam impressionibus tantùm, scilicet vbi legitur: Fumiterræ, spicę &c. ana ℥.v. lege verius, ana ℥.s. Et hic error vnde sumpserit originem, vide suprà in confectione quæ intitulatur: Modus electuarij de citro ex inuentione nostra. Item in aliquibus libris magis mendosis, præsenti descriptioni additum est vnum simplex, scilicet scoria, & est inter simplicia secūdi aā. Cassetur, quia non est admittēda scoria huic confectioni, nec in exemplaribus atq; impressionibus correctis legitur.

Rhabarbari varia nomina.

Diacostum &c. LI.



COSTO veluti totius basi, hanc cōpositionem ingrediēte, vocatur præsens confectio Diacostū. Nec in præsenti descriptione est legēdum, cinnamomi: sed cinnami. Item vbi mēdosè per impressiones legitur asari ℥.iij. lege rectius ℥.iiij. quia sic est in cunctis exēplaribus. Item sciendum, quòd in duobus exemplaribus de vetustioribus, in vltimo aā. huius descriptionis, cum

alijs simplicibus, legitur etiam spica, quam quia in tanta multitudine librorum non habetur, non posuimus, sed reliquimus iudicio peritiorum medicorum examinandum, vtrum conueniat huic confectioni, vel non.

De Costo.

Costus amarus, siue costus amara, siue costum amarum (omnis enim generis legitur) in præsenti confectione, & in multis alijs locis dicitur ad differētiam dulcis. Nec conniuendū cum asserentibus dulcem costum in rerum natura non reperiri, cùm costi sint plures species, & quòd aliqua ipsarum dicatur dulcis, probetur per plures non spernendos Authores. Vnde filius Serapionis in v. sui Breuiarij cap. 3. de baras. in vnius linimenti compositione vtrunq; amarum, & dulcem, immediate scripsit sic: Costi amari & dulcis &c. Et in 7. dicti sui Breuiarij capitul. 27. in Dimadh ad gibbositatem sic legitur: Costi dulcis, costi amari, omnium añ. &c. Item Cōstantinus Aphricanus monachus Casinensis, in libro de affectionibus stomachi, cap. xij. circa medium, videlicet in electuario, quod ponit contra frigiditatem stomachi, ex authoritate Galeni, habet costum dulcem. Et in xxj. cap. in electuario quod intitulatur, Electuarium diacosi maius, conueniēs habentibus frigidum stomachum (quod rectius putamus dici Electuariū diacosti, quàm diacosi) habet costū amarū & dulcem: quæ quidem electuaria etiā in vltimo cap. dicti libri rememorat similiter cum costo dulci. Itē præfatus Cōstātinus in lib. de Simplicibus, in de tertio gradu, de costo sic ait: Costus duobus modis est, vnus de India, qui rubeus est, & grauis, atq; amari saporis. Est & alius albus, qui inuenitur in Arabia, cuius pōdus est leue, nullam habēs amaritudinē &c. Macer quoq; de costo sic scribit: Costi sunt geminæ species, grauis vna rubensq; Est, & amara nimis: hæc Indica dicitur esse. Altera verò leuis, nec amara, colore subalba, Hāc Arabes mittūt: prior vtilior medicinæ &c. Item Bartholomæus Mōtagnana cap. 19. sui antidotarij in 34. cōpositione, quod est electuarium valens calculosis, habet costū dulcem. Et apud alios etiā legitur. Ergo reperitur costus dulcis. Præterea sunt & alij qui negāt inueniri costū in totum dulcem, sed dicunt quòd est vna ipsius species, quæ parū habet de amaritudine, quæ respectu alterius amarioris recte potest vocari dulcis. Quorum opinioni adhæreremus, si Macer & Cōstantinus præfati non dixissent reperiri costū absq; amaritudine. Nos autē nō possumus determinare de costo, quoniā adhuc nec costum amarā, nec costum

Costi plures species.

stum dulcem (supple veram) vidimus: quia hæc radix, qua cōmu niter hodierni aromatarij pro costo vtuntur, non est costus nec costi species. Etenim quilibet legens scripta Doctorū de costo, clarè percipit hanc officinarum radicem non esse veram costū. Dioscorides quidē, Serapio, & Auicenna tres describunt costos, Arabicā scilicet, Indā, & Syriacā. Sed cùm loquūtur de costo Arabica, dicunt quòd est alba, leuis & aromatica, & nihil de amaritudine tangunt. Vnde quod isti subticuerunt, Macer & Constantinus apertè dixerunt, quòd nō est amara. Vnde costus Arabica, quia non est amara, rectè potest dulcis appellari. Sed quia nec amara nec dulcis vera habetur costus, loco eius secundum Auic. ponitur medietas ponderis eius de optimo pyrethro. Et secundum alios, loco eius ponitur helenium, id est inula, vel enula vulgò dicta. Præterea sciendum, quòd in partibus Galliarū & præsertim in Monte Pessulano, pro costo vtuntur aromatarij mentha Romana, quæ vulgò dicitur lasulata, quam & costū falsò appellant. Et hi forsan authoritate Platearij hoc faciunt, qui capitulo de mentha dicit: Est & mētha quæ longiora, acutiora, & latiora habet folia, & hæc mētha Romana, vel Saracenica dicitur, id est costum vulgare. Hæc ille. Sed vt coniectauimus, Platearius non dixit illud quasi affirmans ipsam mentham esse costum, sed volens declarare menthā Romanam, illam dixit esse, quam vulgares costū falsò appellant, quia in capitulo de costo, nullam fecit de mentha Romana mentionem. Demum cœpit iam circunferri & alia radix alba, amaraque, quam nonnulli medici Romæ costum iudicauerunt, atque pro costo vera medicinis admiscent. Sed an vera costus sit, ignoramus.

Costum supplentia.

Costum nostrum est Lasulata Italica.

Confectio electuarij ex inuentione nostra &c. LII.



ITVLVS, siue exordium declarat, cuius Authoris sit præsens cōfectio: quia est de inuentione sui ipsius filij Mesuę Authoris nostri. Est nanq; valde laudabilis cōpositio, ad sedandum fluxū ventris &c. si quis autem voluerit ipsam parare, animaduertat quòd in eius descriptione, per aliquas mēdosas impressiones, legitur assari, pro assati, vt ibi: Cymini Carmeni infusi in aceto die ac nocte & assari &c. lege, & assati. Non enim est cōueniens assarum, quod est solutiuū, huic confectioni, quæ est ad restringendū fluxum vētris, & cyminū est assandū, vt sit magis cōstrictiuū. Item in aliquibus mendosioribus libris peius habetur,

& ex vnico simplici facta sunt tria, legiturq; pro Carmeni, carui, sic: Cymini, carui infusi in aceto die ac nocte, & asari, añ. &c. Et licet carui non esset multùm disconueniens, tamen quia non est de Authoris intentione, sicut nec asarum, non est admittendum. Lege igitur emendatius: Cymini Carmeni infusi in aceto die ac nocte & assati ℥.iij. vt est in cũctis exẽplaribus & correctis libris.

De Conchulis.

Conchula quidẽ secundũ suã deriuationẽ diminutiuè à concha dicitur Cõchæ autẽ siue cochleæ talibus in locis possũt largo modo appellari omnia genera & species ostraciorũ. Et sic pro cõchulis intelligerẽtur telline, & eis similia, quia sunt de minimis cochlearũ, siue cõchularũ generibus. Huiusmodi intẽtionis fuisse Manardũ, apertè ipsius scripta manifestãt. Tamẽ secũdum rei veritatẽ, non est ita, quia cõchula secundũ Papiã & alios plures probos Authores, est mater margaritarũ, quę vulgò dicitur Matriperna: quę non est de paruis, sed de magnis ostraciorũ seu cõcharũ generibus. Vel pro cõchula potest intelligi cõchiliũ purpuræ, quod est etiam de nobilissimis ostraciorũ generibus. Quod autẽ dicit Luminare Maius per Auic. authoritatem, ꝙ cõchulæ sunt illæ, quæ à peregrinis in pileis deferuntur à S. Iacõbo, falsum est, quia Auic. nusquam talia scripsit, sed interpres Gerardus Cremonensis errandi ei ansam tribuit. Quia in 3. canone, fen 21. tractatu 3. cap. 4. de cura fluxus sanguinis, & cura patiẽtis fluxum mẽstruorũ, inueniẽs alhuda, quod idẽ significat quod cochlearũ siue cõchularũ, vel huiusmodi similiũ: pro alhuda quidẽ interpretatus est cõchularũ. Hinc subiũxit declarationẽ addẽdo, marinarũ quæ asportãtur à S. Iacõbo. Quæ verba non Auic. sed ipsius interpretis sunt, vt probatur per nouã & magis fidelẽ Bellunensis traductionẽ. Nos autẽ non faceremus multã difficultatem inter cochlearũ species interrogãdo, quænam ipsarũ sint apponẽdæ, cùm generaliter omnes habeãt virtutem stipticãdi, nisi hæc vulgò dicta matriperna videretur esse vna ex nobilioribus speciebus, nulloq; modo vt omniũ nobilissima & virtuosissima, vt testatur Serap. in fin. cap. de margaritis, poneretur in medicinis margaritarum loco. Vnde hìc omnibusq; in locis, vbi cõchula simpliciter petitur, ipsa matriperna (si haberi potest) ponẽda est, vel saltem cõchiliũ purpuræ præfatũ, si defuerit matriperna.

Manard. errauit in conchula.

Matriperna.

De Alcohol, siue alcofol.

VT omnes declarat Alcohol, siue alcofol, Arabicè idem est quod puluis subtilissimus & leuissimus, qui minimo flatu, seu

leuissima aura ob alicuius rei corporalis commotionē euolat deuolatq;. Qui rarissimè, nisi quantitate copiosa vel radijs solaribus mediantibus, videri potest ab humano oculo. Quiq; Græcè atomus dicitur, Latinè autem indiuisibilis, aut sine incisione interpretatur. Veruntamen nobis visum est illud melius declarare, atq; dicere quòd alcohol, siue alcofol, siue alcohel, siue alteriusmodi barbarè vocabulum est æquiuocū, pluribus deseruiens: & quòd non semper per huiusmodi vocabulum, intelligēdus est puluis ille indiuisibilis: quia aliquādo ponitur alcohol, seu alcofol &c. pro collyrio aliquo, de rebus liquidis ac pinguibus, quæ nullo pacto possunt puluerizari. Et hoc passim apud Authores legitur (vt exempli gratia, aliqua assignabimus loca) & apud filium Serapionis in 7. cap. 33. sunt plura sief, id est collyria, in quibus legitur, Fiat alcohol. quod ibi non potest interpretari nisi collyrium, vt clarius percipitur circa finem capituli, vbi legitur: Ad tenebrositatem & dilatationē pupillæ, fel adib & mel faui, æquali mensura sumantur, & misceantur, & referuetur, & fiat alcohol ex eo. Aliud ibi. Aut hoc: Ex medulla cruris gruis fiat alcohol. Aliud ibidem. Aut hoc: Permisce aquam & vrinam pueri, & fac cum eo alcohol. Et alia plura. Item aliud exemplū apud Auic. in 2 cañ. cap. de hepate. Aqua hepatis caprini confert panno bibita, & in alcofol posita. Item in v. cañ. videlicet in summa secunda tract. 2. cap. de collyrijs & medicinis oculorum, sunt plurima collyria sub titulo cohol &c. Quapropter si legitur aliquid conterendum esse sicut alcohol, siue alcofol &c. tunc intelligitur de ipso puluere, scilicet quòd sit illa res subtilissimè puluerizāda. Si autem legitur, ex hoc vel illo fiat alcohol, non est interpretandum, fiat puluis subtilissimus, sed fiat collyrium vel aliud competentius ad illud. In hac autem confectione & similibus, accipitur pro puluere minutissimo. Et in sequenti electuario clarius habetur, quia non simpliciter est alcohol: sed sicut puluis alcohol, vt in omnibus antiquis exemplaribus legitur. Mendosę impressiones autem, ibi habent simpliciter, sicut alcohol, vt in ista. Et scias quòd simplex vocabulum est cohol, siue cofol. Illud al, autem quid significet apud Arabes, dictum est in confectione alchermes. Vide ibi.

Alcohol significatio.

Postremò notandū, quòd in præsenti & sequēti descriptione, & nonnullis alijs sæpe per varios libros, vna dictio reperitur vario modo & significatione descripta, scilicet quòd aliqui libri habent frigātur, alij autem fricētur, nonnulli verò peius frigētur,

quod

quod non competit. Sed vtrum sit legēdum frigantur vel fricentur non vtique diffinire audemus. Etenim vtroque modo fieri potest. Moderni nanque & impressi codices generaliter omnes habent fricentur, vetustiores autem pro maiori parte frigantur, Nos verò potius adhæremus antiquis, quàm impressis libris: nec tamen per modum fricationis fieri non reprehendimus. Conuenientius autem fit per frixionem. Frixio autē ipsa talis debet esse. Humectentur res cum succo, aut vino, aut liquore aliquo conuenienti vel assignato diligenter, taliter quòd non fiant ad modum massæ: & postea in vase terreo vitreato, ad lentum ignem tanquàm ad candelam, spatula semper agitando frigantur, donec exiccentur: & iterum atque iterum (si præcipitur) rehumectentur, & frigantur. Frixio enim non solùm in rebus pinguibus, puta in oleo, butyro, & similibus fieri potest, verùm etiā & in quocunque liquore nō superabundanti, si aliqua res decoquitur, potius frigitur seu assatur, quàm elixatur. Et hæc est (vt coniectamus) Authoris intentio, vt humectati pulueres ad ignem (vt diximus) quasi per modum frixionis exiccentur cum aliqua nō indiscreta assatione, quæ vigorat compositionem in stipticando, & confortando. Patet enim huiusmodi confectiones ad stipticādum & confortandū fuisse repertas. Et ne dubitet quis esse malum ad ignem exiccare has medicinas, quia legimus in Antidotario filij Serapionis Electuarium quod stat loco alcanzi, quod est eiusdem intentionis cum ista confectione: vbi Author medicinas bis prius bullitas super sartaginem ignitā præcipit esse siccandas. A fortiori ergo bene possumus ad lentum ignem, huius confectionis & similiū medicinas exiccare &c. Igitur rectius putamus legi frigantur, quàm fricentur.

Frixionis vsus & quo modo fiat.

Electuarium confortans stomachum &c. LIII.



RAESENS Electuarium non multùm elongatur ab intentione supradictæ confectionis, imò eiusdem intentionis esse ab omnibus affirmatur. Vtraque enim cōpositio laudabilis est, & magnæ virtutis, in comprimendo fluxum ventris &c. Sed sciendum, quod in præsenti descriptione, per omnes excusiones, est vnus non paruus error, vbi legitur: Trium piperum, sandali &c. quoniam nulla piperum species hanc compositionem intrat: nec in antiquis exemplaribus reperimus: quæ omnia concorditer habent scriptum, trium sandalorum, balaustij &c. Etenim qui

bene

bene conſiderat deſcriptionem, inuenit in ea duplicem eſſe errorem: quoniam non ſolùm tria pipera adduntur contra Authoris intentionem, verùm etiam auferuntur ab ipſa duæ ſandalorũ ſpecies, valde illi cõpetentes, rubei ſcilicet & albi: quod eſt malum. Quia per ſandalum abſolutè, ſemper intelligimus citrinũ, vt dictum eſt ſuprà. Et ideò huiuſmodi errores non ſunt tranſeundi, ſed corrigendi ſunt libri, atque emendandi.

De ſemine Roſarum.

IN ſemine Roſarum non pauci aromatarij hallucinãtur, ob id quia non vacant libris, ſed lucris. Etenim ſcimus plures aromatarios qui pro ſemine roſarum intelligunt illa capillamenta cum minutulis croceis, quæ ſunt in medio floridæ recentis roſæ. Et quàm turpe ſit audire & videre hoc pro ſemine accipi, deteriorẽ ſcilicet partẽ floris, vos ipſi ô lectores dijudicate. Minus quippe malũ eſſet ſumere illos pediculos, ſeu illa capitula integra, quę ablatis florum folijs reſtant in manibus deflorantium roſas: quæ quamuis non habeant intus matura ſeminũ grana, attamen continent in ſe principium, ſeu partem primam ipſorũ granorum immaturorum. Quia ipſum quidem pomulum, quod eſt ſuſtentamentum roſæ floridæ, manens in planta ſua, defluxis iam florum folijs, creſcit in dies ad formam pyri paruuli, atque maturatur. In qua ſua maturatione vt corallius rubeum perpolitum rubeſcit. A quo optimè maturo ſemen piloſum quod eſt intus colligitur, & aſſeruatur. Et hoc eſt ſemen roſarũ, quod ad medicinæ vſum tranſire debet. Sed nota, quòd ab omnibus roſarum plãtis, tam rubearum quàm albarum, quamq; alterius ſpeciei & coloris, & tam ſylueſtrium quàm ſatiuarum ſemen poteſt accipi, & eſt bonum. Sed quia ex ſatiuis generaliter in roſarum collectione colliguntur & ipſa capitula, ex ſylueſtribus non minus bonum, imò iudicio plurimorum laudabilius ſemen, autumnali tempore atque hyemali ſecundum loca, poteſt colligi, & ſeruari. Sylueſtrem quidem roſam intelligimus illam plantam, quam vulgò rubum caninum appellant: Græci autem cynosbaton. Quamuis & illæ plantæ inter ſylueſtres annumerari poſſint, quas vulgariter vocamus roſam incarnatam, ſeu roſam trentaphyllam, quaſi triginta foliorum, & roſam damaſcenam ſiue muſcatellam, quam Auicenna cañ. ſecundo 514. cap. ſecundum Bellunenſem, Nefrin, ſiue neſrin, vel neſerin nominat. Vnde dictus Bellunenſis in ſuis interpretationibus declarans Neſrin, ait: Neſrin eſt roſa habens odorem acutum, & vulgares apud Hiſpaniam & Barbariam appellant

Semen Roſarum quid.

pellant rosam muscatam,& Damasci dicitur rosa nesrin,vel nese rin,& est species rosæ syluestris. Hæc ille.Simon quoque Ianuensis,& Pandectarius in litera Neserin,vel nesein, authoritate Alhaui dicunt esse rosam syluestrem & albam, quæ habet arborem spinosam,vt domestica. Item Serapio facit similiter cap.de hac rosa,& vocat eam Nersin,quasi Nesrin,inuersis,s,& r,literis. Vbi dicit quòd ab aliquibus, rosa agrestis & rosa seni dicitur. Alba quoq;,quæ & centifolia dicitur,ob sui spinarum,seu aculeorum densitatem & asperitatem,inter syluestres potius quam inter satiuas connumeranda putatur. Omnes enim istæ,sentes acutæ,largo modo vocitari possunt. Etenim cum rubi generibus, maximam habent affinitatem.

Modus confectionis Alcanzi *&c.* LIIII.



ETENIM præsentis confectionis descriptio, vt in impressis libris habetur, valde mẽdosa est. Vnde vbi legitur : Nucis muscatæ &c.ana ʒ.iij.s.legeabsque illo semis, ana ʒ.iij. Item post prædictũ ana desunt ista, videlicet cyperi ʒ.xij.trium piperum ana ʒ.iij.s.Item dosis est ʒ.ij.& non iij.Sic enim in omnibus exemplaribus antiquis & impressis libris,de prima impressione duntaxat:& etiam in illo de vulgari lingua Italica impresso,hæc omnia sic habent. Quapropter ita recte tenendum esse non dubitamus.

De Alcheil,alkelil &c.

SImili modo,vt dictum est suprà de machazari, siue mazachari &c.& hoc vocabulũ per varios libros variè legitur. Etenim vltra 30.variationes legimus,videlicet alcheil,alchelil,alkikil,alkilil altilil &c.aliter,& aliter:& sunt qui per k,& sunt qui per c, habent. Quibusquidẽ cõsimilia penè innumera vocabula apud alios Authores varias res significantia (vt apud ipsos videri potest) reperimus. Vnde apud filium Serapionis, in secundo Breuiarij,16.cap.quod est de algumur calido legitur : Cum granatis syluestribus,& sunt grana alkilkilati. Et parũ infrà : Et granatorum syluestrium,& sunt alkilkil. Et inferius in eodem capitulo : Cum aceto granatorum syluestrium,& sunt grana alkikil. Et capitul.25.quod est de sputo sanguinis ex corrosione, in trochiscis Andromachi: Fructus granati syluestris, & est alkilkilatum. Et in tertio Breuiarij,capitulo xv.in vno emplastro, legitur: Alsenir,& est alkeil. Et in quarto Breuiarij,capitulo 21.

prope

prope finem : Semen granati ſylueſtris,& eſt granum alkakil. Et in quinto Breuiarij,cap.31.circa finẽ : Granata ſylueſtria,& ſunt grana alkilkil. Et in ſeptimo Breuiarij,cap.20.in triphera maiori,legitur : Bedenac,& eſt ſemen granatorum ſylueſtrium,& ſunt grana kilkil. Et in ſynonymis in fine dicti Breuiarij legitur : Alchecheil,id eſt tamariſci maſculæ. Alcheil,id eſt locus inter duas ſpatulas ſub collo. Alchelchel, id eſt medium colli.kilkil, id eſt grana valen,id eſt tremulæ arboris.Item apud Auic.in ſecundo can.cap.de grano alkilkil,legitur : Granum alkilkil eſt ſicut piper album.quidam autem dixerunt,eſt ſemen granati ſylueſtris &c. Et apud Simonem Ianuenſem : Alkilkil Arabicè eſt granatũ ſylueſtre. Kilkil Arabicè, eſt fructus granati ſylueſtris. Corona montis,vel montana,vocant Arabice, roſmarinum, id eſt alkelilgebel &c. Item Pandectarius multa plura ponit. Sed nos quæ vnũ & eũdem habẽt ſignificatũ in vnum redigimus,reliqua volentibus apud ipſum videre relinquẽtes. Vnde Alcheel,alchoël, alcheil,id eſt locus inter duas ſpatulas, vbi coniũgitur collũ dorſo. Alchel,id eſt cõchilium marinũ. Alkikilita,alkilkil, alkil,dar ſilahan, vel kilkil,kikil, Alkilil,kinhil,eſt arbor ſiue granũ granati ſylueſtris. Alkeligebel,kinkil,id eſt corona mõtis,id eſt roſmarinum.alkilkil,kilil,myrobalani citrini,vel corona regia.Kekil,id eſt mellilotum. Alkelel, id eſt ſemen alaagep,id eſt herba violaria. Alkilat eſt pondus trium granorum hordei,& nonnulla alia quæ dimiſimus. Ex quibus patet,quòd quilibet poteſt intelligere per illud barbarum variatũ vocabulum,præter ea quæ non competunt,vel granum ſiue arborem granati ſylueſtris, vel tamariſcum maſculam,vel granũ valen,id eſt tremulæ arboris, vel roſmarinum,vel myrobalanum citrinum, vel coronam regiam,id eſt mellilotum,vel herbam violariam, vel aliud ſimile à quo flos poteſt accipi : quia in deſcriptione legitur,Florum alcheil &c.Luminare Maius autẽ ſuper hac confectione dicit,florũ alchelil,id eſt florũ roriſmarini,ſiue coronæ montis,ſiue alcheliges: vt apud Grecos.Si verò reperies ſcriptũ in cõfectionibus granorũ alchilil,intelligitur granata ſylueſtria. Et in Dianthos ait: Anthos verò eſt flos roris marini,qui alio nomine flos alchilil dicitur. Vnde zuccharũ alchilil,id eſt de floribus roris marini. Et in præfato zuccharo ſcribit : Zuccharum alchilil,id eſt zuccharum quod fit ex floribus roris marini,qui alio nomine corona montis vocatur &c. Vbi in fine ſubiungit : Alchilil, vel alchilchil, flos eſt roriſmarini : ſed grana alchilchil ſunt granata ſylueſtria.

Corona mõtis.

Hæc

Hæc ille. Sed reuera ipse bonus vir in præallegatis locis confundit sese, quia primum dicit, alchelil esse florem roris marini, & alchilil granata syluestria: postea testatur alchilil esse florem roris marini. Vnde facit hoc vocabulum æquiuocum, affirmansq; idem esse alcheil, alchilil, & alchilchil. Sed si præponatur ei hic terminus, flos, vult quod intelligatur rosmarinus: si autem præponitur hic terminus, granum, vult nos intelligere granatum syluestre, tanquam si arbor granati syluestris careat flore. Quare ergo secundum ipsum granum alchilil, est granum granati syluestris: & flos alchilil, non est flos granati syluestris? Manardus autem in præsenti descriptione declarans alcheil flores, dicit se credere legendum esse alkilil, quod vocant Arabes granatum syluestre. Sed difficile nobis videtur, quòd flores ab Authore descripti possint esse absolute flores granati syluestris, vt dictus Manardus putauit, cùm infrà in hac ipsamet descriptione posuerit Author Balaustia, quæ in veritate, nil aliud sunt (vt mox patebit) quàm flores granati syluestris. Non enim bis Author posuisset dictos flores: necesse est ergo vt sint flores alterius plantæ. Christophorus de Honestis verò in zuccharo alchilil dicit esse flores boraginis, quod multis non placet, vt loco suo de eo dicemus. Quid sit ponendum in præsenti confectione egrè à nobis percipitur: omnia enim prædicta vocabula habent quandam inter se affinitatem, & variationes librorum ferè cum omnibus & singulis conueniunt. Saluo tamen semper meliori iudicio, ponere flores berberorũ, siue darsisahan, siue huiusmodi similis, putamus non esse contra Authoris intentionem. Patet enim quòd Author in hac descriptione intendit stipticare, & huiusmodi flores non parum stipticitatis habent: quorũ arbores, & specialiter dasisahan, inter species granatorum syluestrium possunt connumerari. Sed principalis species granati syluestris est illa, quæ facit balaustium. Vnde non obstat, quòd Author habeat in præsenti descriptione duas species granati syluestris: & sic potest esse, quòd intelligantur flores granati syluestris, vt Manardus credidit, sed non de prima & principali specie.

De Balaustijs.

PAucissimi sunt tam aromatariorum quàm medicorum, qui vera hodie agnoscant Balaustia. Nam generaliter ferè omnes pro Balaustijs intelligunt flores caducos arborum granatorum, quos Græci cytinos nominant. Caducos dicimus illos, qui non sunt apti nati ad producendum pomum. Arbores enim

granatorum,cucurbitarum more florescunt,duplici florũ genere:quiquidem flores à principio sui ortus possunt distingui caduci & infructiferi à permansuris & fructiferis.Siquidem fructiferi antequàm in sui calicis coronula flosculi appareant (qui calyces ipsi propriè cytini sunt) ostendunt formã futuri pomi.Non obstãte,quòd ex ipsis etiã decidant plures ante pomi maturationem,qui vnà simul cũ caducis colligun tur,& asseruantur ab aromatarijs.Veri autẽ caduci nunquam ostendunt mali futuri normam,nec diu in planta manent,sed defluũt omnes &c.Veruntamen hic flos caducus non est balaustium: quia balaustium propriè sunt flosculi illi,siue illa tenuia folia, quæ super calicẽ ipsius cytini generantur.Et secundum Pliniũ,tam in domesticis quàm in syluestribus granatorũ arboribus,cytini & balaustia nascuntur.Sed quia in genere granatorum sunt quædam syluestres quæ habent exiguum cytinum siue calycem, & innumera foliola in vnum conglobata pulcherrimæ rosæ effigiem repręsentantia:& econtrà satiuæ siue domesticę habent magnum calycem,id est cytinũ:& pauca,puta quinq; aut sex foliola tãtùm: Græci quidem, vt per Diosc.probatur,parum illud in vtroq; genere, satiuo scilicet & syluestri pro nihilo reputantes,absolute satiuorũ flores cytinos,syluestrium autẽ balaustia vocauêre. Et non est dicẽdum, quòd idem est cytinus quod balaustium, excepto quòd per satiuum & syluestre tantùm differunt:quia differunt per calycem & flosculos,scilicet quòd calyx est cytinus,& flosculi sunt balaustia. Et si quidẽ Plinius de balaustio 13.& 23.libris scribens,nihil particulariter de syluestri granato meminit,declarans illud in omni genere posse intelligi.Vnde apertè capite sexto præfati 23.libri, generaliter demonstrans quid sit cytinus,quídve balaustium,dicit: Primus pomi huius partus florere incipientis, cytinus vocatur &c.vsqueadeò nihil intentatum reliquêre.Hinc subiũgit: In hoc ipso cytino flosculi sunt,ante quàm malum ipsum prodeat, erumpentes,quos balaustium vocari diximus. Hæc ille. En videtis,quòd differt balaustium à florum granatorum calyce cytino dicto,& per aliud,quàm per syluestre & satiuum: tamen eiusdem virtutis sunt.Sed pro cõtentiosis,quòd cytinus & balaustiũ non sit idem tanquam per diuersa nomina vocatum (quia nõ desunt qui hoc suspicantur)probatur etiam per Galenum in vij.de medicamentorũ cõpositione secundũ locos: vbi in vno medicamine Apollonij ad sanguinem spuentes,& in vno alio Cledonij ad eosdem,vtrunq; habet cytinũ,scilicet & balaustiũ:ergo non sunt

Balaustiũ.

Cytinus.

idem. Arabes autē,vt Serapio,Auic.& cæteri,Dioſcor.imitātur, vocantes balauſtium florem granati ſylueſtris tātùm. Enimuero aliquando habuimus vera balauſtia ex Syria,nunc autem copioſius ex Sicilia habemus, quæ cuilibet poſſumus oſtendere: ſunt nanq; flores cuiuſdam ſpeciei granati ſylueſtris, qui flores habēt exiguum calycem,id eſt cytinum ita planum & apertū,atq; diſſectum in quatuor aut quinq; partes, quòd potius à nō exercitatis viris iudicátur folia quàm calyx, ſuper quem ſunt floſculi innumeri in vnum(vt diximus)globatim conuoluti, pulcherrimo aſpectu.Huiuſmodi balauſtij arbor nunquam pomū ad maturitatē alit,ſed ſemper delectatur in floribus.Et hæc eſt vna ex veris ſpeciebus granati ſylueſtris: quia ſicut ſunt plura genera & ſpecies ſatiuorū,ſic etiā & ſylueſtriū. Vnde Plinius nouē ſatiuorum genera notauit.Etenim aſpalathū quē darſiſahan, ſiue darſianā vocant(ſi nō eſt interpretum error) volunt Arabes eſſe ſpeciem granati ſylueſtris,vt in Serap.cap.26.habetur,& etiā apud Auerroin in v.Colliget ſic legitur:Aldarſiana, id eſt cortex mali granati ſylueſtris.Itē Serap.cap.227.ſub nomine mihad, ſcribit vnā aliam ſpeciē granati ſylueſtris &c.Ergo prętcr arborē balauſtij, ſunt & aliæ ſpecies granatorū ſylueſtriū &c.Et ſic ſecūdum veritatem ac Plinij authoritatem,ex omni granatorū ſpecie, tam ſatiua quàm ſylueſtri,floſculi florū,id eſt foliola illa tenuia ſunt balauſtia,& calyces ipſorum ſunt cytini. Qui cytini à Latinis,vt dignoſcantur à balauſtijs,abſolute flores granatorū nuncupātur. Vnde cùm reperitur flos mali punici(quod idē eſt quod malum granatū)intelligitur ipſe cytinus:ſi autē legitur balauſtiū, intelliguntur floſculi dicti &c.Et ſi additur eis ſylueſtre, de ſylueſtribus:ſi autē ſatiuum, de ſatiuis ſiue domeſticis intelligatur. Non ſpecificatè verò,flos intelligitur de ſatiuis,& balauſtiū de ſylueſtribus.Sed aduerte,quòd aliquando per libros minus rectè legitur,quaſi fœminino genere:Balauſtia balauſtiæ,& balauſtiæ balauſtiarū,pro balauſtio & balauſtijs.Nihil refert,ſatis clarè percipitur quid eſt.Præterea ſcribūt doctores,vt Dioſc.Plin.& cæteri quòd balauſtiū reperitur cādidum,rubrū,& purpureū. Nos autem nō niſi rubrū ſemper vidimus.Cōpenſatur quidē in medicinis alterū pro altero, ſcilicet cytinus pro balauſtio, & balauſtiū pro cytino.Vtriq; enim eſt vna vis,vt Dioſcor.& cæteri teſtātur. Poſſunt poni etiā iſtorū loco (vt ex probis Authoribus collegimus)capita ſiue putamina granatorū. Putamina enim dicūtur, cortices arboris & omnes extremitates ipſius. Item cicum, id eſt pannic

Flores granatorum.

Balauſtij & Cytini ſupplentia.

Cicum.

panniculus seu mēbranula illa, quæ separat grana à granis ipsorum pomorum granatorum. Item granula illa expressa tamen prius ipsorum succositate. Item cortices dictorum pomorum, id est malicorium. Item hypocystis. Item cortices glandium, secundum Auicennā, & alia plura. Et tam à cytino quàm à balaustio recenti excipitur succus, hypocystidis more: ac pro eo, vbi oportet, licitè administrandus. Dioscorides Author est. *Malicoriū.*

De fructu Tamarisci, id est Tamaricis.

TAmarix, id est Myrica: siue vt mauis, tamariscus, id est syluestris myrica, vt propriè Dioscorides scribit, cognita arbor est, quæ, vt in re ipsa probatur, fructum fert muscosum floribus similē &c. Est & alterū tamaricis genus, quod tradit Diosc. oriri in Aegypto & Syria, mitius syluestri. Vnde à Serapione hoc genus respectu superioris agrestis, domestica tamariscus appellatur. Huiusmodi arbor fert fructum Gallæ proximum, dentatum, seu inæqualiter asperum &c. Et hæc arbor est illa, quam Andreas Bellunensis vocat Athel, de qua suprà in triphera maiori ex arte Fenonis diximus. Qui asserit fructum vtriusq; tamarisci vocari charmazech seu charmezith. Tamen per charmezith absolutè, potius est intelligendus fructus Athel, id est tamarisci domesticæ, quàm syluestris, quia domestica tamariscus à Serapione cognominatur carmezit, & non syluestris. Syluestris enim tamariscus est illa, quam cognoscimus. Domestica autem, non ita est nota apud nos, quoniam in Aegypto tantū & Syria reperiri scribitur. Veruntamen vnius qualitatis & virtutis sunt ambę: ex quo rectè potest altera pro altera administrari.

Confectio de Assa &c. LV.



IN præsenti descriptione equidē per antiqua exemplaria nō ponitur pondus rerum determinatum, sed simpliciter ana. Et sic rectius, quia cùm omnia simplicia dictæ cōfectionis vnico simplici ana concluduntur, non est necesse ponere determinatum pondus. Vt in impresionibus legitur ana ℥.iiij. & in alijs: ana ℥.iij. Sed vnusquisq; potest accipere plus minúsve, vt sibi videtur expediens, & necesse: non obstante quòd per ℥.iij. vel iiij. nihil impedit fieri. Filius Serapionis in septimo, & Auicēna in quinto habent similiter hanc eandem confectionem, sine determinato pondere. Sic videlicet: Recipe assæ &c. partes æquales.

De Aſſa, ſiue Aſa.

ASa ſecundum aliquos, & ſecũdum alios (quod putamus rectius) aſſa, dicitur illud quod à Græcis laſer appellatur, vt patet concordando capitula Serap. & Auic. de aſſa, cum capitulis Dioſc. & cæterorum de laſere. Sunt aliqui, qui in duas ſpecies diuidunt aſſam, ſcilicet in fœtidam & odoratam: & ſunt qui addunt & tertiam, ſcilicet dulcem, quam alij aſſeuerant non reperiri, & ideo illam fatentur dulcem, quæ parum habet de amaritudine. Quorum opinio nobis non diſplicet. & quoniam ſcripta doctorum de aſſa & laſere, clara ſunt, breuitatis cauſa ea ſtudioſis perlegẽda relinquimus. Hoc tamen dicimus, quòd iudicio plurimorum hæc, qua hodie communiter vtimur, tenetur eſſe vera ſpecies aſſæ fœtidæ. Quod nos non audemus affirmare, nec poſſumus reprobare, quia adhuc non vidimus plantam eius: neq; ab aliquo qui viderit, eius formã diſcere valuimus. Dum ergo non habemus certiorem notitiam de ipſius aſſæ ſpeciebus, liceat nobis hanc communẽ & vſualẽ, tam pro fœtida, quàm pro odorifera, quàm etiã pro dulci in medicinis ponere. Dulcẽ quippe aſſam adhuc nõ legimus in proborũ Authorũ cõpoſitionibus. Odoriferam autẽ, ſimul & fœtidam, Auic. in v. cañ. in oleo ierbuet deſcripſit. Nec miretur quis, quòd dixi p̃ro odorifera apponẽdam eſſe fœtẽtem, tanquam ſuũ contrariũ; quia ſimiliter Auic. in fine ſui cap. de aſſa poſſe fieri notauit, cùm dixit: Loco fœtidæ, æquale pondus ipſius de odorifera ponitur &c. Si ergo fœtidũ & odoriferum contrariantur ad inuicem, hoc in loco Auic. malè ſcripſit. Quod abſit. Item dicet forſan aliquis, quòd ponere olentem pro fœtida (ſicut Auic. dicit) eſt bonũ, ſed nõ econtrà. Adhoc reſpondemus, quòd de cõſimilibus idem eſt iudicium. Nam & Serapio authoritate Meſarugiæ dicit: Aſſa fœtẽs eſt ſubtilior & calidior & fortior, quàm odorifera. Etiam ipſe Serapio in eodem cap. ſcribit: Et melior ex aſſa eſt illa quæ vergit ad rubedinem, & eſt clara, ſimilis myrrhæ, habens fortem odorem, non diſsimilem odori porri &c. quaſi dicat, quòd fœtet vt porrum. In aliquibus autem codicibus nouiter impreſsis, in hoc cap. Serap. mendoſè legitur: Habens fortem odorem, non ſimilem odori porri &c. Huiuſmodi enim cõfuſa loquutio manifeſtat errorem, quia hic modus loquendi, nullam nobis aſsignat ſimilitudinem cognoſcendi odorem aſſæ. Nec erat neceſſe ſcribere rem diſsimilem, ſed conſimilem. quamobrem debetur legi: Habens odorẽ nõ diſsimilem. hoc eſt, ſimilem odori porri. Et ſic inuenimus in vno antiquo exemplari.

plari. Ergo aſſa fœtida eſt melior odorifera,& in permutationẽ ponere ſpeciẽ meliorẽ ſui generis,nõ eſt niſi bonũ. Præterea,nos hucuſq; nõ vidimus propriã & verã odoriferã aſſam. Et quãuis aliqui,vt Manardus & Braſaulus, velint benzuin vulgò vocatũ, eſſe aſſam odoriferã,tamẽ hoc nobis nõ clarè cõſtat. Vnde putamus pari modo,vt dictũ eſt de dulci,dicẽdum eſſe de odorifera, ſcilicet quòd illa quæ minimũ habet fœtorẽ, reſpectu fœtẽtioris vocetur odorifera.In quo videntur cõuenire verba Auic.qui ait: Alia eſt odorifera,nõ fortem habẽs odorẽ &c.Odor enim in bonam & in malã partẽ capi poteſt, id eſt multoties ponitur odor pro fœtore.Ex quo etiã verba Serap.conueniunt cùm dicit illam aſſam,quæ naſcitur in Syria,habere peiorẽ odorẽ.Peius quidem, non niſi à malo cõparatur.Quibus viſis,concludendum eſt,bene poſſe poni aſſam fœtidã pro odorata.Inſuper eſt aduertendum, quòd nonnulli ob ignorantiã & affinitatẽ vocabulorum multoties decipiuntur,& pro aſſa,intelligunt aſſarum:& aliqui haſce, quod eſt thymus,dum legunt aſſæ, intelligunt. Alij etiam quandoq; pro aſſa,rem combuſtam intelligunt.Vt exempli gratia, quando legunt,Galbani,myrrhæ,aſſæ &c.intelligunt myrrham crematam.Quapropter quandocunq; reperitur huiuſmodi vocabulum,bene perſcrutãdum eſt & intelligẽdum quid eo in loco ſignificet,ne incuria error committatur in compoſitione.

Confectio anacardina,& eſt confectio ſapientum &c. LVI.



B anacardis quos recipit,præſens confectio anacardina vocatur.Sed quare potius ab anacardis, quàm à burungis,aut ab alio aliquo cæterorum ſimplicium? Quia anacardi ſunt conuenientiores intentioni ipſius confectionis,& præſertim ad memoriæ reparationem, quod baſis eſt illius compoſitionis. Aliam differentem ab hac deſcriptionem authoritate filij Zachariæ Araſi,habet Author noſter in ſumma de ægritudinibus neruorũ:quam deſcriptionẽ ponit ipſe filius Zachariæ,ſcilicet Rhaſis in antidotario diuiſionũ: vbi etiã habet aliam,quæ intitulatur confectio anacardi minor &c.Præterea eadem hæc cõfectio pręſentis antidotarij ponitur ab Auicen.in v.cañ.tractatu 3.primæ ſummæ,ſub titulo Electuarij anacardini: vbi legitur, quòd eſt Electuarium Salomonis.Et idem electuarium ſub eodem titulo habet Ioannes Serapionis in 7.ſui Breuiarij.cap.20.Vbi cõſimili-

ter teſtatur eſſe à Salomone. Ab omnibus nanq; dicitur eſſe confectio ſapientum. Eſt enim mirabilis ad memoriam augendam & conſeruandam. Sed aduerte quòd præfati, ſcilicet Auicenna & Ioannes Serapionis, quilibet ipſorum habet tres alias confectiones anacardi, differentes ab iſta filij Meſuæ. Auicēna quidem in dicta prima ſumma v. cañ. tractatu primo. filius Serapionis autem in eodem 7. cap. octauo.

De Ium de Beduſt.

ANimaduertendum quòd ferè per omnes impreſsiones, mēdosè legitur in præſenti deſcriptione: vini de Beduſt. Rectius enim legendum eſt (vt antiqua exemplaria habent) ium de beduſt. Huiuſmodi enim error à minus peritis librarijs proceſſit, qui non intelligentes ium, reſcripſerunt vini transponentes i, & v, & conuertētes m, in ni. Et ſic peruertētes literas & vocem, ſignificati confuderunt ſententiam & veritatem deſcriptionis, quia vinum de beduſt cùm non reperiatur in rerum natura, nihil poteſt hîc ſignificare. Ium de beduſt autem, ſiue iuni de beduſter, & ſimilia, ſignificant nobis teſticulum caſtoris: vt probatur per Simonem Ianuenſem in litera beduſter. Et per Pādectarium in litera, luna da baduſter. Cum quibus concordant Manardus, Luminare Maius, & Nicolaus Præpoſitus & cæteri: quos omnes curioſis dimittimus legendos. Et ſic ſemper cùm legis ium de beduſt, ſiue de beduſter, vel ſimile, caſtoreū intellige. Vnde ad maiorem declarationem & rei certitudinem, lege apud Serapionis filium, & Auicennā qui eo in loco, vbi Author noſter habet ium de beduſt, ipſi caſtoreum habent. Quid autem ſit caſtoreum, lege in ſequenti diſtinctione.

De Anacardis.

ANacardorum fructus ſecundum veritatem, vt per Serapionem videri poteſt, ſunt ipſi quibus vtimur. Ipſe Serapio autem capitulo de anacardo, non citat Dioſcoridem: vnde coniectamus ipſum Dioſcoridem non ſcripſiſſe de eo. Ex Sicilia quippe optimos habemus anacardos. Vocant etenim nonnulli anacardum, pediculum elephantis. Sunt autem anacardi mali ſucci, & habent in ſe aliquam venenoſitatē ſeu malitiam: ob quam cauſam precipit Author, ante ſex menſes, ipſam confectionem non propinari.

Pediculus elephantis.

De Burungis.

HVius ſimplicis verum vocabulum, vt etiam multorū aliorum, reperire non valuimus, propter librorum variationes,

nes. Nam in aliquibus legitur burungi, in alijs burongi, in alijs berungi, in alijs abrungi, in alijs bedarungi, & in alijs aliter & aliter. Quapropter quid propriè sit hoc simplex, nō præsumpsimus nostra authoritate absque probatione diffinire. Relinquimus autem ipsum peritioribus nobis declarandum. Authores nanque & præcipuè iuniores, vsque nunc, omnes quasi diuinando in huiuscemodi re loquuti sunt: inter quos sunt qui cubebas, & qui nigellam, & qui melissam, & qui ocimū, & qui erysimon, & qui lactucam syluestrem, & qui semen rusci, quod est fructus myrti agrestis: & alij alia plura esse affirmauerunt. Nos autem tanquam maius malum fugientes, dum non habuerimus meliorem notitiam de ipso occultato simplici, loco eius veras cubebas si nobis fuerint, apponemus: sin autem non, melissam substituemus. Quia vt patet in exordio ipsius cōfectionis, Author memoriæ valde prodesse intendit. Etenim cubebæ, & melissa (vt aliqui volūt) magnopere memoriæ conferunt. Et forsan propriè ipsa melissa est, quia in cap. de melissa apud Serapionem, legitur bederangie, bederungij, & bedarungi: quæ vocabula affinitatem quādam habēt cum supradictis. Et cùm (vt diximus) aliqui libri bedarungi habeant scriptū, & idē Serap. faciat aliud cap. quod intitulatur de abrugi, vbi dicit: abrog, vel abrugi est granū paruum punctatum nigredine & albedine, rotundum sicut granum mes. id est robiliæ, nullius odoris: affertur de seni: in sapore eius est amaritudo &c. In summa quid propriè sit, ignoramus. Aduerte quòd diximus veras cubebas, quia (vt in confectione alia Galeni declaratum est) hæ quibus hodie comuniter aromatarij vtuntur, non sunt veræ cubebæ. Aduerte etiam quod author nouarum commētationum super hac confectione, arguens Luminare Maius, ipse peius dicit & falsissime scribit Auicennam & filium Serapionis loco burungi, in præsenti descriptione, habere nigellam. Cùm in rei veritate vterq; ipsorum, vt Author noster burungi habeat. Et licet in vna aliarum trium descriptionum, quæ maximè differunt ab ista, ipsi habeant nigellam, non tamē per hoc probatur, nigellā esse burungi. Sunt etenim & ibi præter nigellam, & alia plura simplicia, quæ non sunt in præsenti descriptione. Ergo eadem ratione qua ipse interpretatur nigellam, potest quispiam interpretari quodlibet eorum esse burungi: quoniam vbi Hali Abbas describat confectionem anacardinam, nescimus. Nam in decimo practicæ non inuenimus, vbi ipse etiam Hali citat.

Burūgi supplentia

DISTINCTIO SECVNDA EST DE MEDICINIS OPIATIS.

Confectio Philonij, ex inuentione propria &c. LVII.



RAESENTIS quidem cõfectionis titulus verior est, Confectio Philonis, ab ipsius inuentore: vel simpliciter Philonium, quod idẽ significat quod medicamen Philonis, seu cõfectio, vel aliud simile. Cùm autem nũc legitur, Confectio Philonij, idem est ac si diceret, Cõfectio medicaminis, seu antidoti Philonis. Sequitur: Ex inuẽtione propria, scilicet ipsius Philonis, & non filij Mesuæ. Cùm autem reperiantur diuersæ descriptiones sub nomine Philonij, varijsque cognominibus munitæ, vt est Philoniũ Persicũ, quod mox subscribemus: & Philonium Romanum &c. nõ intelligitur quòd Philo fuerit Persa, & Romanus, sicut intelligitur Philonium Tarsense, ex eo quòd Philo ipse fuit Tarsensis. Sed cùm legitur Philonium Romanum, & Philonium Persicum, est intelligẽdum, quòd medici Romani atq; Persici accipientes descriptionem istiusmodi antidoti Philonis, vt eis expediẽs & bonum videbatur, varia addidere, atq; commutauere simplicia, alij plura addendo, alij pauciora: necnon & in simplicium ponderatione aliquo modo diuersificando: atque ita vocatum est Philonium Romanũ, hoc est Confectio Philonis secundũ vsum Romanorum: & Persicum, id est secundum vsum Persarum. Sic etiam Philonium descriptione Hamech filij Zachariæ, id est quòd ipse Hamech accipiens confectionem Philonis, suo modo variauit. Et quoniam omnes descriptiones Philonij præfatæ, ab ista prima quæ hîc describitur, depẽdent, rectè ab Authore nostro inscribitur, Ex inuentione propria. quia hæc est verior, purior, & simplicior descriptio ipsius Philonis medici. Quasi dicat alias descriptiones ab alijs esse variatas, & ideò non meras esse Philonis descriptiones, sed descriptiones Philonis cum additionibus aliorum. Vt in Philoniũ Romanum, id est Confectio Philonis cum additione Romanorum: & Persicum, scilicet cum additione Persarũ &c. Nonnulli autem libri ex antiquis sic habent hunc titulum: Confectio Philonij descriptione prima &c. quæ etiam potest stare, & ferè idem significat, videlicet quòd hæc descriptio simplex & vera ipsius Philonis sit & fuerit prior omnibus alijs, quæ ab ipsa dependent. Præterea

terea à nõnullis ad titulum Philonij Romani additur Tarſenſe, Vnde legitur: Philonium Romanũ Tarſenſe, quod idem ſignificat quod Cõfectio Philonis Tarſenſis, ſecundum vſum, ſeu cum additione Romanorum. Etenim teſtatur à Galeno, & Paulo, & alijs fide dignis Authoribus, quòd Philo medicus fuit Tarſenſis, & non Romanus, vt aliqui putãt. Nõnulli verò, vt Nicol. Salernitanus, & Pãdectarius, & cæteri per etymologiã vocabuli exponunt Philoniũ ſignificare nouũ amicũ, ſiue amans hominẽ, vt in litera Philimon ipſe Pandectarius dicit. Etenim titulus Philonij Perſici, quod ponitur ab Authore noſtro in cura de ægritudinibus pectoris & pulmonis, ſcilicet in fine capituli de fluxu ſanguinis ab ore: per aliquos libros incipit Philimon, vel filimon, vel filomion, vel filomon, & ſimilia plura. Et licet aliqui ſcribant filoniũ, & filimon &c. per f, nihil refert, & idem eſt. Veruntamen per f, tanquam Latinè: per ph, autẽ tãquam è Græco. Rectius verò per ph. Confectio autem Philonij Perſici præfata, id eſt cum additione Perſarum, quamuis non ſit in hoc antidotario, tamen quia in ſe includit totã præſentem deſcriptionem, & quia à multis habetur in frequenti vſu, cum ſit ab ipſomet Authore noſtro poſita: viſum eſt nobis non incongruè hîc ipſam deſcribere, & vnà ſimul cum iſta declarare. Vnde ſequitur: Philonij Perſici deſcriptio &c. Accipe piperis albi, hiuſquiami albi, ana ℥.xx. opij, terræ ſigillatæ, ana ℥.x. ſcedenegi, croci, ana ℥.v. caſtorei, ſpicæ, euforbij, pyrethri, margaritarũ nõ perforatarũ, charabæ, zedoariæ, doronici, ramich, ana ℥.j. camphoræ ℥.vnius tertiam. Confice cum melle roſato colato. Doſis, à ℥.s. vſque ad. ℥.j. cum ſucco arnogloſſę, aut cum aqua roſata, & modico vini puri. Sed eſt animaduertendũ, quòd per omnes impreſsiones in præſenti deſcriptione Philonij Perſici mẽdoſiſsimè legitur, papaueris albi, vbi neceſſariò legendũ eſt piperis albi. In nulla nempe penitus Philonij deſcriptione, tam Authoris noſtri, quàm Nicolai, & Auicẽ. & filij Serap. quàm etiã Galeni, & Pauli &c. habetur papauer, nec in exẽplaribus manuſcriptis legitur. Errorẽ equidẽ huiuſmodi, à minus peritis librarijs cõmiſſum eſſe, non dubitamus qui forſan aliquo modo illud piperis albi, abbreuiatè legentes, de facili errauerũt, putãtes eſſe papaueris albi: quòd fortè ſcirẽt hanc cõfectionẽ ſoporiferã habere virtutẽ: & quòd papauer ſit eiuſdem virtutis & proprietatis, haud eſt, qui ignoret. Ex quo, non cõſiderantes vtilitatem, & (vt melius dicamus) neceſsitatẽ piperis in huiuſmodi confectionibus, ſine alia diligẽti examinatione, pro pi-

Philonij Perſici deſcriptio.

peris, papaueris scriptitarunt, siue impresserũt. Enimuero si benè perlegissent canones ipsius Authoris, didicissent vtiq; quid faciat piper in huiuscemodi cõfectione. Non enim sine ratione, & negligẽter Doct. pharmaca composuêre. Quid igitur dicit Author noster in sexto canone tertij cap. intẽtionis tertiæ, quæ est de nocumẽtis redũdantibus in corpore in hora purgationis? Cuius tertiũ cap. est: Si medicina soluit vltrà, quàm oportet. Principiũ verò canonis est: Cõpingere autẽ & stupefacere &c. vbi inquit: Timentur autẽ ex narcoticis nocumẽta plura. Sũt enim omnino contraria rei vitæ, cõgelantia, & stupefaciẽtia, & mortificãtia, & nuda quidẽ magis, adhuc magis recentia. Ars verò & societas regunt eorũ nocumẽta & remouẽt. Verùm triũ intentionũ res admistæ eis, ipsarũ operationes bonificãt. Primò verò socientur eis quæ resoluũt, & auferũt (quæ ex narcoticis prouenit) cõgelationem. Sicut verbi gratia, Rectè miscentur eis castoreũ, & piper, & crocus. Sunt enim hæc theriaca narcoticorũ. Sed piper & castoreum faciunt ad resoluendũ & carminandũ magis. Crocus verò maturat, & sedat virtutẽ narcotici. Secũdò verò cum eis quę virtutes cõfortant, & spiritus reparant, miscemus: sicut rectè miscemus eis ex cordialibus & stomachicis rebus, quæ cõferunt rei vitæ: sicut spica propriè, & doronici, & zedoaria, & similia. Tertiò oportet vt sociẽtur eis quæ sistũt, & sedant, & stringunt agitatas & reumatizatas materias, fluẽtes de parte in partes: sicut est myrrha propriè, & olibanũ, & sandaraca, & similia. Sic enim narcoticorũ iniquitas reprimitur. Hæc ille. Vbi notandũ, quòd in omnibus cõfectionibus Philonij, cuiuscunq; Authoris, semper habẽtur ista tria, scilicet piper, castoreũ, & crocus, tanquã principalia narcoticorũ correctiua: vel saltem duo, piper scilicet, & crocus: quia Galen. & Paul. & Nicol. non habẽt castoreũ. Quamobrẽ in philonio Hamech filij Zachariæ crocus debet inesse, vt suo loco dicetur. Et quamuis aliqui non habeant castoreũ, tamen non est qui careat pipere in præsenti, vel simili descriptione. Quapropter legẽdũ est, piperis albi, & non papaueris albi: ex descriptionibus filij Serap. & Auic. qui in hac & eadẽ Philonij Persici compositione, habent piperis & non papaueris scriptum. Et similiter Galenus in nono de medicamẽtorũ cõpositione secundũ locos, in Philonij descriptione habet piper album, & non papauer. Papauer enim non est multùm necesse in huiusmodi descriptione cum recipiatur in ipsa opium. Item sciendum, quòd quęlibet alia quęuis medicina opiata, siue narcotica (vt sagzenea, & Athanasia

Narcotica quibus admisceantur.

ſia &c.)ad minus debet habere duo iſtorum trium: & quòd ſine aliquo iſtorũ propinare huiuſmodi cõfectiones eſt periculoſum.

De *Iuſquiamo.*

IVſquiamus & Græcè hyoſcyamus, Latinè Apollinaris herba dicitur. Ab alijs autem altercus, & à nonnullis dens caballinus vocatur. Vulgaris herba eſt, & trium ſpecierum reperitur. Diſcrimen autem ipſarum efficacius in ſemine probatur, à quo plantæ nomina ſibi vendicarunt. Et inde cuius plantæ ſemen eſt album, dicitur hyoſcyamus albus, melior ſpecies & frequentior in medicinis: de qua Author, tanquam de optima præcipit, cùm dicit: Iuſquiami albi &c. Atque inde quotieſcunque reperitur hyoſcyamus abſolutè, ſemper de albo tanquam de meliori intelligitur, ſiue de folijs, ſiue de ſemine petatur. In præſenti verò, & ſimilibus confectionibus, ſemen eſt ponendum. Secunda ſpecies iuſquiami habet ſemen ſubflauum, quæ ſi prima haberi non poteſt, loco præcedentis, teſte Dioſcoride, ſubſtituitur in medicinis. Tertia autem, (cuius ſemen eſt nigrum, ex quo iuſquiamus niger appellatur) tanquam pernicioſiſsima abijcienda eſt, nec omnino recipiẽda in confectionibus, niſi in magnis cauſis, & cum cautela magna.

Dens caballinus.

Hyoſcyamus abſolutè.

De *Opio.*

QVamplurimi reuera credunt idẽ eſſe Opiũ & meconium, ſed longè aberrant: quia meconium eſt expreſſus è papaueris contuſis folijs, & capitibus ſuccus, & congelatus. Opium verò, ex ſcarificatis capitibus tãtùm colligitur: quod nil aliud eſt, quàm lac capitis ipſius papaueris ſcarificatione ſeu inciſione eductum & condenſatum: quod etiam lachryma papaueris dicitur, vt in Paulo, & Galen. & cæteris pluries legitur, & particulariter in iſta Philonis cõfectione loco Opij, papaueris lachrymam habent. Et ad meliorem probationẽ, quòd non ſit idem meconium & opium, lege in Requie Nicolai, vbi habetur vtrunq;, ſcilicet opium & meconium. Et ſeorſim modus faciendi opium, à modo faciendi meconium ſcribitur à Doctoribus, vt à Dioſcoride & Serapione. Lege igitur apud Serapionem capitulo 374. vbi Opiũ Thebaicum, ex bonitate loci præfertur cæteris: & maximè quod exceptum eſt ex capite papaueris nigri.

Meconium.

Opium.

Lachryma papaueris.

De *Scedenigi.*

HAec barbara dictio, vt mazahari, alcheil, & aliæ plures per varios libros, varias habet deſcriptiones, verior tamen ipſarum (vt inueſtigare potuimus) eſt ſcedenigi: quæ idem

idem hîc sonat, quod lapis hæmatites. Sed hæ sunt variationes, quas per antiqua & manuscripta exemplaria collegimus, videlicet scedenegi, sedenegi, sedenigi, scedenigi, scedenagi, sedenagi, scegdenegi, scegdenigi secdenegi, scedengi, sedengi, sechdenegi, sehgdenegi, sehdenegi, scehedenigi, sehedenegi, shedengi, sedegi. Per libros impressos autem legitur, scehdenegi, vel sedenegi, vel sedenagi. Lumen apothecariorum habet scedenigi, & Thesaurus aromatariorum, scehedengi, & vterq; dicit esse semen cannabis. Nicolaus Præpositus quidem descripsit præsentis Philonij Persici compositionem, & si non est error impressoris, huiusmodi dictionem demit. Similiter & dictus Nicolaus, & Auicenna, & filius Serapionis, in suis Philonij Persici descriptionibus nõ habent talem dictionem. Luminare Maius præterea ponit Philonium Persicum, secundũ Auic. siue huiusmodi dictione, & aliã Philonij Persici, secundum Authorem nostrum descriptionẽ, in qua declarans sedenegi, dicit quòd est lapis hæmatites: & differentiam in describendo addit, videlicet quòd si hæc dictio scribatur cum aspiratione, schedenegi, vel scehædenegi, significet semen canabis: sine aspiratione autem est lapis hæmatites. Et probat suam opinionem per Serapionẽ, qui capitulo de canabe scribit huiusmodi dictionem aspiratè: & cap. de lapide hæmatite sine aspiratione. Sed hæc eius declaratio nobis non satisfacit: vnde nos coacti suprascripsimus tot variationes quot inuenimus: vt vnusquisque videat, quòd plures sunt ex eis quæ habent aspirationem. Et econtrà in trochiscis de terra sigillata Authoris nostri, in quibus habetur hæc dictio, per omnes libros tam impressos, quàm manuscriptos, nulloq; volumine discrepante, sine aspiratione, vt quilibet videre potest. Etenim ibi non potest significare lapidem hæmatitem: quia per se ipse lapis ingreditur in ipsam compositionem. Nec Author bis inibi posuisset dictum lapidem. Et licet sit ridiculum legere, tamen pro meliori declaratione non pudet nos subscribere variationes, siue synonyma vocum, quæ per dictos libros in descriptione præfatorum trociscorum leguntur. Etenim omnes impresiones, quas vidimus, vniformiter habent, sedenagi. Exemplariorum autem quæ adhuc extant apud nos, sex habent sedenigi, quatuor sedenegi, quatuor sedengi, duo sedegi: reliquorũ verò singula singulas subscriptas voces habẽt: videlicet sendenigi, sedenigigi, sedeningi, sedenergi, & denegi. Quas variationes ne forte quis nos mendacia scribere credat, etiam in alijs multis codicibus similiter legimus, qui

nunc

nunc apud nos non sunt. Ergo huiusmodi vocabulum sine aspiratione, non semper significat lapidem hæmatitem. Item Pandectarius quasi nil curans si aspiratè vel non scribatur, plures consimiles voces modo cum h, & modo sine h, tam pro lapide dicto quàm pro cánabe, annotauit. Vt quilibet per se videre potest in his literis, scilicet canabs, lapis hæmatites, sadenegum, sadenegi, scehedenigi, scedenigi, scedenegum, sechedenichi, sedanegi, sedenach, sedenegi, sedenigi, sehegenigi, senades, seudenigi &c. Item ipse Pandectarius habet alia consimilia vocabula, quæ nec lapidem, nec canabem significant. Vt est sehedengi, quod dicit significare lac hordei. Et sadage, sadeg, sadegi, id est folium Indum, id est malobatrum. Item sadenig, id est pulegium &c. Item in synonymis antiquis Auicennæ leguntur consimilia plura diuersæ significationis, modo cum aspiratione, modo sine ea, sic: Scehedenegi, vel sedenegi, est semen canabis: scedenegi, vel sedine, est hæmatites. Et inferius: Sedenegi, id est semen granati syluestris. Et in fine istius literæ: Scesenegi, id est amylum. Habet ad hæc Auicenna in quinto cañ. duo cap. vnum quod incipit sehedenigi, quod dicit esse semen arboris canabis: & aliud quod incipit sehemenigi, quod est interpretatum, iura sabram cãpestre. Quid autem sit iura sabram campestre, ignoramus, nisi fortè sit canabis syluester: quia simile Bellunensis suis interpretationibus notauit, in litera Alsemme, vt sehemenigi. Inquit enim: Alsemme est herba ex genere lacticiniorum, & granũ eius nominatur shedanegiberi, id est canabis syluester. Causa breuitatis omittimus dicta aliorũ, vt Simonis Ianuẽsis, Auerrois, & cęterorũ: quoniã cũ supradictis in pluribus cõueniunt. His igitur visis, est concludendum, quòd ferè omnia prædicta barbara vocabula, tam aspirata, quàm non aspirata, possunt æquiuoca dici, & quòd quodlibet ipsorum ad plura aptari potest. Et quoniam (vt credimus) omnia sunt corrupta & vitiata, difficile admodum est nescienti peregrinas linguas, rectè interpretari ipsa vocabula: quoniam (vt habuimus à quodã Arabicæ linguæ satis perito viro) huiusmodi vocabula, & consimilia, atque dissimilia plura, Arabicè vt plurimum, non descriptione, sed loquutione distinguuntur, & accentuatione ex qua pluries eadem dictio, duo, & quãdoq; tria diuersa potest significare: quemadmodum & in nostra lingua consimilia plura sunt, quæ non litera, sed accentu diuersa fiunt. Quapropter quandocunque reperiuntur huiusmodi vel consimilia vocabula, non sine alicuius periti Doctoris consilio, quicquam

quam de ipsis est præsumendum. In præsentis verò Philonij confectione (vt dictum est) lapis hæmatites est ponendus quia côuenientior est cãnabis semine ad sanguinem restringendum &c. ad quæ valet ista confectio. Christophorus de Honestis autem scribens Philoniũ Persicũ, nõ sedenegi, vel simile, sed setaragi posuit, & exposuit esse tapsiam. Quod q̃ male vtrunq; posuerit, ex superioribus nostris declarationibus clarè patet. Etiã ipse Christophorus in trochiscis de terra sigillata, pro sedenagi, quod ibi legitur, habet sedenegi, quod exponẽs dicit: id est, fum⁹ terræ. Hinc subiunxit, dicẽs: Sed sataragi est quædã herba, quæ vocatur prassiũ, vel prassia. Vbi etiã duos errores non paruos cõmisit, quoniã sedenegi nõ est fumus terræ, nec setaragi siue sataragi est prassiũ &c. vt in superioribus apertè probauimus. Lapis hæmatites autẽ idem est, quod lapis sanguineus: ab hæma, quod sanguis interpretatur. Vulgaris notitiæ est, sed species eius sunt plures: vnde à Dioscoride laudatur subniger, durus in se, sed friabilis &c. Durum dixit, ad differentiam illius qui est tam tener & mollis: quem non potes ita leuiter tangere, quin inficiat tibi manum. Et friabilẽ dixit, respectu illius qui est durissimus, & difficillimè frãgitur: quo quidem ob suam duritiem vtuntur aurifices & argentarij ad perpoliendum auri vel argenti vasa, vt lucidiora fiant.

Christoph. de Honestis error de setaragi.

Lapis hæmatites.

De Castorio, seu Castoreo.

PEr Castorium, siue Castoreũ, intelligitur testiculus cuiusdã animalis quod secundum Dioscoridem, Plinium & cæteros probos Authores, fiber dicitur & castor. Estq; ipsum animal, teste Plinio & cæteros Authores vt lutra. Caudã tantùm habẽs lutræ dissimilem. Lutra autem murilego nõ multùm absimilis est. Quotidie in pluribus fluminibus, stagnis, lacubus, & alijs paludaceis, atq; aquaticis locis, in nostra Italia, sicut & in alijs prouincijs videtur. Vulgò sunt qui litram, & sunt qui lontram, quasi lutram vocant. Quapropter cùm sit fiber animal paruum, lutræ videlicet magnitudinem non excedens, miramur quomodo habeat tam magnos testes, & dubitamus de ijs qui vbique in officinis hodie pro castoris, siue fibri testiculis, venales habentur. Idq; vel eo maximè, quòd Dioscorides, & plurimi Authores testantur ipsum animal habere testiculos minimos, & spinæ dorsi adhærẽtes, vt porcus. Nos autem, adhuc non vidimus ipsum animal integrum, nec viuũ, nec mortuum, ex quo non possumus rectè de ipsis testiculis veram donare notitiam. Hoc tamen scitote, quòd teste Hermolao Barbaro, atque Brasaulo, testiculi lutræ valent ad omnia

Fiber seu castor.

Lutra.

Castoreum supplentia.

omnia quæ fibri testes. Et ideò loco castorei potest poni testiculus lutræ: vel secundum Auic. capitulo de castoreo, loco eius ponitur quantum est ipsum de acoro, & medietas ipsius de Pipere.

De Pyrethro.

PYrethri radix quę passim hodie in officinis habetur, quamq; ferè in omnibus montibus Italiæ herbarij colligunt, minimè est vera: sed potius est radix apij montani, quàm pyrethri. Nam folia ipsius plantæ non staphyllini, seu maratri (vt dicit Dioscorides) sed apij habent similitudinem. Quamuis etiam nonnulli peiori errore delapsi (vt testantur Hermolaus, & Brasaulus) non ista, sed quadam radice cuiusdam plantæ quæ vulgò draco vocatur, pro pyrethro vtuntur. Etenim illi malè, sed isti peius agunt. Pyrethrum verò, quod ab orientalibus plagis defertur, licet plantam eius non viderimus, tamē in multis proprietatibus, & præcipuè in educendo saliuam verius & efficacius probatur. Radices autem huius plantæ, quam (vt diximus) apium montanū esse opinamur, accedunt quidem os & fauces vehementer ad instar ignis vrentis (quam ob causam deceptos fuisse recentiores credimus) sed non eo modo educunt saliuam, vt radices veri pyrethri: à qua proprietate, teste Dioscoride, radicem pyrethri saliuarem appellauere. Igitur qui Orientale pyrethrum habere non potest, non debet hoc Italicum admittere pharmacis: sine meliori expertorum Physicorum consilio. *Saliuaris herba & radix.*

De Ramich.

RAmich est quædam compositio valde notabilis, & de ipsa dicetur in distinctione de trochiscis. Quære ibi.

Notanda quædam.

INsuper visum est nobis, in huiusmodi descriptionibus, aliqua notabilia subscribere, nō minus necessaria, q̄ lectu digna. Igitur vbi dicit Author: Cōtice cum melle despumato, quod sit quadruplū pōderis omniū. hoc similiter dixit in confectione de musco dulci &c. Itē nota, ꝙ vbi dicit Author: Dosis eius est sicut cicer, aut faba parua, cum eo quod cōuenit ex potibus. intelligitur quòd debet sumi hæc cōfectio ab infirmo cū illa re potabili quæ sibi magis cōuenit: vtputa cū aqua lectucę vel papaueris, vel cum vino aut aqua simplici, vel cū aliquo alio liquore cōuenienti suæ infirmitati. Sed hoc scire potius est medici, q̄ aromatarij. Præterea notandum, quòd medicina opiata eadem potest dici, quæ narcotica siue stupefactiua dicitur. Et opiata, ab ipso opio denominatur. Vnde sciendum, quòd omnis medicina opiata, id est quæ

recipit

Opiata omnis est stupefactiua & narcotica, sed nõ cõtrà. recipit opium in bona quantitate, potest dici stupefactiua & narcotica, sed non econtrà: quia plures sunt medicinę narcoticæ, siue stupefactiuæ quæ non recipiunt opium, id est lachrymam papaueris. Item medicina opiata potest capi dupliciter: primò largè, videlicet quòd omnis medicina quæ recipit de opio, vel parũ vel multùm, dicitur opiata, propter ipsum opium quod recipit. *Opiatæ significatio.* Veruntamen sunt nonnullæ medicinæ, quæ recipiunt in tam modica quantitate opium, quòd non stupefaciunt, quæ quidem simpliciter & strictè loquendo, non possunt dici stupefactiuæ, licet sint opiatæ. Ponitur autem in eis opium, vt temperet caliditatem aliquarum medicinarum, vel vt iuuet infermentando &c. vt in quibusdam collyrijs recipitur tam parũ de opio, quòd nullo modo stupefaciunt illa collyria. Secundò verò strictè loquendo, illa est vera medicina opiata, stupefactiua, quæ habet sufficientem ad stupefaciendum opij quantitatem. Cùm igitur ponitur opium in medicinis causa stupefactionis, oportet quòd ponatur ex ipso quantitas sufficiẽs. Verbi gratia, quòd ad minus cadãt in quamlibet dosim ipsius medicinæ, opij grana duo. Narcotica autem medicina dicitur secundum aliquos, à quodam pisce, qui Græcè

Torpedo, piscis. Νάρκη vocatur, Latinè autem torpedo. Qui piscis, vt Plinius narrat libri noni cap. 42. est ita stupefactiuus ob suam maximam frigiditatem quòd occultans se in limo, pisces supernatantes torpore afficit, adeò vt ipsos torpẽtes & tanquam mortuos pòst deuoret. Item capite primo 32. libri, idem Plinius testatur, quòd ipsa torpedo attingens hamum pendentem è filo, quod est ligatum in summitate calami, seu virgæ cuiuscunq; robustiss'mi piscatoris manu ipsam virgam tenentis, non solùm manus ipsa, sed totum corpus ipsius piscantis torpet, stupefit, atque impotens redditur. Igitur à dicto pisce, ipsa medicina dicitur narcotica, tanquam per similitudinem: quia sicut illa torpedo, ita & ipsa

Narcoticũ. medicina facit hominem torpere, ac stupefieri. Vel narcoticæ dicitur à Ναρκάω verbo Græco, quod significat obstupefacio vel (vt dicunt) facio intormentire. De stupefactiua autem medicina, seu alienatiua, dicit Auicenna in secundo cañ. tractatu primo cap. 4. post medium: Et stupefactiua est medicina frigida, ex infrigidatione cuius quam in mẽbro facit, prouenit vt ponat substantiam spiritus deferentis ad ipsum virtutem motus, & sensus: frigida in complexione sua, & grossa in substantia sui, quare non vtuntur eo virtutes animales, & resoluitur siue permutatur complexio membri propter illud, & non recipit impressionem

virtutum

virtutum animalium, sicut opium & iusquiamus & lactuca & papauer nigrum, & mandragora, & similia eis. Hæc Auicenna. Nota etiam, quòd duplex est stupefactiuũ. Vnum videlicet, quod exhibitum inducit somnum, sicut quãdoq; Philonium, & similia sæpe ob plurimam opij quantitatem. Alterum est, quòd solam partem, cui obuiat, stupefacit sicut theriaca recens, & similia. Potest etiam insuper quæri, qualiter stupefaciãt medicinæ? Dicendum, quòd omne membrum sentiẽs, habet quandam mensuram frigoris terminati, cum suo calido: cui frigori si fiat additio frigoris incerta mẽsura seu superflua, membrum stupefacit. Et hoc modo omnes valde opiatæ medicinæ stupefaciunt. Item notandum, quòd licet Author nõ dicat has Philonij confectiones non propinari debere ante sex menses: sicut dicit de cõfectione Anacardina & Athanasia &c. attamen semper subintelligitur. Vnde nota, quòd omnes medicinæ opiatæ, narcoticæ, stupefactiuæ, & eis consimiles: necnon & illæ in quibus commiscetur aliquod simplex venenosum seu perniciale, de quo timetur aut suspicatur (vt est confectio Anacardina præfata, quæ pro anacardis tantùm asseruatur) non sunt propinandæ, nisi transactis sex mensibus à sui confectione, excepta aliqua vrgente necessitate: & tunc de consilio physici periti. Quia Author monet nos in supracitato canone, qui incipit, Cõpingere & stupefacere, de propinatione narcoticorum, dicens: Verum si excusari potest, non propinari est melius: sed si excusari non potest, melius est vt non potui dentur, sed administrare in emplastris tantùm est melior cura, vel saltem in suppositorijs & enematibus, si parum in emplastris contulerint. Et si cogeris propinare potui, fac cum timore & cautela. Et dare ea antiquiora, est minoris nocumenti. Maturatur enim & digeritur cum rebus permistionis virtus narcotici. Hæc ille. Igitur ex narcoticis, seu stupefactiuis, antiquiora sunt meliora ad propinandum: ergo non ante sex menses huiusmodi sunt administranda. Et licet dicat antiquiora, non tamen intendit antiquissima, quæ ob nimiam vetustatem iam amiserunt virtutes suas. Quia teste filio Serapionis in vij. sui Breuiarij: capitulo 34. authoritate Galeni: Philonium Persicum vel simile ei, post secũdum aut tertium aut quartum annum est magis iuuatiuum, & conseruatur sic vsq; ad decennium, quo transacto minuitur odor eius, & fit insipidum, & debilitatur virtus eius &c. quapropter vltra tertiumdecimum annum iudicamus non esse administrandum.

Stupefactiuũ duplex.

Opiatarum & similiũ vsus regula generalis.

Confectio Philonij, descriptione Hamech filij Zachariæ &c. LVIII.



RAESENS descriptio licet principaliter habeat originē ab ipso Philone, vt dictū est suprà, tamē quia Hamech filius Zachariæ suo modo variauit, eam ideo intitulatur, Cōfectio Philonis, aliter ab Hamech descripta &c. Et quāuis discordet ab illa in simplicibus, tamen, vt patet in exordio, omnino concordat cum ipsa in proprietatibus & virtutibus. Vnde cùm dicit hîc Author: Et est multæ experientiæ in sedatione dolorum & ægritudinum, quas diximus. supple suprà in propria & simplici Philonij descriptione.

De Nigella.

Taediosa valde esset huius Nigellæ descriptio, si omnes Authorū opiniones hîc inserere vellemus. Quoniā nō desunt, qui nō decipiūtur in Nigella, Melāthio, Gith, Githone, papauere nigro, & illa re, quā falsò nigellā citrinā appellāt, & qua pessimè pro nigella, & pro minori cardamomo fere omnes vtuntur (de qua mox dicemus.) Quia aliqui putant tot esse varia simplicia, quot sunt prædicta vocabula. Et econtrà sunt alij qui credunt omnia præfata vocabula vnū & idem significare. Sed reuera nigella & melanthium sunt vnū & idem. Nigella quidē Latinè, melan-

Gith. thion Græcè. Gith verò est nomen æquiuocum ad nigellam, & ad illam plantā quam vulgares grossiori vocabulo Githonē nominant & ad aliud. Et à similitudine putamus dictā esse illā herbam, Gith, siue githonē, quia cum gith vero, quod est melanthiū, id est nigella, aliquam habet similitudinē in qualitate capitū & nigredine seminis. Nā in alijs particularitatibus, puta in folijs, flo-

Githon. ribus &c. multū differt Githon à nigella. Sicut etiā à similitudine quam habēt capita nigellæ, id est melanthij, cū capitibus papaueris, putamus à Romanis dictū melanthium (vt Diosc. scribit) papauer nigrū nūcupari. Nā scitur quòd virtutes & ceteræ proprietates vtriusq; papaueris, scilicet & nigellæ omnino cōtrariantur ad inuicē. Est enim papauer frigidū in 4. & nigella calida in tertio. Quapropter (vt dictū est) non nisi à similitudine Romani vocauerunt nigellā papauer nigrū. Igitur monēdi sunt aromatarij, vt cùm inueniunt in aliqua medicinali cōpositione papauer nigrū, ne sumant nigellā: quia licet nomine sit nigella in numero papauerū, re tamen longinqua est ab ipsis. Nigella autem, id est melan

melanthiũ, & illa plāta Githon dicta vulgaris notitiæ sunt apud omnes. Veruntamẽ quid sit githon apud antiquos nescimus. Cæterum illa herba, quam falsò & abusiuè nigellã citrinam vocant (vt coniectamus) cyminum syluestre est, quod tertio libro à Dioscoride scribitur. Vbi ait illud habere semen in capitibus figura gith &c. ad literam omnia correspondent adinuicem, vt ipsam plantam contemplantes non latet.

De Folijs Rutæ.

FOlia rutæ, id est domesticæ (de qua semper intelligitur, tanquã de notiori cũ absolutè describitur, debẽt esse sicca, sed nõ excessiuè, vt tradidimus de ipsis suprà in Diacymino secũdo. *Ruta absolutè.*

Sagzenea experta &c. LIX.



VARIE per varios libros inscribitur præsens confectio, quoniam sunt qui Zazenea, & qui Egetea, & qui Sazenea, & qui aliter & aliter habent. Rectius tamen inscribi debet Sagzenea, vt est in multis exemplaribus, & in filio Serapionis, & in Auicenna, & alijs pluribus.

De Myrrha.

ET de myrrha quid dicemus, quam veram nunquam valuimus videre? Nam illud quo pro myrrha communiter vtuntur aromatarij, nõ esse myrrham nec myrrhæ speciem, facillimè ab inquirentibus deprehenditur. Nam vbi amaritudo insupportabilis? Vbi odor suauissimus? Et quòd myrrha amara, imò amarissima sit, non solùm per Dioscoridem, & alios rei medicæ Authores, verumetiam & per sacrum euangelij Marci textum probatur, cùm legitur quòd Seruatori nostro Christo dederunt myrrhatum vinum, quod cùm gustasset propter amaritudinem insupportabilem (vt nonnulli sancti viri contemplantur) non accepit. Et quòd myrrha sit odoratissima, bonum videlicet odorem spirãs, & per eosdem Authores, & per sacros codices passim probari potest. Vnde illud Ecclesiastici 24. Quasi myrrha electa, dedi suauitatem odoris: & quasi storax &c. Hæc autem falsò vocata myrrha malè olet, & amaritudo eius est valde debilis. Et in cæteris notis ad quid amittemus tempus? Quoniã est vulgatum prouerbium: Quod patet expresse, non est probare necesse. Igitur aliquorum iudicium non est spernendum, qui dicunt istam officinarum myrrham esse bdellij speciem. Et licet myrrhæ (vt testãtur omnes fide digni Authores) sint plura genera & species,

hæc tamen quam falsò diximus vocari myrrhã (siquidem myrrha est) ea certè est quæ à Dioscor. ergasima cognominatur, quæ omniũ est deterrima: vel ea ab eodem authore dãnata, aminæa dí cta: quoniã aliarum specierũ esse posse nobis nõ videtur. Et si est vna de duabus prædictis, quæ ambæ sunt malæ, nõ videmus quomodo bene in medicinis recipi possit. Igitur cùm careamus vera myrrha, quid loco eius rectè ponendũ sit declarabimus: & dicemus quòd ex myrrha vera, stacte exprimitur, quæ à nõnullis flos myrrhæ dicitur: quæ quidẽ nil aliud est, quàm pinguitudo ipsius myrrhæ: & loco myrrhæ, necnõ & quorundam vnguentorũ potest poni: quia vim calefaciẽdi, vt myrrha habet &c. vt author est Diosc. Et illa est optima, quæ est pura & odoratissima: cuiq; nil

Stacte. olei, aut alterius rei sit admistũ. Stacte igitur loco myrrhæ admittenda est, quę (vt dictũ est) pars myrrhæ est, & nõ inferior, sed no-

Flos myrrhæ. bilior ipsa myrrha. Qua de re pinguedo, siue pinguitudo, & flos myrrhæ meritò dicitur. Stacte autẽ, vt probari potest per Serap.

Storax liquida. & alios plures illa est, quæ ab ipso Serap. styrax, siue mauis storax liquida appellatur. Nam ipse Serap. cap. de storace, quod incipit Miha, id est storax &c. primum loquitur authoritate Isaac eben Amran, de pluribus speciebus storacis. Hinc cùm loquitur de liquida authoritate Dioscoridis, capitulum ipsius Dioscoridis de stacte ad literam ponit. Vnde quod Græci stacten, Arabes storacem liquidam vocant. Item ipse Serap. cap. de myrrha, cuius principium est, Ler &c. ait: Et est de ipsa res quæ dicitur bathnasas, & est grossa, à qua egreditur miha, id est storax liquida, quoniã exprimitur, & dicitur mirnastacten &c. Mirnastacten dixit, quasi diceret myrrhæ, siue myrrheam stacten. Ex quibus patet Græcorum stacten, storacem liquidam Arabũ esse. Etenim storax apud Arabes est species myrrhæ liquidæ, quam mihã vocãt. Vnde Hali Abbas etiã in 2. practicæ, cap. 41. ait: Storaca, & est species mihæ. Et de hoc melius dicetur in cõfectione de storace. Quamobrem nil dubites apponere pro myrrha, optimam (si habes) styracem liquidam, id est stacten myrrhæ: vel storacem liquidam veram, ab optima storace expressam. Vel si nõ habes liquidã veram, præsentẽ apponito, & erit melius quàm hoc quod pro myrrha vẽditur, quodq; ignoramus quid sit. Lege cætera in cõfectione de storace.

De *Galbano*.

GAlbanum equidem, vel galbanus est gummi, siue lachryma, siue lac condensatum (quod Metopiũ Aegyptij & Syrij nuncupant) exceptũ è radice cuiusdam ferulaceæ plantæ: sicut etiam

opop

opopanacium,sagapenum,euphorbium,&alia plura. Cuiusmodi ferularum genera,pauci sunt(vt credimus)in Italia qui distinctè cognoscant. Hoc galbanum,quo vtimur dubitamus an sit verum:quoniam licet in Dioscoride legatur,quòd habeat grauem odorem,tamen Ecclesiastici 24.inter optimè odorata connumeratur. Sic enim ibi legitur:Sicut cinnamomū & balsamū aromatizans odorem dedi, quasi myrrha electa dedi suauitatē odoris, & quasi storax,siue styrax, & galbanus & vngula,& gutta &c. Veruntamen vt concedamus ipsum,quo vtimur esse verum galbanum,nō tam fatebimur purū,sed varijs adulterijs vitiatū:quandoquidem & Diosc. tēpore adulterabatur (vt ipse scribit) faba, fresa,& ammoniaco &c. Spurcitias autem,quæ sunt in eo, docet Diosc.in fine capituli amouere,his verbis:In feruētē aquā conijcito galbanū.Id cū calore aquæ liquefactū fuerit,supra se, quod est in eo inutile omne aget: fluitabuntque in summo sordes omnes,quæ facillimè hac ratione separabūtur. Est & alius purgādi modus. In raro puroq; linteolo colligatum galbanū, in ænea pyxide,picatóve fictili suspendito, sic tamē ne fictilis fundū glomer & inuolucrū illud tangat,operculatūq; in feruentē aquā demittito:sic enim,quod vtile in eo est,in vas, quasi per colū liquabitur. Quod verò lignosum in eo fuerit,in linteolo hærebit.

Athanasia magna &c. LX.



THANASIA secundum Galeni interpretes,& Nicolaum Salernitanum & alios plures,interpretatur immortalitas. Athanatos enim Græcè, immortalis dicitur Latinè. Vnde Athanasia. Magna autē dicitur, ad differentiā minorū. Quoniam in v.cap. Auicennæ,& in 7.Breuiarij filij Serap.& in x.practicæ Hali filij Abbas habentur maiores & minores huius nominis cōfectiones. Author noster maiorē tantùm (quam vocat magnā) posuit in hoc suo antidotario. Quamq; maiorē in præfatis authoribus dictam legis, non obstante quòd descriptio Hali in aliquibus paucis variet. Galenus autem in octauo de medicamentorū compositione secūdū locos,sub hoc titulo habet vnā descriptionem paruam,& diuersam ab istis omnibus. Et in secūdo de antidotis, habet quandam trifariæ Athanasiæ descriptionem, quam asserit esse antidotum Mithridatis,cuius cum supradictis nulla est conuenientia. Paulus Aegineta etiam in 7.authoritate Oribasij,ponit athanasiæ cōfectionē differentem similiter ab omnibus præ-

dictis,sed in quibusdam paucis duntaxat concordat cum minori Auicennæ,& filij serapionis. Præfatus autem Nicolaus habet suam Athanasiæ descriptionem longè diuersam ab reliquis,quæ apud aliquos habetur in frequenti vsu.Romæ autem præsens filij Mesuæ frequentatur magis.

De hepate Adib,id est lupi.

ADib siue adip Arabicè,Latinè dicitur lupus. Et vt Auhor noster,filius Serapionis,& Auicenna,ex Galeni præcepto, hepar adib,id est lupi,additũ est huic compositioni,ad hoc,quia hepar siue ficatum,id est iecur lupi(quod idem est)valet multùm contra iocineris vitia:quamobrem hæc cõfectio est optima pro his qui hepatico morbo laborãt. Ex quo etiam patet,quòd tam Author noster,quàm Auic.quàm etiã filius Serap.(vt putamus) ex Galeno sumpserũt presentẽ descriptionẽ. Et Galenus vel à Mithridate,à quo etiam aliam eiusdem nominis supradictã,vel ab alio ex antiquioribus medicis ipsam accepit,absq; tamẽ lupi hepate:quod(vt præfati testantur)ipse Galenus huiusmodi confectioni cõmisceri præcepit.Veruntamen Athanasiæ descriptionẽ cum hepate lupi adhuc non legimus apud Galen.In nulla quippe prædictarũ descriptionũ,quas ipsius esse commemorauimus, hepar lupi habetur.Hali autem in sua descriptione,habet Latinè hepar lupi. Sed non dicit,vt cæteri,ex præcepto Galeni esse additum huiuscemodi cõfectioni . Lupus autem notum animal est & præcipuè pastoribus. Quod quidem animal licet sit rapacissimũ,tamẽ plures habet virtutes,& operationes.Multæ enim corporis ipsius partes medecinæ vsui perquammaxime expetuntur.

De cornu Capræ.

EST animaduertendum, quòd in præsenti confectione tantummodo debet esse cornu dextrum capræ.Illa verò clausula : Et in alio de cornibus cerui, est addita à librarijs, forte ab aliquo exemplari mendoso,transcripta.Sed secundũ veritatem, in multis exemplaribus non legitur. Minimè etiã in descriptionibus filij Serapionis,& Hali,in quibus est simpliciter scriptum: Cornu dextri ex cornibus capræ. Item sciendum,quòd Auic.in v.cap.bis pònit eandẽ descriptionem. Primò,ponit ipsam in tractatu primo primæ summæ,sub nomine Athanasiæ. Secundò,in tractatu sexto secundæ summæ,ad duritiẽ hepatis,habet ipsammet cõfectionem.In vtroq; autem loco legitur simpliciter: Cornu dextri de cornibus capræ. Ergo non est ponendũ ceruinum, non obstãte,quòd ceruinũ non minus cõpetit quàm caprinum.

Nec

Nec caprinum cornu secũdum virtutes & proprietates inferius est ceruino. Vnde Serapio cap. 468. de cornibus, authoritate Galeni, ait: Plurimũ quod administratur ex cornu, est ceruinum, & caprinum. Et postea de ceruino tantùm loquẽs subticuit caprinum, innuens habere consimiles virtutes & proprietates. Si ergo vtrunq; sit vnius & eiusdẽ virtutis, desinamus quærere quare Author potius posuerit caprinũ in hanc cõfectionem, quàm ceruinum: & dicamus sic ei placuisse, cui causa, quæ nobis est occulta, erat manifesta. Certe non est nostrum ab Authoris intẽtione deuiare, nisi aliquis medicus (de perito loquor) præcipiat aromatario, vt loco cornu capræ, substituat ceruinũ cornu. Quoniam non solùm in hoc, sed & in omnibus compositionibus medicus habet potestatem, vt sibi pro suis infirmis magis videtur expediens, addendi, minuẽdi, commutandiúe simplicia &c. Præterea, dicet aliquis: Quare Author potius dextrum, quàm sinistrum sumendum præcepit? Respondendum, quòd membrorum animalium aliud est excellentius alio. Et non est concedendum, quòd cornua in animali sint vnum mẽbrum: quia sicut de ossibus, de carnibus, & cæteris partibus, probatur vnum præstantius alio in suis operationibus, sic etiam de cornibus est tenendum. Et fortasse quia dextrum cornu ob frequentiorem exercitationem efficitur melius. Nam capræ cum ad pugnam mutuam prouocãtur, vtplurimum cornu dextro petunt propugnantes, & oppugnantes. Quòd autem dicit Manardus, superstitiosè sumi potius dextrum quàm sinistrũ, nobis non placet: quia (vt fertur) iste Ioannes filius Mesuæ non fuit idololatra, nec superstitiosus, sed timẽs Deum, & sanctissimus vir Christianus, vt initia operũ suorum demonstrant. Si igitur ab Auic. & Serapionis filio, & ab Hali filio Abbas & ceteris esset superstitiose positum, certè ab isto sancto viro fuit reprobatum. Fatemur enim ipsum, cum supportatione, Manardo doctiorem: necnon & in arte medica peritiorẽ. O vtinam hac nostra tempestate fuisset nobis concessa tãti viri præsentia, quia aperiret nobis qualiter sapiẽter & non superstitiosè, cornu capræ dextrum sit positum in præsenti cõfectione.

Cornuum laus & eorum virtus.

Dia sulphur &c. LXI.



AB ipso sulphure, quod recipit, præsens confectio denominatur. In Ioanne Serapionis, & Auicẽna, & Hali Abbas habentur diasulphuris descriptiones, in multis ab ista diuersas. Nonnulli scribunt

per f, Diasulfur, & sulfur, quod nihil refert. Idē enim est, rectius tamen per ph, scribitur.

De *Sulphure*.

Licet Sulphur sit ab omnibus cognitum, non tamen omnes eius species pluribus sunt notæ (si species dici possunt, vel differētiæ.) Igitur aliquas quæ haberi possunt, edocebimus. Est vna sulphuris differentia, quæ passim in officinis habetur forma cylindracea, quod nobis videtur post sui purgationem, & liquationem in igne, fusum esse in fistulas cannarum, & exinde coagulatum extractum, cuius color est subcitrinus, tendens aliquantulum ad albedinē. Est & aliud sulphur declinans ad rubedinē, & hoc est pluries decoctū. Est & aliud valde citrinū, quod licet sit in igne purgatum, tamen non est multùm decoctum, vt duo supradicta. Et hoc semper in magnas partes concretum venditur. Aliud inuenitur valde citrinum, cuiusmodi proprijs manibus apud Puteolanam ciuitatē collegimus, per ora quorundā foraminum fumigantiū in collibus circūcirca vallē, & in ipsa valle, quæ ab incolis loci Sulphatara dicitur, in qua magna sulphuris copia à natura procreatur. Quod quidem sulphur & purius est omni alio, & propriè illud quod non vidit ignis, quodq; sæpius ab Authoribus in cōpositionibus expetitur, quemadmodum & Author noster in præsenti cōfectione. Vocatur autē hoc à multis sulphur viuum, & sulphur virgo, (vt more ipsorū loquar) & ab alijs (vt diximus) sulphur quod non vidit ignis, dicitur. Veruntamen si hoc nō potest haberi, supradictū citrinū substituatur. Inuenitur etiam aliud sulphur, quod ignis non tetigit, quodq; similiter sulphur viuum, & lapis sulphuris vocatur à nonnullis vulgaribus. Quod quidē est cinericium totum, nihil habens citrinitatis, quodq; à pluribus imperitis potius iudicatur esse lutum figuli, crudū supple, quàm sulphur, ob maximā similitudinem quam habet cum cretacea terra. Sed cùm probatur in igne, inflāmatur libētius, & totū crematur citius & melius, quàm quodlibet prædictorū. Est præterea aliud sulphur petrosum & terrosum, quod est sicut extrahitur è minera antequàm sit in igne purgatū, quod certe propter suas spurcitias in re medica non approbatur. Aliæ plures insuper sulphuris varietates secundum loca reperiuntur, de quibus multa loqui superuacaneum, cùm apud nos non sint, tum etiā, quia omnes sulphuris species ferè eandē habent virtutē, & proprietatē. Omnes enim in quarto calfaciūt gradu. Sed ad faciendū oleū de sulphure, melius est quod purius, & quod non est

Sulphuris plures species.

Sulphur quod non vidit ignis.

Sulphur viuum.

Sulphur virgo.

Lapis sulphuris.

cogni

cognitũ igni: quale fit Romæ pluribus modis,& per ſublimationem,& per deſcẽſionẽ &c. Quod quidem oleũ ad multa valet,& præcipuè ad fiſtulas,& ad curanda oris vlcera, quas canchrenas appellãt. Quibus nil melius, quàm dictũ oleũ: in quo madefacta pennæ aut alicuius feſtucæ extremitate, ipſa vlcera ſemel aut bis, leui contactu perunguntur,& continuò mortificata ſanantur.

Confectio de ſtorace &c. LXII.



ESCRIBITVR hæc cõfectio à filio Serapionis in 7. Breuiarij, cap. 8. Cuius inſcriptio eſt, Confectio ad reſolutionẽ naturæ &c. ponitur etiam à Rhaſi, in nono ad Almãſorẽ, cap. de fluxu vẽtris. Sed differũt inter ſe ipſi Authores, videlicet quòd filius Serapionis non habet olibanũ,& Rhaſis non habet crocũ. Author noſter autem vtrunque habet.

De Storace, & Myrrha.

STorax ſiue ſtyrax (quod rectius vt diximus) non eſt aliud quàm ſpecies myrrhæ. Nam Dioſc. poſt deſcriptionẽ ſpecierum myrrhæ, immediatè ſubiunxit capitulũ de ſtyrace. Serapio autẽ capitulo de ſtorace, ad authoritatẽ Dioſc. deſcripto, ſub nomine ſtoracis liquidæ cõprehendit caput Dioſcoridis de ſtacte, quæ eſt pinguitudo myrrhæ: cui continuò ſubiunxit capitulum dicti Dioſcorid. de ſtyrace, vbi dicit: Et ſtorax eſt ſpecies meha, ſiue miha. Miha autem ſiue meha ſecundũ ipſum, eſt ſtorax liquida. Et quæ ex myrrha exprimitur, debet hìc intelligi ſcilicet ſtacte, quæ etiã myrrha liquida poteſt dici. nam aliter non erit conſonum. Myrrha verò non liquida ab ipſo Serap. vocatur Ler,& bathnaſas. Vnde idẽ Serapio capitulo de myrrha, ſecundũ authoritatem Dioſc. dicit: Et eſt de ipſa res quæ dicitur bathnaſas, & eſt groſſa, à qua egreditur miha, id eſt ſtorax liquida quãdo exprimitur,& dicitur mirnaſtacten. Et eſt de ea, quę dicitur aizen, & eſt pinguis multùm: & arbor eius eſt in terra, quæ dicitur Partemia,& eſt pinguis: & quando exprimitur ſuccus, egreditur velut ſtorax multũ. Hæc Serapio. Ex quibus patet, quòd ſtyrax, id eſt ſtorax nõ multũ elongatur à myrrha,& per cõſequẽs, poteſt dici ſpecies myrrhæ. Etiã Dioſc. cap. de ſtyrace dicit, quòd inuenitur ſtyrax ſiue ſtyracis lachryma perlucida,& myrrhæ æmula. Etiã per ipſos Authores probatur, quòd tam de ſpeciebus myrrhæ, quàm de ſtyrace liquor exprimitur velut mel. Sed liquor myrrhæ, à Græcis ſtactẽ dicitur. Liquoris autẽ ſtyracis, à Dioſc. non ſcribitur particulare nomẽ, bene autem poteſt ſubintelligi

Myrrha liquida. *Stacte.*

mel ſtyracis. Arabes verò, teſte ipſo Serapione, vtrūq; liquorem
Styrax liquida. ſtoracem liquidam appellant. Styrax autem liquida è myrrha, id eſt ſtacte, parū aut nihil differt à myrrha, in odore, ſapore, & virtute. Et ſicut myrrha eſt odoratior, amarior, & præſtātior ſtyrace, ita ſtacte quod eſt mel myrrhæ, eſt odoratiór, & amarior, necnon & nobilior ſtyracis melle. Quamobrem hæc ſtorax liquida,
Sigia. quam aliqui ſigiam vocant, qua & pro vera ſtorace liquida vtun
Braſauli error de ſtyrace liquida. tur omnes, non poteſt eſſe mel myrrhæ, id eſt ſtacte, vt volūt Braſaulus, & recentiorum nonnulli. Non enim habet cōditiones ſtactes. Nos enim opinati ſumus potius eſſe mel ſtyracis, adulteratū tamen, quàm ſtactē myrrhæ. Styrax autē, ſiue ſtorax non liquida, vt communis opinio medicorum tenet, eſt ipſa qua vtimur, quæ
Storax calamita. vulgò dicitur ſtorax calamita, & per varios Authores legitur ſtyrax, ſtorax ſicca, & ambra, ſeu lubne, aut lubue, ſeu ſtorax heremitarum, & thus ſiue incenſum, ſiue thymiama Iudæorū, & cozumbrum, & ſtorax rubea, & alijs pluribus nominibus appellatur.
Storax rubea. Quamuis ſit & alia ſtoracis ſpecies, quæ peculiari nomine ſtorax rubea nūcupatur, vt in confectione aliptę muſcatæ Nicolai legitur, vbi ingreditur & ſtorax calamita, & ſtorax rubea. Et propriè eſt illa, quæ aſsimilatur maci, quæ ſcribitur à Serap. quòd eſt exterior cortex fructus ipſius ſtoracis. Doctor autem noſter in præſenti deſcriptione petit ſtoracē liquidā, vt Rhaſis. Filius Serap. autē habet ſimpliciter ſtoracem. Sed quia (vt dictū eſt ſuprà) Arabes tam ſtactē, quàm mel ſtoracis, ſtoracem liquidam vocāt, ſtacten tanquam meliorem ſpeciem ſtoracis liquidæ nos hîc apponendam eſſe conſulimus. Vbi autem quæritur mel ſtoracis, manifeſtè intelligitur ſtacten non eſſe apponendā. Sed quia ſtacte vera minime hac noſtra tempeſtate haberi poteſt, vel ſi habetur (quod haud credimus) non caret plurimis adulterationum vitijs, eius loco vtendum mel ſtyracis purum cenſemus. Si autem purum mel ſtyracis non inuenitur, ſtorax ſicca pro eo erit cōmodiſsima: quoniā ita (vt diximus) habet filius Serapionis, per ſto-
Storax abſolutè. racem abſolutè deſcriptam, ſemper intelligitur ſicca. Præterea Author in hac deſcriptione etiam myrrham petit, qua vera nos carere ſuprà diximus in Sagzenea, & quòd pro ea debemus ſumere ſtacten. hîc autem (quia ſtacte non habetur) dicimus, quòd loco myrrhæ, poſt ſtacten, melius eſt ſubſtituere bonā ſtoracē calamitam, quàm illā falſò vocatā myrrhā. Et ſecūdū aliquos, gūmi hederæ optimum, in myrrhæ vicem apponere non vituperamus, tametſi myrrhā perfectè ſupplere nequeat, neq; cum ea cōparari.

DISTINCTIO TERTIA.

Tertia distinctio est de medicinis solutiuis, quarũ quædam sunt aloëticæ &c. LXIII.



NCIPIENS Author suam tertiam distinctioné, prænisit præfatiunculá, per quam declarat, quòd ex diuersis simplicibus solutiuis, diuersa conficiuntur pharmaca &c. & tãquam alijs nobi ioré, picram Galeni in capite ipsius distinctionis collocauit. Vnde sequitur.

Hiera picra Galeni, nomen habet ab amaritudine &c. LXIIII.



IERA Græcè, Latinè dicitur sacra: vnde hierarchia, id est sacer principatus, & alia plura componuntur. Picra auté per c, seu per k, & non per g, (vt mendosè legitur in multis libris) amara interpretatur. Per g, verò pigra, tarda diceretur, quod non cõuenit. Nam Græcè πικρὰ scribitur, & πικρὸς Græcè, Latinè amarum significat. Vnde hiera picra, vel pikra, id est sacra amara, & subintelligitur confectio seu medicinalis compositio. Et hiera ab effectu ipsius confectionis, picra autem ab amaritudine quam ipsa confectio habet, ob magnam quantitatem aloës quam recipit, denominatur. Et quamuis etiam sine aloë reperiantur hieræ, & recipiant alterius simplicis, puta colocynthidis, & similium, amaritudinem: non tamen præcise cognominantur picræ. Solunmodo illa quæ recipit aloen, cognominatur picra antonomasticè, ad differentiam aliarum quæ non recipiunt aloën. Hiera autem Latinè cum h, & per i, & non absque aspiratione & per y, vt mendosi libri habent. Præterea sciẽdum, quòd filius Serapionis, & Auicenna habent hieræ picræ Galeni descriptiones, in nullo penitus ab ista discrepantes. Illud autem quod dicit Luminare Maius, scilicet quòd ipsi habent xylobalsamum, vt Galenus, filius Mesuæ vero habet xyloaloën, nõ est Authori nostro imputãdum, quia ex errore librariorũ prouenit, vt probari potest per plures quàm 27. antiquos libros quos scimus habere xylobalsamum scriptum, & non xyloaloën. Hali filius Abbas autem, in decimo practicæ, suam habet hieræ picræ descriptionem, sine Gal. nomine, in omnibus cõcordantem cum præfatis,

fatis,præterquam quòd loco xylobalsami,habet cardamomum. Et quod infrà dicit: Medicorum quidam xylobalsami addunt partem &c.Et loco casiæ,habet selichæ,quod idem est quod casia lignea.Et loco cinnamomi,habet darasini: quod rectius darsini vel darseni,quod est cinnamomum electum &c.Item sciendum duximus,quòd licet hæc præsens hieræ picræ confectio à præfatis Doctoribus adscribatur Galeno,attamen Galenus non fuit ipsius principalis Author,vt mox patebit per ipsius Galeni scripta:necnõ & probari potest per filiũ Serapionis,in principio descriptionis hieræ aloes,vbi sic ait: Quidam componunt eam,secundum quod composuit eam Andromachus &c.& prosequitur per aureos omnia quæ Galenus per drachmas narrat.Andromachus autem fuit ante Galeni tempora,qui & ab ipso Galeno magnopere cõmendatur: vt qui quãplurima alia ipsius Andromachi medicamina in suis operibus commiscet: & in 2.de Medicamentorum compositione secũdum locos,vbi loquitur de ijs qui ex stomachi vitio capite dolent, scribit huiusmodi hieræ picræ confectionem non à se,sed ab alio inuentam:& per anticipationem,subticet illic Authoris personam, dicens: Cæterum deterrima fit dispositio ob prauos humores,qui in tunicas ventris se receperunt ita vt vix elui possint. Quorum præstantissimũ præsidium est medicamen ex aloë præparatum, quod nonnulli quidem vocant picram,hoc est amaram: nonnulli ipsum hieram ex aloë: ac inijciunt quidem centum aloes drachmas,sex autẽ aliorum singulorum,quæ & ipsa sex sunt numero:cinnamomi,spicæ nardi,xylobalsami, mastiches Chiæ, asari,croci. Præstantius autem fit medicamentum,si minus aloës indideris. Mihi enim videtur magna ipsius copia esse centum drachmas, si cum aliorum proportione conferatur. Atqui nõnunquam ex nonaginta drachmis ipsam composui, necnõ ex octoginta. Quinetiam ex pauciore nõnunquam croco,quòd nonnulla ex his,quæ ei adijciuntur,caput feriunt: quod & ex solo croci odore frequenter nobis accidit. Quare optimam ipsius compositionem iudico,quæ drachmis nonaginta aloës,croci quinque constat.Hac vtor:& cætera quæ sequuntur vsq; Exhibeo,hinc sequitur: Præterea quibus venter prohibetur,& mulieribus quæ non probè purgantur,in quibus efficacius est,quum quadraginta aloës drachmas, sex autem croci acceperit. Ac melius est carpesium,in vicem asari capere. Composui autem ipsum aliquando,ambobus quoq; iniectis. Hæc Galenus. Et in præfati operis octauo, scribens stomachicas Andro

Andromachi facultates: declarat ipsum authorem huiusmodi hieræ compositionis,& ait.Cùm Andromachus inscripsisset stomachicæ.deinde sic incipit:Ad stomachicos,Hiera qua vtor.Deinde totã ipsius compositionem ordine tradit, quæin hunc modum habet:Iunci odori floris,xylobalsami,mastiches,croci,nardi Indicæ,asari,cinnamomi,singulorum drachmæ sex:aloës elotæ drachmæ centum.Simul læuigata reponito,datoq; ieiuno cochlearia duo:alij vnũ cum aquæ frigidæ aut calidæ cyathis quatuor exhibent.Hęc igitur Andromachus tradidit, & cætera quẽadmodum in proposita hiera videmus. Hinc ipse Galenus addit: Quam huius temporis medici Romæ ferè omnes picram,hoc est amaram nominant: quoniam hieræ nomen, de ea quæ ex colocynthide,hoc est cucurbita syluestri constat,pronuntiandũ censuerunt. Qui verò ante nos Romæ medicinam exercuerũt, duas nominantes hieras,apposuerunt ipsis distinctionis gratia, alteri sanè Dia colocynthidos,alteri Dia aloës,in hunc modũ scribentes: Hiera dia colocynthidos, Hiera dia aloës. Itaque hiera dia aloës,bifariam paratur à nonnullis,sicut & Andromachi hiera, ad centum aloës drachmas,aliorum singulorum drachmæ sex: à nonnullis non sex,sed octo miscentur:quidã verò in aloës octoginta drachmas,sex aliorum miscent: pleriq; igitur medicamentis quæ aloë miscentur,numero sex,etiam iunci odori florem apponunt. Præterea aloën ipsam Andromachus lotã, aliorũ nonnulli sic,nonnulli illotam inijciunt. Nos autem scire nunc cõuenit,aluo subducendæ magis esse idoneam aloen illotam: deponere autem multum virtutis medicamẽtosæ lotam. Et cætera, vsque quo nauseant minus aut magis.Hinc prosequitur, de huiusdi hiera, dicẽs:Hæc igitur noxij humoris euacuatio,ex sola aloë præstatur. Vt quæ vim habeat purgatoriam non valẽtem,sed vt ventris regionem ijs quæ attingit possit purgare. Et si copiosior quandoque fuerit exhibita,vsque ad iecoris loca peruenit, non tamen totũ corpus aloë purgat. At ex his quæ ipsi miscẽtur,mastiche sanè ceu apta stomacho,gratiq; odoris,& confringẽdæ vt aloës medicamentosæ efficax additur. Cinnamomũ etiam præter hæc quòd tenuissimarum sit partium,vt ventris meatus simul adaperiat,abstergat,extenuetq; si quid viscosum crassúmve humoribus inhærescat &c. vsque vsus dispositionem corrigit. Hinc etiam subiungit: Verùm picra(de hac enim nobis sermo est)quemadmodum cinnamomum,ita & alia partim stomacho apta,partim vt tenuia & abstersoria assumit:robore quidẽ lõge

cinnamomo inferiora: genus autem idem facultatis habentia. Hæc ille. Item infrà cùm scribit Asclepiadis stomachica medicamenta, ponit antidotum vocatum hiera Themisonis, quod quidem ab dicti Asclepiadis operibus accepit: & est ipsamet huiusce præfatæ hieræ descriptio, quæ talis est: Aloës drachmæ centum, masticbes vncia vna, croci tantũdem, nardi Indicæ, cinnamomi, carpobalsami, assari, singulorum vncia vna. Contundito, incernitoque cribro tenuissimo, seruatoque &c. vsque inspergi possit. Hinc subscripsit dicens: Hæc sanè Asclepiades de proposito medicamento disseruit. Inspiciamus autem primum, in medicamẽtorum (quibus illud constat) quantitate, quatenus cõsentit, dissentitq;: deinde ordine de ipsius titulo, & vsu. In mistura sanè medicamentorum inter se concordarunt & Andromachus & Asclepiades, quòd aloës drachmas centum inijciunt: discordarunt autem, quòd Asclepiades simpliciter aloës scripserit, Andromachus verò elotæ addiderit. Item quòd Asclepiades aliorum vnciã miscuerit, hoc est pondo drachmas argenteas octo, aut septem semissem: sex autem Andromachus. Præterea, quòd Asclepiades balsami fructum, Andromachus xylobalsamum inijcit. Ad hæc quòd neutiquam Asclepiades florẽ iunci odori miscet &c. Etiam ipse Galenus libro septimo de morbis curãdis, hanc picræ descriptionem sub his verbis narrat: Expedit ergo paratam habere, quam omnes medici picram, id est amaram vocant: atq; hanc dupliciter confectam, vtique ex aloë elota, & non elota. Admiscentur autem huic, cinnamomum, & xylobalsamum, & asarũ, & spica nardi, & crocum, & Chia mastiche. Sumpto autem horum cuiusque drachmæ sex, vnius aloës drachmæ centum &c. Item libro sexto de sanitate tuenda, scribit ipsam picram tripliciter à se confectam. Necnon & alijs in locis ipsam tangit: vt in quinto dicti libri de sanitate tuenda, & in primo libro de locis affectis, & primo capitulo quarti libri de locis affectis &c. Ex quo certè, quia ab eo tam celebriter tot libris describitur, meritò, potius quàm Andromachi aut alterius hiera picra Galeni nuncupari debet. Etiam ex supradictis plura possunt colligi, videlicet, quòd Arabes præsentis hieræ descriptionem ex Galeni libris acceperint, Galenus autẽ ab Andromacho Asclepiadeq;: Asclepiades verò, Themisone excerpsit. Et quamuis quilibet in aliquibus paucis discordet ab cæteris, tamen intentio omnibus vna eademq; fuit. Et sicut dictum est suprà de descriptionibus Philonis, ita dicendum de huius hieræ picræ descriptionibus: quoniam & in aloë,

Hieræ Asclepiadis descriptio.

Hiera picra quare dicatur Galeni.

& cæteris simplicibus, omnes (vt patet) aliquo modo variãt. Habet Andromachus iuncũ odorum, id est schœnũ, quod & squinantum dicitur: quod quidem Galenus in priori suprà notata, quasi in sua, non habet. Minimũ etenim Asclepiades, Andromachus & Galenus de quolibet aliorũ simpliciũ ponunt drachmas sex: Asclepiades verò octo, & loco xylobalsami habet carpobalsamum. Arabes autem, vt Author noster filius Serapionis, & Auicenna, vtrunque susceperũt, scilicet carpobalsamum, & xylobalsamum, necnon & casiam nigram, id est ligneam addũt &c. Hali filius Abbas, & Nicolaus Salernitanus, & quàmplurimi alij, aliter & aliter habẽt. Et inde prouenit quòd eadẽ descriptio, ex diuersis Authoribus, varijs habetur modis. Descriptio autem Authoris nostri præsens intitulari debet, Hiera picra Galeni, siue Hiera dia aloes, siue Confectio ex aloẽ, & similia: secundum cõmunem traditionem Arabicam. Et descriptio Nicolai debet nominari Hiera secundum descriptionem Nicolai. & sic de singulis eodem modo quo diximus de Philonij descriptionibus. Nam etsi Arabes ponant aloẽn duplicato pondere ad alias medicinas, non tamen elongantur ab Græcorum intentione. Siquidem facta diligenti calculatione ponderum omnium medicinarum, de consimili per drachmas, vt Galenus & Andromachus fecerũt, de vnoquoque simplici sex drachmas accipiendo. Cùm præter aloẽn, ista sint octo simplicia: duplicatum pondus aloẽs ad nonaginta & sex drachmas ascendit. Manardus autem non rectè sentit, ponendam esse aloẽn triplicato pondere, in ista Arabũ descriptione. Quia si Galeno videntur esse magna quantitas centum drachmæ, quanto magis si triplicato pondere poneretur, ex quo facta calculatione de consimili, ad summam centum quadragintaquatuor drachmarum ascẽdit? Et si aliquis dicat, quòd in Galeno sunt sex simplicia præter aloẽn, in Authore nostro autem octo, ita quòd proportionaliter computando, in illa Galeni sunt dictorũ simplicium triginta & sex drachmæ, & in ista filij Mesuæ 48. Et si centũ aloẽs drachmæ sunt satis ad 36. nõ tamen sufficiũt ad 48. Igitur si pondus aliorũ simpliciũ multiplicatur, & summã aloẽs etiam necesse est multiplicari. Ad hoc respondendũ, quòd ab Authore nostro, & cæteris Arabibus, omnia summa cum diligentia sunt põderata, necnõ & digna proportione taxata. Nam etsi ad illam Galeni, vel (vt melius dicamus) Andromachi descriptionem non correspondet: benè autem, imò optime correspõdet ad illam Asclepiadis. Vtraq; enim descriptio ab ipso Galeno

Manardi error de Hiera.

posita est. Etenim Asclepiadis descriptio, etsi præter aloën, habet tantùm sex simplicia, de quolibet autem simplici recipit vnciam vnam, scilicet drachmas octo, ita quòd omniũ summa, quadraginta & octo drachmas habet, quam summam octo simplicia istius descriptionis authoris nostri similiter complent, accipiendo (vt suprà fecimus) de quolibet simplici sex drachmas. Et sic Author noster pro 48. drachmis illorum simplicium, 96. drachmas aloës inijcit. Asclepiades verò centum. In quatuor ergo drachmis præfatæ aloës, differunt inter se. Minimum quippe discrimen, nec de eo curandum. Ab ipso nempe Galeno, in minori quantitate sumpta magis commendatur. Qui & asserit se ex nonaginta, & quandoque ex quadraginta drachmis aloës, dictũ antidotum confecisse. Igitur hanc hieræ picræ Galeni compositionem ab Authore nostro traditam, esse laudabilem, & virtuosam, & bene ordinatam censemus: nec ponenda est aloë triplicato pondere, vt Manardus dixit. Cæterùm non est credendum aliquibus iunioribus asserentibus illa duo simplicia addita in hanc descriptionem, esse mendosè posita: quia qui bene perscrutatur, omnia in Galeno per varias hieras reperiet. Etenim squinãtum ex hiera Andromachi suscepisse Arabes, nullus dubitat. Casiam autem forsan acceperũt ex hiera Lamponis Pelusiotæ quam ipse Galenus immediatè post suprascriptã Andromachi descriptionem, authoritate ipsius Andromachi scribit. Quæ quidem (vt inibi legitur) ad eadem valet, ad quæ & Dia aloës præfata, cuius descriptio sic incipit: Cinnamomi, calami aromatici, casiæ nigræ, xylobalsami, iunci odori floris &c. Fortasse etiam ab aliquo Galeni opere quo nos caremus, integram descriptionem acceperũt ipsi Arabes. In confesso enim est, nonnulla Galeni opuscula impræsentiarum non reperiri, quæ apud antiquiores maximo habebantur in pretio. His visis sciendum etiam, quòd Author noster in suo opere de ægritudinibus cerebri, capitulo de cura sodæ à permistione coleræ nigræ & flegmatis, habet aliam Hieræ Andromachi descriptionem maximè differentem ab ista. Quare considerandum Andromachum plures, & varias composuisse hieras.

De Asaro & carpesio.

NOtandum, quòd quandọ Galenus iubet ponere carpesium pro asaro, debet intelligi pro illis infirmitatibus duntaxat, pro quibus ille ponebat, scilicet pro illis quibus venter prohibetur, & pro mulieribus quæ non probè purgantur. Veruntamen

ſciendum etiã, quòd carpeſiũ (vt legenté Galenum & cæteros de carpeſio, & Dioſcor. & cæteros de aſaro non latet) habet eaſdẽ fe rè virtutes & proprietates, quas aſarũ habet, & quòd magis confortat quàm aſarũ. Quare in defectu aſari, licitè poteſt vbiq; pro eo ſubminiſtrari carpeſium. In Carpeſio autẽ nonnulli dubitãt, ſi eſt cubeba, an non: quorum vnus Braſaulus. Nos verò pro certo tenemus carpeſium eſſe cubebam, & probamus per Auicennã, & per filiũ Serapionis, in huiuſmodi hieræ picræ Galeni deſcriptionibus: qui eo in loco, in quo Galenus carpeſium poſuit, ipſi cubebas habent. Auicenna quidem ſic ait: Et aſarũ, quoniam ineſt ei adiutorium ad ſolutionẽ faciendam & præcipitationẽ humiditatum: & quandoq; ponuntur loco eius cubebæ, & ſunt ſubtiles. Hæc Auicenna. Filius Serapionis autem ſic habet: Et ſit bona hęc medicina, ſi proiecerimus loco aſari kerkeſebe, & eſt cubebe. Et ego quidem iam cõpoſui in quibuſdã horis, & proieci ex vtriſq; ſimul. Hæc filius Serapionis. Item Serapio cap. 171. quod incipit, Zurumbet: in authoritate Galeni (quam etiã aſſerit eſſe & Pauli ad literam, ſicut & Galeni) dicit: Et eſt in virtute ſua ſimile caſiæ ligneæ & cubebis. Et Paulus lib. 7. in Arnabo, quod eſt ipſum zurumbet Serapionis, eo in loco habet carpeſium. Sic enim ait: Caſiæ & carpeſio ſimile &c. Item Simon Ianuenſis, & Pandectarius in litera kubebe, teſtantur Græcè vocari carpeſium, nõ obſtante quòd apud ipſos ſemibarbarè legatur carpiſion. Hoc etiam confirmat Hermolaus in corollario 759. quod eſt de myrto ſylueſtri, ſcilicet quòd cubeba apud Galenum carpeſium vocatur. Ex quibus & alijs pluribus authoritatibus, clarè conſtat carpeſiũ Græcorum, veras Arabum cubebas eſſe, de quibus ſufficienter à nobis dictum eſt in confectione alia Galeni. Inſuper monendi ſunt aromatarij ne inconſulto medico apponant in confectionem aliquid illarum additionum, quæ ſunt in fine ipſius deſcriptionis: quoniam illa ſunt ad libitum medici & non aromatarij. Quod intelligi volo, in omnibus alijs compoſitionibus, in quibus aliquorum ſimplicium ſubſcribuntur additiones. Aloe autem hîc licet poſitum ſit in fine deſcriptionis poſt additiones, non tamen ob id additio eſt, ſed baſis ſiue fundamentum & principale totius iſtius confectionis, ſine quo compoſitio ipſa nihil penitus valet ad illas infirmitates, pro quibus ordinata eſt. Nam (vt Galenus refert) virtus huius medicaminis, in ſola aloe conſiſtit: & alia ſimplicia adduntur ad maiorem vim, & meliorem eius operationem &c. Vnde notãdum, quòd quælibet compoſitio habet

Braſauli dubiũ de Carpeſio & Cubebis.

Cubeba eſt Carpeſiũ.

n

Compositio num quarũ libet scopus. semper ad minus vnum simplex tanquam principale fundamentum & sustentamentum totius compositionis, in quo certè consistit principaliter effectus ipsius compositionis, ad quem ordinata est: quo deficiente, totum compositionis ædificium destruitur. Igitur si in aliqua compositione deest illud simplex, quod est basis & fundamentum totius, proculdubio talis vt inutilis reijcienda est. Si autem deerit aliquod cæterorum simplicium, apponendo in eius vice aliquod æquiualẽs vtilis euadet. Præterea sciẽdum quòd hæc hieræ confectio est illa, quæ aliquando cognominatur simplex, quia respectu aliarum, pauciora simplicia recipit: quapropter & rectè hiera simplex dicitur. Et quamuis descriptio propria ipsius Galeni de huiusmodi hiera sit simplicior ista, attamen non intelligitur de ipsa, cùm de hiera simplici aliquid quæritur: nisi præcisè de ipsa specialis habeatur mentio. Nonnulli ex hodiernis aromatarijs præsentem confectionem, hieram de octo rebus malè nuncupant. Quia si absq; aloë intelligunt, non est hiera, id est sacra: quoniam illa sacra operatio, ex sola aloe habetur, teste Galeno suprà citato, vbi dixit: Hæc igitur noxij humoris euacuatio, ex sola aloe præstatur &c. Et quòd reliquæ medicinæ, sicut mastix, cinnamomum &c. ad alios effectus commiscentur, testantur etiam filius Serapionis & Auicẽna. Nec est picra, id est amara: quoniã amaritudo ipsius ex sola aloë consistit. Si autẽ cum aloë intelligunt, iam non ex octo rebus consistit, sed ex nouẽ: quamobrẽ illius vocabuli abusio, siue illa mala circũloquutio abolẽda est. Itẽ sciẽdũ quòd species huius hieræ & similiũ, nõ more solutiuorũ, sed subtilissimè sunt terẽdę, atq; cribrellãdæ: vt per eundẽ ipsum Galenũ probatur, qui in suprascripta hiera Themisonis, dicit: Cõtũdito, incernitoq; cribro tenuissimo. Etiã hac ratione, quia aloë nunquã trãsit ad lõginquas corporis partes, teste ipso Galeno in Andromachi hiera dicẽte: Et si copiosior quandoq; fuerit exhibita, vsq; ad iecoris loca peruenit, nõ tamẽ totũ corpus aloë purgat &c. Hoc etiã dicũt filius Serap. & Auic. in descriptionibus huiuscemodi præfatæ hieræ. Lege ibi.

Hiera simplex.

Hiera Hermetis, *& est hiera* Luf *&c.* LXV.



PRAESENTIS hierę descriptio ponitur etiam ab ipso Authore nostro, in capitulo de Luf, Vocaturq; ibi: Cõfectio hieræ Luf, descriptione Hermetis. Veruntamen inter ipsas descriptiones sunt aliqua discrimina. Primũ, videlicet quòd hîc legitur

per

per omnes codices concorditer tam antiquos, quàm impressos: Trochiscorũ alhandaal, aur. viij. illic autem, in capitulo de Luf, in eisdem libris: Interioris coloquintidæ ʒ. viij. Vbi putamus Authorem ipsum hac de causa variasse descriptionẽ, quòd scripserit in capitulo præfato eam vt puram, & simplicissimam Hermetis, hîc verò, quia pluribus in locis prohibuerat coloquintidam propinare incorrectam, voluerit tãquam in sua descriptione correctam, & in trochiscos redactã apponere cõpositæ: & quia sciebat coloquintidam correctam remissiorẽ habere virtutem, auxerit eius portionẽ. Vnde pro ʒ. viij. posuit aur. viij. Aureus quidem (vt communiter tenetur) sesquidrachma est, id est, pondus vnius drachmæ & semis. Trochisci autem de coloquintida Arabicè, Trochisci alhandaal siue alhandal dicũtur. Handal vel handaal Arabicè, Græcè colocynthis est. Barbarè autẽ potius, quàm Latinè coloquintida scribitur. Etiam cucurbita deserti, necnon & ab alijs cucurbita syluestris dicitur. Lege de ea in descriptione trochiscorum alhandaal. Aliud discrimen est, quòd per cunctos eosdem libros in præsenti descriptione habetur bdellium, quod in illa capituli Luf descriptione, & in ijsdem libris minimè legitur. Quod credimus huic ab ipso filio Mesuæ fuisse additum, ad maiorem præfatæ coloquintidæ correctionem. Quia (vt ipse Author testatur in capitulo de coloquintida) bdellium vnum est ex optimè rectificantibus ipsam coloquintidam. Quamobrem iudicamus ipsum non esse amouendum ab ista confectione.

Aureus. *Trochisci alhandal.* *Cucurbita deserti, vel syluestris.*

De *Luf, siue Luph.*

Dicit Author quòd hæc cõfectio vocatur Hiera luf, quæ aliter etiam dici potest Dia luf, siue cõfectio serpẽtariæ: quas denominationes accepit à duplici luf ipsam ingrediẽte: & non à quantitate, sed à proprietate & virtute. Quia ægritudinibus, pro quibus ipsa confectio ordinata est, cõuenientius est luf omnibus alijs medicinis ipsius cõfectionis, vt patet per ipsum Authorẽ, in capitulo de luf. Quamobrẽ ipsa luf sunt basis & fundamentũ totius istius confectionis, nec absq; eis est conficienda. Luf autem, siue luph (vtroq; enim modo legimus) est serpentaria, cuius plures reperiuntur species. Et licet Author noster habeat scriptum in ista descriptione, luf vtriusq;, quasi non sint nisi duæ species, Dioscorides tamen in quatuor diuersis capitulis, quatuor depingit differentes species. Duas videlicet sub nomine Dracũculi maioris & minoris, & duas sub nominibus Aron & Arisaron: quas omnes nos cognoscimus. Filius Mesuæ autẽ de duabus vsitatio-

Serpẽtariæ, id est luph species plures.

ribus speciebus atq; notioribus tãtum intelligit, de quibus etiam solis loquitur in suo capitulo de luf. Distinguit autem eas in crispam & planam, scilicet quòd altera ipsarum plantarum species habeat folia crispa, altera verò plana. Quarũ mediusfidius quæ habet folia crispa, à Dioscoride dicitur Dracũculus maior: quæ autem plana, Aron: quod idem Author tertio loco descripsit, asserendo hãc eandem plantam à Syris Lupha vocitari. Harũ autem plantarum radices quærit Author noster, & in præsenti hiera. & vbicunq; quælibet species harum plantarum absolutè quæritur, de radice semper, tanquam de meliori ipsius parte, intelligi vult. Est quoq; apud Dioscoridem dracunculus minor, qui hederaceo constat folio, maiore dũtaxat, maculis quibusdam candidis, aliquando etiam nigris resperso &c. Atque hæ tres dictæ species notiores sunt, quàm vt declarari debeant. Reliqua autem species ab ipso Dioscoride Arisaron nũcupatur: quam quia à paucis hodie cognoscitur, declarabimus. Hæc (vt propriè Dioscorides asserit) exigua plantula respectu aliarum, folia lanceolæ simillima habet, strictiora tamen & longiora: scapum vt dracunculus maior fert, semipedali altitudine & interdum maioré. Radix est illi alba, mordax, auellanæ seu mauis oleæ magnitudine. Nascitur locis montanis & asperis, vt ipsi proprijs manibus in montibus supra Plumbariæ castrum, & alibi sæpe collegimus. Nomina autem, seu cognomina, siue synonyma omnium prædictarũ quatuor specierũ, penè innumera sunt. Et quædam ex ipsis sunt communia omnibus quatuor, aut tribus, aũt duabus speciebus: quædam verò singula singulis conueniunt. E quibus aliqua magis necessaria, nobis subscribere visum est. Hæc igitur cum additione maioritatis, seu minoritatis, siue paruitatis aut minimeitatis, & similium, omnibus quatuor competunt. Videlicet, Serpẽtaria, Serpentina, Dracontæa, Dracuntium, siue Dracunculus, Luf, Viperina, Bissaria, Colubrina, & his similia. Tribus autẽ speciebus primis, hæc sunt cõmunia: Aron, siue Aaron, siue Barbaaron, Iarus, & alia multa. Quæ autem duabus prioribus habentur cõmunia hęc sunt: Isaron, Biaron, cyperida, & plura alia quæ à Dioscoride notãtur. Duabus verò medijs: Siricantia, Belda, Asclepias, & quædam alia cõueniunt. Duabus autẽ vltimis: Alimõ, Thymõ, & similia. Duabus etiã, primæ scilicet & tertiæ, magis propria sunt: Megaluph Megaarõ, & consimilia. Duabus verò, secũdæ scilicet & vltimæ, hæc: Chamæaron, Microdracunculus, & his similia cõpetunt. Singula autem singulis hæc conueniunt: primæ videlicet

Luph absolutè.

Arisari descriptio.

Serpentariæ nomina.

Collum

Collum draconis, Luf crifpum, & plura quædam. Secūde autem, pes vituli, feu pes vaccæ, Biflara &c. Tertiæ verò, Collocafsion, Luf planū, Lupha &c. Quartæ fpeciei quidem funt propria, Arifaron, Dracontilla &c. Quæ omnia per varios authores inuenimus, & multa alia, quæ breuitatis caufa omifimus: quòd quilibet ea per fe videre poteft, tam apud Diofcoridem, quàm apud alios quofcunq; authores.

De Sale Indo.

NOn videtur effe inferior cæteris difceptatio, quæ eft inter doctores de Sale Indo. Nam fecundū Paulum Aegin. lib. 2. cap. 53. & Auicennam in 4. cañ. fen prima, tractatu 2. cap. 22. & Pandect. & Brafaulum, & alios ex recentioribus plures, fal Indum eft mel induratum fuper cānas, in partibus Indiæ: quod quidem fecūdum ipfos, eft propriè zuccharum candum naturale. Sed fecundum Authorem noftrum, & Nicolaum Leonicenum, & alios non fpernendos, fal Indum nō eft dulce, fed eft falfifsimū, & acutifsimum omniū fpecierū falis: cum quibus & nos concordamus. Etenim nō eft dicendū, & fi dicatur minime credendū, in India, nō effe fal falfum, pro cibariorū condimētis, ficut eft in alijs mundi regionibus. Et quod Paulus, & cæteri afferunt in India effe fal dulce, non per hoc negant effe etiam falfum, quoniā ipfi loquuntur per fimilitudinē, & non per effentiā, aut proprietatem. Et ex verbis ipforū quidem percipitur, quòd à fimilitudine coloris & formæ, illud mel fuper cannas concretū & induratum, fal Indum dulce appellant, cùm dicunt. Sal Indicum colore quidem & fubftantia, communi fimile, guftu autem mellitum. Hæc enim funt verba Pauli, authoritate Archigenis, fupra cap. de fcabritiæ linguæ. Quem Auicenna & cæteri poftea funt fequuti. *Sic*, inquam, Paulus & Auicenna loquuti funt per fimilitudinem, quemadmodum & nos hodie communiter aliqua vafa ex vitro purifsimo, & clarifsimo, vocamus cryftallina, ob fimilitudinem coloris quam habent cum cryftallo: cùm fint aliena à materia, virtute, & proprietate veræ cryftalli. Filius Mefuæ autem Author nofter, fecus intelligit in capitulo de fpeciebus falis: & teftatur fal Indū, non dulce, fed acutius & fortius effe omnibus falibus, dicēs: Minerale fortius eft marino, & fal gēma eis, & fal Napticū illis, Indum autē omnibus &c. Et quafi in fine capituli ait: Napticum verò, & fal Indū fortiora funt illis, in omni re. Iā enim loquutus fuerat de alijs. Item ipfe Author nofter in capitulo de fena, dicit: Verum confortatur eius operatio, impermifcendo cū eo aliquid

ex rebus acutis,ſicut zinziber propriè,& ſal gẽma,& ſal Indum. Ex quibus patet,quòd ſal Indum non eſt dulce. Sed animaduertendum quòd hoc nomẽ ſiue hic terminus ſal,apud Indos poteſt capi æquiuocè,ſcilicet quòd per tale vocabulum poteſt intelligi ſal ſalſiſsimum commune,& præfatum mel cannarum, quod(vt diximus) à ſimilitudine ſic vocatur,de quo non meminimus Authorem noſtrum quoquam loquutum fuiſſe.De ſale autem Indo ſalſo,ſiue acuto,præter illa ſuprà notata,in multis alijs pertractat locis,& præcipuè in canonibus in 2.cap.de Electione medicinarum,vbi loquitur de faciẽtibus vomitum,ſic ait: Mediocriter autem vomitum facientia ſunt,Nux vomica,& carthamus,& baurach,& ſal gemma,& ſal Indum &c.Conſtat enim,quòd zuccharum candum,non eſt faciens vomitũ. Igitur eadem ratione, qua baurach, & ſal gemma ,poſuit & ſal Indum . Similiter infrà in eodem capitulo,cum pertractat de medicinis educentibus còleram nigrã,dicit:Et medicinæ propriè & principaliter educentes choleram nigram ſunt hę:epithymum,ſtœchas,& myrobalani nigri,& polypodiũ,& ſcebra,& lapis lazuli,& lapis armenus, & calamentum montanum,& ſene,& helleborus niger,& ſal Indus,& ſal Napticus,& ſal niger,& ſimilia.Cõſtat namq; zuccharũ candum,ſiue mauis mel cãnæ induratũ,non ſoluere cholerã nigram.Ergo reperitur alius ſal Indus,vltra illum Pauli,& Auic. Item magis infrà,in eodem cap.legitur: Quædam de proprietate magis membra capitis reſpiciũt,& ſunt hæ propriè coloquintida,& agaricum,& ſtœchas, & aloë,& lapis lazuli,& lapis armenus,& ſquilla,& epithymũ,& ſal Indus &c.Et inferius de his quę materias à ſplene educũt ſcribens,inter alia ponit ſalem nigrũ,& ſalem Indũ.Item ibidẽ,de his quæ materias educũt à partibus remotis, & ab inſtrumentis iuncturarum,inter alia enumerat ſal gemma,& ſal Indũ.Idem & alijs in locis ab eo notatur.In quibus omnibus clarè patet, quòd non poteſt eſſe ſal dulcis,ſed ſal acutiſsimus.Igitur cùm huius hieræ cõfectio deſcribatur ab ipſo Authore noſtro,in ea cõficienda non ſunt accipiẽda ſimplicia Auicẽnæ,nec alterius alicuius Authoris,ſed quæ ab ipſo deſcribũtur & notantur. Siue autẽ apud ipſum non inueniũtur deſcripta,ab alijs fide dignis Authoribus,puta à Dioſc.& cęteris petẽda erũt. Igitur ſi ſal Indus ab ipſo deſcriptus,probatur eſſe ſalſiſsimus,& acutiſsimus,ponẽdo loco eius zuccharũ candum(vt multi aromatarij minus periti faciunt) expreſsè agitur cõtra Authoris intentionem,qui ſal acutiſsimum,non rem dulciſsimã,vt eſt zuccha

Sal Indum æquiuocũ.

cha

charum candum, addere iubet. Ponẽdus est ergo nobis, ob dicti salis Indi carentiã, quia amplius non exportatur, aut sal gemma, aut sal Napticus, aut sal alterius speciei acutissimæ: in quorum omnium defectu, & sal marinus (qui aliter sal panis, & sal massæ dicitur) erit substituendus. Ad hæc, licet ab Auicen. sal Indus dicatur esse in dulcedine mellis, tamen in pluribus eius descriptionibus quinti canonis probatur intellexisse, & voluisse salem Indum salsum, & non dulcem: vt in cõfectione nigra Selini, vbi habet sal Indum rubeum, & sal Napticũ nigrũ. Dum ergo dicit rubeum, dat intelligi quòd salis Indi nõ sit vna sola species, sed plures. cuiusmodi est sal Indus niger descriptus ab Authore nostro, in præfato cap. de speciebus salis, & à nõnullis alijs. Et cum Auicenna associauerit ei salẽ Napticum nigrum qui est acutissimus, satis declarauit salem Indũ esse eiusdem acuitatis &c. Item, ipse Auicen. in Alkelkelengi magno, habet scriptum, salis Indi, & salis rubei, & salis Naptici, & salis massæ. Quam descriptionẽ etiã ponit filius Serapionis in septimo, in qua vltra dictas quatuor salis species, habet & quintam, quod est sal gemma. Non est igitur dubitandũ sal Indum non habere acuitatem & salsedinem, sicut reliqui sales inibi descripti habent. Etiã Hali Abbas in eiusdem compositionis descriptione, in decimo practicæ, quam suo barbaro vocabulo nominat Caquelenegũ magnũ, habet quinq; salis species: sic videlicet, salis Andrani, & Indici, & salis communis & rubei, & nigri. Item ipse Auicen. in dicto v. cañ. in descriptionibus pilularũ de casia, in prima videlicet & secunda descriptione, habet sal Indum: in tertia autẽ, loco salis Indi posuit sal Napticum. Item in summa secunda eiusdẽ quinti cañ. tractatu 2. in medicamine videlicet, quod inscribitur Basilicon aliud, ipse Auicenna habet tres acutissimi salis species, scilicet ammoniaci, salis gemmæ, & salis Indi. Et in multis alijs descriptionibus habet salem Indũ, in quibus nõ potest intelligi nisi à sal salsissimus, & nõ dulcis. Hali Abbas quoq; in secundo practicæ, cap. de speciebus salis, primũ loquitur de Indo, dicens: sal Indicũ desiccantius est & subtiliãtius &c. Igitur inuenitur sal Indus acutus & salsus, qui quæritur in præsentis hieræ Hermetis descriptione. Et nos quidẽ semel habuimus fragmentũ ex eo, quod erat salsissimum, trahẽs ad rubedinẽ &c. Multas insuper & alias non spernandas probationes ex antidotarijs filij Serap. & Hali Abbas & ceterorũ adducere poteramus, ad maiorẽ dicti salis Indi declarationẽ: sed ne multa lectionis prolixitate lectori ingeramus fastidium, omisi-

Sal Panis.
Sal Massæ.

mus. Vltra satis enim, supradicta pro capitosis erũt. Sed animad-uertendum, quòd nos nõn negamus reperiri salem Indum dulcem, à similitudine dictũ, siue zuccharũ, siue vt magis placet mel cannæ coagulatum in forma & colore salis & dulcedine mellis, quod in medicinis asperitatis linguæ habetur præcipuum: vt supradictis locis Paulus & Auicéna testantur. Loco cuius, in illis & similibus medicinis, zuccharũ candũ cõmune notũ potest poni. Sed ex supradictis probauimus inueniri etiã in India species salis acutissimi, & salsissimi, quæ cõpetunt, imò necessariæ sunt similibus cõfectionibus, in quibus ob dicti salis caritaté siue penuriã, nõ est ponendũ zuccharum candũ, vt nõnulli Iuniores declarãt, sed sal gẽma, seu alia optimi & acutissimi salis species. Præterea non ignorãdũ, quòd nulla hiera aut similis cõfectio, est infirmis propinanda, absq; sale salso & acuto: & taliter, quòd in qualibet dosi ipsius, ad minus insimul propinetur salis drachma vna: contra opinioné illorũ qui in huiusmodi hiera, sal Indum declarant esse zuccharũ candũ, vel simile &c. Et hoc sumitur à Paulo Aegineta, libro 7. cap. 8. quod est de hieris, videlicet in Hiera Archigenis, de cuius descriptione mox infrà dicemus: vbi ipse Paulus dãs rationem & modũ cõficiendi ac propinandi hieras, sic ait: Summus ipsarum modus est denarij duo, assumatur & salis denarius &c. Et à filio Serapionis in 7. in fine capituli de hieris, vbi sic loquitur: Dico qualiter in potu oportet vt demus hieras magnas: oportet vt misceatur cum potione sua ex hieris magnis, pondus drachmæ vnius salis massæ, & detur in potu &c. Etiam in descriptionibus hierarũ Auicen. Hali Abbas, & cæterorum, ex maiori parte in fine legitur: Da cum aqua & sale. Vel, Da cum drachma salis Naptæ, & huiusmodi. Quod hodierni medici non curant: at quàm bene, Deus scit. Nec enim nostrum hoc discutere.

Sal Indũ dulce.

Sal Indũ salsum & acutum.

Regula de oblatiõe hieræ & similium.

De Semine Mezereon.

SEmen Mezereon est granum cnidiũ, quod & coccognidium à nonnullis dicitur. Quod quidé granum, teste Dioscoride, Thymelæa producit, & non Chamælæa, vt aliqui putant. Et verum mezereõ approbatum ab ipso Authore nostro filio Mesuæ, est ipsa thymelæa, vt in confectione almezereon apparebit. Sed aduerte, quòd ipsum granũ gnidiũ, scilicet semé mezereon, debet præparari in aceto, sicut prẹparãtur folia ipsius mezereõ &c.

De Contritione specierum.

POstremò notandum, quòd dicit Author in præsenti descriptione: Fiat omnium contritio bona. Vbi intelligitur, quòd sicut

ſicut ſuprà in fine hieræ picræ Galeni annotauimus, nõ more ſolutiuorum ſunt conterendæ & puluerizandæ ſpecies huiuſmodi confectionũ, ſed ſubtiliſsimè. Ad contritionẽ autem bonam plura requirũtur. Vnde bona cõtritio in medicinis, poteſt capi dupliciter. Primò, quãdo res trituratæ ſunt in puncto determinati gradus ſuæ puluerizationis, ſiue mediocriter, ſiue ſubtiliſsimè &c. Secundò autẽ quando cum diligenti ſtudio, & arte, res ipſæ ſunt in puluerẽ redactę. Quæ quidẽ ars ſiue lex triturandi, vt ipſe Author in Canonibus docet, & Galen. & alij plures (vt ſuprà in diacymino habetur) teſtãtur, eſt pernecellaria in medicinis, qua mediante, res ipſa quę cõteritur, poteſt augeri in bonitate, & virtute atq; operatione &c. Et ecõtra res ſine ratione & arte contrita minuitur de ſua bonitate, virtute, & operatione &c. de quo eſt valde curandum. Sed nota, quòd generaliter non eſt regula, quæ nõ patiatur aliquam exceptionẽ. Quapropter & ex generali regula, quæ docet quòd res quæ habent ſoluere, non ſunt ſubtiliter conterendæ & puluerizãdæ, excipiuntur cuiuſlibet hieræ pulueres, & alia plura ſimplicia, quæ licet ſint ſolutiua (vt eſt coloquintida, & ſimilia) tamẽ vbicunq; ingrediũtur, ſemper ſunt ſubtiliſſimè puluerizanda. Et dicit Author, quòd nullus debet eſſe contentus in cõtritione huiuſcemodi rerũ, vt partitulariter legitur in Canone triturationũ, de dicta coloquintida. Quòd Author accepit ex 12. cap. 7. Beuiarij filij Serap. Nec obſtat, quòd quidã, vt filius Zezar & cæteri volunt cõtrariũ, ſcilicet ꝙ coloquintida non multũ teratur: quod quidẽ redarguit Author noſter, in cap. de coloquintida. Itẽ nota, quòd vnũquodq; ſimplex indigens trituratione, per ſe ſemper eſt cõterendũ & puluerizandum, & hoc quia non omnia ſimplicia ſuſtinẽt æqualiter cõtritionẽ. Ferunt autẽ ſimilẽ contritionẽ quæ ſunt eiuſdẽ cõplexionis, & texturæ &c. vt ſemina cõmunia, & ſimilia quæ quidẽ ſine vllo incõmodo poſſunt ſimul cõteri. Et quod dictũ eſt de triturationе, intelligẽdum quoq; eſt, de infuſione, lauatione &c. Itẽ, trituratio virtuoſa tripliciter fit, ſcilicet groſſà, mediocris, & ſubtilis. Quod quidẽ Aromatarij eſt ſcire ad cõplexionẽ & texturam omnium medicinarũ triturabilium, & habere ſcientiã theoricam & practicam terendi, lauandi, infundendi, ac decoquendi medicinas. Semper enim cum facilitate eſt conterendum, & ſæpe cribrandum, quia cribatio eſt menſura triturationis, ſcilicet quòd quanto foramina cribri, ſeu ſetacei erunt tenuiſsima, tanto pulueres cribrati erunt ſubtiliſsimi. Item notandum, quòd ſemper poſt trituratio-

Contritio in medicinis plurimũ poteſt.

Trituratio virtuoſa.

nem & cribrationem, sunt põderanda simplicia ingrediẽtia aliquam compositionem. Ars autem, siue modus, lex, vel regula triturandi, infundendi &c. in Canonibus Authoris nostri, & in libro Seruitoris, satis clarè habentur. Propterea vide ibi.

Confectio hieræ Archigenis. &c. LXVI.



RAESENTIS hieræ descriptio, quã Author noster ponit authoritate Archigenis, ponitur similiter & à filio Serap. in 7. sui Breuiarij, & ab Auicéna in v. cañ. qui omnes tres quasi vno ore loquẽtes, inter se in omnibus concordãt. Hali Abbas in 10 practicæ, habet & eandẽ hieræ Archigenis descriptionẽ, sed in multis discordat à supradictis: & vel ex vitio interpretis, vel librariorũ incuria, vel ex alio aliquo casu nobis mẽdosa relicta est.

Hiera diacoloquintidos secũdum Archigenẽ.

Et sciendũ, ꝙ præsens cõfectio potest etiã vocari Hiera diacoloquintidos, siue simpliciter Diacoloquintidos, id est confectio de coloquintida, addẽdo tamẽ, secundũ Archigenẽ, quia infrà habetur alia hiera diacoloquintidos, quæ est secundũ Ruffum. Nota insuper ꝙ præsens descriptio Authoris nostri, per libros impressos, est in pluribus deprauata, vt ibi legitur: Recipe pulpę coloquintidæ ʒ.ij. lege rectius: Recipe pulpæ coloquintidæ ʒ.xxij. Sic enim est in omnibus antiquis exemplaribus quæ vidimus. Sic etiam in filio Serap. & Auicen. Non obstante, quòd in aliquibus impressionibus dicti filius Serapionis legatur, Pulpæ coloquintidæ ʒ.xxxij. quoniam etiam ibi est error, & ex librariorum vitio redundant decem drachmæ. vbi legitur in præsenti descriptione Authoris nostri: Prassij, stœcados &c. omniũ añ. ʒ. ij. posita est ʒ. pro vncia, itaque lege verius: Omnium añ. ℥. ij. quia ita habetur in præfatis exemplaribus, necnon & in filio Serapionis, & Auicenna. Præterea animaduerte, quòd ex doctrina Authoris nostri, in huiusmodi confectionibus, & similibus, & generaliter in omnibus pharmacis, in quibus recipitur coloquintida, siue pulpa coloquintidæ, in substantia, semper pro ipsa ponẽdi sunt trochisci de coloquintida, qui nil aliud sunt, quàm ipsa coloquintida correcta. Et de hoc diffusius infrà dicemus.

Trochisci de coloquintida.

De Cæpe Muris.

CAepe muris secundum Simonem Ianuensem, & Pandectarium, est Scilla, siue mauis squilla, quod idẽ est. Et vocatur cæpa, vel cæpe muris, ex eo quod ipsa squilla est idonea ad interficiendum mures. Et ad maiorem declarationem, quòd cæpa muris

muris sit squilla, sciendũ quòd vbi Author noster & Auicēna in præsentis hieræ descriptione, habent cæpe muris assàti, filius Serapionis, & Hali filius Abbas habent, alter cæpe squillæ, & alter squillæ assàtæ: ergo &c. Squilla autem est notissima, & qualitate, proprietate &c. & de modis assationis eius, clarissimè ponitur & à Diosc. & ab ipso Authore nostro, in cap. de squilla. Hoc tamen addimus, quòd non sunt eligendæ neque maxime neq; minimæ squillæ: mediocres enim sunt meliores, & quanto albiores tanto excellentiores &c.

Hiera Archigenis descriptione Pauli &c. LXVII.



ON sanè conueniunt in vnum Arabes cum Græcis, super præsenti descriptione. Nam Author noster, & Ioannes filius Serapionis, & Auicēna, quasi vno ore loquentes, ponunt ipsam authoritate Pauli Aeginetæ: sed non omnia vt Paulus habent. Etenim descriptio Pauli talis est: Marrubij, agarici, chamædryos, colocynthidis carnis, stœchados, singulorũ drachmæ decem. Opopanacis, sagapeni, petroselini, aristolochiæ rotundæ, piperis albi, singulorũ drachmæ quinq;. Cinnamomi, spicæ nardi, myrrhæ, polij, croci, singulorũ denarij quatuor. Arida tunduntur, simul & incernuntur. Opopanax autem, sagapenum, & myrrha contusa, mulsa per noctem vnam, in pila macerantur: deinde leuigantur, & siccis admiscentur: melle optimo excepta, reponuntur in vitreo vase, aut plũbeo. Hæc ratio omniũ hierarũ communis est. Summus ipsarum modus est denarij duo: assumatur & salis denarius, mellis heminæ duæ, aquæ quantum satis est. Quod si vehementiores ad purgandum voles efficere, quibus scammonia non inest, inijcietur & his singulis obolus. Hæc Paulus. In quibus Pauli verbis, notatam habes regulam & rationem cõficiendi, ac propinandi omnes hieras &c. Præfatorum autem Arabũ, scilicet Authoris nostri, filij Serapionis, & Auicennæ descriptio, ita legitur: Recipe prassij, agarici, chamædryos, pulpæ coloquintidæ, stœchados, omniũ ana aur. xx. opopanacis, serapini, petroselini, aristolochiæ rotũdæ, piperis albi, omniũ ana aur. v. cinnamomi, spice, polij, croci: ana aur. iiij. Tere ex medicinis quæ siccæ sunt, & gũmi conquassa, & infunde in melle, & permisce: & fit dosis aur. iiij. cum salis triti pondere ʒ. vnius, cum aqua mellis. Hæc illi. Ex quibus patet non minimã differentiã esse inter ipsas descriptiones, quo ad põdus medicinarũ, cùm illi drachmas habeãt decem,

Hiera Archigenis descriptione Pauli Aeginetæ.

Hiera Archig. descriptione Arabum.

hi vc

hi verò aureos viginti &c. Et quo ad simplicia, Græci quidem, vt ipse Paulus, & Galenus, & Aëtius, habēt & myrrham, quæ in huiusmodi Arabum descriptionibus non reperitur. Etiam non ignorandum, quòd inter Græcorum descriptiones præsentis cōfectionis sunt aliqua discrimina. Quia licet Aëtius concordet cum Paulo in simplicibus, in ponderatione tamen ipsorum valde discordat. Quapropter nobis visum est non incongruum si Aëtij descriptio subscribatur quantumuis non necessaria: quia Arabes non Aëtium, sed Paulum citant, & dissidij causas ex Græcorum dissonantia ortas, & suam concordiam ostendunt. Aëtij autem Hiera Archigenis ex epistola ad Marsum, & lib. de melancolia, sic legitur: Pulpæ colocynthidis ℨ.viij. chamædryos, agarici, marrubij, stœchados, añ. ℨ.x. opopanacis, sagapeni: añ. ℨ. viij. petroselini, aristolochiæ rotundæ, piperis albi, añ. ℨ.v. cinnamomi, spicæ nardi, myrrhæ troglodyticæ, polij, croci. añ. ℨ.iiij. (& in alio ℨ.iij.) cum melicrato, sale adiecto, quantum est cochleare paruum &c. Ex quibus variationibus, quænam ipsarum sit verior Archigenis hieræ descriptio, temerarium foret pronuntiare: quia sicut volumina Latina in multis sæpe deprauata probātur, ita & de Græcis & Arabicis & ceteris est considerandū: videlicet, quòd nō omnia fideli castigatione sint ad amussim emēdata. Quotidie enim aut librariorum incuria, aut malorum interpretum socordia libri mendis scatere videntur. Quamobrē an Arabes ab aliquo Pauli mendoso exemplari eiusmodi (vt ipsi habēt) descriptionem sumpserint, vel an ipsi Arabes rectè rescripserint, & postea processu temporum deprauatum sit opus Pauli, vel vitiata Arabum volumina: vel etiam an ab ipsis Arabibus ordinata fuerit ipsa confectio cum tali medicinarū pondere & absque myrrha, nescimus: quandoquidem vno solo descriptiones Arabum & Græcorum à se mutuò differūt. Christophorus Oroscius autem super annotationibus septimi libri ipsius Pauli, videlicet *Auic. error in hiera Archigenis.* in hac Hiera Archigenis, testatur Auicennam errasse, omittēdo myrrhā, & ponēdo 20. aureos, pro decē drachmis prassij, agarici, &c. Sed quomodo errasse potius Auicēnam, quàm filiū Serapionis, & Authorem nostrum, non intelligimus, cùm filius Serapionis (qui similiter habet) fuerit ante Auicennā per plures annos, & ex Breuiario eius, ipse Auicenna plura excerpserit, & in suis canonibus immiscuerit: vt probatur in pluribus locis, & præsertim in calce quinti canonis, vbi de ponderibus & mensuris pertractat &c. Igitur non est absolutè in hoc Auicenna culpandus,

sed

sed vt suprà de descriptionibus Philonis dictũ est, ita dicendũ de huius hieræ descriptionibus, & similibus, scilicet ꝙ eadem hieræ descriptio aliter habetur secundũ Paulũ, aliter secundũ Aëtiũ, & aliter secundum Arabes &c. Sed animaduertendũ, quòd in libris impressis, descriptio Authoris nostri est mendosa in vno: videlicet vbi legitur, prassij, agarici &c. añ. aur. v. legendum est rectius, añ. aur. 20. quia sic est in cunctis exemplaribus manuscriptis, & similiter (vt dictum est) habent alij Arabes: videlicet, filius Serapionis, & Auicenna. Igitur si secundum filiũ Mesuæ, præsens Archigenis hiera paratur, in omnibus obseruanda est Arabum doctrina: quoniam (vt diximus) Arabes in descriptione in omnibus concordant. Si autem aliquis peritus medicus præcipiat confici ipsam secundum Paulum, aut secũdum Aëtium, aut alteriusmodi, pro suis infirmis duntaxat debet fieri. Quia (vt aliàs diximus) licet medico ex arbitrio suo permutare, addere, vel minuere, ac de nouo componere, & ordinare confectiones, & electuaria, pro ægris suis necessaria. Et hoc consimiliter est intelligendum in omnibus alijs compositis, & simplicibus &c.

De Polio.

POlium vbicunque reperitur absolutè descriptũ, semper mõtanum polium intelligitur. Et illud est, quod à Dioscoride magis laudatur. Herba quidem notissima, quæ pluribus collibus, & montibus & vallibus, & alijs locis nascitur. Sed omnino cauẽdum est ab illo polio, quod oritur in locis thermarum, & paludibus, & similibus. Montanum eligito. *Polium absolutè.*

Hiera diacoloquintidos inuẽtione Ruffi *&c.* LXVIII.



AVTHOR noster ponit præsentem confectionẽ authoritate Ruffi, & vocat eam Hieram diacoloquintidos, id est Hieram de coloquintida secundũ Ruffum. Hæc eadem describitur & à Paulo Aegineta in 8. cap. septimi libri, & ab Aëtio libri tertij. cap. 119. & à Ioanne Serap. in 7. & ab Auicenna in v. cañ. & ab Hali Abbas in x. suæ practicæ: nisi quòd tam Author noster, quàm quilibet dictorum, in quibusdam paucis discordat ab cæteris. Nicolaus etiam in suo antidotario habet vnã Hieræ Ruffi descriptionẽ longe diuersam ab istis. Etiam ipse Author nostrer in cap. de epilepsia habet vnam aliam confectionem Hieræ diacoloquintidos similiter discordem ab ista. Et insuper miror quomodo Luminare Maius dicat filium Mesuæ præsentem cõfectio-

nem inuentione Rhasis scribere, cùm apud Rhasim nusquam reperiatur: nisi fortè ipse mendosè in suo libro, pro Ruffi, legerit Rhasis. Nos certe ex tot exemplaribus antiquis, necnon & impressis libris quos valuimus videre, in nullo penitus vnquam legimus hanc hieram authoritate Rhasis, sed omnes concorditer habent, inuentione Ruffi. Et consimiliter omnes præfati Authores describunt ipsam sub nomine Ruffi. Præterea, præsens descriptio filij Mesuæ, per libros impressos, non est à mendis aliena. Nam in quibusdam minus correctis est impressum: Coloquintidæ bonæ & electæ 3.x. quo in loco, errore desunt decem drachmæ. Lege ergo rectius: Coloquintidæ bonæ & electæ 3.xx. quia sic est in omnibus antiquis exēplaribus, ac etiam in aliquibus impressis libris, & similiter habent filius Serapionis, & Auic. & Hali filius Abbas. Item post hoc immediatè sequitur aliud mēdum peius priore, quod est generaliter in omnibus impressionibus, videlicet vbi legitur: Coloquintidæ, trochiscorum alhādahal. añ. 3.xxv. Siquidem si talis lectio esset vera, magna quantitas ingrederetur coloquintidæ præsentē confectionē, puta 50. drachmæ: videlicet 25. ex incorrecta, & totidem ex correcta: & sequeretur corollarium inconueniens, contra Authoris intentionem: videlicet quòd nō semper essent sumendi trochisci alhandahal pro coloquintida in substantia recipienda, vt ipse præcipit: quia ex huiusmodi lectione hîc vtraque suscipitur, correcta scilicet & incorrecta, quod est falsissimum. Paulus verò habet, coloquintidæ denarios octo, & Aëtius drachmas octo: quod hîc est legendum. Et in alio libro est loco coloquintidæ, trochiscorum alhandahal 3.xxv. Et sic est scriptum in nonnullis exemplaribus. Sed nota, quòd hæc circumloquutio siue clausula, non est ab ipso Authore, sed est additio quorundam scriptorum, qui in transcribendo inueniebant exemplaria varia, & ne descriptio esset manca vt ephexegesim alterius vtrunq; ponebāt, scientes vtiq; quòd antiqui medici, & aromatarij sequentes doctrinam ipsius Authoris præcipientis non propinari coloquintidam, nisi præparatā, pro ipsa coloquintida ponebant trochiscos prædictos. Et quia sciebant ipsos trochiscos remissiorem habere virtutē, quàm ipsa coloquintida incorrecta, credimus illos ad summā addidisse quinque drachmas: quemadmodum ipsa exemplaria tripliciter descripta probant, quorum quædam simpliciter & absolutè habēt, coloquintidæ bonæ & electæ 3.xx. quædā similiter absolutè trochiscorum alhandahal 3.xxv. & quædam vtrunq; sic: Coloquintidæ

tidæ bonæ & electæ ℥.xx.& in alio loco coloquintidæ, trochiſcorũ alhandahal ℥.xxv. Quod impreſſores peruertentes (de vltimo loquor) dictiones, & addentes illud añ. vt videtis nobis tradiderunt. Nos autem ſequentes communiorẽ deſcriptionem, vtranq; particulam ponimus: rectius tamen atque clarius, vt decet veritatem, ſcribentes ſecũdam particulam ſignatam, in hunc modũ: Recipe ſtœchados, agarici, chamædryos añ.℥.x. coloquintidæ bonæ & electæ ℥.xx. (Et in alio loco, coloquintidæ, trochiſcorum alhandahal ℥.xxv.) &c. De coloquintida autẽ, lege in trochiſcis alhandahal.

De Pipere.

PIper in hac hiera, album intelligitur. Diximus enim ſuprà in Diatrion pipereon, quòd quandocunque ſimpliciter (vt in præſenti deſcriptione) eſt ſcriptum piper, ſemper album ſit intelligendum. Et ad maiorem certitudinem, quòd hîc, quia ſimpliciter ſcriptum, piper intelligatur album, legitote Paulum, Aëtiũ, filium Serapionis, & Hali filium Abbas, qui nõ ſimpliciter in hac hiera, vt Author noſter, ſed ſpecificatè & clarè, piperis albi habẽt ſcriptum. Auicenna verò habet album, & nigrum: quod nigrũ, putamus redundare in Auicennæ deſcriptione. Igitur in rei veritate album eſt ponendum hîc & vbique, quando non ſpecificatur de eo. *Piper abſolutè.*

Hiera inuentione noſtra &c. LXIX.



IVIVS hieræ confectio, quæ ab ipſo Authore noſtro primũ inuenta & ordinata fuit, eſt (vt in eius exordio legitur) nõ minimi iuuamenti. Cuius vſus tãetſi apud recẽtiores aboleuit, nõ tamẽ eius virtutes & bonitates ſic ſunt in aliquo imminutæ, vt nõ liceat ea vti. Sed animaduertat vtẽs, quòd per impreſsiones eius deſcriptio in aliquibus eſt vitiata. Vnde vbi legitur: Calami aromatici, maſticis, caſię añ.℥.vij. legatur, añ.℥.viij. Itẽ vbi legitur: Xylobalſami, & in alio xylo aloës ℥.iiij. legatur ſimpliciter: Xylobalſami ℥.iiij. Et caſſetur illa clauſula copulata, & in alio xylo aloës, quia non legitur pro maiori parte in exẽplaribus antiquis. Item vbi legitur: Piperis albi, & nigri &c. añ.℥.j. lege emẽdatius, añ.℥.iij. quia ſic eſt ſecũdũ veritatẽ, vt probatur per præfata exẽplaria.

De Xylobalſamo.

BAlſami lignum (quod Græcè xylobalſamum dicitur) plurimum in re medica expetitur. Verũtamen ipſum verum, noſtris

ſtris temporibus non exportatur. Illud autem quod pro xylobalſamo abundantius circunfertur, potius & rectius poteſt vocari ſine balſamo, quàm xylobalſamum. Quod facillime deprehenditur, ſi odor & cæteræ ipſius notæ, à Dioſcoride, & reliquis Authoribus deſcriptæ, conſiderantur. Etenim ſi balſami arbuſculæ non naſcuntur (vt fertur) niſi in vna vel duabus regionibus mũdi, mirum ſanè videbitur vnde adeò larga eius habeatur copia. Nam vt cæteras mundi vrbes omittã, ſolæ Venetiæ ex eius quantitate & multitudine immenſa vel fornaces piſtorũ calefacerent. Probat idem & ex eorũdem putaminum ſuperfluitate nata pretij vilitas, quoniam nihili vẽditur, ſi eius qualitatis ratio habeatur: & opobalſami, quod eſt xylobalſami liquor & lachryma raritas & caritas. Et quod dictum eſt de xylobalſamo, ſimiliter de carpobalſamo dici poteſt, quo non rectè vtuntur aromatarij loco veri xylobalſami. Quid autem ponere liceat in eius vice, quia ipſum facilè haberi non poteſt, monendum duximus, ſecundum Paulum Aeginetam qui ex authoritate Galeni, ſi traductio eſt fidelis, ponit loco eius radicem violæ candidæ. Et ſecundũ alios, ponitur pro eo lignum hederæ.

Diaſiracoſt, ſiue Dia alſiracoſt deſcriptione Irani, quæ eſt medicina benedicta &c. LXX.



PRAESENS deſcriptio tum propter errores, tum etiam propter aliqua obſcura vocabula, quæ in ipſa ſunt, abſque diligenti declaratione non eſt prætereunda. Et primò de titulo ipſius agatur, qui multiplex & varius ferè in omnibus libris inuenitur. Nam quædam volumina Alſeracoſtum habẽt: quædam per y, yeracoſt, vel yerachoſt, vel yeracoſtum, vel yera Conſtantini: quædam per i, ieracoſt &c. quædam cum h, in principio, hieracoſt &c, quædã per x, vel ſ, in principio & ſimpliciter xiracoſt, ſiracoſt &c. quædã cum dia in principio ſic: Dia coſtũ, Diaſarocoſtũ, Diaſiracoſt & Dia alſiracoſt &c. Quæ nam autẽ iſtarũ vocũ ſit vera inſcriptio præſentis cõfectionis difficulter ſine dubio aſsignari poteſt. Nos igitur conſideratis omnibus, ad duas, ſcilicet vltimam & penultimam inclinamus, quæ rationabiliter ipſi deſcriptioni magis videntur cõpetere, ſuo ſignificatu, cum quibus etiam plurima librorum copia conuenit. Et purius vocabulum eſt ſiracoſt, ſiue xiracoſt, quàm alſiracoſt. Ideò dia alſiracoſt, idem ſignificat, quod confectio de ſiracoſt, ſiue electuarium ex ſiracoſt.

ſiracoſt. Xiracoſt autẽ, ſiue ſiracoſt quid ſignificet mox declarabimus. Inſcriptio autẽ hierę non cõpetit huic confectioni. Potius enim eſſet tribuendum ei nomen tripheræ, quàm nomen hieræ: quia cum ſequenti Triphera perſica maximã habet affinitatem, vt lectio vtriuſq; manifeſtat. Vbi autem habetur ſcriptũ ſiue impreſſum, Hiera Conſtantini, manifeſtiſsimum mendum eſt, quoniam filius Meſuæ per plures annos ante Conſtantini Aphricani medici & monachi Caſsinẽſis tempora fuit, vt teſtatur ipſe Conſtantinus, qui multa electuaria, & alias varias pharmacorũ compoſitiones authoritate ipſius filij Meſuę traſcripſit, & eas ſub nomine Ioãnis Damaſceni in ſuis operibus cõmiſcuit, vt in libro de ſtomachi affectionibus. Adhæc Conſtantinus Cæſar non ſcripſit hieras in ſuo opere de agricultura. Si autem aliquis dixerit, quòd fuerit alius Conſtantinus medicus antiquior ipſo filio Meſuæ, ex cuius operibus ipſe accepit præſentem confectionẽ: eundem rogabimus vt producat ipſa opera, atq; ſubijciat ea oculis noſtris & credemus ei. In eundem etiam errorem & Petrus Apponus collapſus eſt, qui in de Aegritudinibus mẽbrorũ nutritionis, prope finẽ de ægritudinibus & oppilationibus hepatis, ſcripſit ipſammet confectionem, falſo cum hoc titulo: Hiera deſcriptione Conſtantini &c. Cuius quidem deſcriptio, vel ab ipſo Petro, vel à librarijs ita vitiata eſt, vt ferè nihil habeat verę & integræ compoſitionis: vt ſtatim in ipſo principio apparet. vbi hic Author noſter habet, Recipe alſiracoſt: in ipſo legitur, Recipe raſuræ coſti &c. quæ cauſa breuitatis ſtudioſis perſcrutãda relinquimus. Præterea ſi hæc eſt compoſitio Conſtantini, quomodo concordabit quod immediatè ſequitur, per multas impreſsiones, in titulo huius deſcriptionis? Hoc eſt: Deſcriptione noſtra. Quãuis & hoc ſit falſum. Quia filius Meſuæ nõ fuit principalis Author huius cõfectionis, ſed Iranus medicus: vt probãt ferè cũcta antiqua exẽplaria, necnõ & quædã impreſsiones, quæ habẽt Diaſiracoſt, vel Alſiracoſt deſcriptione Irani. Neque bene conſonũ eſt quod legitur in quibuſdã impreſsis libris, videlicet Hiera Conſtantini deſcriptione Irani: quia ſequeretur Conſtantinũ fuiſſe ante Iranum, & Iranũ poſuiſſe talẽ Hierã authoritate Cõſtantini, & eandẽ poſtea Author noſter authoritate Irani, ſicut poſuit Hierã Archigenis deſcriptione Pauli, & cõfectionẽ Philonij deſcriptione Hamech &c. quod fieri nequit cùm fuiſſe Iranum ante Conſtantinũ nulli dubium eſt. Igitur cùm ipſa confectio recipiat ſiracoſt, quod eſt primum ſimplex in ordine ingrediens, quodq; hîc habetur pro

Petrus Aponus erravit vocando confectionẽ Hierã &c.

pro basi:ab eodem quoque,tanquàm à principaliori denominationem sumpsisse credendũ est. Et confirmant hoc libri antiqui, qui(vt diximus)pro maiori parte habẽt Diasiracost descriptiõe Irani:vel Dia alxiracost &c. Etiã ipse author circa finẽ curæ sodę calidæ,habet vnum medicamen, in quo præcipit apponere ℥.vj. diasiracost,quod nil aliud est quàm ista cõfectio. Igitur verior titulus istius cõfectionis est Diasiracost, siue Dia alsiracost descriptione Irani &c. Præterea,sunt & in ista descriptione per excusos libros duæ aliæ notabiles mẽdæ,quarũ prima est,vbi legitur:Recipe alsiracost boni & recentis ʒ.iiij.legendum est ℥.iiij.quoniam à tam parua quantitate non rectè ipsa cõfectio denominaretur, neque siracost diceretur basis istius confectionis:quia non est(vt putamus & mox patebit)tale,quòd in parua quãtitate producat magnũ effectũ,vt muscus & ambra, & similia faciunt. Altera autem menda est vbi legitur:Foliorũ lupuli,capillorũ veneris, ana ʒ.ij.legendum est rectius:ana ℥.ij.in vtraq; enim parte mendosè posita est drachma pro vncia. Antiqui libri profectò ferè omnes concorditer habent vnciam in dictis locis,& ita debet esse secundum veritatem. Et sciendũ,quòd debẽt recipi folia,non asparagi lupulorũ:vt Ioannes Manardus putauit. In nullo quippe librorũ penitus(isto excepto) inuenimus hoc in loco asparagos lupulorum:sed in omnibus & singulis legitur : Foliorum lupuli &c. In Petro Appono autẽ mendosè legitur : Foliorum lupini. Sed aduerte quòd dicta lupulorum folia, necnõ & veneris capilli,ac radices endiuiæ,& apij & similia,quæ hîc & in similibus confectionibus petuntur,omnia debẽt esse recẽtia,si haberi possunt. Aromatarij enim in hoc & in cæteris agẽdis,debẽt adhibere omnem diligentiam.

Manardus errauit ponendo asparagos pro folijs lupulorum.

De Siracost, siue Xiracost.

Siracost, siue Xiracost, siue Alsiracost &c. idem est,& secundum Simonem Ianuensem, & nonnullos aliquos ex iunioribus,est quædam species mannæ. Et in testimonium citant Auicennam in capitulo de manna. Bellunensis etiam in suis interpretationibus, dicit : Siracost est manna, quæ apud Italos vsitatur. Pandectarius autem in litera A,scribit:Alsiracost,id est manna.& in litera x.Xiracost Arabicè, id est manna. Verum in litera S,cum authoritate Dini,ait : Siracost,id est manna, vel succus fructuum. Auicenna autem licet in dicto cap.de manna adducat exemplum similitudinis dicens , quòd manna coagulatur , & exiccatur sicut gũmi,& sicut tereniabin,& alsiracost, & mel de

terra

terra cuſuram &c.nõ tamen per hoc declarat nobis ſiracoſt eſſe ſpeciem mannæ.Quia ad faciendam aliquã ſimilitudiné, non eſt ſemper neceſſe adducere ſpecies eiuſdem generis illius rei de qua quæritur ſimilitudo ipſa.Et ad certiorem rei notitiam probatur quòd nõ omnia illic poſita ſunt ſpecies mãnæ:quia ſicut gummi & mel nõ ſunt ſpecies mãnæ,ſic poteſt eſſe quòd non ſit etiã ſiracoſt.Sira enim, ſiue xira Arabicè,ſuccũ ſignificat.Et quia(vt ſupra diximus)Pandectarius teſtatur ſiracoſt nõ ſolùm ſignificare mannã,ſed etiã & ſuccũ fructuum:Forſan eſt ſuccus alicuius fructus coagulatus ad mãnæ ſimilitudinem,& nõ ſpecies mannæ.Et quãuis Auic.de vnoquoq; præfatorũ loquutus ſit in proprio capitulo,tamen propriũ capitulũ de ſiracoſt,neq; ſub hoc,neq; ſub quouis alio vocabulo reperitur in ſuo ſecũdo canone, qui eſt de ſimplicibus. Capitulum autem de tereniabin &c.habetur apud ipſum.Etiã poteſt eſſe(vt cõmunis opinio tenet)quòd ſiracoſt veræ ſit ſpecies mãnæ:quia in ſequentem tripherã Perſicã,quæ(vt diximus) in multis cum iſta cõfectione cõcordat, intrãt manna, & tamarindi,& caſſiæ pulpa,& zuccharũ violatũ,& alia multa,ſicut in iſtã.Chriſtophorus de Honeſtis autẽ in ſuo notãdo,poſt hieræ infuſiones ponit abſolutè ſiracoſt eſſe mannæ ſpeciem, & dicit quòd talis manna amplius non portatur ad partes noſtras.Igitur ſi ſiracoſt eſt ſpecies mannæ, poteſt vocari hæc compoſitio, Confectio mannæ.Sed quia infrà habetur alia deſcriptio quę intitulatur,Confectio de manna:ad differentiam illius forſan vocauerunt præſentem Diaſiracoſt,quaſi declarantes particularem ipſius mannæ ſpeciem : vt etiam eſt infrà ſyrupus altereniabin, quod ſimiliter ſignificat quandam mannæ ſpeciem.Igitur quando de ipſo ſiracoſt non poteſt melior haberi certitudo, loco eius ſi ponitur manna aerea, ſiue arborea, credimus quod bene agitur.Idq; vel eò maximè,quia in exordio ipſius deſcriptionis dicit Author,quòd hæc confectio eſt medicina benedicta in febribus acutis &c.Et manna ſimiliter ab ipſomet authore,inter medicinas benedictas connumeratur.Ergo ſi(vt diximus)ponitur mãna in ipſa compoſitione, non agitur contra authoris intentionem.Ipſa autem manna debet eſſe recens, & perfecta : quia legitur ibi:Recipe alſiracoſt boni,& recentis &c.De manna autem, dicetur in confectione de manna.

Sira ſiue Xira.

De *Tamarindis,& Cheiron.*

TAmarindi(vt multi affirmant) ſunt dactyli acetoſi, qui ad nos hodie non exportantur integri.Vnde,de re nõ bene co

gnita, vix quis perfectam ratione reddet nostro tépore, quo rarisimè absq; adulteratione ad nos deferuntur. Et quãquam horũ vsus nõ admodũ erat freqũes apud antiquos Græcos, vt nõnulli volũt, tamen apud Arabes, & alias plures nationes frequẽtissima erat, vt & hodie apud nos est, de quibus abunde Serapio, Auicẽna, & Author noster scripserũt: & ex recẽtioribus nostris plurimi. Quorũ vnus Simõ Ianuẽsis dicit: Tamar Arabicè Dactylũ significat: Indi, id est ex India regione: Græcè autẽ oxyphœnichia, id est dactyli acetosi. Idẽ dicit Pãdectarius, & addit, quòd sunt dactyli syluestres qui nascũtur in India. Quæ omnia in capitulo Authoris nostri de Tamarindis clarè leguntur. Cheyron autem, siue chairũ (vtroq; enim modo legitur) aliqui recentiorũ volũt, quòd sit nomen prouinciæ, in qua copiosè nascũtur ipsi dactyli acetosi: videlicet illa, quæ alio nomine vocatur Charia, quam ciuitatem proprie nõnulli asserũt vulgò dici El chairo. Alij putant esse cognomen nobilioris speciei ipsorum. Nos verò cõcedentes illis & nomen patriæ, & cognomen speciei quod nihil, aut parum facit ad ipsorũ cognitionẽ & bonitatẽ, id vnicũ studemus vt tamarindi sint quammaximè veri, recentes, & mundi ab omni falsitate.

De Malis, & pomis, seu fructibus.

MAlum, pomum, fructus, & huiusmodi similia, nomina sunt æquiuoca, siue communia pluribus. Fructus autem & pomum, sunt magis vniuersalia, quàm malum. Antonomasticè autem poma & mala, eadem sunt: & referuntur ad illa quæ vulgò Mila, siue Mela, quasi mellea vocantur. Et licet pyra, & his similia multa, dicantur poma, non tamen mala. Illa quidem præcipue dicuntur mala, quæ rotundiora proueniunt: persicis duntaxat exceptis, quæ licet sint generaliter maxima rotunditate formata, attamen rarissimè mala nuncupantur. Author enim noster in præsenti descriptione ait: Succi malorum dulcium, & acetosorum, & muzorum &c. Vbi animaduertendum, quòd hoc in loco non intelliguntur pro malis, mala granata, vt vult Luminare Maius, sed pro dulcibus absolutè intelliguntur mala, siue poma Apia nuncupata: quæ si non habentur, maciana mala, seu mala Decij, seu alia similiter dulcia erunt subministranda. Pro acetosis autem absolutè, intelliguntur mala acetosa, siue acria, domestica, ex quibus plures reperiuntur species, & in quorum vicem etiam syluestria recipi possunt. Muzum autem (vt suprà in confectione de prunis diximus) capitur dupliciter, scilicet quod est inter acerbum & maturum, & quod est inter acre & dulce. Et hoc

Mala dulcia absolutè.

Luminaris Maioris error de malis.

Mala acetosa absolutè.

Muzum.

hoc secundo modo in ista confectione accipitur muzum,scilicet quòd sint illa mala quæ sunt media inter acria & dulcia. In supradicta confectione,de prunis autẽ,capitur muzum pro medio inter acerbum & maturũ.Hîc verò ipsa mala,media inter dulcia & acria,muza cognominata,debent esse sicut cætera mala optime matura.Vnde notandum,quòd quando muzũ est per se,vt in præsenti descriptione,tũc cõstituit speciẽ,& significat quod maturũ est inter acre & dulce: quando autẽ est adiectiuum alterius termini,puta mali, pyri, &c.tunc nõ cõstituit speciẽ,sed denotat suum antecedens esse inter acerbũ & maturum : vt est in præfata confectione de prunis.Vnde cùm dicit Author in hac descriptione:Succi malorũ dulciũ & acetosorũ, & muzorum,declarat tria malorum genera esse recipienda &c. Multa & alia huic declarationi competentia descripta sunt suprà.Videlicet in dicta confectione de prunis, & in electuario de pomis, & in electuario de persicis,& in electuario de fructibus &c.

De quatuor seminibus.

NOtandum,quòd vbi Author in præsenti descriptione scripsit:Seminũ cõmuniũ:immediatè subiũxit declarationem ipsorũ,dicẽs,Melonis,citrulli,cucumeris,cucurbitæ. Et hęc quatuor sunt semina communia maiora frigida,ordinatè posita.Et hinc sumitur regula,scilicet,quòd quãdocũq; absolutè reperitur scriptũ,Seminũ cõmuniũ:siue quatuor granorũ,vt in sequẽti triphera:siue Quatuor seminũ,vt in trochiscis de spodio:siue Triũ seminũ,vel Trium granorum,vel duorũ &c.semper de dictis intelligitur,accipiendo ipsa ordine suo, vel omnia, vel pro parte. Quando autem speciatim ponitur de calidis maioribus vel minoribus frigidis, vel calidis, alia intelliguntur:quemadmodum clarius de ipsis in Lohoc alio nostro de intentione hac dicetur. *Semina cõmuniã &c.*

Triphera persica &c. LXXI.



CVPIMVS quidẽ præsentis tripheræ descriptionem resarcire:at tot eius scissuras,& lacerationes inspicientes,vbi primum incipiamus,haud videmus.Vnde illud propheticũ cõuenientissimè huic descriptioni applicari potest,videlicet : A planta pedis vsq; ad verticem non est in ea sanitas. Nobilis quidem & laudabilis compositio est, sed ita referta mendis, & scrupulosis,atque dubijs & peruersis clausulis, necnon & falsis circumloquutionibus (per libros impressos supple) vt nobis videatur

impoſsibile, poſſe eam ſuæ deſcriptioni abſq; errore reſtituere. Adiuti tamen ope manuſcriptorum exemplariũ (quoniam ex impreſsis libris impoſsibile eſt) conabimur eam ſuo nitori reddere. Igitur cùm in principio ſuæ receptionis legitur. Recipe ſucci ſolatri, endiuiæ, apij, depuratorum an ℔.j. quod primum eſt mendũ, lege, ana ℔.ij. Hinc poſt violarum deſcriptionem ſequitur: Succi lupuli ℔.j. Si autẽ (vt impreſſum habetur) de vnoquoque prædictorũ ſuccorum recipitur ſimiliter ℔.j. quare non omnes ſucci in vno ana? Ad quid ſeorſim extra prædictũ ana ſeparatur lupuli ſuccus? An quod non egeat depuratione vt prædicti? Abſit. Aliqui enim ex iunioribus, vt Ioãnes Iacobus de Manlijs &c. cognoſcentes partem erroris, ſcilicet quòd malè locatæ erant violæ inter ipſos ſuccos, & ignorantes quod põdus priorũ eſſet dimidiatum, ſcripſerunt omnes inſimul, ana ℔.j. non rectè: quoniam id non factũ eſt quaſi non debeatur depurari, ſed quia non omnes ſucci æqua lance appendũtur, ideò non omnes debẽt vno ana concludi. quemadmodũ apparet ex libris antiquis, qui ſic habent: Succorum ſolatri, endiuiæ, apij, depuratorum ana ℔. ij. ſucci lupuli ℔.j. Vbi ſubintelligitur depurati. Poſtea ſequuntur violæ, quæ malè inter ſuccos in impreſsionibus ſunt locatæ. Vnde & alius error. Quia cùm legitur: Et proijciatur ſuper eos violarum ſiccarũ, aut viridium, ana ʒ.iij. Et in aliquibus: Violarum ſiccarũ & viridiũ ana ʒ iij. vtraq; clauſula eſt mala. Prima, quia in vno ſimplici, ſeu in duobus, vel pluribus cum diſiũctione poſitis non conuenit ana. Secunda autem, deprauatius pro diſiunctiua habet copulam. Nec error eſt in ana, ſed in ſimplicibus, ſcilicet quia illic deſunt roſæ. Sic enim ſecundũ veritatẽ in antiquis exemplaribus legitur: Violarũ ſiccarũ, aut viridium, & roſarum, ana ʒ.iij. Vt & liber in vulgari Italico impreſſus teſtatur. Fatemur enim, trãſlatorẽ vt inuenit in Latino, ita trãſtuliſſe in vulgari ſermone. Etiã eſt conſiderandũ, quòd præfata cõfectio Diacurcoſt (vt ſuprà diximus) & hæc præſens Triphera conueniũt adinuicẽ pro maiori parte, in ſimplicibus, & modo cõficiẽdi. Quapropter ſi dicta cõfectio poſt violas habet roſas, ſimiliter & in iſta Triphera eſſe roſas approbamus. Præterea, vbi in ſequẽtibus habetur: Myrobalanorum citrinorũ, chebulorũ, & indorum, ana ʒ.ij. Et in fi à: inuoluantur myrobalani in oleo amygdalarum dulcium, & bulliat &c. O magna confuſio. Quotnam ex aromatarijs huiuſmodi circumlocutiones intelligẽt? & res non eo modo quo fuerat à ſuo Authore ordinatæ & deſcriptæ explicabunt?

cabunt? Quamobrem sciendum primò, quòd de quolibet myro balano illic notato, non ʒ.ij. sed vnciæ duæ accipiẽdæ sunt. Postea cùm legatur myrobalanorũ citrinorum &c. bulliãt super prunas &c. existit dubiũ, quare post talem bullitionẽ, iterũ illos vnctos oleo amygdalino, velit vt bulliant cum epithymo bullitione vna. Cum cõmunis Doctorum opinio sit, quòd myrobalani non substineant multã decoctionem. Vnde Cõstantinus Aphricanus, authoritate Costæ filij Lucæ, in libro de gradibus medicinarum, sic ait: Myrobalani sunt gummosi, ideoq; videntur esse laxatiui. Idcirco quibus fuerit gũma non visa, sunt debilioris virtutis. Quod testatur hæc ratio. Quòd si in calida aqua infundãtur, & aqua potabitur, erit fortiter laxatiua. Si autẽ ad ignem coquãtur, erit aqua in qua coquuntur debilius laxatiua. Ignis enim tollit gummositatẽ &c. Hæc ille. Igitur si post primam bullitionem, denuò ipsa decoctio cum ipsis myrobalanis causa bullitionis ad ignem reducitur, nihil, vel saltem satis parũ ipsa decoctio (quam quærit Author) retinet in se de virtute dictorũ myrobalanorum laxatiua, huic confectioni pernecessaria. Idcirco non vtile vt dicti myrobalani plusquam semel, & valde parũ bulliãt in ipsa succorum decoctione: nec decoctio ipsa, myrobalanis amotis, est amplius bullienda. Sed si aliquis dicat quòd pro secũda bullitione, non sunt accipiendi illi myrobalani prius iam decocti, sed alij ex crudis, qui vncti oleo dicto, vnà simul cum epithymo bulliant bullitione vna tãtùm. Respondendũ, quòd hoc non potest esse, quia in ipsa secunda annotatione (vt per impresiones legitur) ipsorum myrobalanorũ bulliendorũ, non scribitur quæ quantitas sit recipienda. Ergo de prius iam decoctis intelligitur, cùm legitur quasi per recapitulationẽ: Inuoluantur myrobalani, scilicet supradicti &c. Etiam quis potest obijcere, quòd suprà, scilicet in Confectione Alcãzi, ex præcepto ipsius Authoris, bis myrobalani sunt bulliendi, ergo non substinent paruam decoctionem: & per consequẽs, possunt in præsenti triphera binas recipere decoctiones. Ad hoc respondendũ, quòd contrario modo se habẽt adinuicem Cõfectio Alcanzi, & ista Triphera persica, & diuersas habent intentiones, & operationes. Quia in dicta cõfectione Alcanzi, ipse Author intendit sedare & restringere solutionẽ naturæ, & cõfortare, & quærit in substãtia ipsos myrobalanos tantùm, abiectis ipsorum decoctionibus. Per præsentem autem tripheram, econtrà intẽdit Author lenire & educere: & quærit decoctiones eorum, & non ipsos myrobalanos. In quorum deco-

ctionibus primis feruoribus statim ipsi myrobalani (vt suprà iam diximus) relinquunt partem suam laxatiuam. Quæquidem pars laxatiua postea, ob nimiam bullitionem, ab ipsa decoctione (vt dictus Constantinus testatus est) euanescit, ac deperditur. Ergo non bene est vt in hac Triphera multùm bulliant ipsi myrobalani, nec etiam amotis ipsis eorum decoctio. Preterea adhuc quidã possunt obiectare dicẽtes: Quòd si myrobalani non possunt sustinere magnam decoctionẽ, frustrà & malè ipse Author noster in capitulo de myrobalanis, & in distinctione de cõditis, ordinat modum condiendi eos cum duabus decoctionibus: vt in dictis locis clarè legitur. Responsio supradicta ad hoc etiam similiter valet, scilicet quia Author talibus in locis non quærit solutionem ipsorum, sed sedationem & confortationem &c. Quapropter, ipse tunc abijcit ipsorum decoctiones, retinens tantùm ipsos decoctos. Et ex hoc sequitur corollarium hoc, quòd quanto magis quæritur ex myrobalanis solutio per viã decoctionis, tanto minus sunt bulliendi, ita vt videatur potius fieri per modum infusionis, quàm per viã decoctionis. econtrà scilicet quòd quanto magis habẽt restringere & confortare, tanto magis sint bulliendi & decoquendi, quod est falsum. Quia post condecentem decoctionem, in diutina bullitione, nõ solùm pars ipsorum solutiua, sed etiam & cõstrictiua, & cõfortatiua, & vniuersaliter omnis virtus & bona proprietas, ægris & medicinę cõpetens deperditur & annihilatur. Et tunc tales myrobalani sic discocti, necnõ & eorũ decoctio, sunt tanquã homo mortuus sine anima, & sine virtute, nec amplius boni ad medicinę vsum: quia tam decoctio ipsorum, quàm ipsi amiserunt omnem substantiam &c. Igitur &c. Etenim in huiusmodi & consimilibus decoctionibus, semper est facienda gradatio rerũ coquendarum secũdũ artem: quia quamuis violæ in ista descriptione sint præpositæ prunis, non tamen sustinent maiorem decoctionem, quàm ipsa pruna. Oportet enim (vt aliâs diximus) aromatariũ scire naturã & complexionem, seu texturam omnium simplicium cõmiscibilium: vt sciat quæ magis, & quæ minus sustinent decoctionem, contritionem &c. Vt in suis canonibus ipse Author noster optimè docet, præsertim vbi de decoctionibus ait: Verum tibi superest scire medicinas, quæ debilem coctionem suscipiunt, aut fortem &c. Vbi multa notabilia tangit. Ex his igitur visis sequitur descriptio vera istius clausulæ quæ talis est: Myrobalanorum citrinorum, chebulorum, & indorum, in oleo amygdalarũ dulcium inuolu

Myrobalanorũ omniũ decoctio.

uolutorum,ana ℥.ij.& bulliant bullitione vna &c. Et locus proprius ipsius clausulæ est post epithymũ, videlicet vbi legebatur, Inuoluãtur myrobalani &c. Vbi animaduertẽdũ quòd Author sapienter posuit eos vltimo loco cum epithymo,quia similiter & epithymum non patitur decoctionem. Imò & post epithymum descripsit eos,ad denotandum quòd intentio sua est,vt bulliant, quasi non bulliant,bullitione vna. Quod autem suprà,inter cuscutam & spicam de ipsis myrobalanis legitur,vacat. Caffetur ergo in ista descriptione per omnes libros,ne successores denuò consimilibus implicentur laqueis.In ipsa autem decoctione facienda, ita est procedendum.Post ipsorum depurationem vniantur insimul omnes succi,& in ipsos primum immittantur pruna Damascena sicca, incisaque vsque ad osseum,in tribus aut quatuor locis,&bulliant cum agilitate vsque ad cõsumptionem medietatis succorum,vel circa,secundum discretionem. Deinde superponantur senæ folliculi grosiori modo cõtriti. Deinde cùm tempus fuerit, cuscuta & agaricum similiter contrita. Deinde spica, rosæ,& violæ. Postea immediatè epithymum mundum,& confractum. Vltimo verò loco,scilicet cõtinuò post epithymum, absque mora aliqua immergantur myrobalani enucleati grossè contriti,ac oleo prædicto inuoluti.Post quorum immisionẽ, simplici feruore transacto deponatur ab igne totum,& post aliquod spatium temporis coletur &c.De consimili ratione fiant omnes aliæ decoctiones,quibus competit fieri gradatio medicinarum,scilicet quòd semper præponantur res quæ magis sustinent de decoctione,licet eædem in descriptione postponantur. Sed aduerte,quòd succi consumendi sunt in ista decoctione, donec remaneãt ex ipsis ℔.ij.quia sic habent libri antiqui. Impressi autem habent vsque ad ℔.j.& malè,non enim est sufficiẽs vna ℔.dictæ decoctionis,ad perficienda omnia, quæ infrà præcipiuntur.Videlicet,quòd in vna parte & in medietate ipsius,dissoluantur tamarindorũ ℥.iij.mannæ ℥.j.s.pulpæ casiæ ℥.iiij.& zuchari violati ℥.xij.Vix enim ad hæc liquanda sufficit ℔.j.s.ergo duæ libræ, & non vna ex ipsa succorum decoctione seruandæ sunt.Præterea,antequam ad alia transeamus,aromatarijs minus peritis consulimus (peritiores enim non multo indigent consilio) quòd myrobalani hìc,& in similibus accidentibus,videlicet, vbi pars ipsorum solutiua est necessaria, securius infunduntur quàm bulliant. Et hic erit faciendi modus, videlicet fiat decoctio secundum artem omnium prædictarum rerũ,exceptis ipsis my-

Decoctionũ cõpositarũ exemplum & regula.

Infundendi myrobalanos & simi lia, regula.

robalanis,& post vltimam,quæ est epithymi,bullitionem continuo feruenti, quasi adhuc bulliat,inmittantur in ipsam myrobalani,oleo amygdalino prius(vt dictum est)bene peruncti, & dimittatur frigescere,deinde coletur &c.Et ne quis putet hoc esse præter Authoris intẽtionem,ipsum Authorem citamus in testimonium, qui in suo Canone de rectificatione medicinarum cum modis infusionum ait:Relinquitur autem dispositio rei per infusionem,in re in quam infunditur,& cætera quæ sequuntur. Hinc prosequitur:Sicut in infusione rheubarbari,& myrobalanorum videmus.Separatur enim ab eis virtus solutionem faciẽs, & cadit in infusionem, remanente re contractionem faciente in residuo &c.Item ipse Author in septima distinctione præsentis antidotarij,in modo infusionis de succis herbarum,sic dicit: Recipe succorum endiuiæ,lupuli,buglosse,depuratorum,ana ℥. viij.proijce super eos corticum myrobalanorum citrinorum ℥. j.raued boni ʒ.iij.tamarindorum ℥.j.s. carnis casiæ fistulæ ℥.iij. fiat vt suprà. Iam enim dixerat in modo infusionis aquæ casei proprietatem eius,& quòd est dimittenda à sero vsque mane,deinde est colanda,& propinanda. Quæquidẽ infusio,est multum similis decoctioni præsentis tripheræ. Et in octaua distinctione, quæ est de trochiscis,videlicet in confectione Galliæ alefanginæ ait: Accipe emblicorum bonorum,abiectis ossibus ℥.iiij. Conterantur contritione grossa, & ponantur in vase vitreo, & fundatur super eos aquæ rosatæ &c. Quibus in locis, maioris laxationis causa, non decoctiones sed infusiones myrobalanorum tantùm quærit.Item capitulo de myrobalanis, dicit: Et infusio quidem eorum competit, quando solùm quæritur solutio. Et patet per simplicia quæ recipit, quòd hæc triphera soluit leniendo fortiter. Igitur non est hîc coarctanda, neque minuenda eius virtus, atque soluendi proprietas, sed augmentanda atque dilatanda eò maximè,quòd omnes medicinæ ingredientes ipsam tripheram, possunt inter benedictas connumerari: nec est timendum in eius solutione de aliquo nocumento. Et (vt suprà diximus) authoritate Constantini, præstantior est ad laxandum myrobalanorum infusio, quàm decoctio. Quapropter non malè agitur, si dicti myrobalani infundantur modo dicto, in ipsa decoctione perfecta, absque aliqua bullitione. Cæterùm vbi legitur: Vltimo verò, puluerizentur super illud, raued boni &c. Cassetur super illud. Non enim competit huic loco, nec est in exemplaribus antiquis. Rectius autem

sic

ſic legito: Vltimo verò puluerizentur, raued boni ℥.ij.&c. Non autẽ, raued ℥.iij. vt in pluribus impreſsionibus legitur. Omnes enim antiqui libri (quos vidimus) & nonnulli etiam ex impreſsis, concorditer habent: Raued boni ℥.ij. Et quanuis hunc errorem fraudulentis aromatarijs non ſit multùm neceſſe propalare, quia libentius ipſi minus quàm plus ponunt in confectionibus de huiuſmodi ſimplicibus pretioſis, vt ſunt Rheubarbarum, muſcus, ambra, & ſimilia. Tamen vt veritas habeat locum ſuum, & Deum timentes non grauẽtur in non neceſſaria expenſa, omnia rectè (vt decet) vt melius videtur, à nobis fideliter deſcribuntur. Item, vbi in eiſdem impreſsis legitur: Chebulorum, Indorũ, ana ℥.viij. eſt error nõ paruus. Poſita eſt enim ibi errore librariorum, vncia pro drachma. Omnes enim antiqui codices habent, chebulorum, indorum, ana ʒ.viij.ſ.℥.j.& non octo. Item vbi habetur impreſſum: Granorũ fumi terræ (id eſt ſeminũ fumi terræ) trochiſcorũ Diarhodon &c. ana ʒ.ij.s. legẽdum eſt, abſq; illo ſemis, ana ʒ.ij. Sequẽs verò ana, quod eſt quatuor granorum, eſt ʒ.ij.s. vt antiqua volumina quidem huius rei veritatẽ oſtendunt. Quatuor autem grana ſunt quatuor ſemina cõmunia, maiora frigida, ſcilicet melonis, citrulli, cucumeris, & cucurbitæ, de quibus diximus in Diaſiracoſt. Aliqua autẽ volumina ex impreſſis quidẽ, habent hoc in loco quatuor granatorũ, ſed non rectè. Lege autẽ de huiuſmodi, & cæteris communibus ſeminibus tam frigidis quàm calidis, tam maioribus quàm minoribus, in Lohoc alio noſtro de intẽtione hac, & etiã in fine deſcriptionis Diaſiracoſt. Poſtremò autẽ, vbi legitur: Inuoluantur in oleo violato, & repone &c. ſciendum quòd multi ignorantes veritatẽ huius clauſulæ, credunt totam ipſam cõfectionem eſſe inuoluendã in oleo violato. Sed res vera ſecus eſt. Quia tantummodo iſtæ vltimæ ſpecies, ſcilicet raued &c. Quæ ſpecies puluerizatæ, & oleo violato bene perunctæ, cõmiſcendæ ſunt cum ſupra dictis rebus, & conficiendæ &c. Deſcriptio autẽ vera & recta huius clauſulæ talis eſt, (vt in quibuſdam exemplaribus vetuſtiſsimis legitur) Inuoluantur (ſcilicet prædicti pulueres) in oleo violato, & proijciantur ſuper illud totũ: quod confectum repone in vaſe vitreo &c. En videtis quot confuſiones, quot ve errores notauerimus in præſenti Triphera perſica. Igitur indulgẽdum eſt noſtræ prolixitati. Non enim potuimus breuioribus tanta conſtringere. Nec vos tædeat, vel ſaltem ſemel legere, quod nos non piguit in ſcribendo per tot volumina, non ſine magno labore perquirere.

Quatuor grana.

De

De Solatro.

DE communi, & magis nota Solatri, siue solani specie Author intelligit. Et illa quidem est, quæ alio nomine vulgò Cacabalum dicitur. Est enim vulgaris notitiæ. De omnibus autem speciebus solatri, quære in Trochiscis de Alchechengi.

De Endiuia.

QVàm maximo detineantur errore, qui per Endiuiam sumunt lactucam agrestem, bonarum literarum amatores non ægrè percipiunt. Etenim Endiuia, Cichorium siue cichoria vel cichorea, Intybus siue intubus vel intuba, Seris, Picris vel picrida, Scariola, Ambubeia, Dundebe siue Hundebe Taraxacon vel taraxicō, & alia plura, vnū & idē significāt. Differūt tamen aliqua ipsorū, per syluestre siue erraticū, & domesticū, id est satiuum. Vt exempli gratia: per scariolam semper intelligitur domesticum cichoriū, & per taraxacon semper sylnestre &c. Sūt præterea & alia nomina istis attributa, quæ etiā alijs diuersis conueniūt: vt Heliotropia siue solsequia, Spōsa solis, amica solis, pancratiū, chreston &c. Sed longū esset atque superfluum de his omnibus & singulis pertractare, cùm clarè de ipsis tam apud antiquos, quàm apud iuniores bonos Authores habeatur. Iuniores autem magis imitādos dicimus, Hermolaum Barbarū, Ioannem Manardum, Antonium Musam Brasaulum, Ioannem Ruellium, & cæteros eis similes. Legito te ergo apud ipsos. Luminare Maius autem in syrupis de cichorea, & nonnulli quamplures, genera cichorij siue endiuiæ volentes declarare, plura confundunt. Vnde aromatarij hodierni parātes dictos syrupos, ferè tot committūt errores, quot ibi sunt simpliciū nomina. Minus ergo malum iudicamus esse, si omittantur illi syrupi, quàm si talibus descriptionibus parentur. Veræ autem quæ possunt probari endiuiæ, siue cichorij species hæ principaliter sunt. Videlicet Condrilla, quæ apud Dioscoridem etiam ob maximā similitudinem quam cum cichorio habet, legitur à nonnullis seris, & cichorium dici. Et cicerbita aspera, id est sonchus asper, id est crispinus vulgò notus: quem similiter, teste ipso Dioscoride, aliqui cichorium nuncupant. Est quoq; & quædam herba quæ vulgò Dens leonis, & Rostrum porcinum & ab alijs Amarum olus vocatur: quam herbā ob amaritudinem, & foliorum similitudinem, intubi syluestris speciem nonnulli, vt Hermolaus & Ruellius esse autumant. Veruntamen cùm absolutè legitur endiuia, vel cichorea &c. nō intelligitur de istis speciebus iam dictis, sed de vero intubo, scilicet cicho

Cichorij veræ species.

Endiuia vel cichorea absolutè.

cichorio ſyluestri, quod eſt melius, vel ſaltem de ſatiuo, quod eſt poſt illud. Author enim noſter per endiuiã, quaſi ſemper intelligit ſatiuũ cichoriũ: quoniam ſylueſtre ſub nomine Taraxacon deſcribit, vt probatur in pluribus locis, vbi vtrunq; habet, ſcilicet endiuiam, & taraxacon. Vt in ſeptima diſtinctione huius antidotarij, videlicet in decoctione fumi terræ, vbi legitur: Accipe ſucci altaraxacõ, & endiuiæ &c. Et ſimiliter in tertio canone primi capituli de rectificatione medicinarum bis, & in capitulo de modis lauationis medicinarũ, & in capitulo de mezereon, & alibi vtrunq; legitur, & vtplurimũ immediatè. Sed notandũ, quòd ſecundum ipſum Authorẽ noſtrũ, tam endiuia quàm taraxacon cùm ponitur in medicinis, nõ debet lauari: quia habent virtutem in ſuperficie, quæ per lotionẽ tollitur: vnde in dicto capitulo de modis lauationis, ait: Et ſunt medicinæ quæ virtutẽ poſitam habent in ſuperficie, quæ ſi lauentur, tollitur: ſicut taraxacon, & endiuia, & roſa, & ſimilia. Hæc ille. Quare colligẽda ſunt huiuſmodi, vt poſsibile eſt, mũda ab omni ſorde & luto &c. vt poſtea cõmiſcenda medicinis, non alia indigeãt lotione. Et aduerte, ꝙ in nulla deſcriptione huius antidotarij legitur cichorea, nec (vt ſciamus) in canonib. nec forſan in toto opere ipſius filij Meſuæ. Declarãs per hoc ipſe Author, ꝙ ſub nomine endiuiæ, intelligitur & cichorea &c. qa in veritate idẽ eſt endiuia, quod cichorea &c. *Lotio quorundam ſimplicium virtutem comminuit.*

De Cuſcuta.

QVamuis nonnulli velint cuſcutam oriri in pluribus plãtis, necnon & in nudo ſolo, tamen illa eſt accipienda, pro medicinæ vſu, cùm abſolutè legitur, quæ per lini plantas circũuoluitur: quæquidẽ ab alijs podagra lini, & linicida vocatur. In patrimonio Romano, & particulariter circa Viterbiũ copiosè prouenit. Eſt enim propriè quoddam capillamentũ epithymo ſimile, albius tamen. Vulgaris cognitionis eſt. Nam damnum quod ſæpius ipſa lino infert, ferè omnibus notiorem reddit. Lege de ea etiam in modo confectionis de eupatorio. *Podagra lini. Linicida.*

Confectio electuarij alharif, & eſt electuariũ boni ſaporis, quod compoſuimus nos &c. LXXII.



RAESENTIS, & ſequentis electuarij confectiones, quo ad titulũ per varios libros, plurimas habent inſcriptionum variationes: videlicet Alharif, Alkarif, Alaberaluf, Alakaluf, & huiuſmodi conſimilia multa, quę ſi ſcripſiſſemus, fore ridicula non

la non dubitauimus. Eo maximè quia nihil facit ad rem, quouis cognomine describantur ipsæ cōfectiones. Nos autē quasi amota illa voce barbara, intelligimus ipsa Electuaria boni saporis, siue Electuaria magna, siue regalia: vt infrà in suchalhar ilf dicetur. Et fortasse illa vox est significans illud. Sunt autem & in præsenti confectione aliqui errores. Vnde primò sciendum, quòd descriptio dulcationis, seu rectificationis myrobalanorū, est multùm vitiata, & maximè vbi post dissolutionem zucchari in aqua, legitur: Semper in ea parum de oleo infundendo. Quoniam inibi rectius legendum est: Semper in ea parum de ipsa aqua infundendo. Quid igitur est faciendum de ipsa aqua, si oleum est superinfundendum semper? Antiqui codices eo in loco, aquam habent, non oleum. Quibus si nolunt adhibere fidem, legant capitulum ipsius Authoris de myrobalanis, vbi fere ad literam ponit ipsum & eundem modū rectificationis eorum. Hæc nempe sunt verba ipsius in præfato capitulo: Modus rectificationis eorum satis vtilis, acquirens eis saporem bonum, & emendans quæcunq; [illegible] de eis, est, vt sumatur de myrobalanis cōtritis quātitas quam volueris, & sit hoc in ęstate: & funde super eos olei amygdalarum dulcium quantitatem, qua confricando leniantur in vmbris, & exiccentur in sole: & semper modicè confricando superrorentur oleo, & fiat illud per triduū. Deinde denuò per triduum cum aqua zucchari, aut aqua casei cum pauco zucchari conterantur in sole, semper eos ante modicè cum aqua prædicta irrorando. Deinde fac trochiscos &c. Hæc filius Mesuæ. Videte ergo quod intentio Authoris est, vt ipsi myrobalani per triduum in eorum contritione superrorentur oleo, & per aliud triduum cum dicta aqua zucchari. Sunt præterea in ista descriptione & alia quædam non tanti momenti, quæ à nobis emendata facillimè comprehēdi possunt à lectoribus, si ab eis nostra descriptio alijs conferatur. Alius autē error notabilis est in ista descriptione per impressos libros, videlicet vbi legitur: Seminis apij ℥.j.s. legendum est ℥.ij.s. quia sic est in omnibus vetustißimis exemplaribus.

De *Nabet, & Nabit.*

VAriationes librorum super hoc simplici in magnā nos duxere dubitationem, ita quòd non audemus determinare si in præsenti & sequenti confectionibus legendum sit Nabet, vel Nabit. Nam maior pars antiquorum librorū, quos legimus, habent in his descriptionibus nabit, vnus nebet, vnus nabee, & vnus

neber,

neber, & plurimi ex impreſsis etiam habẽt nabit. Reliqui autem vnà cum quibuſdam impreſsis habẽt nabet, ex quibus aliqui cum aſpiratione in fine ſic: Nabeth. Quamobrem hoc cum nonnullis alijs prudentiorum iudicio reſeruamus. Quoniam nabet, & nabit non ſunt idem, vt mox declarabimus. Nabet igitur licet apud antiquos non reperiatur quid ſit, recentiores tamen ferè omnes declarant eſſe zuccharum candum. Quorum opinio nobis non diſplicet. Quia in diſtinctione de conditis, ſcilicet in condito de citris, ſic legitur per omnes libros, tam manu ſcriptos, quàm impreſſos: Et ſit iuleb ex zuccharo albo in aqua, quæ ſit triplum ipſius: deinde coquatur cum facilitate, vſq; ad modum penidiarum. & infrà ſequitur: Et condiantur cum iuleb roſato, cuius decoctio ſit ſicut nabet. Vbi ſecundum veriorem ſentẽtiam non poteſt intelligi pro nabet, niſi zuccharum candum, ſcilicet quòd illud iuleb roſatum ſit ita fortè coquẽdum, ſicut coquitur zuccharum vt candicet: quia quemadmodum ſuprà dixit debere coqui illud iuleb vt coquitur zuccharum penidiarum: ita de conſimili exemplo (vt puto) poſuit illic, vt coquatur ad modum zucchari candi, ſub nomine nabet. Quaſi pari coctione quidem coquitur zuccharũ pro penidijs, vt pro zuccharo cando. Etiam poteſt coniectari, quòd nabet ſit ſpecies zucchari, ex verbis ipſius Authoris, in primo capitulo de electione medicinarum dicentis: Cuius materia ſit humiditas viſcoſa, ſicut zuccharũ, & nabeth, & alhoſos. Siquidem ſicut & alhoſos, ſiue alhuſar, quod idem eſt (vt ſuprà diximus) eſt ſpecies zucchari: ita credendũ de nabet &c. Nabit autẽ, vt in ſynonymis filij Serap. & Auic. legitur, & ſecũdũ Pãdectarium, eſt potio quædã, quæ fit ex dactylis, & ficubus, & alijs fructibus dulcibus in aqua decoctis: quæ quidem potio eſt ſicut ſyrupus dulciſsimus. Etiã ipſe Pãdectarius in litera Termenabit, dicit ꝙ eſt potus ex dactylis & ficub⁹ ſiccis, ad ſpiſsitudinẽ mellis redactus, nõ vi ignis, ſed ſolis colore &c. Si autẽ Author hîc quærat hãc fructuũ decoctionẽ, vel zuccharũ candũ, neſcimus. Verũtamen ponẽdo zuccharũ candũ pro eo, nõ credimus malum eſſe.

Confectio alia electuarij albarif boni ſaporis, quod etiam compoſuimus nos &c. LXXIII.



LECTVARII præſentis cõfectio, eiuſdem intentionis eſt cum ſupradicta: imò maioris efficaciæ & virtutis, vt in ſuo exordio legenti patet. Principalis vtriuſque Author, fuit ipſe filius Meſuæ, vt in ti

in titulo ipsarum probatur, cùm legitur: Quod composuimus nos. In quibusdam impressionibus autem est: Quod exposuimus nos. Sed nõ rectè. Cuncta etenim exemplaria, quæ vidimus, habent composuimus. Et sic est verum. Nam probatur veritas, quia apud nullum Authorem ipso filio Mesuæ antiquiorem, vsq; adhuc valuimus eas inuenire. Quapropter credendum est ipsum filiũ Mesuæ fuisse earũ principalẽ inuentorẽ. Idcirco rectius cõposuimus, quàm exposuimus legẽdum est. Præterea, sunt in præsenti descriptione duo menda. Primũ videlicet vbi legitur: Accipe myrobalanorum chebulorum, & nigrorum, añ. partes duas. Legendum est, ana, partes tres. Aliud mendũ est vbi legitur: Deinde accipe ex hoc toto ʒ.xiiij. legendum est rectius ʒ.xviij. Sic enim habetur per omnia exemplaria antiqua quæ vidimus.

Confectio electuarij Indi maioris &c. LXXIIII.



ISTA duo electuaria, scilicet maius & minus, vocãtur ab Authore Inda, vel quia ab Indis inuenta fuerunt, vel quia apud Indos tunc habebantur in frequentiori vsu. Ambo quidem vnam habent intentionem. Sed ad euacuandum humores flegmaticos, minus dictum efficacius habetur, propter maiorem turbith portionem, quam recipit. Variæ nanq; sunt aliquorũ iuniorum opiniones de his electuarijs: videlicet ꝙ nõnulli, vt Christophorus de Honestis, & Quiricus de Thertona & cæteri volunt, quòd quando absolutè petitur electuariũ Indum, intelligatur minus. Econtra alij, vt Ioãnes Iacobus de Manlijs & cæteri tenent: cum quibus & nos cõcordamus, scilicet quòd maius sit intelligendũ, cùm absolutè electuarium Indum petatur. Veruntamen in hoc & similibus, non debent calamo parcere domini medici, sed speciatim omnia scribere, vt minus peritis non detur ansa errandi &c. Præterea sciendum, quòd in hæc duo electuaria intrat cinnamum, & non cinnamomum. Etiam sciendum quòd casia, quæ est in præsenti maiori descriptione, est casia lignea, contra opinionem aliquorum iuniorum asserentium esse casiam fistulam lenitiuam: quorum sententia, & assignata regula omnino exploden da est à libris. Nã cùm Quiricus de Augustis, & Paulus Suardus, & ipsos imitãtes in Diatrion pipereõ dicant, quòd casia absolutè posita in electuarijs solutiuis, vel lenitiuis, semper sit intelligen da casia fistula (quod est falsissimum.) ergo secundum eorum regulam, in hiera picra, & alijs pluribus hieris, & similibus electuarijs so

Electuariũ Indum absolutè.

rijs so

rijs ſolutiuis, in quibus eſt caſia abſolutè, intelligitur caſia fiſtula. Ergo ipſi contradixerunt ſibi, & ſuæ generali regulę exponentes in ipſa hiera caſiam, eſſe caſiam ligneam. Ergo regula irregularis ipſorum eſt falſa. Et ſi (vt ipſi dicunt) in præſenti deſcriptione eſt caſia fiſtula, quomodo fricanda eſt manibus, & inungenda oleo amygdalino cum alijs ſpeciebus, vt Author præcipit? Quid facient quatuor drachmæ caſiæ fiſtulæ in tanta compoſitione? Igitur recta ſapite, & per caſiam abſolutè deſcriptam, ligneam intelligite. Item animaduertendum, quòd vbi legitur in impreſſis libris in præſenti deſcriptione: zucchari & penidiarum, ana ℥. xx. eſt ibi mendum non paruum, errore nanq; poſita eſt ibi ℥. pro ʒ. rectius quippe legendum eſt: ana ʒ. xx. quia ſic eſt concorditer in cunctis antiquis exemplaribus. Præterea non ignorandum, quòd turbith eſt baſis in iſtis duobus electuarijs, & nō ſcammonea. Non obſtāte, quòd facta calculatione, in quālibet doſim ſecūdū determinatā vtriuſq; portionē, cadat plus de ſcāmonea, quàm de turbith. Quia intētio iſtorū electuariorū principaliter verſatur circa materias phlegmaticas, pro quibus euacuādis, vigoroſius habetur ipſum turbith, quàm ſcammonea: vt tam per ipſum Authorem, quàm per alios plures fide dignos probari poteſt. Quapropter non à quantitate, ſed ab effectu & virtute propria, turbith eſt baſis dictorum electuariorum: ſicut muſcus in Diamuſco, & ambra in Diambra, & ſimilia multa.

Caſia abſolutè.

De Turbith.

AVthor noſter in ſuo de ſimplicibus, facit capitulum de turbith: quod quidē ſuū turbith, nemo (cum legerit capitulum Dioſcoridis & aliorum de thapſia) negabit eſſe thapſiā. Sed quia Tapſia vt ſæpe experti ſumus) diuerſificatur ſecundū loca & tempora, tanquam ſi genus ſuū plures habeat ſpecies (nō quòd propriè ſint ſpecies) ideo particulariter de radice eius loquēs ipſe Author narrat, quòd debet habere ſeptē, nō ſpecies, ſed proprietates bonas, quas enumerat dicēs: Vt ſit album (ſupple interius) &c. Et ſicut recēs & antiquū, ſubtile & groſſum, criſpi corticis & plani &c. ſunt differētiæ indiuiduales & nō ſpecies, ſic & de reliquis cōſiderandū: ne quis dicat, quòd Dioſcor. faciēs vnū genus thapſiæ, quod nec diuidit per ſpecies, filius Meſuæ faciat cōtrarium. Ergo nō ſunt idem, thapſia, & turbith filij Meſuæ. Et ſimiliter turbith Auic. eſt idē quod turbith filij Meſuæ, vt per operationes &c. quę cōueniūt in inuicē probari poteſt. Non obſtāte, quòd ipſe Auic. ſub nomine teſiſie, & theſiſie, vel thaſaſia, ſcribat duo alia capitu-

la de thapsia (sæpe enim hîc Author de vno & eodem plura capitula facit) quia per verba ipsorum capitulorum probatur apud ipsum (præter duo præfata) esse aliud capitulũ de thapsia. Nã in capitulo Thesisie, quod est infra capitulũ de turbith, nihil declarat. Ait enim: Thesisie quid est, iam dictũ est in the, & iã diximus eam, nec quicquã addit vltrà. In altero capitulo autẽ, quod est immediate ante capitulũ de turbith, similiter dicit: Thesisie q̃d est: & iã dictũ fuit in the. Et infrà in ipsomet capitulo dicit: Etiam diximus administrationem eius in capitulo ipsius. Vnde necesse est, vt sit aliud capitulum in the, in quo pertractet de administratione eius. Quodquidem nõ potest esse, nisi capitulũ de turbith. Nam & si aliquis dicat, quòd legitur in ipso cap. Thesisie: Est gũma rutę agrestis. Et ideo cùm dicit postea, & iam dictũ est in the, & iã diximus administrationẽ eius in capitulo ipsius, remittit lectorẽ ad capitulũ rutæ agrestis, & non ad capitulũ de turbith. Ad hęc dicimus, quòd duplici de causa hoc nõ potest esse. Prima, quia capitulũ de ruta non scribitur in litera the, sed turbith. Nec obijciat, quòd Auicenna in suis remissionibus, intelligat secundum literaturam Arabicã, & Alphabetũ Arabicum (quod non negamus.) Nunc autẽ quia opus eius est Latinati donatũ, & simplicia sunt disposita secũdum alphabetũ Latinum: ideo eius dicta non cõueniunt, quia & hoc quoq; per Bellunensem probatur esse falsum: quoniam in capitulo de ruta non per th, sed per s, Arabicè scriptũ Sedab. Sed bene cõuenit cum capitulo de turbith, in quo Bellunensis rescripsit Arabice Terbed. Terbed enim est in litera T, & non sedab. Secũda, si (vt ipsi volunt) capitulũ Thesisie sit verè capitulũ de ruta agresti, vel apud ipsum Auicennã non erit penitus capitulum de thapsia, vel necessariò erit hoc capitulum, quod de turbith inscribitur. Et si hoc capitulum de turbith erit illud, erit pro nobis. Et licet in capitulo de ruta, cùm de agresti scribitur, multa videantur cõuenire cum hoc capitulo de Thesisie (ex quibus putamus vel interpretem, vel aliũ addidisse ad hoc capitulum de thesisie: Est gumma rutæ agrestis) tamen quòd nõ sit gummi rutæ agrestis, in processu ipsius capituli patet apertè. Et pretermissis omnibus alijs, quę sunt in ipso capitulo Thesisie, quæ conueniunt cum capitulo Dioscoridis de thapsia: hæc verba tantùm specialiter adducimus, quæ expressè non competũt gummi præfato, & sunt quasi ad literam in dicto capitulo de thapsia Dioscoridis, per quæ probatur ipsum capitulum de Thesisie esse de thapsia, & nõ de ruta agresti, siue gummi eius. Ait igitur Auicenna:

cenna:In radice eius,& corticibus ipsius,& lachryma eius, est solutio.Sumantur de corticibus eius tres aurei,& de succis tres anulusat,& de lachryma eius aurei ij.& cùm multiplicatur eius vsus nocet.Hæc Auic.Nam gũmi nõ cõpetit dici,radix eius,& lachryma,& succus &c.Ergo de aliqua plãta loquitur Auicen. & nõ de gũmi.Et quòd in capitulo de thapsia Dioscor.legatur idem,ausculta.Inquit enim:Tam cortex radicis, quàm succus, purgandi vim habet.Lacteus succus in aqua mulsa potus, vtrinq; bilem extrahit.Radicis modus quaterni oboli cum tribus seminis anethi drachmis,succi terni oboli, lactis obolus vnus, quod eo amplius assumitur,periculosum est.Hæc Dioscor.Ergo est thapsia, & nõ gummi rutæ agrestis.Suspicamur nẽpe Arabicè esse aliquod vocabulum æquiuocũ,scilicet cõmune ad thapsiam,& ad rutã agrestem,siue ad gummi eius. Quoniã sæpius interpretes in æquiuocis peccant,vt & apud alios plures inuenire licet,& in secũdo practicæ Hali filij Abbas,& cæteris legimus thapsiã interpretatã rutam agrestem &c.Igitur turbith Auicennæ,& turbith filij Mesuæ sunt vnũ & idem,& propriè est thapsia. Etiã coniectandũ, quòd filius Mesuæ(quamuis alia plura omiserit)non omisisset thapsiã, in suo de simplicibus solutiuis, quæ celebratissima ferè ab omnibus authoribus habetur.Serapio autem in principio sui capituli de turbith,nõ thapsiam,sed tripoliũ Dioscoridis, quasi de verbo ad verbũ describit:Postea verò cùm adducit Arabum authoritates,non tripolium,sed turbith Auicennæ,& filij Mesuæ sine dubio depingit. Scribit etiã seorsim capitulum de thapsia, solummodo per authoritates Dioscoridis, & Galeni. Vbi non citauit Arabes,quia sub nomine turbith(vt diximus) Arabes scripserũt thapsiam. Quorum Arabum de thapsia authoritates, ipse Serapio in capitulo de turbith, tripolij descriptioni annexuit, quasi approbans turbith esse tripolium,& thapsiam. Non enim est credendum,Arabes ante Serapionem non scripsisse de thapsia. Sed nos in compositionibus filij Mesuæ,non tripolio,sed turbith ab eo notato debemus vti. Et certe miramur de aliquibus iunioribus,viris vtiq; in literis consummatis (vt est Nicolaus Leonicenus,& Ioannes Tagautius & ceteri)asserẽtibus filiũ Mesuæ falsa scripsisse,cùm dixerit suum turbith habere folia similia ferulæ, & lacte abundare: & negantibus inueniri plantam huiusmodi, scilicet quæ habeat folia similia folijs ferulæ, & lactescat. Forsan ipsi non legerunt thapsiam,cuius planta (teste ipso Dioscoride) maximè æmulatur ferulam. Cuiusq; radix turget lacte. Et aliæ

Thapsia est turbith.

Nicolaus Leonic. & Ioan.Tagautius errantes rũt in descriptione de turbith.

p 2

plantæ plures similiter sunt, quas breuitati studentes omittimus. Et quòd turbith habeat plantam ferulæ similem, non solùm per Authorem nostrum, sed etiam per Vincentium authoritate Constantini probatur, cùm dicit: Arbor eius est quasi ferula &c. Etenim Author noster cùm dixit suũ turbith habere lac, non de folijs, sed de radice intellexit. Ad quam quidem radicẽ (excepta illa foliorum similitudine) omnia quæ sunt in illo capitulo spectant, vt legenti non est dubium. Etiam non sine admiratione legimus Ruellium & cæteros, qui dicunt turbith filij Mesuæ esse radicem alypiæ, vel pityusæ: cùm neutra istarum habeat folia ferulacea. Multa nẽpe & alia diuersa à præfatis & alijs iunioribus, vt à Manardo, Brasaulo &c, descripta sunt de turbith consideratione: sed in rei veritate, ipsorum omniũ controuersiæ, & variæ opiniones in vnum collectæ, potius conturbant quàm clarificant legentis mẽtem. Qui vult legat apud ipsos. Nobis autem ipsorum scripta de turbith, placuit legere, sed non imitari. Turbith autẽ officinarum, verè nõ est turbith filij Mesuæ: quia (vt ab ipsis, qui proprijs manibus collegerunt habuimus) folia ferulæ non habet, sed potius portulacæ similia, longiora tamen, quæ & latescunt. Vnde coniectamus ipsum turbith vsuale, aliquam speciem tithymali esse: cùm nullam conditionem turbith filij Mesuæ habeat. Non est enim planum, nec arundinosum, nec gummosum, nec frangibile, sed neruosum &c. Nec est tripolium, vt ex eisdẽ notis foliorum &c. probatur. Ex quo igitur, non est loco turbith medicinis admiscendum. Turbith autem quod exportatur à mõte Gargano Apuliæ, & alijs locis Italiæ colligitur, est verissima thapsia: & si est thapsia, per consequens est turbith filij Mesuæ. Et quòd sit thapsia, nos ipsi nostro damno experti sumus. Quoniam excauando ipsum turbith, circa Cornetum, superuenit nobis in facie, & in manibus tumor non minimus. Quod quidem (teste Dioscoride) est proprium thapsiæ &c. Veruntamen istud Apuliense (vt in re ipsa clarè patet) ex magnis radicibus thapsiæ est collectum, quod certe filius Mesuæ in suo capitulo non laudat. Mediocre igitur est eligendũ, album interius, gummosum, frangibile &c. Nec ante sex menses à sua collectione ad minus debemus eo vti. Nec multum vetus, seu à vermibus corrosum est suscipiendum in medicinæ vsum. Præterea sciendum quòd turbith in istis duobus confectionibus, & similibus, quæ faciunt ad euacuandum humores phlegmaticos, viscosos, grossos &c. & in quibusdam electuarijs magnis: vt quidam ponunt in Triphera saracen

Ruellius errauit in descriptione de turbith, item & Manardus & Brasaulus.

Turbith officinarum non est verum Turbith, sed species tythymali.

Turbith est vera thapsia.

Turbith optimũ quale.

Turbith cõtritio.

tacenica,& ſimilibus,ſubtiliter eſt triturandum & cribrandum, teſte Serapione: qui in capitulo de Tubith, authoritate Abix, ait: Etſi debes illud ponere in magnis antidotis, cribra ipſum per tenue cribrum. Et infrà: Et ſi vis dare ipſum habentibus phlegma viſcoſum, tenax, tere illud ſubtiliter, & cribra ipſum, vt adhæreat phlegmati, & expellat ipſum. Hæc Serapio. In pilulis autem & alijs compoſitionibus ſolutiuis,quæ nõ habent principaliter expellere phlegma,more communi ſolutiuorum,id eſt, non ſubtiliter eſt terendum,atq; cribrandum,teſte ipſomet Authore in eodem capitulo dicente: Et ſi ponis ipſum in medicinis laxatiuis,ſicut in pilulis & decoctionibus, cribra ipſum cum cribro raro, vt ſit in eo aliqua groſsities, ne adhæreat villis ſtomachi. Hæc ille. His demũ viſis,vnũ adhuc, quod non præſumptuosè,ſed de bono alicuius periti medici conſilio faciendum, ſubſcribere non ab re iudicauimus. Videlicet quòd præſentis electuarij Indi maioris confectioni, commiſcendo aliquam zinziberis portionem (ob maiorem turbith confortationem) non erit contra Authoris intentionem, cùm ipſe filius Meſuæ in dicto ſuo capitulo de turbith dicat: Et ex magis ipſum confortantibus,eſt zinziber. Ipſum enim ſigillat ei proprietatem mirabilem. Et eſt, vt educat humorem groſſum, & viſcoſum, etiam à remotis cum facilitate: ita quòd à iuncturis, & anchis, & locis profundis,& diſtantibus. Per ſe autem non facit illud, imò educit de phlegmate quod eſt ſubtile,& derelinquit quod groſſum, & operatur hoc tardè. Et corrigunt quod ſecundo dictum eſt, admiſcendo ei de medicinis ſtomachicis,& redolentibus, & ſedantibus agitationem in eo per ipſum: ſicut eſt maſtix, & gallia,& aromatica, & propriè zinziber, & piper longum, & ſimilia. Hæc ille. Et infrà in poſſe ipſius,ait: Turbith confortatum,ſolutione educit humores phlegmaticos,groſſos, & viſcoſos &c. Conſimiliter & Auicenna, ſecundi canonis, tractatus primi,capitulo quinto,ait: Quædam medicinæ ſunt, in quibus eſt virtus ſolutiua, ſed tamen indigent virtute adiuuatiua: quum in ipſarum natura non ſit adiutorium forte. Quum ergo eis adiutorium aſſociatur, operantur fortiter, ſicut turbith: ineſt enim ei virtus ſolutiua,ſed ipſa eſt debilis acuitatis,quare reſoluere vehemẽter nõ poteſt: euacuat ergo quod præſens eſt, ex ſubtili phlegmate. Quum ergo ei aſſociatur zinziber, ſoluit cum adiutorio ſuæ acuitatis humorem viſcoſum, plurimum, vitreum, & fit velocior eius ſolutio. Item, ipſe Auicenna in ſecundo tractatu

Turbith proprietas & confortatio.

eiúsdem canonis, cap. de turbith, authoritate Mesaugue dicit: Solutione educit phlegma subtile, & si confortetur cum zinzibere, & eo quod habet acuitaté virtutis, educit grossum & crudũ humorem. Solum verò non soluit grossum &c. Hæc Auicéna. Item Bartholomæus Montagnana tract. de modo cõponendi medicinas, & de dosiearum inuenienda, in tertia rubrica quinti capituli, sic scribit: De turbith nota, quòd medicus nullo modo debet dare turbith, nisi det ipsum correctum cum zinzibere: ita quòd quantitas zinziberis sit subdupla ad turbith. Recipe (exẽpli gratia) turbith ℈.ij. zinziberis ℈.j. Hæc ille. Item Petrus de Tusignano in receptario, super nono Rhasis ad Almãsoré, tractatu quinto, qui est de præparatione medicinarũ simpliciũ, dicit: Turbith præparatur cum tertia parte zinziberis &c. Igitur quia hæc confectio principaliter & intentionaliter est ordinata ad educendũ humores phlegmaticos, grossos, putridos &c. rationabiliter debet recipere zinziber, vt effectus turbith fiat nobilior. Et forsan deest in ipsius descriptione. Non obstante quòd in ipsam confectioné ingrediantur mastix, & quædam alia simplicia ipsum turbith confortantia: quia zinziber specialius & efficacius habetur in hoc, vt per præfatorũ Authorum verba, & multa alia quæ breuitatis causa omisimus, probatur. In sequenti autem minori eiusdem intentionis electuario habetur zinziber, quapropter & in hoc maiori non erit contrariũ, imò erit maximi iuuaméti &c.

Electuarium Indum minus &c. LXXV.



HOC præsens electuarium Indum minus eiusdem intentionis & virtutis est cum superiori. Et cùm hoc recipiat duplicatam turbith portionem, conuenientius fuerat hîc facere de ipso turbith declarationem. At quia illud magis habetur in vsu, placuit illic multa describere & ea inserere quæ dignè, & huic minori congruunt, vt legenti patet.

De Scammonea.

Scammoniũ absolutè. NOtandum, quòd quotiescunq; in compositionibus scammonea simpliciter reperitur, vt in præsenti electuario, semper correcta intelligitur. Et nullo pacto, absque correctione est propinanda, teste ipso filio Mesuæ, dicente in primo cap. primæ intentionis de electione medicinarum, secũdum esse proprium: & plurimi stolidorum quidem, & præcipuè syluestres & noui, præsumunt super illis nondum consolatis, non vtentes prouisione,

ne,& ignorantes quod est super venenum perniciosum:& ignorantes læsionem, quam faciunt possidere membra, quæ sunt minerę virtutum, cum ipsis virtutibus. Et sequitur authoritate Heben Mesuai: Non tantùm has fugere oportet, verùm & omnes, etiam si elegātiores sunt, nisi obseruetur cōditiones, &c. Hæc ille. Quapropter, etiā cùm scribit absolute scāmoneā, semper de correcta intelligit Author, quia præsupponit te scire omnes suos Canones, & intentiones. Et eo maxime hîc non notauit eius correctionem. quasi remittendo te ad considerationem superioris descriptionis, scilicet electuarij Indi maioris: vbi iam descripserat ipsam scammoneam, non solùm in pomo decoctam, verùm etiam & bonam specificauerat, quod quidē minus necesse erat, quoniam nulli dubium est, quòd semper absolutè, de bona intelligitur. Mala enim nusquam est admittēda, nisi in aliquibus magnis causis iudicatum fuerit conuenire. Et tunc non quia mala, sed quia competens illi causæ, cuius malignitas tunc respectu boni effectus consequendi, pro bonitate suscipitur, sicut caro viperæ in theriaca, & similia. Vt optimè Author ipse in præfato capitulo docet aromatarium, cùm dicit: Et tua interest malignarū, atque incolumium medicinarum, apud te habere differentias, & cætera quæ sequuntur. Sed animaduertendum, quòd quicquid hîc notatum est de scammonea, idem intelligendum est de coloquintida, turbith, mezereon, esula, euphorbio, & similibus. Verùntamen hoc intelligēdum est, quando aliquod huiusmodi datur alicui, siue ponitur in confectionibus cum tota sua substantia corporea: nō autem sic intelligitur, quando alicuius ipsorum petitur decoctio, vel infusio. Nam quādo ponitur quodda eorū, vel similiū in aliqua decoctione, vt est coloquintida in decoctiōe cōfectionis Hamech, & similia: & postea abiectis simplicibus recipitur ipsa decoctio tantùm, tunc coloquintida incorrecta ponitur, quemadmodum in ipsa confectione Hamech dicetur. Lege ibi. De scammonio vel scāmonia autem, siue mauis scammonea vel scamonea, quod idem est, satis clarè ac diligentissimè tam à Dioscoride, Plinio, Serapione, Auicēna, & alijs fide dignis authoribus, quàm etiā ab ipso Authore nostro filio Mesuæ describitur. A quibus quoque & modi ipsam corrigendi, siue præparandi, perquàm optimè cōnotantur. Quapropter non oportet prolixiorem de ipsa declaranda habere sermonem. Monendi tamen sunt aromatarij, vt benè inuigilēt, ne in emptione ipsius defraudentur: quia multoties adulteratur, plurimis adulteratio-

Medicaminamala respectu morborū sunt bona.

Scammoniū & similia, quādo correcta & quādo nō correcta sumantur.

num modis. Etiam sciant, quòd ex tot modis præparãdi ipsam, laudabilior habetur modus decoquendi in cytonio. Qui modus ab ipso Authore nostro sæpius notatur. Præterea (quoniã apud Authores, & sæpe apud nostrum filium Mesuæ, scammonea decocta in pomo, aut cytonio legitur) sciendum, quòd non est idem, vt aliqui pessimè glossantes illud aut, pro, id est, seu pro scilicet, putant & dicunt: Scammonea cocta in pomo, id est cytonio. Sed quando Author dicit: Coquatur scammonea in pomo, tunc non intelligit de cytonio, sed de alia pomorum specie, vt per ipsius verba, in capitulo de scãmonea clarè patet: & particulariter vbi authoritate Pauli dicit esse conueniens, aliquando facere decoctionẽ eius in pomo acetoso, aut põtico, causa remouendi ipsius scammoneæ nocumenta. Item in libro Seruitoris, quem Bulchasim appellant, scilicet in modo coquendi scammoneam, vbi primum cum pomis dulcibus datur præparãdi modus, postea cum cæteris rebus inibi assignatis. Item, in septimo Breuiarij filij Serapionis capitulo de pilulis, in illis videlicet quarum titulus est: Pilulæ quæ conferunt ad ægritudines choleræ citrinæ, & sanguinis, legitur: Scammoneæ assatæ in concauitate cytonij, aut mali. Ergo cùm legitur scammonea cocta in pomo, non intelligitur de cytonio, sed de alio pomo, non obstãte quòd cytonium etiam dicatur pomum.

Scammonij præparandi modi.

Confectio de dactylis, & est Diaphœnicon, *quam scripsit filius* Zezar. LXXVI.



DIAPHOENICON idem dicit, quod confectio de dactylis. Quæ tametsi à dactylis habeat denominationem, veruntamen dactyli non sunt basis ipsius cõfectionis, sed turbith, & scãmonea: & quia principaliter turbith eius basis est, vocatur etiam Cõfectio de turbith, siue Diaturbith: vt probari potest per ipsum Authorẽ nostrũ in cap. de turbith, vbi ponit cõfectionem de turbith, authoritate Ioãnitij, quæ quidem est istamet cõfectio de dactylis. Et hac etiam de causa principaliter turbith est basis istius cõfectionis, quia ipsa confectio potius facit ad phlegma, quàm ad choleram. Vocatur autem confectio de dactylis, à quantitate ipsorum, quam recipit. Author enim noster in hoc suo grabadin ponit ipsam confectionem authoritate filij Zezar: in capitulo præfato autem (vt dictum est) ponit eandem, in aliquibus tamen paucis differentem, authoritate Ioãnitij. Si autem

Cõfectio de turbith. Diaturbith.

Ioan

Ioannitius fuerit ante filium Zezar, vel filius Zezar ante Ioannitium, adhuc compertum non habemus. Quamobrẽ quis eorum alter ab altero acceperit huiusmodi cõfectionis descriptionem, percipere non valemus. Hoc tamen credimus, scilicet quòd eadẽ descriptio diuersificata sit ab ipsorum altero, & ob hoc Author vtranque ponẽs, posuit & Authores earum. vnde descriptio capituli vocanda est, Cõfectio de turbith filij Mesuæ, siue Diaphœnicon &c. secundum Ioannitium. Et ista descriptio antidotarij præsentis debet vocari Confectio, seu electuarium de dactylis filij Mesuæ, siue Diaturbith &c. secundum filium Zezar. Qui filius Zezar alio nomine dicitur Hamech, siue Mahometh &c. vt melius in cõfectione Hamech patebit. Diuersitates autem, quas inuenimus inter vtranq; descriptionem, hæ sunt, videlicet quòd in istã antidotarij descriptione, sunt septem simplicia vltima, quæ in descriptione capituli præfati non sunt. Quæquidem simplicia sunt cinnamum, macis, lignum aloes, & cætera sequẽtia. Tria autem priora, quæ tantummodo habentur illic, scribuntur sub ana partes quatuor. Hîc verò tria præfata cum reliquis, quæ omnia insimul sunt decem simplicia, concluduntur hoc ana, scilicet partes ij.s. Item scammoneæ in præfata capituli descriptione per omnes libros tam antiquos quàm impressos cõcorditer, nulloq; volumine discrepante, ponuntur partes duodecim: in antidotario autem descriptiones librorum super hoc sunt variæ, scilicet quòd aliqui libri habent scammoneæ partes 12. aliqui verò partes 22. Qui autem habent 22. partes, sunt hi, videlicet ex antiquis (quos vidimus) octo libri, & liber impressus in vulgari Italico, quem aliquãdo citamus: quia præsupponimus Latinum vnde trãslatus est. Et similiter Luminare Maius, Thesaurus aromatariorum, & Author additionum in fine pandectæ. Reliquorum autem, tam antiquorum ex manu, quàm impressorum, plurima librorum multitudo, habẽt: scãmoneæ partes 12. Sed animaduerte quòd Luminare Maius scribens drachmam pro parte, habet scammoneæ ℥.xj. quia ponit tãtùm medietatem confectionis. Super hoc autem, scilicet si debẽt esse xij. vel xxij. partes, Doctorum peritissimorum determinationem quærimus. Res enim nõ parui momenti est.

De Sahiri, siue Sihari &c.

HAbetur in hac confectione scriptum, similiter & impressum, Penidiarum Sahiri, siue Sihari, siue saphiri, & huiusmodi consimilia multa, quæ per diuersos libros leguntur. Quæ

quidem barbara vox (vt nõnulli declarãt) significat zuccharũ ex quo faciẽdæ sunt penidiæ huic cõfectioni necessariæ, dissoluendũ esse, ac decoquendũ in aqua decoctionis hordei. Sed qa nobis hoc nõ clarè cõstat, nõ approbamus, neq; reprobamus. Parũ autem facit ad rẽ, si dictæ penidiæ cõficiãtur cũ aqua hordei, vel nõ.

De Amygdalis.

NOnnulli quidẽ, vt Luminare Maius, & cæteri declarãt esse intelligẽdũ de amaris amygdalis in præsenti descriptione, cùm Author nõ specificet de eis. Sed ex hoc sequeretur corollariũ, hoc est, quòd vbicunq; amygdalæ in cõpositionibus reperirẽtur simpliciter scriptæ, semper de amaris essẽt intelligẽdum: quod re vera secus est. Quia quando absolute sunt scriptæ amygdalæ, semper dulces debẽt intelligi. Non enim suprà in prima descriptiõe electuarij quo vtũtur reges, vbi simpliciter sunt descriptæ amygdalæ, posũt intelligi amaræ, cùm ipsum electuariũ sit delicatũ. Et quod in illa prima descriptione nõ exprimitur, in secũda declaratur, vbi specificatur de amygdalis dulcibus. Nec similiter infrà, in lohoc sano, & similibus, vbi sunt absolute amygdalæ, possunt intelligi amarę. Item in cõfectione prima electuarij alharif, quod dicitur electuariũ boni saporis, in quo legitur absolutè oleũ amygdalarũ, absurdũ est dicere quòd nõ debet esse oleũ de amygdalis dulcibus. Et similiter in electuario Indo maiori, & consimilibus plurimis. Quãdo autẽ Author vult amaras amygdalas, specificat semper de eis: vt fecit in Dialacca magna, & in cõfectione de raued seni, & in lohoc de pino, & similib. multis. Præterea ad maiorẽ certitudinẽ sciendũ, quòd filius Serap. in Septimo, cap. sextodecimo, habet suã de dactylis confectionem, in qua specificat de amygdalis dulcibus, & nõ de amaris. Similiter & Anicẽ. in v. cañ. Diaphœniconis descriptiones, sed in duabus primis ponẽs amygdalas nõ specificat de eis: in tertia autem speciatim posuit amygdalas dulces. Ergo concludendũ est, quòd non debẽt esse amarę, vt iuniores volunt. Amygdalæ autem ipsæ notæ sunt quarũ genera sunt duo, scilicet dulce, & amarum. Sed de dulcibus amygdalis meliores sunt Apulienses, quæ ambrosinæ cognominantur, à quodam Ambrosio, in cuius possessione primùm naturæ magister eas procreare dignatus est.

Amygdala absolutè.

De Modo conficiendi hoc electuarium.

SCiendũ nanq;, quod pro meliori & clariori modo cõficiẽdi istud electuarium, siue confectionẽ de dactylis, fugiẽdæ sunt omnino nugæ aliquorũ neotericorũ, de calculatione solutiuorum

rum

rum istius & aliarum plurimarum compositionũ. Tum propter plurimos ab ipsis errores in calculatione cõmissos, tum etiã, quia non omnes sciunt huiusmodi calculationum summas recte colligere. Vnde ne detur iuuenibus & minus peritis aromatarijs errandi occasio, operæpretium duximus, scribere in his nostris lucubratiunculis limitatã mellis quãtitatem huic confectioni pernecessariam. Quamobrẽ sciẽdum primò, quòd dactyli, penidiæ, amygdalæ, & similia, tam in præsenti descriptione, quàm in quibuscunq; alijs, nõ sunt ponenda ratione mellis, neq; ratione specierum, sed per se semper intelligantur. Postea scias, quòd non solùm recta calculatione, sed certa experientia comprobauimus sufficere, & in debita proportione esse, mellis boni & despumati partes 300. Et hinc potest sumi regula, pro omnibus consimilibus. Aduerte etiam, quòd penidiæ malè possunt puluerizari, & peius cum melle liquantur, & incorporãtur. Vnde melius nobis videtur, si faciliter cõtritæ prius, cum modico aquæ hordei, puta cum quatuor aut quinq; partibus dissoluãtur (nam de facili hoc modo, lẽto igne liquescũt) & postea cum melle despumato incorporẽtur &c. Et hoc vtiq; modo nos vtimur, vbicũq; in similibus confectionibus penidiæ recipiũtur, scilicet ꝙ liquefacimus ipsas cum aliquo parco liquore, ipsi confectioni, (in qua penidiæ sunt cõmiscendæ) cõpetenti &c. Postremo notandũ, ꝙ præsens confectio nõ recipit cinnamomũ, sed cinnamũ, Et dosis ipsius cõfectionis est, ab aur. iij. vsq; ad vij. nõ autẽ vsq; ad octo, vt in quibusdam impresionibus legitur. Itẽ dactyli purgati à nucleis, & tunicis, siue pelliculis interioribus, põderãdi sunt ante ipsorũ infusionẽ, licet textus dicat: Recipe dactylorũ infusorũ &c. Quia si post infusionem põderabis, plus habebis de aceto, q̃ de ipsis dactylis, in tali põderatione: quod quidẽ non est secũdũ Authoris intentionem. Et hoc melius probatur, per præfatas Auicennæ & filij Serapionis descriptiones. Vbi post ipsorũ põderationẽ legitur, infundãtur &c. De modo autem infundẽdi eos, quære in cõfectione de mezereõ, vbi ponitur regula infundẽdi omnes medicinas.

Modus electuarij de Psyllio &c. LXXVII.



VTHOREM nostrũ ab operibus Hamech præsentis electuarij cõfectionẽ sumpsisse, nulli dubiũ est, cùm in fine ipsius descrip. dicat huiusmodi cõfectionẽ à præfato Hamech vocari electuariũ trochiscorũ, siue electuariũ trochiscatũ, à pluralitate tro

trochiscorum quos recipit. Sed ipse filius Mesuæ postea denominauit confectionem ipsam, electuarium de psyllio, ob mucilaginem ipsius, quam recipi iubet. Est autem in præsenti descriptione vnus notabilis error per omnes impresiones. Videlicet vbi legitur: Assari ℥.iiij. verius legêdum est: Asari ʒ.iiij. errore quippe librariorum posita est ibi ℥. pro ʒ. omnes fermè antiqui codices, quos vidimus, concorditer habet Asari ʒ.iiij. & sic est verum.

De Buglossa.

Animaduertendum, quòd multi decipiũtur in Buglosso, siue mauis Buglossa, & boragine, & in earũdem speciebus. Deo fauente, in syrupo de dinaris ostendemus quid sit borago, quid buglossa domestica, quidve syluestris, Vbi clarè constabit, quòd borago neque buglossa syluestris (vt vult Luminare Maius) neque domestica &c. Lege ibi.

De Psyllio.

Psyllium quidê à pulicibus nomen sibi assumpsit. Quam ob causam, à Latinis herba pulicaris dicitur. Psyllium nomen Græcum est, & idem significat, quod Latinè herba pulicum. Sed aduerte, quòd est alia herba pulicaria dicta, quam Græci conyzan nominant, quæquidem forma longe distat à psyllio: sed ab effectu seu proprietate, vocatur pulicaria, siue pulicaris: quia teste Dioscoride, pulices necat. Hæc autem herba pulicaris, quod est psyllium, & ab effectu, & à similitudine sic vocatur: Ab effectu quidem, quia teste ipso Dioscoride, si domum vires importatur, non sinit in ea pulices gigni. A similitudine autem, quia semen ipsius pulicibus simillimũ est. Monendi etiã sunt aromatarij, ne decipiantur in semine cuiusdam plantæ, quæ est simillima plãtæ psyllij in omnibus: ita quòd multi minus periti, & ipsam falsò psyllium nominant, & semen eius (quod est etiam vt psyllij semen) pro vero psyllij semine recipiunt, & eo vtuntur, non aduertentes, quòd tale semen mucilagine caret. Plantæ ipsæ (vt dictum est) simillimæ sunt adinuicem. In hoc tamen cognoscitur altera ab altera, scilicet quòd planta psyllij est pilosior, & paucis stolonibus crescit, quandoque etiã reperitur vnicaulis, & semen ipsius est valde mucilaginosum: ecõtra autem illa planta (cuius semen non facit mucilaginem) habet pilos paucos, & stolones multos. Sed vtraque planta dodrantalis est. Folia nanque veri psyllij, similia sunt folijs chamæpityos: alterius autem plantæ, potius herbæ vocatæ linariæ assimilantur. Locis incultis verum psylliũ gaudet. Vnde Romę, in ruinis Amphiteatri Colisei nũcupatis, alijsq; in lo

Conyza vocatur pulicaris ab effectu.

Psylliũ pulicaris vocatur & à similitudine, & ab effectu.

Psyllij vtendi modus.

in locis sæpe proprijs manibus collegimus. Præterea animaduertendum, quòd teste Authore nostro, in suo capitulo de psyllio, nunquam psyllium contritum est ægris propinandum. Sed hoc intelligendum est, de incorrecto. Alioqui ipse Author contradiceret sibijpsi. Quia in Grabadin medicinarum particularũ, scilicet in fine de ægritudinibus pectoris & pulmonis, in capitulo videlicet de tussi & constipatione ventris, post syrupum de psyllio, ipse ait: Et quandoque datur cum puluere huiusmodi. Recipe psyllij, gummi Arabici, dragagãti, boli Armeni, ana. Da cum syrupo prædicto, & succo linguæ arietis. Igitur cum Author dixerit, datur cum puluere, non potest intelligi psyllium hoc in loco non esse conterendum. Sine enim fractione seu contritione sui, aliquid nunquam in puluerem redigi potest. Ergo de incorrecto loquutus est in præfato capitulo de psyllio, cum dixit: Contritum autem potui nullo modo propinandum est. Et quòd debeat assari prius quàm conteratur, exemplum habemus in tertio Breuiarij filij Serapionis, capitulo decimooctauo, quod est de lubricitate stomachi: vbi propinat ipsum, prius torrefactum. Sic enim ait: Et detur in hora somni, aquæ acrestæ ℥.iij. cum ℥.j. de rob cytoniorũ, cum psyllio & semine acetosæ torrefactis, & gummi Arabico, & bolo Armeno, & spodio. Hæc ille. Et licet hîc ipse filius Serapionis non dixerit ipsum semen assatum esse cõterendum, veruntamen cùm posuit torrefactum, nulli dubiũ est, quin debeat conteri. Nam non torrefit, nisi vt corrigatur substantia eius medullaris intrinseca, post cuius correctionem, quid obstat vt non possit propinari contritum? Sed si crudum, sicut est, integrum causa soluẽdi ventrem sit propinandũ, prius est in aqua, vel aceto, vel alio liquore competenti infundendum, & agitandum, vt fiat mucilaginosum: & sic est administrandum, quia mucilago illa non facit ipsum stomacho & intestinis adhærere, & citius soluit. Et nota, quòd psyllium sustinet multùm de assatione, vt testatur Bulchasis, in modo assandi semina. Et ideò oportet ipsum multùm assari, vt calore ignis bene corrigatur pars eius centralis vlceratiua, & maligna. Assatur autem ad aluum constringendam, teste ipso filio Mesuæ in primo capitulo secundæ summæ, secundæ intentionis, quod est de modis rectificationis medicinarum per modum decoctionis. Vbi ait: Assationis autem in frixorijs & in patella officium, est quandoque addere in virtute medicinæ, sicut quando assatur squilla, & fit magis solutiua: & quandoque minuere in virtute, sicut verbi gratia, assatur

tur psyllium, fit humiditas eius minus lubrica minus soluens &c. Semen quidem psyllij optimè maturum, per decennium seruatur. Multa & alia de psyllio lege apud ipsum Authorem nostrũ, in capitulo proprio, & apud Dioscoridem, & cæteros Authores, quæ sane causa breuitatis studiosis dimisimus.

De Trochiscis ingredientibus hoc electuarium.

NOtandum quòd descriptiones librorum variantur in clausula trochiscorum huius electuarij, scilicet quòd aliqui libri habent pulueris diarhodon, seu absolute diarhodon: & trochiscorum de spodio, & raued seni &c. Et aliqui habẽt trochiscorum diarhodon, & de spodio, & raued seni &c. Ita quòd multi dubitant super hoc, scilicet an ponendi sunt trochisci diarhodon, an pulueres supranotatæ confectionis diarhodon. Nos autem, saluo semper meliori iudicio, tum quia ab Hamech (vt suprà dictum est) vocata est hæc confectio electuarium trochiscorum, tum etiam quia plures libri sunt qui habent scriptum, trochiscorum diarhodon, quàm qui pulueris diarhodon, siue simpliciter diarhodon, tenemus quòd habent esse trochisci diarhodon, & non species confectionis diarhodon. Etiam considerandum est, quòd cùm in supradictam confectionem specierum diarhodon intrent trochisci de spodio, non iterum Author posuisset dictos trochiscos de spodio in præsenti confectione. Sufficerent enim ipsi pulueres pro vtroq;. Igitur trochisci debent esse, & non species illæ. Præterea sunt nonnulli, vt Nicolaus Præpositus, & cæteri qui volunt quòd in præsenti electuario, pro raued seni intelligantur trochisci de rheubarbaro: sed nobis contrariũ videtur intelligendũ esse, scilicet simpliciter & absolutè, (vti est) Raued seni, id est rhabarbarum bonum, & electum. Nam ipse Author, ne quis deciperetur, intelligendo pro rheubarbaro trochiscos de rheubarbaro, ex eo maximè quòd cum alijs trochiscis describitur in præsenti electuario, posuit illud sub nomine Raued seni, & non rheubarbari: quia trochiscos de raued seni, in hoc suo antidotario ipse non scripsit. Nec dicat aliquis, quia inter raued seni, & rheubarbarum, præter natale solum nulla est differentia: ergo trochisci de raued seni, & trochisci de rheubarbaro, sunt vnum & idem. Quoniam ad hoc respondebimus (concedendo prius raued & rheu esse vnum & idem, & quòd seni & barbarum sint patriæ & locorum in quibus oriũtur, nomina: sicut etiam & Ponticũ, & Turchium &c.) quòd sicut infrà pilulæ de raued seni sunt differentes à pilulis de rheubarbaro, non propter raued

&c rheu

& rheu,sed propter aliorum simplicium variationem: vnde ne aliquis deciperetur in ipsis descriptionibus pilularum, non vno cognomine titulauit eas,sed alteram de rheubarbaro,alterã vero de raued seni vocauit. Sic etiam idem Author (vt diximus) ne committeretur error in trochiscis de rheubarbaro, posuit raued seni,sub cuius vocabulo in isto antidotario non habetur aliqua trochiscorũ descriptio. Præterea omnes libri tam antiqui,quàm moderni & impressi,excepto ipso Nicolao præfato, habent con corditer & absolutè in præsenti descriptione,raued seni,sine trochiscorum præscriptione. Quapropter concludendum est quòd debet esse raued seni,scilicet rheubarbarum bonum, & non trochisci de rheubarbaro.

Electuarium elescoph &c. LXXVIII.



INSCRIBITVR hoc præsens electuarium elescoph. Ab Auic.autem vocatur electuarium episcopi. Et licet descriptio Auic.discordet in quibusdam ab ista,attamen clarissimè patet esse idem electuarium. Elescoph autem, vel est vocabulum corruptũ,vel forsan Arabicè significat,quod Latinè episcopus. Aduertendũ tamen,quòd per antiquos libros in ista descriptione legitur cinnamũ,& non cinnamomũ. Et dosis ipsius,electuarij est ab aur.ij.vsq; ad iiij.nõ autẽ vsq; ad iij.vt libri impressi habent. Etiã Auic.in sua descriptiõe dicit: Dosis integra sit aur.iiij.

Confectio medicaminis quod scripsit Hamech *&c.* LXXIX.



COMMVNIS opinio est, quòd Hamech fuerit principalis Author præsentis & sequentis confectionum. Necnon & plura alia diuersaque pharmaca cõposuit. Vnde Author noster præter istas cõfectiones,habet in hoc antidotario multas alias medicaminum compositiones authoritate ipsius Hamech. Vt verbi gratia, electuarium de psyllio suprà notatum, & confectio de dactylis, & confectio trochiscorum Hamech,& vnguentum de lino quod scripsit Heben Zezar,& emplastrũ diachylon primæ secũdæ & tertiæ descriptionis,& emplastrũ filij Zachariæ,& cætera plura quæ sunt in suo Simpliciũ libro, & in practica.Sed animaduertendum,quòd ab Authore nostro dictus Hamech,qui est Rhasis,multis citatur modis.Aliquando enim simpliciter Hamech,siue Mahomet, vel Mahemet, quod idem est.Aliquando

Hamech vera & multa nomina. etiam Hamech Arasi,siue Mahemet Arasi. Aliquando Hamech filius Zachariæ, siue Mahemet filius Zachariæ. Aliquando Hamech filius Zachariæ Arasi, siue Mahemet filius Zachariæ Arasi. Aliquando Hamech filius Zezar, siue Hamech heben zezar. Aliquando filius Zachariæ, siue filius Zezar, siue heben Zachariæ,siue heben Zezar, vt in præfato vnguento de lino. Quæ omnia,& alia plura,vt Hamech,siue Rhasis,vel Arasi,vel Razi simpliciter,vnum tantùm & eundem Authorem significant. Et propriè Rhasim,qui aliàs Hamech dicitur. Quiquidem Hamech nõ est ille,de quo legitur in exordio canonum nostri Authoris,qui fuit pater Mesuæ,scilicet auus ipsius Ioannis filij Mesuæ nostri Authoris,qui Hamech auus,vt ibi legitur,fuit filius Heli, qui Heli fuit filius Abdelæ Regis Damasci: vnde Author noster à nonnullis Ioãnes Damascenus vocatur. Hamech autem dictus Rhasis,sæpe citatus ab Authore nostro, fuit filius Zachariæ. Ex quo probatur,quòd non est iidem,vt aliqui putant. Errant etiã plurimi asserentes hoc opus esse Mesuæ,cùm sit clarũ,quòd Author eius fuerit Ioannes filius ipsius Mesuæ. Et indifferenter scribunt, ac pro vno & eodem,& patrem,& filium accipiunt. Et siue dicatur filius Mesuæ,siue simpliciter Mesuæ,semper pro Ioanne Damasceno filio ipsius Mesuæ intelligunt. In consimilem quoque corruptelam & abusionem,nonnulli delapsi sunt,qui sub vno & eodem nomine,scilicet Serapione,& patrem & filium indifferenter citant, non aduertentes, quòd practica Breuiarij nuncupata,non est Serapionis,sed Ioannis filij ipsius Serapionis. Hamech autem,& Zacharias, sunt magis Hebraica, quàm Arabica. Mahomet verò,siue Mahemet,& Zezar sunt magis Arabica: omnia tamen sunt barbara: & Mahemet idẽ dicit quod Hamech, & Zezar idem significat quod Zacharias. Scribitur etiam ipse Rhasis & alijs prescriptionibus nominum,vt est Albubetrus &c.

Ioannes Damascenus vocatur Mesue.

Præterea sunt aliqua in ista descriptione annotanda. Et primò vbi legitur: Absinthij,hasce,sene,ana ℥.j.& in alio ʒ.vj.legatur simpliciter sic: Absinthij,hasce,sene,ana ʒ.vj. Quia illa particula, scilicet ℥.j.& in alio,est additio librariorũ, qui à pluribus exemplaribus & varijs transsumentes, scilicet quòd vnum exemplar habebat ℥.j.& aliud ʒ.vj.& sic ignorantes literæ veritatẽ, vtrunque impresserunt. Et de hoc certiores nos fecerunt antiqui codices,ex quibus aliqui (quamuis pauci sint) habent anã ℥.j.reliqui verò omnes, ana ʒ.vj. In nullo nempe antiquorùm inuenimus vtrunque simul cum illa particula,& in alio,vt in impressis legitur.

tur.Item,quinq; ſimplicia quæ per impreſsiones ſequũtur, videlicet violarũ ʒ.xv.epithymi ℥.ij.aniſi,roſarũ, fœniculi, ana ʒ.vj. nõ ſunt ab ipſo filio Meſuæ poſita, ſed in proceſſu temporũ fuerunt ipſius deſcriptioni addita,forſan ex conſilio quorundã peritiſsimorũ virorũ.Maior enim pars dictorum antiquorũ librorũ caret ipſis quinq; ſimplicibus:nec Luminare Maius habet ipſa, neq;Theſaurus aromatariorũ,neq; vulgaris impreſsio ipſius filij Meſuæ.Veruntamẽ quia nobis nõ videntur incongrua proprietati ipſius confectionis,etiam quia hæc confectio Hamech habet aliquã affinitatem cum Thriphera perſica & Diaſiracoſt ſupradictis cõfectionibus,in quibus aliqua ex dictis ſimplicibus habentur,viſum eſt in ipſa deſcriptione dimittere ea.Sed monendi ſunt aromatarij,vt nõ cõmiſceant illa in cõfectionẽ,ſine cõſilio & determinatione alicuius medici.De perito ſemper loquimur. Et hac de cauſa in deſcriptione,ipſa ſimplicia cõcluſa & ſignata poſuimus.Inſuper etiã ſciẽdũ,quòd impreſsiones habẽt dictarũ violarũ ʒ.xv.antiqua autẽ exemplaria,in quibus ſunt illa quinq; ſimplicia,cõcorditer habent,violarũ ℥.j.s.& ſic iudicamus rectius. Et huius erroris quamuis nõ ſit multi momẽti,quia in tribus tantũ drachmis ipſarũ violarũ cõſiſtit differentia,tamẽ quia cõſimiles errores pluries cõmiſerunt ſcriptores & impreſſores,viſum eſt nobis declarare cauſam. Notauimus quidẽ ſuprà,ſcilicet in electuario,cuius titulus eſt:Modus electuarij de citro,ex inuentione noſtra.qualiter librarij imprudenter pluries decepti ſunt,vertentes vnũ ſemis in vnũ quinq;, lege ibi.Igitur antiqui libri qui habent ipſa ſimplicia,habent(vt diximus)violarũ ℥.j.s.hoc modo, aliqui verò ℥.j.& ß.& aliqui ſine copula ſic,℥.j.ß.Scriptores poſtea(vt putamus)verteruntt illud,ſ,longum in paruũ & retortũ, cõſimile characteri abachiſtarũ quinq; ſignificanti:vnde impreſſores arbitrantes illũ numerũ non,j.s,ſed.15.hoc eſt quindecim ſignificare,impreſſerunt xv.Hinc correctores librorũ cõſiderantes eſſe magnã quantitatẽ violarũ ℥.xv.falsò credentes ſtare ibi vnciã,pro drachma,permutantes,poſuerunt violarum ʒ.xv .Sed reuera(vt dictũ eſt)rectius eſt ℥.j.s.Cõtrariũ autẽ huic mendũ,& ex eadẽ erroris radice generatũ,eſt in capitulo de Rheubarbaro noſtri Authoris.Videlicet vbi legitur,quòd rheubarbari ʒ.j.confert caſui,& percuſsioni,cũ duobus granis mumiæ,& cum grano vno & dimidio rubeæ tinctorũ:quo in loco,verius ipſius rubeæ debent eſſe grana quindecim,& nõ vnum & dimidiũ. Habebant enim libri antiqui in dicto loco grana quindecim,vt adhuc extãt

q

aliqua exemplaria quæ habent sic,gr.xv. vel sic 15.& ex hoc secũdo modo librarij decepti sunt, putantes esse granũ & dimidium: quia iam in vsum venerat corruptela scribendi illud,5,pro semis. Etenim nõ est rubea tantæ malignitatis,operationis,vel potentiæ,quòd non posit de ea propinari in maiori quantitate. Nam Auicenna capitulo de rubea ad consimiles passiones, propinat drachmã integrã cũ duabus rheubarbari drachmis:ergo hîc nõ est magna quantitas quindecim grana.Itẽ ad maiorẽ probationem rei,Pandectarius capitulo de rheubarbaro, in authoritate ipsius Ioannis filij Mesuæ,in eodẽ loco,habet grana quindecim. Et ita est secundũ veritatẽ.Et licet Manardus in annotationibus capituli rheubarbari ipsius filij Mesuæ,dicat,quòd mumiæ,sicut & rubeæ,eo in loco sit parua dosis,veruntamen parcat nobis sua excellentia,quòd in hoc nõ rectè se habuit:quia portio siue dosis mumiæ est satis & sufficiens.Nam vt probari potest per Serapionem & Auicennã,& quãplures alios,in proprio capitulo de mumia,nunquã propinatur mumia in magna quãtitate.Ad summũ vltra vnũ Kirat,quod cõtinet pondus quatuor granorũ hordei, nõ legimus ipsam à quoquã propinatã esse.Ergo illic quantitas duorũ granorũ,nõ est tam parua,vt ipse Manardus asserit,imo est sufficiẽs & rationabiliter posita.Sed quia hoc nõ est præsentis disputatiõis,dimittimus.Quia si maior cõmoditas affuerit, loco suo(deo cõcedẽte)melius declarabitur.Hoc tamẽ nõ ignorãdũ,ꝙ mumia vera nõ est ista,qua cõmuniter vtũtur aromatarij.

De Coloquintida.

Coloquintidis, Scãmonij, Turbith & similiũ vtendi modus.

Licet ab Authore dicatur,quòd Coloquintida, scammonea, turbith,& similia non sint ægris propinanda, nisi correcta: tamẽ hoc(vt suprà diximus)intelligitur,quãdo ipsa simplicia cũ tota sua substantia dantur.Quãdo autẽ ex eis recipitur decoctio tantùm,vt in præsenti descriptione,non oportet vt sint correcta prius:quod quidem magis probatur in coloquintida, quàm in alijs.Quoniã si aliquis posuerit in pręsentis cõfectionis decoctione coloquintidã correctã,scilicet trochiscos alhãdahal, propter magnã quãtitatẽ diuersorũ gũmi,quam ipsi trochisci recipiunt, decoctio ipsa erit nimis mucilaginosa,& inde ad colandũ minus habilis,&c.Quapropter coloquintida,& cætera decoquenda in præsenti descriptione,& similibus,debent esse incorrecta.

De Scammonea in medicinis commiscenda.

Author noster in præsenti & sequenti confectionibus, & in electuario rosato,alijsq; in locis,præcipit Scãmoneam esse decoq

decoquendã:quod quidẽ fieri debet iuxta suã doctrinã. Et ipsa scãmonea debet esse prius præparata. Nec audiendi sunt illi qui dicunt, quòd hîc & in consimilibus, vbi Author ordinat ipsam scãmoneã cũ alijs rebus esse decoquẽdã, nõ debet esse prius cocta in cytonio, seu alio modo præparata: asserentes ipsam in tali decoctione satis præparari. Author enim noster loquens cũ peritis, & non cũ pueris & inscijs, nouit semel dictũ non esse necesse multoties ac sæpius replicare. Dixerat nãq; in canonibus, quòd medicinæ nõ sunt administrandę, nisi prius pręparentur. Quodquidẽ declarauimus esse intelligendũ de illis, quæ recipiũtur cũ tota sua substantia: Scãmonea autẽ semper recipitur cũ tota sua substãtia, ergo semper debet prius præparari. Scãmonea etenim bona fit ex lacte plantæ eius, & non est vt turbith, coloquintida, mezereõ, & similia. Quapropter cũ ponitur in aliqua decoctione liquefit, & nihil de ea restat proijciendũ, sicut de turbith, &c. ergo nõ debet administrari, nisi pręparata. Nec de decoctiõe pręsentis cõfectionis, postquã recepit zuccharũ, & scãmoneã, est aliquid abijciendũ. Ergo (vt diximus) præparata apponẽda est. Lege etiã de hoc in cõfectione de mãna. Et aduerte, quòd diximus de scãmonea bona, lactea nihil restare: quia de mala (vt mox dicemus) restat. Præterea sciendũ quòd Scãmonea nõ est tantæ debilis texturæ, quòd in sua præparatione semel cocta, non possit adhuc aliquid de decoctione sustinere. Tua enim interest semper in decoctione pluriũ rerũ, facere ipsarũ gradationẽ. Quapropter ipsa scãmonea in omnibus decoctionibus, in quibus recipitur, potest vltimũ locũ tenere. Et sic Author in præsenti descriptione posuit ipsam in fine, post zuccharũ. Et quòd scãmonea cocta in pomo & similib. potest iterũ aliquã sustinere decoctionẽ, exẽplũ habemus suprà in electuario de psyllio: vbi Author præcipiens recipere scãmoneã coctã in pomo, subiunxit: Et coquatur cum facilitate, &c. Postremò notandũ, quòd semper Author intelligit cũ petit scãmoneã, vt sumatur de optima, scilicet de illa, quæ fit ex solo lacte ipsius plãtæ: de qua quidẽ pluries mediantibus fratribus nostris, habuimus in proprijs cõchulis, in quibus colligitur, & adhuc apud nos habemus aliquas. Quæquidem scãmonea lactea, si in aliquo liquore dimittitur, liquatur tota, & apud ignem citius. Et ideo Author præcipit ipsam apponi in decoctione, vt ob eius liquefactionẽ melius incorporetur cũ alijs simplicibus. Sed nostris temporibus, non amplius communiter exportatur de illa optima. Hæc autem qua vtimur, vel quia (vt creditur) ex

Scãmonium semper correctum accipitur.

Scãmonium bonum quomodo probetur.

Scãmonium absolutè.

ſucco & lacte, vel ex alterius rei admixtione factitatur, nõ liqueſcit tota. Imò apponitur pulueriza ta, & denuò magna pars ipſius in vnũ congeritur, & reſtat. Nec omnino poteſt bene cum alijs ſimplicibus incorporari. Quam ob cauſam, ſaluo ſemp alio meliori modo, optimũ nobis videtur, pulueriʒatã cum alijs pulueribus apponere ipſam, poſt perfectã aliarum rerum decoctionẽ, hîc & vbiq;, vbi intrat. Qui modus à nonnullis peritis aromatarijs hodie obſeruatur.

Confectio alia Hamech, *&c.* LXXX.

De Myrobalanis.



HAC de cauſa hucuſq; diſtulimus de Myrobalanis facere declarationẽ, quia in deſcriptione præſentis ſecũdæ cõfectionis Hamech, eſt locus nõ abſq; bona declaratione tranſeundus: propterea quòd in magnã cõfuſionẽ inducit mentẽ legentis, cũ propter malã punctorũ diſtinctionẽ, tũ etiã propter paruã aliquorũ hominũ peritiã. Vnde cùm per impreſſiones legitur in præſenti deſcriptione: Recipe myrobalanorũ nigrorũ, chebulorum, &c. & cùm nõ ſint hîc niſi duæ ſpecies ipſorũ myrobalanorũ, ab imperitis equidẽ tres falsò exiſtimãtur. Nam verũ eſt, quòd nigri abſolutè deſcripti, ſiue nigri Indi, ſunt ijdem qui & Indi: vt omnes cõmuniter tenẽt, & clariſsimè habetur per deſcriptiones tam Authoris noſtri filij Meſuæ, quàm etiam aliorum qui de ipſis pertractant. Loca autẽ aliqua tangemus, in quibus ipſi Authores de vna ſola ſpecie loquendo vtrunq; vocabulum ponunt: & per ſe vnuſquiſq; intelliget, quòd nigri Myrobalani ſunt illi, qui cognominãtur Indi: & quòd intelligitur vna ſola res tantũ, & non duæ. Vnde in capitulo primo de Myrobalanis Authoris noſtri, quod eſt de tribus generibus, ſiue ſpeciebus myrobalanorũ (cuius tituli librarij, vt iſtius deſcriptionis & ſimiliũ fecerũt, & corruperunt literã primo) cùm legitur: De Myrobalanis citrinis, & nigris, & Indis. rectius legendũ eſt: De Myrobalanis citrinis, & chebulis, & indis. Vt eſt in omnibus exẽplaribus antiquis quos vidimus, ac etiam in libro de vulgari impreſsione. Igitur cùm dicit ipſe Author in præfato cap. Et nigri Indi ſunt, in quibus iam peruenit cõpletio, & maturatio, &c. nõ intelligit de duabus, ſed de vna tantùm ſpecie: quia in ipſo capitulo (vt diximus) de tribus generibus, ſiue ſpeciebus tantùm loquitur, ſcilicet de citrinis, de chebulis, & de nigris cognominatis Indis. Si enim Indi fuiſſent

Myrobalani nigri abſolutè.

alij ab

alij ab nigris, contra omniũ doctorũ opinionẽ, esset alia species Myrobalanorũ, ab ipsis doctoribus nõ declarata. Similiter vbi dicit Author in ipso cap. Nigros quoq; Indos, in quinq; laudauerunt proprietatibus &c. Et in cap. de epithymo, vbi dicit: Cõfortatur autẽ operatio eius, in multiplicatione quantitatis ipsius, & associatione rei cũ eo multiplicãtis effectũ eius. Sicut sunt Myrobalani nigri Indi propriè. Et alijs in locis. Serapio etiã in cap. de Myrobalanis ait: Species Myrobalanorũ sunt quatuor: citrini, & nigri, & sunt illi qui nominãtur Indi: & chebuli, & seni citrini. Et infrà: Nã nigri secundũ veritatẽ sunt Indi, sicut nominant omnes Et cap. de ligno aloës, ipse Serapio declarãs lignũ aloës Indũ bonũ cognosci per hoc nomẽ Indũ solũmodo, dat exẽplũ de Myrobalanis nigis, qui cognominantur Indi, authoritate Abohanifæ: Melius verò (inquit) est Indum. Et quãuis plures eius species sint in India, vna tamen ex speciebus eius habet cõmunitatẽ cum eis in hoc nomine, adeò quòd non dignoscitur nisi per hoc: vnde sicut si nomines Myrobalanos nigros Indos. Hæc ille. Tanquam si diceret, sicut Myrobalani nigri sunt illi, qui absolutè dicuntur Myrobalani Indi: sic lignum aloes bonum, Indum, est illud quod absolutè dicitur lignum Indum, siue lignum aloes Indum. Item, Auicenna secundo cañ. capitulo de Myrobalanis loquitur, dicens: Eorum alij sunt citrini immaturi, & alij sunt nigri Indi, &c. Similiter & Pandectarius, & alij plures. Sed dicet aliquis. Si hæc duo nomina significant vnum & idem, ad quid Authores posuerunt ambo in suis descriptionibus? sufficiebat enim vno tantùm vocabulo describere ipsos. Ad hoc respondendum quòd Authores ipsi non frustrà posuerunt nigros Indos, sed vt ne quis deciperetur in nigris, addiderunt Indos: quia ex chebulis etiam (vt ait Serapio) reperiuntur & citrini, & nigri. Verba quidem Serapionis, capitulo suo de Myrobalanis, hæc sunt: Et ex chebulis quidam reperiuntur citrini coloris, & quidam nigri, &c. Ad differentiam ergò nigrorum chebulorum, posuerunt nigros Indos. Sed animaduertendũ pro declaratione præsentis cõfectionis, quòd chebuli, & citrini, verissimè sunt ex vna & eadẽ arbore. Et citrini quidem sunt immaturi, chebuli verò maturi: in qua quidẽ maturatione, ex citrinis, nigri efficiuntur. Et ideo (vt sunt) nigri chebuli dicuntur. Et vt patet per Serapionẽ, vtriq;, scilicet maturi & immaturi, vocantur chebuli. Sed immaturi, dicuntur chebuli citrini: maturi verò (vt iam diximus) chebuli nigri appellãtur. Absolutè autẽ per chebulos, intelligũtur chebuli

Myrobalani nigri dicũtur Indi.

Myrobalani citrini.

Myrobalani chebuli.

Myrobalani chebuli absolutè.

Myrobalani citrini absolutè. nigri: & per citrinos, intelliguntur chebuli citrini. At per nigros absolutè, non intelliguntur chebuli nigri, sed myrobalani Indi nigri. Qui Indi ideò antonomasticè dicũtur nigri, quia sunt cęteris nigriores. Et hoc totum apertissimè colligitur ex verbis dicti Serapionis dicentis: Et errant aliquando quidam ex apothecarijs, qui vendunt nigros in colore ex chebulis, loco myrobalanorum nigrorum. Nam nigri secundum veritatem, sunt Indi, sicut nominant omnes. Et ex chebulis quidam reperiuntur citrini coloris, & quidam nigri. Et nigredo quæ est in eis, non est, nisi propter ampliorem moram, quam ipsi protraxerunt in arbore sua. Et sunt pinguiores & carnosiores citrinis in colore, propterea quòd ipsi fecerunt moram in arbore, qua re ipsi receperunt amaritudinẽ ampliorem. Et illi qui colligũtur acerbi, sunt citrini. Hæc Serapio. In præsenti igitur descriptiõe, cùm Author dicat: Recipe myrobalanorum nigrorum, chebulorum & Indorum. non est error in litera, licet sit malè pũctata, & illud nigrorum refertur ad chebulorum. Et sic sunt duo ipsorũ genera tantùm, quæ Doctor quærit in ista cõfectione, scilicet quærit nigros chebulos, & indos etiam nigros. Et posuit nigros chebulos, ad differẽtiam citrinorum chebulorum. Quapropter, inter nigrorum & chebulorum dictiones in præsenti descriptione non debet esse diuisibilis pũctus, siue cõma, nec copula, vt in impressionibus legitur. Et sic sunt duo myrobalani. & non tres. Et per cõsequens, summa medicinarum istius confectionis sunt res 23. & non 24. vt Author nouarum additionum declarationum, in hoc antidotario scripsit. Præterea, si illud nigrorũ fuisset error, siue additio librariorum (vt quidam ex iunioribus autumant) non esset ita cõcorditer scriptum in cunctis antiquis codicibus, quos vidimus. Igitur textus verus huius lectionis, vt ex antiquis præfatis libris accepimus, talis est: Recipe myrobalanorũ nigrorum chebulorum, & indorum, & epithymi, ana &c. Myrobalanorum autem species principaliores sunt tres, scilicet citrini chebuli, qui absolutè dicuntur citrini: & nigri chebuli, qui absolutè dicũtur chebuli: & nigri Indi, qui absolute dicuntur Indi. Et hæ tres vno & eodem capitulo, ab Authoribus describũtur. Quamuis à præfatis Serapione & Auic. in ipso cap. quatuor ipsorũ species assignentur, scilicet citrini, chebuli, Indi, & seni, siue sinij. Et hæc vltima species myrobalanorum, quæ ab ipsis describitur, quia non quæritur, non defertur. Et propterea non habetur, nec cognoscitur. Et per consequens abolitus est eius vsus, & communiter

inter

inter myrobalanorum species amplius non cõputatur. Tres autem priores antedictæ species præferuntur omnibus alijs: quamobrem quandocunque leguntur in aliqua descriptione absolutè tres myrobalani, semper intelliguntur ipsi, scilicet citrini, chebuli, & Indi. Et exemplum habetur in pilulis stomachicis. Lege ibi. Connumerantur etiã inter myrobalanos, & bellericorũ, & emblicorum fructus. Et quamuis nonnulli negent ipsos esse myrobalanos, ob id, quia de ipsis Authores separatim capitula faciũt: tamen cõmuniter pro myrobalanis tenẽtur, & inter ipsos vbiq; connumerantur. Et sic ipsorum omniũ sunt sex genera, siue species. Sed quia (vt diximus) myrobalani seni non sunt in vsu, nec exportantur amplius: cum simpliciter autem reperiuntur scripti myrobalani omnes, intelliguntur illi quinque vsitatiores & notiores tantùm, scilicet citrini, chebuli, Indi, bellerici, & emblici. Ob quorum frequentiorem vsum, consueuerunt plurimi dicere, quòd nõ sunt nisi quinq; myrobalani. Sed subintelligũtur vsuales, & notiores. Alioqui si non esset ita, Serapio cõtradiceret sibi ipsi: quia in cap. de emblicis & bellericis, ait: Et quando adunantur omnes tres species myrobalanorum, cum emblicis, & bellericis &c. Nam in cap. de myrobalanis (vt patet) non tres, sed quatuor scripsit myrobalanos. Igitur in præfato capitu. de emblicis, cùm dixit tres, vsuales & notiores intellexit. De myrobalanis quidem Græcorum antiquitas (quod sciamus) non scribit capitul. neq; seniores Latini, tamen quandoq; meminerunt ipsorum in suis cõpositionibus. Vt exempli gratia, Galenus in 8. de medicamentorum cõpositione secũdum locos, scripsit myrobalanos citrinos, quos chrysobalanos vocat. Inquit enim capitulo, ad iliosas stomachi subuersiones: Compositũ ex huiusmodi est medicamentum. Opium etenim, & rosæ, & psyllij succus, ex refrigerantium genere existunt. Nardi autẽ spica, chrysobalanus, ex digerentium roborantiumq; &c. Arabibus autem credendum est, quicquid de huiusmodi simplicibus scribitur. Igitur cõcedendũ est, quòd sunt sex ipsorum genera, seu species, sed quinq; magis vsuales, & notiores. Author enim noster, & cæteri, qui quinque tantùm scripserũt, de vsitatioribus quinq; præfatis intellexerũt. Teneturq; communiter hi, qui in officinis habẽtur vsuales, verè esse illi, de quibus loquuti sunt Doctores. Veruntamen nullus est qui possit hoc probare, cùm non sit qui describat de ipsorum forma, neq; plantæ ipsos producentes à quoquam notãtur, quas (vt ex ipsorũ scriptis cognosci potest) sicut & nos, ita & ipsi mi-

Tres myrobalani absolutè.

Myrobalani omnes.

nimè proprijs conspexerunt oculis. Igitur mercatoribus siue negotiatoribus de hisce rebus, & similibus, multos ante annos data est fides, impræsentiarum autem, & ipsis, & communi vsui tribuitur veritas rei, quia de ipsorum experientia, circa infirmos, non ita mirabiles subsequuntur effectus.

Modus electuarij rosati &c. LXXXI.



ESCRIPTIO præsentis electuarij rosati est clara. Et hoc electuariũ est necessariũ in cõficiendis pilulis aggregatiuis ex inuẽtione nostra, & pilulis de hermodactylis, secundæ ac tertiæ descriptionum præsentis antidotarij. Quodquidẽ electuariũ rosatũ, aliter dicitur catharticũ rosatũ, & laxatiuũ rosarũ. Et licet à Nicolao ponatur electuariũ solutiuũ rosarũ, quod sub nomine electuarij de succo rosarũ intelligitur: attamẽ in pilulis præfatis ponẽdũ est electuariũ rosatũ præsens. Nota, quòd vbi dicit Author in præsenti descriptione: Coquãtur omnia cum facilitate super ignẽ, qui sit sicut candela. intelligitur quòd ignis debet esse paruus, & vniformis à principio vsque ad finem.

Catharticũ rosatum. *Rosatũ laxatiuum.*

Confectio Alfesceræ quam scripsit Democritus *&c.* LXXXII.



X Democriti quidem operibus Author (vt ipse scribit) accepit præsentẽ cõfectionẽ, quam etiam ipse author capitulo de fescera annotauit. In quo cap. descriptio ipsius habetur syncerissima. In hoc antidotario autem, per varias impressiones, quotidie pluribus scatet erroribus. Nam in quibusdã impressionibus falsò legitur in præsenti descriptione: Squillæ assatæ, pinearũ mundatarũ ana ʒ.j.s. rectius legendũ est, ana ℥.j.s. Item, in plerisque paruis impressionibus, vbi legitur nucis muscatę &c. ana ℥.ij. verius ibi debet legi, ana ʒ.ij. Itẽ in magnis impressionibus, cum additionibus nouis, vbi legitur, sticados ʒ.& ß. deest ibi numerus dragmarum: & licet à peritis, cùm sit vnica drachma, possit intelligi: tamẽ pro simplicioribus clarius legitur sic sticados ʒ.j.s. Item generaliter per omnes impressiones, dosis magna ipsius cõfectionis est imminuta in vna drachma: videlicet vbi impressum est à ʒ.ij. vsq; ad iiij. rectius à ʒ.ij. vsque ad v. Hæc breuiter notauimus, & ita fatemur esse scripta in omnibus ferè antiquis exẽplaribus quæ vidimus, tam in dicto capitulo de fescera, quàm in antidotario: & similiter est per omnes impressiones, in præfa

præfato capitulo duntaxat. Et aduerte quòd præcipitur hæc confectio non citra sex menses propinari, ob quantitatem fesceræ & squillæ quam recipit. Ab ipsa fescera denominationem accepit ipsa confectio, tanquam à basi sua &c.

De Fescera & Fesceresim.

Fescera, siue fesera, vel fesira, siue alfescera, & cõsimilia plura, Bryoniam (quæ & vitis alba Latinè, & vulgò cucurbita syluatica, & Græcè Ampelos Leuce dicitur) significãt. Planta notissima est. Facit de ea Author noster capitulum in quo cap. etiam & fescerefim describit, quæ est bryonia minor, cuius nomẽclaturæ similiter multæ sunt. Vnde à quibusdam dicitur Bryonia minor, ab alijs Tannum seu tannia, à nonnullis vitis nigra, siue (vt Græci vocant) Ampelos melana vocatur. Ab Authore nostro autem fescerefim, siue feserefim &c. appellatur. Et hæc etiã cognoscitur. Satis nempe de eis dictum est ab Authoribus tam Græcis, quàm Latinis, quàm etiam Barbaris. Quapropter non visum est nobis, de ipsis aliud esse necessariò declarandum.

De melle Passularum.

Variæ sunt Doctorum opiniones, in conficiendo seu præparando hoc passularum melle. Nõnulli quidem cum vuis passis & apum melle illud conficiunt, vt Luminare Maius & cæteri. Pleriq; verò ex passulis in aqua decoctis & prelo expressis, quod exprimitur ad ignem comportant, donec ad mellis spissitudinem decoquatur: idq; mel passularum vocant. Vt est dominus Ioannes Matthæus, in suo consilio de lepra: quem etiam citant Nicolaus Præpositus, & alij plures. Alij etiam aliter parant. Verũtamẽ nobis magis placet illud quod est ex solis passulis, & aqua cõfectũ. Quia intẽtio Authoris etiã (vt opinamur) est vt fiat ipsum mel passularũ, absq; cõmuni, siue apũ melle. Quoniã si voluisset in præsenti cõfectione, præter mel passularum, mel cõmune, posuisset vtrunq;, vt fecit in lohoc de pino: vbi primũ posuit mel passularũ, & postea cõfecit cum melle tabarzet, quod est mel album commune. Vel posuisset passulas, & cõfecisset cum melle: vt fecit suprà, scilicet in confectione Hamech secunda, & in multis electuarijs & confectionibus. Quapropter iudicamus hoc mel passulatum siue passularũ, faciendũ esse ex solis passulis & aqua, absq; apum melle. Et hic est bonus modus faciendi ipsum. Sumatur quantitas sufficiẽs optimarum passularum, & submergatur in aqua pura competenter calida, & dimittatur per spatium duodecim horarum, vel circa, deinde reducatur ad ignem,

Mel Tabarzet.

Mellis passularũ conficiendi modus.

& dimittatur feruere donec discoquantur passulæ: postea coletur,& colatura illa ad lětum ignē,iterum decoquatur,donec ad mellis spissitudinē deueniat,& in vase vitreato vsui reseruetur. Cui autem magis placebit passularū mel,quod Luminare Maius describit,apud ipsum requirat,in lohoc de pino.

Confectio mannæ ex inuētione Galeni. LXXXIII.



VAMPLVRIMI nēpe sunt,qui negant(contra textū Authoris) Galenū fuisse præsentis cōfectionis mānæ inuentorem,ob id,quia de manna vsuali Græci (vt ipsi dicūt) non pertractāt. Verūtamē nos nō possumus credere filium Mesuæ scripsisse mēdacia. Cùm non solùm in principio huius descriptionis,& in fine ipsum Galenū citet,verūetiam & in cap. de manna, videatur de hac eadem cōfectione intellexisse,dum Galenū citās, dixit: Galenus antē ipsum cū scāmonea permiscuit,& operabatur cum eis. Et similiter in cap. de scammonea,authoritate ipsius Galeni scribit: Inquit Galen. Miscui scammoneam cum sextuplo ipsius mānæ,& triplo eius succi rosati,post bonitatem coctionis eius in pomo &c. Vbi etiā tacitè præsentem confectionē tetigit. Credimus autē,quòd vel apud Arabes,aliqua alterius Authoris opera,falsò ipsi Galeno attributa,tūc forsan erāt: ex quibus hęc, & alia plura ab ipsis attestata (quæ in nullo Galeni volumine reperiūtur) ipsi Arabes excipiebāt,vel ipsi Arabicę linguę Doctores habebant aliqua Galeni opuscula,quæ in præsentiarum (vt suprà in Triphera Galeni diximus) desiderātur. Nam pro certo scimus ipsum Galen. de hoc simplici, scilicet de māna loquutum fuisse (quāuis sub alio nomine) in tertio de alimētis,cap 38. secūdum antiquam translationem,vbi loquitur de melle aëreo,siue de melle roris. Quapropter potest esse, quòd sub nomine mellis aërei,aut roris, in aliquo suo opusculo (quo nos caremus) ipse Galenus scripserit præsentem confectionem,quam Author noster transcribēs,mel aëreum in mānam verterit. Et vt lector bene cōsideret an Galenus de hoc manna intellexerit vel non,quod ipse de aëreo melle præcitato libro & capitulo scripsit,subnectimus. Ait enim : Alimētorū materia omnis vsque huc duplicibus generibus cōprehensa,alterum quidē ipsorum ex plantis habuit, alterū ex animalibus,ab vtroq; autē ipsorū separatū est mel. Fit quidē enim super folia plantarū: est autē neq; succus ipsarū,neq; fructus,neque pars,sed eiusdem generis quidem cum rore: atta-

Mel aëreū.

men nec continuè, nec cõsimiliter illi fit copiosum. Noui autem quandoque æstatis tempore, plurimum super folia arborum & ruborum, & quarundã herbarum inuentum: vt ab agricolis ludentibus diceretur, Iupiter pluit mel. Præcesserat autē nox quidem quieta, in æstate media: tēpus enim erat æstatis tunc. Calida autem & sicca cõplexio aëris in præcedēti: & quidem videbatur peritis circa naturam, ex terra & aquis vaporem bene subtiliatũ & digestum à Solari caliditate: à superueniente in nocte frigiditate commassatum, congregatum esse. Apud nos quidem igitur rarò videtur hoc factum. In monte autē Libano, secundũ vnumquenq; annum non paucum: quare extendentes super terrã coria, & detergētes arbores suscipiũt defluēs super ipsa, & ollas & lagenas replent melle: nominantes ipsum roris mel, & aëris mel. Hactenus ille. Et nõ solũ Galenus cognouit hoc mel aëreũ, verũ etiã & Theophrastus libro tertio de historia plãtarũ, cap. nono, ipsum tãgit, cũ de robore scribit, dicēs: Ergo nascitur vel hic melleus humor cœlo cadens, nec alijs magis insidens frondibus. Igitur ex his colligitur quòd mel roscidũ, aut aëreum antiquorum, manna nostrum est: de quo aliqua subsequuntur. *Mel roris, vel roscidũ.*

De Manna, & Manna thuris.

MAnna quidē aliud est apud Græcos, & aliud apud alias nationes. Apud Græcos nēpe mãna est quidã puluis thuris. De quo mox inferius. Qui quidē puluis, ne Latini medici & aromatarij cõfunderētur, intelligēdo alterũ pro altero, à peritis interpretibus, cũ additione thuris, id est manna thuris scribitur. Et ita in operibus Grecorũ, latinitati donatis, plerũq; legitur. Quãdoq; etiã in aliquo prædictorũ opere, manna simpliciter legitur: & illud idē est, scilicet mãna thuris. Ab inconsideratis interpretibus autē, in hoc & similibus, sæpius librorũ sensus cõfunduntur. Manna autem, siue man, siue manhu vltima acuta & indeclinabiliter, Hæbraice idem est: & Latinè interpretatur, quid est hoc? Et propriè est quod paulò superius diximus, scilicet mel roris, siue pinguitudo aeris, siue mel aëreũ: quod nos cõmuniter ab illo vocabulo Hebraico, inflexo per primam declinationem Latinam, mannam simpliciter vocamus. Similiter & Arabes, & nationes aliæ Barbaræ, vtplurimum, fermè vt Hebræi, aut Latini nominant. Mannam quidem Hebræi primùm in deserto cognouerunt, quo per quadraginta annos miraculosè pasti sunt. Nec antea viderunt, propterea mirabantur dicentes: Quid est hoc? quasi dicerent: Res incognita nobis. quid est hoc? Et quasi *Manna thuris.*

in prouerbium ducentes, admirationem ipsorum, in rei nomen conuerterunt. Hodiernis temporibus manna notissima est, & in Italia pluribus colligitur locis, sed copiosior in Calabria.

Manna Calabrensis. quæ & Calabrensis manna vbique vocatur. Nulli etiam dubium est, quòd quantò recẽtior est manna, tãtò melior. Et ob id, manna orientalis paruipenditur in Italia: quia non potest haberi ita recens vt Calabrensis. Sed sciendum quòd duplex est manna, scilicet vna aërea, quæ cadit tanquam ros, super vniuersas arbores,

Manna cœlestis. & plantas, & lapides &c. quam quidem vocamus mannam cœlestem, siue mannam aëream. Et propriè est mel roris supradictũ.

Manna ex fraxino & orno arboribus &c. Alia manna est, quę particulariter ex fraxino, & orno colligitur. Quam certè specialiter ipsæ arbores ex se producunt, sicut gummi cæteræ arbores: & huiusmodi vt plurimum est Calabrensis. Quæ res nempe apud ipsos Calabros notissima est, & rationabiliter probatur ob hoc, quia in caudicibus & truncis, siue ramis ipsarum arborum copiosior, quàm in folijs reperitur. Quæ autẽ de aëre, sicut ros descendit, abundantius recipitur in folijs, quàm in trunco. Et ratio hoc manifestat, & experientia docuit plurimos. Nam quis audebit dicere, quòd dum pluit aqua prius descendat in truncum, quàm madefaciat folia? Etiam quemadmodum pluit aqua æqualiter super arbores & plantas, ita & manna descendit rorando vniuersaliter & arbores & plantas & petras, ac etiam & purum solum. Quare autem postea potius in vna arbore, quàm in alia non multùm distante reperitur? Nónne quia illa arbor ex se producit, & illa non? Item, si sicut ros descendit semper, quare in extremitatibus & folijs superioribus quæ cœlum spectant, ipsarum arborum non inuenitur, sed in ramis & folijs inferioribus? Sed re vera, nos curiosè, ac studiosè hoc obseruare fecimus: & ita inuenerunt, scilicet quòd ex se illæ arbores producunt illam rem mannã vocatam, quæ liquida fluit ex trunco & ramis superioribus, in folia inferiora, postea cõgelatur &c, Et ad maiorem certitudinem pluries obseruatores ipsi proprijs oculis viderunt fluentem mannam scaturire ex quibusdã tuberculis ipsius arboris, quia non vndique per totam arborem fluit, sed in quibusdam specialibus locis generatur, ex quibus locis si sponte exit, est dulcissima: si autem quis locum illum (vnde videt exire mannam) inciderit, exit abundantius, sed efficitur amara propter percussionem, & corticis incisionem: vt ipsi obseruatores experti sunt. Etiam præcisus ramus & domum virens portatus, produxit mannam. Quare concludendum est, quòd arbores

vt

vt fraxinus & ornus,& eis similes ex se generant mannam, siue mauis gummi dulcissimum,quod manna dicitur. Nam & Galenus etiam quandoque vtitur succo fraxini,forsan pro eo intelligenda sit ista manna,quæ scaturit ex fraxino, & similibus arboribus. Etiam suscipiunt illæ arbores mannam cœlestem (cum cadit) sicut & aliæ plantæ. Et quid mirum si arbores producunt illud gummi dulcissimum,quam mãnam arboream nominamus? Nonne & arbores,& plantæ generant stactem, myrrham,storacem,balsamum,mastichen,picem,resinam,& similia plura? Nonne & apes similiter ex floribus quarundam arborum & herbarum,mel & ceram colligunt? Ergo &c. Colligunt etiam & ipsi Calabri quandoque mel aëreum,id est mannam cœlestem super varias plantas,& super lapides &c.sicut & aliæ gentes: sed hoc fit rarò,& non ita densatur. Arboream mannã autem singulis annis,circa caniculares dies ante sextiles pluuias colligunt. Cùm autem pluit,cessat fluere. Sed & genus hoc mannæ arboreæ dupliciter colligitur,scilicet vna in caudicibus & ramis,quam vocant mannam grossam,& mannam de corpore: aliam verò colligũt super folia,quam quidem mãnam finam,seu mannam subtilem, & mannam foliorum nominãt. Medici autem nostri temporis, laudant potius mannam istam quæ colligitur per folia. Sed in rei veritate virtute non differunt,& vnum & eundem ortum siue principium habent: quia quæ colligitur in folijs, non ibi generatur,sed è truncis & ramis fluens,cadit super folia illa quæ ex directo habentur subter. Non enim in cunctis (vt diximus) folijs ipsius arboris reperitur,sed in illis duntaxat, quæ ex trunco,vel ramis susceperunt. Et hæc satis de mãna arborea. Manna autem aërea,secundũ Arabes,habet plures species seu differentias. Vnde Author noster in suo capitulo de manna aërea loquens,dicit: Diuersificatur autem secundum diuersitates rerum, super quas cadit. Cadens enim super lapides,est sicut guttæ paruæ,quæ congelantur,& fiunt sicut semen. Et cadens super plantas, suscipit de virtute plantarum &c. Etiam vt communiter tenent Doctores,apud Arabes tereniabin & siracost sunt species mannæ, de quibus iam in superioribus dictum est. Quòd autem apud Græcos dicitur manna thuris,non est thus contritum,& arte in puluerem redactum,(vt aliqui opinãtur) sed est purgamentũ ipsius thuris,quod videlicet,ex thure incõtrito incernitur: vbi est pars thuris,& pars corticũ eius,teste Galeno,qui libro quarto de Medicamentorum compositione secundum locos,scilicet vbi de vlceribus

Manna arborea.

Manna grossa,& de corpore.

Mãna fina.

ceribus oculorum pertractat, ait: Quia verò & mannæ aliqui meminerunt, videturq; nonnullis nihil à thure læuigato differre, sciendum venit, quòd propriè mannam vocant, micas thuris ex magnis fasciculis concussu elisas. Nam fragmenta quædam exigua corticis thuris ei inhærescunt, vt eiusmodi medicamentum à thure differat, eo quòd exiguum quiddam astrictionis assumpserit. Hæc Galenus ibi. Et in libro de Simplicibus ad Paternianum, capitulo de thure, ait: Est & tertium minutum valde, & ruffum, de quo maximè manna conficitur &c. Dioscorides etiam libro primo ait: Manna thuris probatur candore, micarum frequentia &c. Hoc igitur purgamentum, quod apud Græcos vocatur manna thuris, apud filium Serapionis in primo sui Breuiarij, capitulo 12. vocatur farina thuris, & furfur thuris. Ait enim: Et quidam putant quòd non est differentia inter farinam thuris, & inter thus contritum: tunc oportet vt scias, quòd nos nominamus farinam thuris, furfurem thuris, qui cribratur cum cribellis amplis: quibus permiscentur partes subtiles valde corticũ thuris, qui præparat plus, id est inducit corium &c. Hæc ille. Ex quibus etiam patet quòd cribellatio prima fit cum cribro raro, & incenso non contrito, & illud quod descendit ex eo furfureum (sicuti est) dicitur manna thuris. Multa & alia essent dicenda de manna: quæ quidem tanquam minus necessaria dimisimus.

Farina thuris. *Furfur thuris.*

De Scammonea.

QVamuis suprà, scilicet in electuario Indo minori, & in prima confectione Hamech declarauimus, quòd quandocunque reperitur in aliqua descriptione huius antidotarij, scammonea absolutè, semper de præparata intelligitur: tamen pro capitosis quidem, & calumniatoribus, asserentibus hîc scammoneam minimè præparatam esse apponẽdam, ob id quia (vt ipsi dicunt) succus rosarum, & mastix ingrediẽtes præsentem confectionem, satis præparant ipsam. Nos autem dicimus, quòd licet succus rosarum, & mastix sint ex scammoneam corrigentibus: tamen non per hoc Author vult hîc ipsam incorrectam. Quodquidem facillimè probari potest. Nam cùm ipse Author scribat præsentem confectionem authoritate Galeni, in qua & posuit scammoneam Anthiochenam absolutè, nec specificauit correctam. In capitulo autem de scammonea authoritate ipsius Galeni, vbi non nisi de consimili cõfectione intellexit, ait: Inquit Galenus: Miscui scammoneam cum sextuplo ipsius mannæ, & triplo eius succi rosati, post bonitatem coctionis eius in pomo &c.

Quod

Quod hîc igitur subticuit, illic clarè expressit. Etiã Christophorus de Honestis super hac confectione dicit: Scammoneam esse corrigendam, quæ correcta vocatur Diagridium. Et sic semper intelligi debet. Non obstantibus quorundam imperitorum calumnijs. Scammoneam Antiochenam speciatim posuit Author, quia est melior alijs. *Diagridiũ.*

Confectio Almezereon ex inuentione nostra, quod est medicamen benedictum &c. LXXXIIII.



NON EST dubitandum de inuentore istius confectionis, cùm dicit Author ex inuentione nostra. Nominauit autem eam à mezereon ipsam intrante, quod quidem & basis eius est. Sed sciendũ quòd Author ponit hanc eandem confectionem in capitulo de mezereon: tametsi ipsæ descriptiones inter se differunt in vno. Hoc est, quòd descriptio præsentis antidotarij habet per omnes libros, tã antiquos, quàm impressos (quos vidimus) vniformiter: Carnium cytoniorum elixorum in aceto vini, & zucchari tabarzet, ana partes lxxx. Descriptio præfati capituli autẽ, per omnes eosdem libros similiter concorditer, nulloq; volumine discrepante, habet carnium cytoniorum &c. añ. partes lxx. Et hunc putamus esse errorem antiquorum scriptorum. Vnde vel in descriptione capituli præfati eo in loco desunt partes x. vel hic, scilicet in descriptione antidotarij sunt auctæ. Et potius credendum est, hîc superabundare, quàm illic deesse: quoniam magna quantitas ipsorum est lxxx. partes. Nos autem veritatis inscij, non audemus innouare aliquid in ipsis, & cæteris descriptionibus, quod postea probare non possemus. Præterea animaduertendum, quòd aliqui libri impressi, (vt particulariter sunt illi de parua impressione) in descriptione capituli mendosè habent: Tereniabin, partes lx. Et huiusmodi erat liber quo vtebatur Manardus, vt in annotationibus præsentis confectionis ipse declarat. Igitur rectius ibi legendum est: Tereniabin, partes xl. vt in reliqua librorum multitudine tam antiquorum quàm impressorum, tam in descriptione capituli quàm antidotarij legitur. Errore quidem inter imprimendum trãspositæ fuere ibi x, & l. Aduerte etiam, quòd Luminare Maius in præsenti confectione, recipit olei almezereon, partes xxxij. Cùm cæteri libri tam antiqui, quàm impressi cõcorditer habeant in vtraque descriptione præfati olei partes duodecim, & sic est verum. Sed hic error, an sit

impresso

impressorum, an ipsius Authoris, nescitur à nobis. Per se autem quærat qui hoc scire peroptat.

De Mezereon, vel Mezerion.

MAgna confusio est per Arabum libros, nec est qui absolutè valeat percipere, de qua re intelligant, cùm ipsi de Mezereon pertractant. Et modo videntur tangere Chamelæam, modo thymelæam, modo laureolam vulgò dictam, id est daphnoidem: & modo illud, & aliud diuersum ab istis. Taliter quòd neque ipsimet videntur perfectè scire quæ loquũtur. Veruntamen hallucinantur ex recentioribus quidam, credentes ipsos de laureola pertractare in capitulo de Mezereon. Cùm Serapio scribat separatim capitulũ de Mezereon, à capitulo de Daphnoide, quæ est laureola vulgò dicta, quæ quidem scribitur ab ipso Serapione capitulo de lauro, in quarto loco. Nec laureola lactescit, vt Arabum mezereon. Quapropter clarum est, quòd Arabes pro mezereon, non intelligunt laureolam. Et quamuis ipsi Arabes dicant, quòd est ex mezereon habẽs folia magna, nõ tamen per hoc declarant esse laureolam. Imò dum ipsi testantur ipsa folia esse subtiliora, apertè demonstrant non esse laureolam dictam. Nam (vt scitur) laureolæ folia sunt pinguia, & aliqualiter carnosa, quæ minimè possunt subtilia dici. Et licet Author noster in suo cap. de mezereon describat (vt sibi videtur) plures eius species, nulla tamen ipsarum potest esse laureola: vt Pandectarius, & quidã alij volunt. Quia secundum ipsos, omnes illæ species lactescunt: laureola autem (vt dictum est) lacte caret. His denum visis, sciendũ quòd Arabes, vt Serapio & Auicenna, ponunt duas tantùm species mezereon, & hæ absque dubio sunt chamelæa, & thymelæa Dioscoridis: vt patet conferendo capitula ipsorum cum Dioscoridis capitulis. Author autem noster, ex multis speciebus ab ipso notatis, magis laudat vnam: quam (respectu aliarum supple) dici habere magna folia, nõ tamen propriè ipsa folia multùm excedunt magnitudinem foliorum oliuarum. Et hæc planta si non non est thymelæa Dioscoridis (vt nonnulli opinantur) cum alijs ipsius speciebus, omnibus incognita erit. Etiam & nos eiusdem opinionis sumus, scilicet quòd illa planta mezereon siue mezerion dicta, & ab Authore nostro magis commendata, sit thymelæa. Et his indicijs, seu notis probari potest. Ait enim ipse Ioannes filius Mesuæ, in proprio capitulo de mezereõ: Et plãta, cuius stipes eleuatur super terram circiter cubitos duos. De thymelæa autem Dioscorides secundum Hermolaum & Marcellum, ait: Rami

Laureola.

Mezereon species duæ.

Thymelæa.

Rami tenues,ſpecioſi cubitorũ binũ aſſurgunt.Itẽ filius Meſuæ: Et folia eius ſunt ſimilia folijs oliuæ.Dioſcorides: Folia chamelææ:quam iam dixerat habere folia ſimilia oleæ.Itẽ filius Meſuæ: Et producit grana nigra,in magnitudine fructus myrti.Dioſcorides:Semen quale myrti,exiguum, rotundum: initio vireſcens, poſtmodum rubens:foris durum, nigrũq; &c. Dioſcorides quidem hîc notauit principium, medium, & finem ipſius ſeminis: filius Meſuæ autem,tanquam rem magis neceſſariam ad eius cognitionem, finem tantùm deſcripſit.Item ipſe filius Meſuæ, ex authoritate Ruffi: Expellit ſine nocumento aquam citrinam. Item:Solutione educit aquam citrinam,cum fortitudine vehementi.Item authoritate Alexandri:Aquam enim educit aggregatam in ventre.Dioſcorides autem de dicta thymelæa: Detrahuntur eo per aluum biles,aquæ,& pituitæ.Et infrà:Purgantur eo aquæ,&c.Item filius Meſuæ:Nocet tamen hepati,imò omnibus membris nutritiuis.Dioſcorides autem:Ipſa herba inimica ſtomacho.Præterea ad meliorem notitiam,quod Author noſter pro mezereon intelligat thymelæam,& non chamelæam,aduertendum quòd in ſupradicta hiera Hermetis petit ſemen mezereon. Non enim admittitur vſus ſeminis chamelææ, thymelææ autem ſemen,quod eſt granum cnidium,ſiue mauis gnidium,idest,coccognidium,teſtimonio Dioſcoridis, Galeni, & aliorum plurium probatiſsimorum virorum, in plures vſus laudatur. *Granum gnidium.* Vnde & in dicta hiera,gnidium granum quærit. Et per conſequens,ſuum commendatum mezereon eſt thymelæa. Non obſtante quòd ipſe filius Meſuæ ſub nomine mezereon, intelligat etiam & chamelæam,& alias diuerſas plantas.Quapropter non eſt mirum,ſi in dicto ſuo capitulo ſunt aliquæ particulæ chamelææ conuenientes.Quia ſicut ipſe ſcripſit(licet confuſè) plures ſpecies mezereon:ſic & illarum proprietates,& operationes, inordinatè commiſcuit.Illud autem folijs annexum, quod videtur contradicere Dioſcoridis deſcriptioni de thymelæa (hoc eſt: Folia eius ſunt ſimilia folijs oliuæ,ſed maiora. Dioſcorides autem:Folijs chamelææ anguſtioribus &c.In chamelæa autem,folia oleæ ſimilitudinem habent,tenuiora tamen &c.)facilè ſoluitur, ſcilicet quòd diuerſimode loquuntur ipſi Authores. Nam Dioſcorides de amplitudine foliorum loquens,dicit chamelæã, & thymelæam habere folia vt oliua,anguſtiora tamen,ſiue ſtrictiora,&c.Filius Meſuæ autem,non de amplitudine,ſed de longitudine intelligit. Vnde cùm dicit:Eſt mezereon, cuius folia

ſunt ſimilia folijs oliuæ,ſed maiora,id eſt longiora ſubintelligendum.Et in veritate ſunt longiora,& ſtrictiora.Et ſic non eſt in hoc contradictio aliqua. Alia adhuc eſt dubitatio(quam Leonardus Fuchſius errorem putauit,cùm non ſit,nec ipſe bene ſoluit)quæ etiam facillimè ſoluitur.Hæc eſt. Teſtantur nanq; ipſi Arabes,vt Author noſter,& Auicēna,& Serapio,& cæteri mezereon in numero lacticiniorũ eſſe:quod quidem à Dioſcoride de chamelæa,& thymelæa minimè ſcribitur. Non obſtante quòd dictus Leonardus Leonicenum ſequutus dixerit,& malè,Serapionem non ſcripſiſſe mezereon lacte fluere. Nam ipſe Serapio authoritate Bedigoras,ait:Proprietas eius eſt,quòd laxat melācholiam,& aquam citrinam:queadmodum faciunt ſpecies aliæ lacticiniorum.Cùm ergo dixit:Quemadmodum faciunt ſpecies aliæ lacticiniorum.declarauit mezereon eſſe vnum ex lacticinijs. Et clarius in capitulo de tithymalo, prope finem, ipſe Serapio authoritate Abugerig,notat mezereon eſſe in genere lacticiniorũ, dicens:Lacticinia ſunt mezerion,& Xebram,& Hoſcin, &c. Igitur quia à Dioſcoride hoc non ſcribitur,ergo non eſt?non valet conſequentia.Quia reuera non omnia Dioſcorides dixit. Imò multa neceſſaria pluribus in locis dimiſit. Etenim ſi quis bene cōſiderauerit Dioſcoridis deſcriptiones,videbit quòd tacitè innuit ipſas plantas non carere lacte,dum immediatè poſt alia lacticinia eas videlicet collocauit.Igitur quod in hoc Dioſcorides de lacte ſubticuit,Arabes propalàm dixerunt. Et quòd mezereon apud Arabes non ſolùm non carebat lacte,ſed abundantius habebat,probatur clarè per filium dicti Serapionis,in ſecundo ſui Breuiarij,cap.16.in de curatione dentium qui moti ſunt, & dolent ex frigiditate,cùm dicit:Lac almezereon & piper,&c.& infrà in de congelatione dentium,ait: Et conferunt autem ex medicinis,ariſtolochia longa,& baccæ lauri,& fex olei decocti, & lac almezereon,&c.Et clarius infrà,ſcilicet in 24.capitulo dicti ſecundi,quod eſt de aſthmate & anhelitus præparatione, in vno medicamine,inquit:Recipe pulmonis vulpis ſicci ℥.v. calamenti,&c.Vſq; in finem compoſitionis.Vbi dicit: Confice cum lacte almezereon,&c,Et alijs in locis ab ipſo notatur, in quibus omnibus planè patet, quòd mezereon abundanter lacte fluit, alioqui minimè poſſet ex ipſius lacte talia & eiuſmodi conſimilia pharmaca conficere. Quapropter non perperàm filius Meſuæ,& Auicenna ſcripſerunt mezereon eſſe ex magnis lacticinijs. Ipſas deniq; plantas,ſcilicet chamelææ,& thymelææ non dubiè cogno

cognoſcimus, imò pluries collegimus, & experti ſumus, quòd Thymelæa non carent lacte, quamuis non copioſè lacteſcant. Et præſertim & chamethymelæa magis, quàm chamelæa abundat lacte. Et ſiquidem aliquando in folijs lac non videtur, in virgis autem ſiue ramulis ſatis abundè habetur, necnon viſus, tactusq; ſenſibus clarè percipitur. Et non mirum ſi apud nos ipſæ plantæ non ita lacte abundant, fortaſſe quòd apud ipſos fluitabant, & cum hoc etiam maiora poterant producere folia. Sæpius enim (vt aliàs diximus) à diuerſitate locorum plantæ diuerſificantur bonitate, qualitate, frutificatione, &c. Igitur concludendum eſt, mezereon à filio Meſuæ magis commendatum, thymelæam eſſe. Ipſa autem thymelæa dicta mezereō, talis eſt: Virgas habet propriè (vt Dioſcorides ſcribit) bicubitales, rectas, pulchras, ab vna radice multas: folijs vt oliuæ, longioribus, & ſtrictioribus, ac mollioribus, nec tam aridis plenas: quæ virgæ granū ferunt coccognidium vocatum. Virgæq; ipſæ vt linum rectè creſcunt, ſed multo altiores, digitalem craſsitudinem rarò excedentes. Quam plantam non longè ab Vrbe (vbi maxima ipſarum habetur copia) incolę Tribiſcum vulgò nominant. Chamælæa autem, quæ etiam & mezereon eſt, & vulgò oliuella, & oleaſtellum dicitur (non obſtante quòd aliqui & cyprum etiam oliuellam vocent) non remotius ab Vrbe, versùs mare, & ipſa etiam plurimum gignitur. Folia oliuis ſimillima, minora tamen, & quaſi decurtata habet. Rami eius multi, tenues, duri, non recti, ſed per terram circunquaq; vtplurimum deiecti, folijs pleni ſunt omni tempore: videntur procul equidem vt monticulus foliorum ſpecioſus, quaſi arte paratus. Et huiuſmodi planta hodie quàmplurimis cognita eſt. Hæc autem ſatis de mezereon. Nunc autem de præparatione foliorum eius, aliqua non minus neceſſaria ſubſcribemus. Inquit igitur ipſe Author in præſenti deſcriptione: Recipe foliorum almezereon præparatorum, &c. In capitulo autem eius de mezereon, multi ponuntur modi præparandi ipſum: qualis autem eorum, pro huiuſmodi confectione ſit obſeruandus, ab ipſo particulariter non aſsignatur. Attamen conuenientior modus eſt, & laudabilior, atq; vſitatior, præparandi in aceto: qui modus ab ipſo Authore notatur etiam in canonibus, ſcilicet in capitulo de rectificatione medicinarum cum modis infuſionum. Inquit enim: Abſcinditur ſuperficies acuminis, & ſerroſitatis ab almezereon, & alſcebram, ex earum infuſione in aceto, &c. Quiquidem modus etiā obſeruatus eſt ab ipſo Authore infrà, ſcilicet in Alchelengi

Thymelæa lacteſcunt.

Thymelææ deſcriptio.

Chamælææ deſcriptio.

Foliorū mezereon præparatio & infuſio.

medicamine,& in pilulis de mezereon. Et clarius ponitur à Serapione in proprio capitulo de mezereon. Si igitur (inquit) vis exhibere mezereon, elige illud quod dixi esse melius, scilicet illud quod habet folia longiora, & latiora, & subtiliora: & infunde ipsum in forti aceto duobus diebus ac noctibus: & hoc fiat ante contritionem eius, & sicut est integrũ renouabis acetum bis, aut ter: & proijce acetum, in quo fuit infusum mezereõ, & laua illud cum aqua dulci bis aut ter: & desicca ipsum ad vmbram, aut ad solem (si non potest citò siccari in vmbra) donec recedat humiditas eius. Et pòst tere ipsum, &c. Hactenus ipse Serapio. Et talis quidem modus obseruandus est etiam in præparatione alscebrã: quia de consimilibus idem est iudicium.

De aquæ Casei, & Agarici infusione.

HAbetur equidem apertè & clare in præsenti descriptione, quòd Author præcipit recipi xxx. partes aquæ casei infusionis agarici, id est aquæ casei in qua sit prius infusum agaricũ, & forti compressione expressum. Sed quidam phantastici neoterici, qui sibi ipsis vidētur esse sapientes, conantur temerè & nefariè quibusdam suis falsis declarationibus, imò veris deprauationibus, non solùm corrumpere textum, verum etiam peruertere sensum literæ & intentionem Authoris. Asserentes non debere intelligi simpliciter, vt scriptum est: sed quòd illæ 30. partes referendæ sint ad agaricum, & non ad aquam casei: scilicet quòd sint infundendæ triginta agarici partes in sufficienti aquæ casei quãtitate. Quarum triginta partium agarici infusio erit postea tota in medicamen commiscenda. Vnde circunfertur quidam libellus super canones & antidotarium filij Mesuæ impressus absq; Authoris nomine, titulatus: Opus quibuslibet aromatarijs necessarium. Quod opus pro maiori parte in vulgari lingua Italiæ, est (vt aiunt) à quodam Petro Paulo Villano aromatario Neapolitano æditum. In illo nempe hæc & alia plura leguntur ridicula. Quodquidem opus iuniorum aromatariorũ nõnulli, tam charè amplectuntur, quòd nihil suprà. O cæcitas magna ipsorum: non considerant enim, quòd in septulum, & fortassè amplius, talimodo multiplicant agarici pondus in ipsa infusione: quodquidem est erroneum, & damnosum, expresseq; contra Authoris intentionem. Muniunt & ipsi opinionem suam friuolis rationibus, obijcientes primum, quòd illic non assignatur, quæ quantitas agarici sit infundenda in illis triginta partibus aquæ casei: ideo illæ triginta partes ad agaricum referuntur. Secundo obijciunt, quòd

quòd dictæ aquæ casei triginta partes non sufficiunt ad dissoluendum 80.zucchari,& quadraginta mannæ, siue mauis tereniabin partes. Quapropter illæ triginta partes intelligendæ sunt de agarico, pro quibus infundendis necesse est, vt maior quantitas dictæ aquæ casei subministretur, quæ postea sit satis & sufficiens ad dissoluendum dictas zucchari & tereniabin partes. Ad primum igitur, eadem ratione qua ipsi opinionem suam defendunt, & nos confutamus eam: scilicet quòd ipsi dicunt, si essent aquæ illæ triginta partes, non fuisset assignatum pondus agarici infundendi. Econtra nos dicimus: Si (vt ipsi volunt) sunt agarici illæ partes, vbi est ergo mensura aquæ casei assignata? Respondebunt forsan, quòd intelligitur aquæ casei quantum sufficit. Similiter & nos dicimus, quòd ad illam infusionem triginta partium aquæ casei, intelligitur Agarici quantum sufficit. Quia sicut potest haberi scientia & cognitio de vno oppositorum, sic & de reliquo. Vt exempli gratia: Sicut possumus scire, quòd ad vnam vnciam agarici, vel alterius rei infundendam, potest sufficere tanta aquæ quantitas, puta libram vnam. Sic econtrà, ad libram vnam aquæ, possumus non ignorare, quòd satis est vncia vna agarici, vel huiusmodi similis. Et sciendum, quòd quicquid dicitur super hac materia in præsenti confectione, potest etiam in multis alijs confectionibus, & electuarijs huius antidotarij, quæ consimiles habent infusiones & decoctiones, vt suprà, Electuarium de fructibus: & infrà, Confectio de zinzibere, & Modus syrupi acetosi de succis & aquis fructuum, & Modus syrupi acetosi de pomis descriptione nostra, & confectiones Galliæ sebelliæ, & Galliæ alesanginæ, & Hysopi cerotum descriptione Philagrij, & Emplastrum de meliloto, & similia. In quibus omnibus faciendo, vt ipsi in præsenti confectione docent, expresè agitur contra Authoris intentionem, & malè. Ad secundum dicimus, quòd triginta partes dictæ aquæ casei, optimè sufficiunt ad dissoluendum 80.zucchari, & quadraginta tereniabin partes. Et experti sumus in minori quantitate aquæ, & maiori quantitate zucchari, & mannæ, & similium optime posse fieri. Exempli gratia: Ponamus casum, quòd dictæ partes sint drachmæ 80.igitur partes quæ sunt 80.drachmæ zucchari, faciunt summam decem vnciarum, & quadraginta drachmæ tereniabin, summã quinq; vnciarum complent. Triginta autẽ aquæ casei ℥.sunt ℥.iij.& ʒ.vj.pulueriza prius zuccharum perquàm

optimè,& cum ℥.j.s.dictæ aquæ,non tantùm decem vncias, sed & libram integram,& amplius dicti fucchari pulverizati dissolues,si voles. Mannæ autem summa ℥.v.sit in vno cyatho vitreo,vel stanneo,& est melius propter vitri fragilitatẽ. Hinc superinfunde dictæ aquæ casei ℥.ij.& cooperi,& pone cyathũ ipsum in vas aquæ cõpetenter calidæ:dextrè tamen ne submergatur cyathus in ipsa aqua.calida,sed supernatet,vel sedeat in fundo vasis in quo quantitas aquæ calidæ non transcendat altitudinem cyathi tenentis mannam,scilicet tereniabin,& aquam casei. Et dimitte per aliquod tẽporis spatium,taliter quod si aqua ipsa vasis ante mannæ liquefactionẽ infrigidata fuerit,amoueatur,& alia calida summitatur. Etiã & in minori quantitate dictæ aquæ,tali modo potest optimè liquefieri mãna.Igitur si sic 28.partes sufficiũt, triginta magis sufficient: & per consequẽs triginta partes dictæ infusionis aquę casei non sunt (vt ipsi dicũt) parua quantitas ad dissoluendũ prædicta,scilicet tereniabin,& zuccharũ. Item ipsi falsissimè dicũt agaricum in pręsenti cõfectione esse basim,cùm sit mezereon,vt in exordio ipsius cõfectionis patet,scilicet quòd ad hydropisim,& ad aquam citrinã educendam,potentius operatur mezereon quàm agaricũ. Igitur aromatarius considerata quantitate dictæ aquæ casei sibi necessaria,debet sumere ipsam excedentem in tribus aut quatuor partibus(quæ possent deperdi in ipso opere faciundo propter madefactionem agarici &c.) & infundere in ipsam competentẽ optimi agarici contriti quantitatẽ,& dimittere per horas 12.ad minus. Deinde facta diligenti expressione,sumat ex ea quod est necessarium ad præsentem vel consimilem cõfectionem:reliquum verò,si non est multùm, de bono cõsilio etiam poterit supermittere,multùm autem,non est de intentione Authoris,vt admittatur. Modus autẽ ipsam cõficiendi talis debet esse:Sint prius præparata folia almezereon in aceto,& exiccata & bene pulverizata, & habeas oleũ mezereon præparatum apud te,& fiat infusio aquę casei & agarici.Interim verò elixa cytonia in aceto vini,vt præcipitur. Deinde exprime agaricum,& proijce. Infusionis autẽ, sume quod sufficit. In vna parte cuius(vt paulò superius diximus)dissolue tereniabin:quo liquefacto,& colato,cum reliqua autem dictæ infusionis parte, zuccharum contritũ dissolue,& ad ignẽ ducito,coquitoque ad mellis spissitudinem: deinde carnes cytoniorum per cribrũ spissum,seu per setatium eductas,commisce,spatula (sed melius baculo ligneo)sępe agitando,coque faciliter. Et antequam ad perfectam

fectam deueniat coctionẽ, superinfunde tei cniabin liquefactum & colatum. Quibus omnibus cum omni facilitate ad debitã coctionem perductis: puluis foliorum almezei eon, oleo iam dicto bene perunctus, immisceatur, & ab igne deponatur, & vsq; dùm semifrigeat, baculo ligneo dicto continuè agitetur, vt omnia insimul benè sigillentur, & incorporẽtur. Sed nota, quòd aqua casei, siue aqua lactis, siue serum (quæ idem sunt) vbi agaricum est infundẽdum, debet esse ex lacte caprino. Teste ipso Ioanne Mesue, capitulo de agarico dicente: Et ex rebus sibi additis vigorãtibus ipsum, est spica, & aqua casei, & proprie sumpta ex capris. Non obstante, quòd Galenus aliter dicat.

De varijs Medicinarum Infusionibus.

QVia sæpe ab imperitis aromataris, in infundendis medicinis, in quibus vel liquoris vel rei infundendæ non assignatur mensura, committuntur errores, visum est nobis hîc breuiter, clariori modo, quo fieri potest, de huiusmodi infusionibus aliquas subscribere regulas. Non enim vnico canone possunt regulari tot infusionum modi. Habeat ergo necesse est, suam distinctè quilibet modus regulam. Quia aliquæ medicinæ infunduntur per modũ nutritionis, aliquæ per modum effusionis, & aliquæ per modum liquefactionis &c. Et aliquæ in aquis, & aliquæ in succis, & aliquæ in aceto & cæteris vt mox de omnibus dicemus. Animaduertendũ tamen, quòd non scribimus singulatim omnes medicinas infundendas, sed de pluribus, quæ in vno modo conueniunt, quædam tantùm notantur, quæ magis videntur necessariæ, & conuenientiores: quoniam (vt ait Philosophus) de consimilibus idem est iudicium. *Infundendi modi quot.*

De *modo infundendi* Agaricum, R*heubarbarum, & similia.*

AB Agarico quidem initium sumpsimus describẽdi regulas infusionum medicinarum, ob id, quia de ipso infundendo quæstio modo suprà habita est. Agaricum igitur infundendum est, siue in aqua casei, siue in alio liquore sibi competenti, mediocriter contusum. Et ita commensurandum est cum liquore, vt sit inter rarum & spissum, scilicet quod nec multùm fluitet, nec ab aquositate sit alienum. Peritus enim aromatarius, potius discretione, quàm lance vtitur. Eadem nanque ratione & Rheubarbarum, & consimilia plura infundenda sunt. Sed sciendum, quòd communiter hodie, non solùm aromatarij, sed & medici errant in infusione rheubarbari. Non enim in rei veritate infundẽdum est rheubarbarũ in aqua endiuiæ distillata, & sublimata, vt ipsi *Agarici infusio.* *Rhabarbari infusio.*

faciunt. Quia Ioãnes Mesuæ Author noster in capitulo de rheubarbaro, dùm scribit infundendum ipsum in aqua endiuiæ, aut apij, aut plantaginis, non intelligit aquam alembiccatam, sed succum ipsarum herbarum. Imòè rarissim antiquiores vtebantur aliquibus istarum aquarum sublimatarum. Vnde cùm ipsi describunt alicuius rei aquam, vt plurimum intelligunt succũ, aut decoctionem, vel saltem infusionem illius rei: vt in pluribus locis probari potest. Et particulariter in dicto capitulo de rheubarbaro, cùm de infusione ipsius loquitur, dicit: Et similiter magnificatur infusio eius in aqua endiuiæ, & apij, prius bullitis & colatis, aut in aqua plantaginis &c. Cùm autem dixit, Prius bullitis & colatis, declarauit ipsas aquas esse succos. Non enim aquæ distillatæ indigent bullitione, & colatione. Igitur infusio rheubarbari facienda est in succis herbarum, & non in aquis ipsarũ sublimatis. Multa etenim exẽpla habemus, quòd aquæ antiquorum erãt succi, vel decoctiones &c. & non sublimationes. Vt est aqua cytoniorum, declarata suprà in electuario granorum myrti, & aqua granatorũ, quæ legitur in capitulo de tamarindis: & aquæ prunorum, & tamarindorum, quæ habẽtur infrà in descriptionibus modorum syrupi acetosi: & aqua porri, & aqua caulis, quæ in pluribus pilularum confectionibus petuntur, & aqua malorum de seni, & aqua cannarum zucchari, quæ scribuntur in syrupo de cannis: & aqua masticis in cap. de casia. Et aqua cicerũ &c. Et in 7. Breuiarij filij Serapionis, cap. 16. in fine, scilicet in medicina solutiua quæ fit cum scebram, habetur aqua fœniculi, quæ est succus: vt clarè patet. Sic enim legitur. Et proijciatur super illos aquæ fœniculi recentis, præter quod ferueat &c. Cùm dixit, præter quòd ferueat, declarauit esse succum, & non aquam sublimatam. Quod etiam clarius probatur per Authorem nostrum, in sequenti confectione alscebram, quæ est eadem quæ præfata filij Serapionis: in qua vbi ille habet aquam fœniculi, iste habet succum. Et similiter in eodẽ cap. dictus filius Serapionis, scilicet in confectione de eupatorio, cuius titulus est: Alia ad icteritiam & inceptionem hydropisis. quæ quidem cum confectione de eupatorio sequenti filij Mesuæ, quæ est post cõfectionem de scebram, est eadem, habet aquam solatri, endiuię, & volubilis. Author noster autem in eodem loco habet succũ solatri &c. Et alia penè innumera quæ passim in antiquorum liberis legũtur, quæ quidem breuitatis causa studiosis perquirenda reliquimus. Lege etiam de hoc plura, in Diarhodon descriptione cõmuni, & in electuario

Aquæ simplicium sunt succi.

rio

rio de granis myrti.

De omni Gummi infundendo.

VAria Gummi genera, siue species, vel differentiæ, in varijs infunduntur liquoribus. Vnde quoddã in vino, quoddam in aceto, & quoddam in succis, siue aquis herbarum: vt in aqua rosarũ, in succo arnoglossæ, in aqua rutæ agrestis, in aqua porri &c. Omnibus autem gummi speciebus non conuenit vna liquoris mensura, quia aliquod gummi plus, & aliquod minus de liquore (in quo infunditur) recipit, vt experiẽtia ipsa nos docet: quia gummi tragacãthi in comparatione aliorum multorum, vult quadrupulum de liquore in quo infunditur, & quandoque non sufficit. Quamobrem in huiusmodi talis datur regula, scilicet quòd quælibet gummi species tantum liquoris recipiat quantum necesse habet. Et taliter est liquefaciendum gummi quodlibet, quòd per modum emulsionis possit transire per setatium, siue per stamineã. Et est melius in principio infundere minus de liquore quàm multũ, quia semper si fuerit necesse, potest superinfundi liquor. Sed aduerte, quòd hæc regula posita est pro gummi, pharmacis cõmiscendis, non autem pro gummi liquefaciendis causa pingendi, vel atramentum faciendi &c. quia tunc maior pars aquæ, vel liquoris administratur.

Gummi tragacãthi infusio.

Modus generalis infundendi gũmi quodlibet.

De modo infundendi Myrobalanos, Dactylos, & similes fructus.

FRuctuum infusio ad varios effectus in medicinis habetur. Quapropter de ipsis duplex cõsideratio habenda est. Videlicet aut ipsis abiectis, quæritur ipsorũ infusio tantùm. Vt exempli gratia, de myrobalanis, qui infunduntur in aqua calida, vt ipsorum infusio sit magis solutiua, quia tunc quærunt infusionẽ ipsorum tantùm, ipsos autẽ infusos paruipendendo, & abijciendo: vel sicut infunduntur ipsi myrobalani contriti in aqua casei per octo dies, hinc vna bullitione peracta, colantur, & proijciuntur: colatura autem siccatur, vt fiãt ex ea inde trochisci, & pilulæ, vt habetur in capitulo de myrobalanis ipsius filius Mesuæ, & similia. Aut infusione abiecta quæritur sũbstãtia ipsorũ fructuum infusorum: vt exempli gratia, infundũtur etiam ipsi myrobalani in aqua plurima per octo dies, vt humectentur, & fiant idonei ad conficiendum &c. sicut habetur in dicto capitulo de myrobalanis. Igitur si fructus infundendi sunt causa recipiendi ipsorum infusionem, debent infundi in tanta liquoris quantitate, quanta

Infundendi duplex ratio, & modi varij.

toto temporis ipsorum infusionis spatio satis est ad sufficientem ipsorum fructuum submersionem. Si autem accipiendi sunt ipsi fructus, aliquãdo proijcienda est ipsorũ infusio, aliquando non. Proijcienda enim est infusio myrobalanorũ, & similiũ fructuum, quando ipsi fructus infunduntur, non vt corrigantur ab aliqua ipsorum malitia, sed vt humectentur, & ingrossentur &c. vt in præfato capitulo de myrobalanis, & in distinctione de conditis habetur. Quia tunc si potuissent habere ipsos fructus recentes & humidos, non humectassent siccos. Quando autem infundũtur fructus ipsi in aceto, aut alio quouis liquore, causa alicuius ipsorum malitiæ reprimendæ, aut bonitatis acquirẽdæ, vt dactyli in diaphœnicon, & similia: tunc non proijcitur ipsorum infusio, quia debet fieri per modum imbibitionis, seu enutritionis ipsorum. Vbi tantùm debent recipere de liquore, quãtum sufficit ad bene imbibendum ipsos, vt post ipsorum enutritionem nihil restet de ipso liquore proijciendum: quia si proijcitur aliqua pars huiusmodi infusionis, proijcitur simul cum ipsa magna pars substantiæ & bonitatis eorũ. Per modũ autẽ enutritionis, reprimitur aliqua fructuũ malitia, & nihil amittunt de bonitate sua.

De modis infundendi Semina.

NOn vno equidem modo, & semina omnia infundenda regulari possunt, quia (vt paulò superius diximus de fructibus) & semina quoque ad varios infundũtur effectus. Vnde quædam semina, vt cyminum, anisum, coriandrũ, & similia, cùm infunduntur in aceto, siue in alio liquore, ad aliquam malignitatem corrigendam, seu ad aliquam bonitatem acquirendam, tũc per modum imbibitionis seu enutritionis infundenda sunt ipsa semina & exiccanda &c. Quædam autem infundũtur, vt accepta postea eorum infusione, proijciantur ipsa semina, vt sumach in electuario de fructibus, & fœnũ græcum in hysopi ceroto descriptione Philagrij, & emplastro de meliloto, & similia. Et tũc in qualibet liquoris libra ponitur seminũ ℥.j. vel circa plus minúsve pro qualitate seminum, quia semẽ quod magis recipit de liquore, in minori quantitate ponendum est, & econtrà. Peritus enim aromatarius trutina discretionis omnia delibrat. Nonnulla quoque semina infundũtur in aqua, vel in alio liquore conueniẽti, causa recipiendi ipsorum mucilaginem: vt semen psyllij, & similia. Et ad hoc faciendum sufficit ad libram aquæ, seu alterius liquoris, dictorum seminum ℥.semis, plus vel minus, secundum quòd semina ipsa sunt magis vel minus mucilaginosa &c.

De

De Foliorum, radicum, stipitum, & similium infusione.

FOlia quoq; & radices (præter rheubarbarũ) & cæteræ plantarum partes, infunduntur in aqua, seu alio liquore, taliter quòd aqua seu liquor duobus digitis superemineat: idque tam si proijciatur, quàm si seruetur ipsa infusio. Et sic turbith in lacte, sic folia mezereon in aceto &c. Sed nota quòd omnia debẽt intelligi cum sale discretionis: quia exẽpli gratia si quis voluerit drachmam vnam tantùm huiusmodi rerũ infundere, nõ debet apponere tantam liquoris quantitatẽ, quòd superemineat duobus digitis. Secundum autẽ quantitatem rei infundendç, cõmensurandus est & liquor. Quod autem dictũ est suprà, in omnibus modis intelligitur de vna honesta & discreta quantitate. De florum autem rosarum, & violarum, & similium infusionibus, require in sexta distinctione, post violati modum iuleb. Insuper sciendum, quòd regulæ prædictæ positæ sunt, pro illis infusionibus duntaxat, pro quibus non assignatur modus, nec mensura, seu ratio infundendi. Multæ & aliæ diuersæ rerum infusiones fiunt quæ clarè possunt intelligi, vel saltem reduci ad aliquam supradictarum. Sericum autem qualiter sit infundendum post tincturam in chermes, habetur suprà in confectione Alchermes. Et hæc quidem satis de modis infundendi medicinas. Olei mezereon, quod petitur in ista cõfectione, habetur descriptio infrà in distinctione vltima, quæ est de oleis: propterea quære ibi.

Modus confectionis Alscebram, &c. LXXXV.



LICET pauca simplicia ingrediantur prçsentem confectionẽ, non tamen ob hoc ipsius descriptio, per libros impressos, à mendis habetur aliena. Nã vbi legitur in aliquibus ipsorum: Recipe Alscebram boni & electi ℥.ij. myrobalanorum citrinorum ℥.ij. & in aliquibus sic: Recipe Alscebrom boni & electi, myrobalanorum citrinorum, ana ℥. ij. &c. in vtrisque malè legitur. Rectius ergo legendum est: Recipe Alscebram boni & electi ℥. j. myrobalanorum citrinorum ℥. ij. &c. Quoniam sic legitur in cunctis exemplaribus manuscriptis, & similiter apud filium Serapionis, qui istammet confectionem habet sub titulo: Medicina solutiua quæ fit cum scebram, &c. quæ est in calce 16. cap. 7. sui Breuiarij. Denominationem accepit autem ista confectio ab ipso scebram, sine quo minimè est cõficienda: quia basis eius est. Sed priusquam administretur est præparandum,

sicut

ſicut præparatur mezereon, nec impræparatum propinetur omnino.

De *Scebram.*

ET certè ſecundum veritatem Scebram, ſebram, ſcebrem, xebram, ſceſcebram, & ſcobram, & ſimilia plura (vt per varios libros legitur) idem ſunt: nec refert ſiue per m, aut n, in fine ſcribatur. Per vtranque enim literam reperimus. Sunt nanque barbara vocabula, & ſignificant idem quod Latinè eſula, quæ Græcè pityuſa dicitur. Et licet ab hodiernis herbarijs plures eſulæ ſpecies oſtendantur, tamen duæ tantùm ſunt veriores, quas Author noſter in ſuo de ſimplicibus, capitulo de ſcebram, deſcribit: ſcilicet magnum, & paruum. Quod etiam Dioſcorides in capitulo de pituyſa notauit. Non obſtante quòd ipſe Dioſcorides non dicat ipſum magnum eſſe malum, vt ait Author noſter de ſuo ſcebram, forſan quòd ipſe Dioſcorides non fuit expertus illud. Vera autem eſula, ſiue verum ſcebram eſt habens folia ſimilia folijs pini, & tota ipſius planta lacte copioſè fluit. Illud autem quod in capitulo filij Meſuæ videtur contradicere deſcriptioni Dioſcoridis de pityuſa, ſcilicet vbi de radice loquitur, dicens: Et eſt habẽs de rubedine aliquid ſicut caſia. Et Dioſcorides dicat radicem habere albã, non eſt magnæ æſtimationis: quòd forſitan ipſe Dioſcorides viderit ipſam radicem trahentem ad albedinem, & ideò ſcripſerit albam. Et certè filius Meſuæ non abſolutè dicit ipſam eſſe rubram, ſed habẽs aliquid de rubedine. Vnde vel oculata fide percipimus ipſam radicem non eſſe in totum albam, nec tanta munitam rubedine, vt poſsit ipſa ſimpliciter vocari rubra, ſed aliquid tãtùm rubedinis, vt ipſe Author noſter dicit. Et quamuis Dioſcorides dicat ipſam pityuſam habere radicem albam, attamen nos in hoc potius debemus ſequi doctrinam ipſius filij Meſuę, quàm Dioſcoridis: quia in ſuis cõfectionibus, ſcilicet filij Meſuæ, ſimplicia ab ipſo deſcripta vbi petuntur, adminiſtrãda ſunt. Non obſtante quòd alij de ipſis ſimplicibus aliter ſentiant. Sic etenim & de turbith ſuperius declarato, ſic etiam & de eupatorio, de quo infrà dicemus, & ſimilibus intelligendũ. Igitur quando hæc planta vocata eſula (qua & pro eſula cõmuniter vtimur) aptè conuenit deſcriptioni dicti filij Meſuæ de ſcebram, non debemus quærere aliud. Cùm ſit ipſa vera eſula, ſiue verum ſcebrã, quod ipſe petit in præſenti & ſimilibus compoſitionibus. Lege etiam de hoc in pilulis fœtidis maioribus.

Eſulæ ſpecies.

Eſula vera.

Modus

Modus Confectionis de Eupatorio &c. LXXXVI.



AB EVPATORIO cuius succum recipit præsens confectio denominatur. Et hæc eadem confectio scribitur à filio Serapionis in 7. sui Breuiarij prope finem 16. capituli, cuius principiũ est: Alia ad ictericiam, & inceptionem hydropisis. Quæquidem in omnibus conuenit cum præsenti descriptione, præter quòd non habet succum absinthij, & variat aliqualiter in simplicium ponderibus. Sed aduerte, quòd per impresiones legitur mendose in præsenti descriptione: Cimarum squinanti, seminis citrulli &c. ana ℨ.iij. Lege verius, ana ℨ.ij. quia sic est in omnibus antiquis exemplaribus. Item in fine ipsius descriptionis habetur vnũ vocabulũ multipliciter barbarizatũ: videlicet Alcherigi, vel Alkeregi, vel Alcheligi, vel aliter & aliter, & consimilia plura veluti ridicula neq; ad significationem neq; ad sensum quidpiam facientia. In maiori parte antiquorum voluminum, in veritate non legitur, nec in primis impresionibus. Nec etiam est in filij Serapionis descriptione. Quapropter delendum censuimus. Putamus enim quòd aliquo modo errore librariorum, titulus confectionis immediatè sequentis annexus sit huic descriptioni, quæ est Alchelengi: quem titulum postea, tanquam medicinam huic necessariam nonnulli intellexerunt. Item in eo quod sequitur in ipsa descriptione, scilicet: Et si est illic caliditas, reprime cum succo solatri &c. Illud autem reprime, in bonis exemplaribus non legitur, neque in descriptione, filij Serapionis: sic enim fere omnia exemplaria habent: Et sit dosis eius aur. j. cum lacte camelarum, aut aqua casei: & si illic est caliditas, cum succo solatri, endiuiæ, & volubilis. De eupatorio sanè, quia hæc confectio communiter non habetur in vsu, non visum est nobis hîc facere declarationem. In Syrupo de eupatorio autẽ, qui vbiq; paratur, Deo fauẽte satis de eo dicetur. Succi verò, scilicet ipsius eupatorij, & absinthij qui hîc recipiuntur, debẽt prius condensari &c.

De Cuscutæ semine.

SEmen Cuscutæ (si semen dici libet) sunt illi nodi, qui inter illius capillamenta concrescunt. Sed abusiuè, nempe dicitur semen, illud quod nusquam seritur, nec etiam si seratur nascitur, vt experti sumus. Neque radices Cuscutam habere conspicimus, sed epithymi modo, super plantas, & frequentius super linum concreatur. Dicuntur autem semina nodi illi, quasi per similitu- *Cuscutæ semen.*

militudinem, non quòd in veritate sint semina. Quod enim patet expressè, non est probare necesse.

Alchelengi, & est medicamen magnũ &c. LXXXVII.



SIGNIFICATVM suum verum huius barbari vocabuli, quod est pro inscriptione præsentis confectionis, scilicet Alchelengi vel alkelengi, adhibita etiam multa diligentia, inuenire non potuimus. Filius quidem Serapionis habet in septimo duas descriptiones fere sub consimili titulo, quæ etiã in pluribus conueniunt cum ista filij Mesuæ: quarum principia sunt hæc: Primæ videlicet, Confectio Inda, quæ nominatur Kelkelenici. Secundæ autẽ: Descriptio alia likelkelengi. Putamus autem & textum filij Serapionis etiam esse deprauatum, in præfata dictione kelkelenici, & rectius legendum kelkelengi. Easdem confectiones habet & Auicenna in v.cañ. Quarum initia sunt: Alkelkelengi magnum, & Alkelkelengi minus. Hali filius Abbas quoque, capitulo 7. decimi libri practicæ habet duas confectiones, quæ videntur eædem esse: quarũ tituli sunt: Caquelenegum magnũ, & est electuariũ Indicum. Caquelenegũ minus, vtile quibus & magnum. Omnes autem præfatorum Authorum, in multis ab ista filij Mesuæ discordant. Veruntamen plurimam habent inter se affinitatem. Quid autem significet kelkelengi, siue alchelengi (vt diximus) nescitur. Coniectamus autem denotare quod sequitur, scilicet quòd est medicamen magnum, multorum iuuamentorum expertorum &c. quodquidem putamus hîc additum ab Authore, seu ab interprete, tanquam glossema dicti vocabuli alchelengi. Aduerte etiam, quòd in aliquibus impressionibus, non alchelengi, sed alkekengi, magis deprauatè legitur. Oporteret nanque illum prius linguas Arabicam, Chaldaicam, Aegyptiacam, Hebraicam, Indicam, Græcã simul & Latinam, & alias plures, atque idiomata multa perfectè callere, qui vult post illos rectè huiusmodi vocabula interpretari. Et licet ipsa confectio non habeatur in vsu, attamen est nobilis compositio. Et si quis vult ea vti, animaduertat quòd in libris de parua impressione, & in Nicolao Præposito, mendosè habetur: Agarici 3.xx. Lege rectius 3.x. quia sic est non solùm in cunctis exemplaribus manuscriptis quæ vidimus, sed etiã & in multis impressionibus. Item quòd in cunctis impressionibus falsò legitur, trochiscorum de rheubarbaro, in antiquis libris absolutè legitur, rheubarbari.

Quapro

Quapropter non trochisci de rheubarbaro, sed ipsum rheubarbarum purum & electum, est intelligendum in præsenti descriptione. Item sciat, quòd in Nicolai Præpositi descriptione, desunt trochisci diarhodon, & trochisci de eupatorio, qui vniuersaliter in cæteris libris habētur. Sunt præterea per impressiones in præsenti descriptione aliquæ clausulæ transpositæ, quas simpliciter, & rectè in ipsa receptarij descriptione posuimus.

De Volubili.

AVthor noster in suo de Simplicibus, capitulo de volubili, quinque ipsius species enumerat. Quæ autem ipsarum in præsenti cōfectione sit ponenda, ab ipso nō declaratur. Nonnulli etenim iuniorū, vt Manardus & cæteri in præsenti descriptione, & in confectione de eupatorio supradicta, dicunt esse intelligendū Lupum salictariū, quem lupulū vocamus, quemq; Author noster pro quarta specie descripsit, cuius planta notissima est. Alij autem, vt Christophorus de Honestis & cæteri, & forsan melius, declarant esse volubilem magnam quæ à nostro Authore, funis arborum nōminatur, & ab Auicēna funis pauperum dicitur. Quia cùm ipse Author non specificatè his in locis scripserit, & volubilium plures (vt diximus) ab ipso notentur species, illa nimirum ex omnibus accipienda est, quæ ab ipso Authore magis laudatur. Nam vt patet per ipsum in præfato capitulo, funis arborum, siue pauperum, id est volubilis magna est cæteris melior. Et ex hoc etiam cunctis præposuit illam potius quàm lupulum, quasi declarans quòd per volubilem absolutè intelligit illam magnam, & non lupulum. Lupulum autem, vel scammoneā, cùm ipse quærit, semper specificatè scribit. Ergo per volubilem absolutè, non lupulus, sed illa quæ antonomasticè appellatur volubilis, scilicet magna intelligitur. Veruntamen tam hoc quàm cuncta quæ scribimus, iudicio prudentiorum summittimus. Et nota quòd hîc & in confectione de eupatorio, & similibus, succus foliorum intelligitur, & non radicis. Quinque autē ipsæ volubiliū species, non omnibus notæ sunt. Apud nos quidē nec illa planta, ex qua colligitur scāmonea, nec illa quæ habet folia subalbida & lanuginosa cognoscitur. Reliquæ tres notissimæ sunt, scilicet volubilis maior, & volubilis minor, & lupulus. Multas enim ab his diuersas plantas videmus, quæ volubiliū modo cōcrescūt. Et licet nō scribātur ab eo, tamē in genere volubiliū possunt cōnumerari. Et presertim illæ, quibus ad decorē vtūtur homines,

Lupus salictarius.

Funis arborum.

Funis pauperum.

Volubilis absolutè.

Volubilis quinque species.

mines, opere topiario in viridarijs, & domorum fenestris: vt est Balsamina, siue Momordica vulgò dicta: & illa planta, quæ habet folia similia folijs smilacis hortensis, id est faseoli varij: & habet florem simillimum flori volubilis magnæ, sed est cœlestis coloris, & non ita magnus: facitque semen nigrum triangulum &c. Quamquidem plantam Bellunensis in suis interpretationibus volubilem vocat, cuiusque semen dicit esse granum nil. Inquit enim: Granum nil est semen nigrum repertum in planta volubili, cuius flos habet colorem azurum, & figuram campanellæ similem, tendentem ad longitudinem aliquam. Et huiusmodi planta non est herba ex qua nil, seu Indicum conficitur, sed est species volubilis nota: & semen huius plantæ in Oriente administratur ad euacuandum humores grossos, phlegmaticos, & melancholicos, sicut dicit Auicenna secundo canone. Vsme verò, quod est folium nil de quo dictum est suprà, est folium herbæ, ex qua exprimitur succus, qui exiccatus dicitur nil, seu Indicum. Et granum nil, quod administratur ab Auicenna in cura vermium, non est Indicum (sicut quidam putant) sed est semen repertum in planta volubili supradicta. Hæc Bellunensis. In quibus patet, quòd differt granum nil, à nil, quod est Indicum. Et similiter plantæ plures, quæ passim conspiciuntur. Inter quas etiam possumus annumerare quandam plantam, quæ nouiter nobis ex Indijs nuper inuentis allata est. Cui equidem à similitudine foliorum, quam habet cum blito: Blitum topiarium nomen imposuimus. Quoniam absque nomine, habuimus ipsam. Folia (vt diximus) vt beta, siue blitum (quod idem est) habet. Sed sunt valdè rubra, propriè vt beta rubra. Caules enim plures emittit pollicari crassitudine, teretes, coccineos, siue rubros, quindecim cubitorum longitudine, & amplius altos: vt in nostro Aræcœli conuentu vidimus. Semen producit in racemulis coriandro noto simile, obnigrum &c. Sapore & odore etiam æmulatur blitum: quid autem propriè sit, nescimus. Insuper nota, quòd succi omnes qui indigent purgatione, post ipsam purgationem ponderandi sunt. Et generaliter quidem omnia, quæ depurari siue purgari habent, prius (si fieri potest) depuranda siue purganda sunt, & postea poderanda siue commensuranda: quia pars proijcienda, non debet ponderari cum conficienda.

Nil.

Vsme.

Granũ nil.

Succorũ põderatiõ.

Confe

Confectio electuarij Diacytoniten, &c. LXXXVIII.



HABET Author noster in hac prima sui grabadin parte, tres varias de cytonijs cōpositiones, sub confectionis nomine, præter cytonia condita, & niuas. Ex quibus ista præsens tātummodo est solutiua, vt quæ & huic tertiæ distinctioni finem imponit. Habet & Auicenna in quinto cañ. electuaria Diacytoniten solutiua plura. Similiter & Hali abbas in decimo practicæ, habet vnum electuariū diacytoniten laxatiuum. Sed nullum ipsorū conuenit cum præsenti descriptione. Filius Serapionis autem in septimo sui Breuiarij, capitulo 16. habet tres descriptiones electuarij diacytoniten solutiui, quarum prima incipit: Medicina alia solutiua bona: Recipe aquæ cytoniorum &c. est istamet confectio. Non obstante quòd in quibusdam discordet ab ista, propterea quòd (vt arbitramur) ipse Author noster accipiens à filio Serapionis, addiderit aliqua & aliqua permutauerit, vt melius sibi visum fuit. Sed animaduertendum, quòd præsens filij Mesuæ descriptio, vitio librariorum in aliquibus locis maxime deprauata est. Et primo in ana vbi legitur: Galliæ bonæ, gariofilorum &c. aliqui libri habent piperis nigri & longi, aliqui loco cinnamomi habent cardamoni, aliqui habent vtrunq;, aliqui loco masticis habent macis, aliqui neutrum habent, nonnulli etiam habent agaricū, & alij alia. Verior autē descriptio ex omnibus, hæc est: Galliæ bonæ, caryofyllorū, zinziberis, masticis, piperis longi, cinnamomi, nucis muscatæ, ana ʒ.iij. Item, vbi legitur: Si autē volueris vt solutione educat choleram, & phlegma, ponantur in medicamine scāmoneæ ʒ.v. turbith ʒ.xij. lege xij.s. quia sic est in cunctis exēplaribus quæ vidimus. Item sciendū, quòd vbi legitur: Carthami excorticati pondus scāmoneæ. refertur illud ad prius & principalius pondus ipsius scammoneæ, scilicet ad ℥.j.s. & nō ad quinq; drachmas, vt nonnulli volunt. Quia stante priori descriptione, si quis velit vt ipsum electuarium educat solum phlegma, non oportet considerare alias clausulas additas, sed abiecta scammonea, cuius pondus est ℥.j.s. loco ipsius debet substituere ℥.j.s. carthami excorticati, & addere ipsi confectioni turbith boni ʒ.xxv. Probatur etiam per filium Serapionis, in cuius descriptione non habetur illa particula: si volueris vt solutione educat choleram & phlegma. sed immediatè habet, quòd si vis vt euacuet phlegma, tunc permisce cum ea loco scammoneæ car-

Diacytonitē solutiuum.

thami excorticati excorticibus suis,contriti, pondus scammoneæ &c.Ergo refertur ad prius pondus scāmoneæ.Ergo in ista particula,scilicet solius phlegmatis euacuandi, intelligitur carthami excorticati pondus ℥.j.s.& non ʒ.v.Item in fine descriptionis habetur per omnes impressos libros:Et aliquando cum carnibus tantùm.Quæ clausula in nullo penitus antiquorū voluminum(quæ vidimus) legitur. Est enim additio superflua alicuius imperiti,nec debet seruari.Cassetur igitur, vt veritas habeat locum suum. Nam cum carnibus tantùm sunt cytonia condita: quorum descriptio habetur infrà.

De Melle tabarzet.

MEl tabarzed siue tabarzet, vtroq; enim modo legitur,vt omnes testantur,est mel album. Sic etiam zuccharum tabarzet,significat zuccharū album: & penidiæ tabarzet, sunt penidiæ albæ,quæ recipiuntur in suffuf albarmak Auicennæ.Attamen secundum veriorem sensum,Tabarzet potius significat bonum,seu electum,quàm albū.Quod probatur per supradictum filium Serapionis,videlicet quòd eo in loco,vbi Author noster habet mel tabarzet,ipse habet mel bonum, Sed quia generaliter mel album,seu zuccharum album,est ex melioribus:idcirco pro tabarzet,quod significat bonū,intelligitur album. Nō obstante quod Bellunensis in suis interpretationibus dicat, mel tabarzet secundum Arabes esse zuccharum dissolutum quod remansit liquidum in vase in quo factum fuit zuccharum tabarzet. Quia hoc in loco, vt patet per supradictum filij Serapionis textum, significat bonum:& penidię tabarzet,non sunt zuccharum dissolutum,sed penidiæ bonæ.&c. Quamobrem non contradicit, si mel non sit album,dummodo sit bonum,& optimum mel.Optima enim conditio mellis non consistit in albedine, imò quod tendit ad citrinitatem,& propriè ad colorem palearum maximè laudatur,teste ipso Authore nostro in sermone de aqua mellis. Et Dioscorides laudat illud mel,quod habet colorem subflauum,siue subrutilum.Et Plinius,quod est coloris aurei,&c.Vnde putamus de albedine non multùm esse curandum. Igitur pro melle tabarzet accipiatur bonum,& electum,siue sit album siue non.Sed lapis tabarzet, siue tabarzet,siue tabarged(vt in Simone Ianuensi & Pandectario legitur)est smaragdus. De quo quære in electuario de gemmis.

Tabarzet.

Zuccharū tabarzet.

Mel tabarzet.

Lapis tabarzet.

De

De Galia, siue Gallia.

GAllIæ quidem sunt confectiones, de quibus infrà. Sed quando absolutè scribitur (vt in præsenti confectione, & similibus) semper de musata intelligitur. Quamobrem lege in gallia muscata. *Gallia absolutè.*

DISTINCTIO QVARTA, *quæ est de cōditis &c.* XC.



IN hac quarta distinctione, quæ de condîtis est, sunt aliqua pauca, sed vtilia corrigenda & declaranda. Et primo,

Chebuli condîti &c. XC.

Emblici condîti &c. XCI.



NOTANDVM quòd his modis, quibus humectantur & condiuntur chebuli & emblici, possunt & citrini, & reliquæ Myrobalanorum species humectari & condîri, si quis eis opus habuerit. Sed sciendum quòd emblici condiendi debent esse integri, teste filio Serapionis, qui capitulo de condîtis dicit: Eligantur ex emblicis sublimibus qui non sunt fracti, &c. Item, vbi legitur in fine huius descriptionis de emblicis condîtis: Quidam verò etiam supercondiunt cum speciebus aromaticis, sicut est cinnamomum, & gallia, & cardamomum, & crocus, & muscus, & similia. est animaduertendum quòd Author non dicit, quòd quilibet supercondiunt cum omnibus his speciebus aromaticis prędictis, & similibus: sed quòd quidam supercondiunt cum cinnamomo, quidam cum gallia, quidam cum croco, quidam cum musco, & quidam cum duobus vel tribus ex prædictis, vel similibus: & quidam sic, & quidam aliter, secundum necessitatis exigentiam, seu gustus lasciuiam. Et hic est verus sensus. Quia si quis condierit cum gallia, quæ absolutè intelligitur muscata, non erit illi opus apponere & muscum. Et sic de alijs, quæ conueniunt inter se. Non obstante quòd si quis voluerit condire cum gallia, & placuerit eidem addere nō solùm muscum, sed & species diamusci, & alia diuersa pro sui gustus appetitu, & pro suis ægris duntaxat, possit facere & hoc, & aliud. Tamen pro cæteris indifferenter, nec cum omnibus, nec cum aliquibus ex prædictis speciebus nullus parare præsumat. Quoniam gustus hominum non sunt æquales, & multoties quod vni placet, alteri displicet &c.

Cytonia condîta &c. XCII.



DVERTANT simplices & minus periti aromatarij, quòd vbi legitur in præsenti descriptione: Et sepeliantur cum iuleb. intelligitur, quòd iuleb debet esse tantæ quantitatis, quòd cooperiat ipsa cytonia. Et nota, quòd hîc, & in citris cōdîtis (scilicet in ipsorum citrorum decoctione: quia postea debent condîri ipsa citria cum iuleb rosato) & in similibus, iuleb debet fieri cum aqua simplici, nisi medicus, seu alius quispiam præceperit esse faciendum pro suo, suorumq; vsu duntaxat, cum aqua rosacea, vel violacea, vel cum infusione alicuius rei, &c.

De Cytonijs.

QVamuis Author in distinctione de syrupis, scilicet in modo condîti de buglossa ponat tria cytoniorum genera, attamen Romæ duo tantùm habentur. Quid autem sit tertium genus cytoniorum, in dicto condîto de buglossa declarabimus. Duorum autem generum cytoniorum, quæ apud nos nota sunt, vnum quidem facit poma depressa, ita quòd à pediculo ad partem supremam quondam floris, tanquam à polo ad polum per locum centri, rarò supra pollicis grossitiem habet spatium, in quo semina concreantur. Et huiusmodi cytonia sunt minus odorifera, quàm illa alterius generis, sed sunt multùm stiptica: & per antonomasiam vocantur cytonia, siue cydonia simpliciter. Et ista etiam sunt, quæ particulari nomine dicuntur struthea. Arbor alterius generis, in omnibus est similis antedictæ, sed differt in hoc quòd fructus istius non sunt ita depressi, sed sunt longiores, & odoratiores, & maiores, & minus stiptici. Qui fructus communiter vulgò vocantur pyra cytonia. Sed quando Author petit absolutè cytonia, semper de supradictis intelligit. Et maximè quando conficit aliquod electuarium ad stipticandum: quia ad id faciēdum ipsa sunt meliora, efficacioraq;. In defectu tamen vnius, alterum est substituendum. Pro illis autem qui nō stipticandi causa, sed pro gustus delectatione suscipiunt, possunt ista dicta pyra cytonia administrari: quia sunt gustui suauiora supradictis. Præterea aduertendum, quòd quando præparantur cytonia ad stipticandum, teste Serapione, non debent esse matura, sed in principio maturationis tantùm: quia (vt ipse refert) matura nō sunt stiptica. Sed non est intelligendum, quòd omnino matura non sint stiptica, sed quòd non sunt tantum stiptica,

Cytoniorū species.

Cydonia struthea.

Pyra cytonia.

Cydonia absolutè.

ptica, quãtum immatura. Ita quòd matura reſpectu acerborum poſſunt largo modo dici non ſtiptica. Et vt dictus Serapio ait, vſus plurimus cytoniorum eſt malus: quia faciunt accelerare deſcenſionem cibi ante digeſtionem eius. Sed hoc intelligitur de illis hominibus qui non ſumunt cytonia ante cibum ad ſtiptican dum, ſed ſumunt poſt cibum & potum, ad prohibendam ebrietatem, & ad lubricam aluum faciendam. Quia Cytonia, Sorba, & nonnulla alia mâla, de natura ſui ante cibum ſumpta ſtipticant: pôſt cibum verò accelerant digeſtionem, & expellunt feces. Ita quòd multoties ſi nimis ex eis ſumatur, cibum indigeſtum faciũt per ſeceſſum emittere. Et hoc ſimiliter Auicenna teſtatur. Aiunt etiam Serapio, & Auicenna, quòd cytonia ſumpta poſt potum vini, prohibent fumoſitates vini aſcendere ad caput. Vnde per conſequens prohibent ebrietatem. Sed ſumenda ſunt in parua, ac diſcreta quantitate. Lege etiam de cytonio in condîto bugloſſæ. *Cytoniorũ vſus.*

Pyra condita &c. XCIII.
Poma condita &c. XCIIII.
Perſica condita &c. XCV.



IN his equidem non eſt dubiũ. Condiuntur ſicut cytonia, quo etiam modo ſimilia multa poſſunt cõdiri: vt chryſomella, ſiue præcoqua, &c. Et tam cum zuccharo, quàm cum melle, quàm etiam cum muſto cocto, & ſimilibus. Et poſſunt aromatizari cum muſco, ſeu alijs ſpeciebus aromaticis, ad libitũ inſtituentis.

Citra condita &c. XCVI.



SVPRA, ſcilicet in confectione electuarij Alharif declarauimus Nabeth ſignificare zuccharum candum. Vult autem Author, vt multùm coquatur iuleb, pro huiuſmodi & ſimilibus, vt poſtea ſemifrigidum quando componitur inter laminas citri, non fluat totaliter: ſed permaneat, & indureſcat, ſeu candicet: alioqui vana eſſet eius deſcriptio, cùm dicit: Ita quòd vna ſuperficies ſit laminarum citri, & alia iuleb. Quia ſi illud zuccharum iulebatum non erit perfectè decoctum, quemadmodum coquitur zuccharum vt candicet, non ſtabit inter citri laminas, ſed fluet vndique, & pondus laminarum faceret vnam alteri adhærere in fundo vaſis. Etiam ſi dictum iuleb erit aquoſum, ſeu lente decoctum, non erit neceſſe in vas vicif-

ſum componere citri laminas, & ipſum iuleb. Sed prius componere laminas citri,& poſtea ſuper infundere ipſum iuleb, ſicut fit in multis alijs conditis. Quodquidem ſecus erit,ſi dictum iuleb perfectè decoctum fuerit. Præterea ſciendum quòd communiter hodierni aromatarij non præparant ipſas citriorum laminas in lixiuio,ſicut Author præcipit,ſed in aqua pura,& clara,& optime præparantur. Enimuero noſtri æui aromatarios,in modis diuerſa condiendi antiquioribus peritiores ac induſtriores, politiores q; eſſe fatemur. Nam multa tam ex zuccharo quàm ex melle ad gulæ petulantiam condîta ſuauiora,& viſui delectabiliora fiunt hodie,quæ iudicantur non meliora poſſe fieri. Curiales nempe, & magnates Romæ degentes, melius quàm nos huiuſce rei ſciunt reddere rationem,quia libenter & non raró,talibus delicatis veſcuntur bolis. Demum non ignorandum, quòd ponit Author in diſtinctione de ſyrupis,duo alia citrinorũ condîta,quæ Deo fauente,in ipſa diſtinctione locis ſuis declarabimus. Quia non ſunt ſimpliciter condîta,ſed ſyrupi ſub tali nomenclatura.

Secacul condîtum &c. XCVII



DE Secacul quidẽ ſatis ſuprà in Diaſatyrione pertractauimus. Nunc autem reſtat declarare, qualiter ſit intelligendũ illud quod legitur in fine præſentis deſcriptionis, videlicet: Proijciantur ſuper illud ſpecierum aleſanginæ partes conuenientes. Notadum igitur quod in pluribus deſcriptionibus compoſitorum ipſius filij Meſuę,reperitur aliquo modo partium conuenientia,vt eſt in præſenti deſcriptione,& in confectione de mãna, & in lohoc de ſquilla,& ſimilibus. Quibus in locis,non ſemper vno & eodem modo eſt intelligenda. Quia aliter debet intelligi in pręſenti deſcriptione,& aliter in lohoc de ſquilla,& ſimilibus, vt mox patebit. Nam clarum eſt,quòd in citato lohoc de ſquilla vbi Author dicit: Recipe ſucci ſquillæ & mellis deſpumati partes conuenientes. intelligitur illa partiũ conuenientia,quod debent eſſe ipſæ partes,ſcilicet ſucci ſquillæ & mellis æquali põdere ſeu menſura. Quod probatur non ſolum per ipſum Authorem capitulo de tuſsi humida,vbi deſcribens idem lohoc,ait: Recipe ſucci ſquillæ,& mellis ana. Sed etiam probatur per filium Serapionis,capitulo 21. ſeptimi ſui Breuiarij, in quo etiã deſcribens idẽ lohoc,quod vocat lohoc de cæpa ſquillæ,dicit: Sumatur ſuccus

cus squillæ & mel æquali mẽsura. Similiter in præfata confectione de mãna, vbi Author dixit: Dissoluatur manna cum succo rosarum rubrarum, & sit succi quantitas conueniens. addit postea declarationem dicens: Circiter libram vnam. quam quidem declarationem, pro simplicioribus & minus peritis posuit: pro peritioribus autem (quibus satis erat dicere, & sit succi quantitas conueniẽs) non oportebat. Peritus enim aromatarius potius discretione quàm lance mensurat res atq; librat. Et sicut necessitas docet, plus vel minus, subministrat de rebus competentibus sine aliqua disconuenientia. Et ideò Author non absolutè dixit librã vnam, sed circiter librã vnam. Sed illud quod ex authoritate Galeni subiunxit Author in fine ipsius mannæ confectionis, scilicet: Est enim composita ex partibus conuenientibus complexione & proprietate. non oportet aromatarium scire. Est enim medici intelligere atque cognoscere conuenientiam cõplexionumdi & proprietatum, tam medicinarum quàm corporum infirmorum. Et vt sibi videtur magis expediens, debet instituere atque ordinare pharmaca. Aromatarius autem communiter in omnibus habet mediocritatem seruare, videlicet vt ipsę medicinæ non sint ita fortes, vt suscipientes eas in aliquod periculum inducant, nec ita debiles vt nihil operentur. Et hoc dicitur pro illis rebus, in quibus non specificatè est assignatum pondus vel mensura. Vt exẽpli gratia, pluries legitur: Mel quod sufficit. Aromatiza cum musco. Olei quantitate conuenienti, & consimilia multa. Et maximè sicut habetur in præsentis secacul conditi descriptione, ob cuius bonam declarationẽ hæc dicta præmisimus. Igitur in ista descriptione, vbi Author dicit: Proijciãtur super illud specierũ alephanginarum, siue alefanginæ partes conuenientes. non intelligit ipse Author quòd cõuenientia istarum partium specierum, ratione quantitatis ponderis, seu mensuræ, referatur ad secacul, aut ad mel, & zuccharũ, vt est in præcitato lohoc de squilla. Exempli gratia, quòd si secacul sint libræ ij. proijciendæ erũt super illud dictarum specierum etiam libræ ij. vt ipsæ partes sint conuenientes. Quod quidem absurdum est, atque erroneum & credere & cogitare. A fortiori autem, discõuenientius esset si quis forsan velit, vt eadem conuenientia, scilicet ratione quantitatis, referatur ad mel & zuccharũ. Cõuenientia igitur, quam quærit Author in hac descriptione, in virtute & acuitate specierũ prædictarum consistit, videlicet in aromatizando ipsum secacul, scilicet quòd quantitas conueniens ipsarum specierum debet esse

Aromatizãdi modus.

tanta, quãta discretè competit aromatizationi ipsius secacul, ita quòd ipsum secacul sit bene aromatizatũ. Sicut, exempli gratia, cibaria condiuntur sale. Et ponitur salis in vnoquoque edulio, quantum est conueniens, ratione salsedinis & saporis, & non ratione quantitatis, vel mensuræ. Vnde quando Author in præsenti descriptione, & similibus, dicit: Proijciantur super illud specierum, vel similium, partes conuenientes seu cõpetentes. intelligit, quòd tu debes aromatizare illud cum tanta quantitate ipsarum specierum, quãta (vt dictum est) competit ipsius aromatizationi, ita quòd non sit multũ neq; parum. verbi gratia: Si tu aromatizas aliquod compositum cum speciebus acutis & fortibus minus debes de ipsis ponere, quàm poneres de dulcioribus & mitibus &c. Et sic est secundum veram Authoris intentionem, & meram literæ declarationem. Et ideò quandocunque reperitur aliqua huiusmodi, vel consimilis clausula, est bene perscrutandum & intelligendum, de qua conuenientia Author eo in loco loquatur, vt postea compositio ipsa sit rectè ordinata, & dispensata, ac de Authoris proprij mente parata.

Zinziber conditum &c. XCVIII.



DVO etenim in præsenti descriptione notanda sunt. Primum est vnum mendum, quod generaliter habetur per omnes impresiones, videlicet vbi legitur: Et quidam accipiunt secacul, & zinziberis humectati, ana partem j. & fit, &c. Lege rectius (vt est in exemplaribus antiquis) ana partem s. Et sic est verum. Huiusmodi quidem error studiosis lectoribus non est occultus. Quia si Author in vna parte ipsius zinziberis, puta in vna libra, posuit mellis libras iij. & zucchari libram vnã: in duabus autem partibus, id est in duabus libris, quæ sunt vna secacul, & altera zinziberis, posuisset vj. ℔. mellis, & zucchari ij. quia aliter esset disproportionata compositio ponere tantum mellis & zucchari in duabus partibus ipsarum radicum, quantum in vna. Igitur rectè legendum est: Secacul & zinziberis humectati, ana partem s. Et sic ex vtraq; media parte, scilicet zinziberis & secacul, resultat vna pars integra, quę (vt Author pręcipit) cum tribus mellis & vna zucchari partibus confici debet. Secundum notandum est quòd Author in fine ipsius descriptionis docet nos cognoscere qualitates & notas boni zinziberis, dicens: Et sit zinziber album & mundum, & recens. Dicit autem album, ad differentiam illius

Zinziberis boni notæ

quod

quod videtur esse rubei coloris:quod quidem nō est purum,sed tinctum cum quodam bolo,non Armeno(vt dicūt) atq; vtinam esset,quoniā inde minus malum proueniret:sed cum bolo Apuliæ,seu alterius loci nostræ regionis. Tingunt autem ipsum,non vt bonificetur,sed vt sit magis ponderosum,& vt impleantur foramina vermiculorum,ne videatur perforatum,& non recens. Excusantes enim malitiam dicūt,quòd ad meliorem ipsius conseruationem hoc faciunt. Attamen nos experti sumus,quòd ita corroditur à tineis tinctum,sicut & non tinctum. Primum nempe zinziber est album,& quod quærit Author in præsenti & sequenti descriptionibus,& alijs locis. Vnde sequitur,quòd tinctū siue rubrum & non album zinziber, non est admittendū ad medicinæ vsum. Mundum autem posuit Author,vt radatur cortex eius,eo modo quo in Secacul condīto, dixit fieri in radicibus ipsius secacul. Recens autem cùm scripsit,dupliciter intellexit, scilicet strictè & largè:strictè quidem intellexit virés,quod aliàs iam dixerat accipiendum si haberi potest. Largè autem intellexit recens, omne illud quod non est corrosum à vermibus, quæ quidem vermium corrosio,in qualibet re est patēs & manifestū signum alicuius vetustatis. Igitur recens,id est non putre, seu à vermibus corrosum.

Confectio de Zinzibere &c. XCIX.



EST nempe in descriptione præsentis confectionis de zinzibere,vniuersaliter per omnes impressiones,vnus error valde notabilis. Videlicet vbi legitur: Aquæ infusionis zucchari quātum sufficit. O magnum dedecus! O ignorantia crassa aromatariorum (nolumus dicere & medicorum) legere & audire tales & cōsimiles patentes errores in libris medicinæ,& non corrigere neque intelligere! Quæ temeritas est ista,quærere zucchari infusionem? Quo authore scribitur zuccharum aut mel,aut rob, aut simile infusum? Et posito casu quòd posset fieri,ad quid prosequens Author dicit: Distemperetur zuccharum cum aqua & melle dictis,& coquatur vsque dum sufficit? Verecundamur certè in his nugis prolōgare sermonem,& tamē est necessariū. Non enim quærit Author aquam infusionis zucchari,quam nūquam in mente habuit,sed quærit infusionem zinziberis. Talis nanq; error, cum alijs pluribus,à minus peritis librarijs (vt credimus) originem traxit. Qui in exemplaribus,è quibus transsumebant,

inuenientes dictionem illã abreuiatam, sic ʒʒ. (vt in quibusdam nos legimus) falsò arbitrati sunt significare zuccharũ. Quæ quidem abbreuiatura, non solùm in antiquis exemplaribus, verùm etiam & in excusis libris passim legitur, & semper pro zinzibere posita. Etenim in dictione zucchari, non sunt duo zz, vt exinde possit illa abbreuiatura significare zuccharũ. Veruntamen in rei veritate, adhuc plura extat exẽplaria, quæ nõ abbreuiate, sed per literas planè habent scriptũ: Aquæ infusionis zinziberis, &c. Et similiter legimus impressum in Nicolao Præposito, & est in litera D, post Diazinziberis domini Nicolai. Vnde &c.

Baucia condita &c. C.

Acorus conditus &c. CI.


N Diasatyrione, & in triphera muscata de Baucia satis dictum est, propterea quære ibi. Acorus tam masculini, quàm fœmini, & Acarum neutri generis legitur apud diuersos Authores. Lege de eo in Dia omorusia.

Zuccharum rosatum &c. CII.


NOTANDA nobis videtur in huius zucchari rosati descriptione quædam communis aromatariorum abusio in parãdo ipsum. Videlicet, quòd accipiunt rosarum flores in principio apertionũ suarum, & vixdum partẽ aliquam suæ rubedinis præferentes. Non attendẽtes, quò dicit author: Et sint rosæ habẽtes medietatem inter completionem & acerbitatem. Quapropter non bene agunt, quia debent esse ipsi flores proprie mediocritatem habẽtes sic, quod non sint ita clausi & acerbi, quòd careãt odore: nec ita aperti & maturi, quòd videantur illi pili crocei qui sunt in medio rosæ. Non obstante, quòd potest etiam particulariter fieri zuccharum rosatum ex ipsis rosarũ floribus clausis, scilicet quando incipiunt erumpere & aperire calices suos, & videtur aliquid de rubedine foliorum ad magis stipticandum, vt ipse Author scribit, dicens: Et quidam faciunt illud cum rosis non habentibus aliquid de cõpletione, & inuenitur magis stipticum. Sed tale zuccharum nõ est dandum omnibus indifferẽter, sed illis duntaxat, quibus conuenit stipticatio, & cõstipatio ventris. Et quanto magis ipsi flores sunt clausi siue immaturi, tantò magis zuccharum factum ex ipsis fit stipticum, & ecõtrà. Igitur hoc in loco & similibus, flores rosarum debent esse semiaperti,

Rosati sacchari modi & proprietates.

& me

& medium ſtatum ipſorum tenentes. In confectione galliæ ſebel liæ autem (vt infrà dicemus) & conſimilibus locis, debent habere principium tantùm. In oleo roſato verò & ſimilibus locis in quibus roſæ completæ petuntur, debent habere finem apertionis ipſorum florum. Sunt præterea & alij modi faciendi zuccharum roſatum, vt eſt cum zuccharo ſyrupizato, &c. vel (vt Neapolitani vtuntur) cum ſucco roſarum ſine folijs, quod licet ſit delicatius ad comedendum, neſcimus tamen, an ſit melius pro infirmis.

Zuccharum uiolatum &c. CIII.

Zuccharum bugloſſatum &c. CIIII.

DESCRIPTIONES iſtæ ſunt claræ, hoc tamē notandū in zuccharo violato, quòd cùm dicit Author: Indigent tamen violæ expanſione longiori, monet nos debere expandere violas ipſas ſuper tabulas, & permittere eas deſiccari longiori temporis ſpatio, quàm roſas: ob id, quia violæ ſunt roſis humidiores. Oportet ergo vt ipſe violæ ſint ſemiſiccæ, antequam zuccharo immiſceantur. Flores etiam bugloſſæ, vt violæ deſiccandi ſunt, quia Author in eius deſcriptione, dicit: Et modus eius eſt ſicut zuccharum violatum. Non enim dixit roſatū, vt fecit in zuccharo violato & zuccharo alchilil, ſed dixit violatū, pro illa clauſula, quæ particulariter eſt pro violis poſita, ſcilicet quòd ipſæ violæ indigent expanſione longiori.

Zuccharum Alchilil &c. CV.

NON enim zuccharum Alchilil eſt zuccharū boraginatum, vt dicit Chriſtophorus de Honeſtis. Et licet Alchilil, Alchilkil, & conſimilia multa à diuerſis diuerſimode exponantur, vt in cōfectione Alcanzi diximus, veruntamen hoc in loco alchilil, & ſimiliter in melle alchilil infrà, pro floribus roris marini intelligendum eſt. Et in hoc concordant Manardus, & Luminare Maius, & etiam Pandectarius in litera kinkil, & alij plures. Nuſquam enim legimus boraginem fugare ventoſitates, vt in iſta deſcriptione habetur. Quamobrem alchilil non poteſt hîc ſignificare boraginem. Præterea ſunt nonnulli obijcientes, quod apud filium Meſuæ nō reperitur alius zuccharum boraginatū, ergo zuccharū alchilil eſt illud. Ad hāc obiectionē, prius negādo conſequentiam, reſpondemus, quòd filius Meſuæ non omnia, ſed tātummodo aliqua magis neceſſaria deſcripſit.

Quod

Quodquidem probatur per ipſum Authorem in præfatione ſequentis diſtinctionis, vbi teſtatur ſe nõ omnia, ſed tantùm famoſiora ſcripſiſſe. Quod indubiè de ſingulis diſtinctionibus poteſt intelligi. Quapropter cum ſcripſerit zuccharum bugloſſatum, tanquam non multum neceſſarium, dimiſit boraginatum, quia zuccharum bugloſſatum habet eaſdem virtutes, & eſt efficacius boraginato in omnibus. Et ideò conſequentia ſupradicta nihil valet, quia cùm plura dimiſerit, idem de vnoquoq; dimiſſo poteſt ci, quod ipſi dicunt de zuccharo boraginato. Vt exempli gratia: Author ipſe non ſcripſit zuccharum maluatũ, ergo zuccharum alchilil eſt zuccharum maluatum. Et ſic de ſingulis, quæ omnia ſunt dubia &c. De achilil autem, & conſimilibus, lege in dicta confectione Alcanzi.

Mel roſatum &c. CVI.



TRIPLICEM modum parandi mel roſatum docet nos Author in præſenti deſcriptione. Primus igitur modus eſt, ex folijs roſarum & melle. Secundus verò, ſine folijs, ex ſucco ipſorum foliorũ tantùm, & melle. Et hic ſecundus modus poteſt connumerari inter ſyrupos ſimplices. Tertius autem ex folijs, & ſucco inſimul, & melle. Veruntamen ſciendum quòd in huius tertij modi deſcriptione, per omnes impreſsiones, ſunt duo mẽda. Primum videlicet vbi legitur: Et ſunt qui ponunt foliorũ partem j.s. Legẽdum eſt rectius: Foliorum partem j. quia illa media pars à librarijs addita eſt deſcriptioni. Aliud mẽdum eſt vbi legitur: Mellis partes ij. Eſt enim hæc lectio diminuta in vna parte. Verius ergo legendum eſt: Mellis partes iij. quia ſic eſt ſecũdum veritatem. Sic enim legitur in exemplaribus antiquis. Et ſunt qui ponunt foliorum partem j. ſucci partem j. s. mellis partes iij. Errores nanque dicti, peritis viris manifeſti ſunt. Quia ſi Author in primo modo, pro qualibet foliorum parte, poſuit mellis partes iij. hîc ergo pro vna parte & ſemis ipſorum foliorum, malè poſuiſſet mellis partes ij. Vbi ſecundum primam regulam, quatuor partes cum dimidia conueniunt. Et non putet quis quia recipit ſuccũ, ideò minus debet de melle recipere: quia & hoc eſſet falſum. Imò ecõtrà, propter ſucci vigorem debet ſiue poteſt plus de melle ſuſcipere &c. Etenim ſuccus conſumendus eſt totus in melle prius, poſt cuius conſumptionem mel ipſum miſcendum eſt cum folijs roſarum dictis.

Mel

Mel uiolatum &c. CVII.

Mel buglossatum &c. CVIII.

Mel Alchilil &c. CIX.



N ISTIS nempe descriptionibus non est dubium. Mel alchilil autem est mel de floribus roris marini. Sed notandum quòd præter præfata cōdîta, de consimili multa alia, atque diuersa possunt condiri: videlicet & flores, & folia, & fructus, & radices, & similia.

DISTINCTIO QVINTA.

Quinta distinctio est de speciebus lohoc, de quibus &c. CX.



VIVSMODI confectiones viscosę seu mucilaginosæ, Græcè secundum Sypontinum, & Plinium, Ecligmata, siue eligmata, secundum alios autem eclegmata vocātur. Ait enim Plinius cap. 22. libro 20. cùm de semine lini pertractat: Ad phthisin vtilissimè è semine fiunt ecligmata. Et ideò sic dicuntur, quoniam non comeduntur, neque deuorantur vt catapotia, sed ipsas confectiones in ore tenentes, quod paulatim eliquatur, continuò lingendo sorbemus.

Lohoc de pino &c. CXI.



VNT in præsenti descriptione duæ mendæ. Prima, videlicet vbi legitur (per impressos libros supple) Granorum pini 3.xxx. lege rectius 3.xx. Altera menda est, vbi legitur: Mellis passularū &c. ana. 3.iiij. Lege verius, ana ℥.iiij. Sunt etenim librariorum errores. In omnibus autem antiquis exemplaribus, est vt diximus. Auicenna quidē in quinto tractatu secundæ summæ quinti cañ. habet vnam descriptionem Lohoc de pino. Filius Serapionis etiā in septimo sui Breuiarij habet vnam descriptionē Lohoc de granis pini. Hali Abbas quoq; in decimo practicæ habet suam descriptionem. Omnes tamen differunt ab ista.

De Amylo.

AMylum res nota. Fit autē ex tritico, hordeo, siligine, Zea, & similimus pluribus. Sed absolutè scriptū, semper triticeū intelligi *Amylū absolutè.*

telligitur: & maxime quod fit ex trimestri tritico, à Dioscoride commendatur. Trimestre autem triticum, siue trimense (vt Isidorus 17. etymologiarum libro scribit) dicitur, quia satū post tres menses colligitur. Et propriè est illud quod vulgò martiolinum siue martiollum vocamus, ex eo quòd Martio mense seritur. Modus autem faciendi amylum, & à Dioscoride & ab alijs pluribus clarè notatur.

Trimestre triticum.

De Lilio cœlesti, siue de Iride.

IRis autem quæ abusiuè, vt alia plura, per genitiuum semper ireos à multis vocitatur, est herba pluribus nascens regionibus: sed à Dioscoride, & alijs pluribus, Illyrica magis commendatur. A nonnullis herba lilialis, & lilium dicitur. Apuli autem vulgò spatulam appellant, sed non fœtidam. Sunt etenim illius plures species, sed à nostro Authore capitulo de ireos, duæ tantùm notantur. Qui Author ponit ipsarum specierum differentias, in florum diuersitate, scilicet quòd vna species producit florem album, quæ & vocatur ab eo lilium album, siue ireos album. Altera autem facit florem purpureum, siue cœlestem, quod ab eo appellatur lilium purpureum, siue lilium cœleste, siue ireos purpureum: vt hîc, & in pilulis de agarico &c. Et hæc species (vt ipse testatur) est fortior altera, in omni re. Et hæc quidem quæ, vt diximus, gerit florem cœlestem, lineatum ex croceo & albo, ar cum cœlestem cum aliqua similitudine imitantem (vnde & ipsa iris dicitur) est illa species, ex qua Author quærit radices in præsenti descriptione, dicens: Radicum lilij cœlestis &c. Et hæ præfatæ species passim reperiuntur, quarum radices in nostra Italia cùm siccantur, ita rugosæ & paruæ deueniunt, quòd vix præter corticem (si cum ipso cortice siccentur) habēt intus quid parum de sua interiori parte, seu pulpa, quæ est alba & odorifera. Sine cortice vero, quasi ad nihilum rediguntur, cùm siccantur. Quæ autem radices huiusmodi è plagis Orientalibus deferuntur decorticatæ, & siccæ: sunt carnosæ, & lenes, tanquàm si tunc recentissimè fuissent collectæ, quapropter nostratibus meliores iudicantur. Huiusmodi enim plantæ, fere omnibus notæ sunt. Quæ autem Illyrica dicitur, est speces in Illyria, id est in Sclauonia nascens, & est illa quam Dioscorides meliorē esse testatur. Ipsa autem quam in nostro horto habemus, florem gerit magis quàm ireos, diuersicolorem, lineatum, viridem, siue ad croceum inclinantem & purpureum, siue cœlestem & rubeum, vt est cœlestis arcus, id est iris. Folia enim exiliora, necnon & minores radices, sed

Herba lilialis.

ſed virtutes (vt putamus) maiores, quàm dictum ireos habet. Eſt etiamnum (præter præfatam) in Illyria & altera iris, noſtrati ſimilis. Quapropter quandocunq; ireos reperitur ſcriptum abſo-lutè, ſcilicet quòd non ſpecificatur de albo, ſemper purpureũ eſt ponendum. Et ſi haberi poterit de Illyrico, adminiſtretur: ſin autem Orientale, vel noſtratũ ſubſtituendum erit. Similiter quandocunque reperitur ſcriptum ireos, & non ſpecificatur de flore, ſemper radix intelligi debet. Folia enim (quòd ſciamus) non habentur in vſu. Item, ſi quæratur aqua ireos, & non præcisè ſcribitur ſublimata, ſemper ſuccus radicum, vel ſaltem decoctio ipſarum (vbi deficiunt virentes radices) debet intelligi. Hoc etiam notandum in radicibus ireos, ſcilicet quòd recentes quaſi inodore iudicantur: ſiccæ autem maximum & ſuauem ſpirãt odorem. Imò quantò magis ſeneſcunt, & à vermiculis corroduntur, tantò magis odoratiores fiunt. *Ireos abſolutè.*

De Butyro.

QVid ſit Butyrum, quaſi à nemine ignoratur. Sed quia duplex eſt, ſcilicet vaccinum, & bubalinum: ideò quando reperitur butyrũ abſolutè (vt in præſenti deſcriptione) ſemper de bouino, & vaccino intelligendũ eſt. Nec auſcultãdi ſunt illi qui dicunt, quòd bubalinum eſt medicinale: vaccinũ autem pro cibariorum vſu tantùm. Quia probatur contrarium, cùm ſæpius reperiatur butyrum vaccinum ſpeciatim in compoſitionibus pharmacorum, quàm bubalinum. Vt exempli gratia, in præſenti antidotario: videlicet in Diaſatyrione, & in triphera ſaracenica, & in triphera maiori ex arte Fenonis, & in triphera minori deſcriptione cognita, & in confectione anacardina, & alijs pluribus locis. Igitur vaccinum eſt intelligendum, in nõ ſpecificato butyro, & ſemper recens. *Butyrum abſolutè.*

Lohoc de paupere, & eſt Diapapauer &c. CXII.



EST ETIAM in præſenti deſcriptione vnus librariorum error per omnes impreſsiones, qui licet ſit paruus, tamen volumus, vt ipſe non remaneat intactus. Igitur vbi legitur: Amyli ℥.iiij. Lege rectius ℥.iij. vt in antiquis exemplaribus eſt ſcriptum. Et ſic eſt verũ. Nam ſi fuiſſent dicti amyli ℥.iiij. nõ eſſent per Authorem ſeparatim poſitę ab immediatè ſequẽti ana: quod ſimiliter eſt ℥.iiij. Etenim nonnulli ex iunioribus rei veritatem ignorantes, legentes amyli ℥.iiij. ſeminis portulacę &c. ana ℥.iiij.

conclu

concluſerunt omnia vnico ana. Verũtamen nõ eſt ita,ſed amyli ℥.iij.Præterea legitur in fine deſcriptionis: Syrupi de papauere quantum ſufficit,ſcilicet ad conficiendum ipſum lohoc.Sed vt ne quis dubitet in ipſo ſyrupo,de quo ſit intelligendum: quia ipſe Author in diſtinctione de ſyrupis habet duas ſyrupi de papauere deſcriptiones,& in practica alias plures,ſubiunxit deſcriptionem ipſius ſyrupi, dicens: Et ſit propriè ſyrupus ex capitibus papaueris albi,& nigri,& ſemine lactucæ,& violis. Et licèt ex his rebus dicat conficiendum eſſe ipſum ſyrupum,tamen ab ipſo nõ notatur quantitas rerum,nec ſi in aqua, vel in alio liquore debet fieri ipſarum rerum decoctio,neque ſi cum zuccharo, aut melle, aut alia re ſimili ipſe ſyrupus ſit conficiendus.Qua in re conſiderandum eſt,quòd Author ſcripſerit,tanquam peritis,qui poſſent & ſcirent abſque alia declaratione,habitis tantùm primis principijs neceſſarijs,ad aliorum ſyruporum exempla,conficere ipſum ſyrupum. Igitur (vt aliàs diximus) debet quilibet aromatarius in omnibus rebus dubijs ſemper ſeruare mediocrem modum,vt non nimis multùm deuiet à recto tramite intentionis ipſius Authoris. Quamobrem ad conſiderationem aliorum infraſcriptorum ſyruporum de papauere,conficiendus eſt iſte ſyrupus: quia & ipſe etiam de papauere inſcribitur. Igitur de bono peritorum medicorum conſilio ipſius compoſitio taliter limitatur: Recipe capitum papauerũ alborum,& nigrorũ, vnà cum ſemine ipſorũ, ana ℔.ſ.Seminis lactucæ,& florum violarum, ana ℥.j.ſ.bulliant in ſufficienti aquæ quantitate,donec percocta ſint ipſa papauerum capita,deinde exprimantur,& cum zucchari & penidiarũ, ana ℔.j.fiat ſyrupus. Et hæc quantitas eſt ſatis pro conficiendo iſto lohoc. Vidimus nempe huiuſmodi ſyrupi compoſitiones poſitas à Lumine apotechariorum,& Theſauro aromatariorũ, quæ nobis non placuerunt. Nimis parum certè poſuerunt de ipſis rebus,ad zucchari quantitatem. Nec capita papauerum bene commenſurãtur per manipulos,quia ſi accipis manipulum medium ex ipſis capitibus papaueris albi abſq; ipſorum pediculis ſeu ſtipitibus (vt putamus ipſos intellexiſſe)non amplius quàm vnum de magnis,vel duo de minimis,pro manipulo illo ſemipleno accipies. Quam quantitatem, non eſt qui non cognoſcat eſſe minimam,& inſufficientem,reſpectu proportionis aquæ & zucchari. Si autem per pedicillos,& maximè longiores manipulare velis, magnam ipſorum capitũ copiam ſumes, & quatuor libræ aquæ non ſufficient, & per conſequens malè: ergo &c. De papauere autem,

autem,require in ſyrupo de papauere ſecundo.

Modus confectionis de iacur,ſecundum intentionem Galeni,& eſt Diacodion purum &c. CXIII.



IACODION,quod eſt præſens cõfectio,& cõfectio de iacur,idem ſignificant quod cõfectio,ſeu cõpoſitio ex papauere.Author enim noſter in hac ſua deſcriptione ſuccinctè habet,quicquid longioribus ſermonibus filius Serapionis & Auicenna, ſiue vter ipſorum in duabus deſcriptionibus haber.Non obſtante,quòd Auicenna in numero papauerum,in ipſis deſcriptionibus,longè differat ab alijs.Ponit autẽ Author ipſam confectionem,in hoc diſtinctione.Filius Serapionis autem, & Auicenna,inter ſyrupos ſuas huiuſmodi confectiones collocarunt.Initia autem in Auicenna,in v.cañ.ſunt hæc: Syrupus de papauere.&,Deſcriptio ſyrupi de papauere alia. Filius Serapionis verò in vij.ſui Breuiarij.cap.de ſyrupis,poſt mediũ,facit longum ſermonem de hoc diacodio puro.Principium deſcriptionis eius eſt: Permiſtio facta cũ papauere puro,quam nominant Græci Diacodion:& Syrij,Diacode.Et eſt ex ſermone deſcriptionis Galeni.Recipe aquæ ℔.j.s.& proijciãtur in eam papauera decem &c. Poſt cuius deſcriptionem, immediatè ſequitur alia deſcriptio, quam nominat Diacode compoſitum,&c. Vtraq; enim deſcriptio ſubſtãtialiter & ſuccinctè(vt diximus)eſt in iſta filij Meſuæ. Vnde primò ponitur Diacodium purum,& ſequitur vſque: Si autem velis vt ſit retẽtiuum naturæ &c.Quod eſt principiũ Diacodij compoſiti.In quo Diacodio compoſito habetur (vt in libris impreſsis legitur) beufiſtidos,ſiue heufiſtidos,vel hephiſtidos.In exemplaribus antiquis autem pro maiori parte, legitur henfiſtides:cæterorum verò quædam heufiſtides, quædam heufiſtides,& quædam henſiſtides habent. Rectius autem henſiſtides. Quodquidem vocabulum non ſignificat hypocyſtis vt aliqui ex iunioribus volũt.In trochiſcis autem de terra ſigillata,Deo concedente,vbi vtrunq; ingreditur,vtrunq; declarabimus, propterea lege ibi. Eſt etiam in hoc diacode cõpoſito,per omnes dictos libros impreſſos: Ramic 3.iiij.quodquidem in paucis exẽplaribus inuenimus.Nec eſt apud filium Serapionis,neq; apud Auicennam.Quapropter conſulendi ſunt medici, vtrum ſit admittendum,an non.Nos autem ſignauimus ipſum in deſcriptione, vt aromatarius in conficiendo animaduertat,& faciat quod re-

ctum fuerit iudicatum. De ramic quære in distinctione de trochiscis. Ponit etiam Author, authoritate filij Serapionis, in fine de Aegritudinibus pectoris & pulmonis, vnam aliã descriptionem confectionis iacur, quæ multum differt ab ista.

De Sextario.

SExtarius quidem, siue sextarium, apud varios Authores, variè & multipliciter exponitur: hoc tamen in loco pro ℔.j.s. capitur. Tantundé enim habet filius Serapionis in sua descriptione. Sextarius enim & metreta non differunt.

De Acacia, Gummi arabico, & Gummi tragacanthi.

VEra nanq; acacia in partibus nostris ignoratur. Vtimur autem acacia fictitia scilicet ex condensato succo pruneolorum syluestrium, quæ in quibusdam locis Italiæ (vt in Apulia) Trigne, siue Atrineæ (vt Pandectarius etiam scribit) vocantur. Qui fructus sunt valde stiptici, & præcipuè cum non peruenerint ad maturitatem. Veruntamen hos fructus non credidimus habere tantam virtutis bonitatem, quantam vera acacia habet. In defectu tamen veræ acaciæ possumus dicta ex pruneolis vti, vel succo seminis aut foliorum sumach, quod est Rhus, vt per Dioscoridem capitulo de Rhoë, & per plures alios Authores affirmatur. Et secundũ alios potest poni loco acaciæ succus lentisci, vel hypocistis: vt etiam per Dioscoridem probatur, capitulo de lentisco, & capitulo de hypocistide. Præterea incidenter, & non incõgruè, nobis visum est hoc in loco de gummi arabico, & gummi tragacanthi, siue (vt dicunt) dragãti, vel draganti barbare, aliquid enarrare. Et primò de gummi arabico. Habetur nempe per Serapionem cap. xciij. & per alios plures, quòd arbor acaciæ (quam ipse Serapio vocat spinam Babylonicam) producit gummi Arabicum: quod capitulum ad literam est idem capitulum Dioscoridis de acacia, excepto quòd Dioscorides pro Babylonica, scribit Aegyptia, & dicit quòd producit gummi: sed non specificat de Arabico, siue de alio. Andreas Bellunensis autem in suis interpretationibus, in litera Alcarad, dicit sic: Alcarad, vel Alchard, est fructus arboris spinosæ in Aegypto, & in regione dicta Bassera, & talis arbor ab Aegyptijs appellatur Setan: & licet ex hac arbore colligatur gummi simile Arabico, tamen gummi Arabicum est illud, quod colligitur ex arbore dicta Amgailam, & acacia fit ex fructu arboris Setan: qui fructus, Alchard appellatur, & est fructus stipticus in vaginis. Hæc ille. Ex dictis igitur contigit dubitari, an sit verum gummi Arabicum, quo

Acaciã veram supplẽtia.

Gũmi arabicum.

quo vtimur,& an arbor acaciæ ferat illud, vt Serapio scribit: siue sit altera arbor, vt Bellunensis tradit. Et si est verum gũmi Arabicum (quo vtimur) productum ex arbore acaciæ, vnde ergo est, quòd de ipso gũmi exportatur in tanta copia, & de acacia, siue ex fructibus vnde ipsa conficitur, nihil? Præterea dictus Serapio 239. cap. de gummi Arabico dicit idem, quod dicit Dioscorides in præfato cap. de acacia, præter quòd (vt diximus) Dioscorides non specificat Arabicũ. Aiunt enim ipsum esse simile vermiculis in figura sua, & quòd aliquid ex eo est, vt vitrum translucens, & aliud candidũ. Quas notas omnes, in eo quo pro gummi tragacanthi vtimur, clare inesse videmus. Et quòd gũmi tragacanthi quo vtimur, non sit ipsum verũ, potest suspicari, & ex eo maximè, quia dicit Dioscorides cap. de tragacantha, quòd eius gummi positum sub lingua liquescit: & nos quidẽ experti sumus, quòd hoc gummi vsuale dragagantum dictum nõ liquescit. Nam quasi per totã diem illud in ore retenuimus, & nõ est liquefactũ: mollificatũ autẽ & ingrossatũ, seu dilatatũ tanquã pastam, tædio ducti ex ore illud expuimus. De gummi Arabico vulgari etiã experientiã sumpsimus, quod quidẽ in ore positum, breui temporis spatio penitus liquefactũ linctu deglutiuimus. si quis autẽ his dictis nõ acquiescet animum, facillime, quod diximus, experiri potest. Sed non per hoc absolute dicimus hoc vel illud, verũ vel falsum esse. Sed ꝙ proculdubio vtrunq; suspectũ habemus, & putamus quod alterũ pro altero recipiatur ad medicinæ vsum: veruntamẽ prudẽtioribus nobis relinquimus hoc, cũ alijs pluribus discutiendũ. *Gummi tragacanthũ.*

Modus confectionis de moris, & est Diamoron, siue Diamorum &c. CXIIII.

De Moris, & Rubis, & Sycomoro.



HABENTVR nempe in præsenti descriptione duæ mororum species, vt in ipsa legitur. Prima autem, quam dicit currere secundum semitã ficus, à quibusdam iunioribus (quorum vnus Brasaulus, in suo syruporum examine, cum declarat capitulũ mororum Auicennæ) dicitur esse sycomorus, scilicet ficus Aegyptia: quæquidem hodie vulgò Hierosolymis ficus Pharaonis vocatur. Veruntamen talis declaratio nõ potest stare cum præsenti descriptione: quia fructus sycomori non conueniunt huic confectioni. Nam plures sunt Authores (præter filium Mesuæ) qui ponunt Diamori compositiones, vt Galenus, Paulus, Alexander,

Ioãnes Serap. Hali Abbas, Nicolaus, & cæteri. Nullus autem ipsorum est, qui habeat fructus sycomori in huiusmodi cõpositionibus: & per consequẽs nõ est credibile, filiũ Mesuæ posuisse in hoc suo Diamoro. Nos autẽ certè tenemus, quòd morus quæ currit secundũ semitã ficus, sit morus celsus. Et similiter morus de scemi, est morus celsus. Non obstante quòd in multis locis, minus recte pro scemi, legatur seni, vel sceni. vnde Bellunensis in capitu. Auicennæ emendans scripsit scemi. Sed dicet aliquis: Si morus, quæ currit secundũ semitã ficus, & morus de scemi, sunt vnum & idem: ergo filius Mesuæ in pręsenti descriptione, bis posuit idem, quod nõ est credendũ. Ad hoc respondendũ, quòd Author bene posuit, sed librarij malè scripserunt, & impresserunt. Et librariorum errores nõ sunt imputandi Authori operis. Vnde sciendum quòd ibi est menda in codice, & nec de scemi, nec de seni, nec de sceni legendum est: sed de sente, vt in pluribus de antiquioribus exẽplaribus inuenimus clarè descriptũ: in quibus etiã nõ legitur illud dulciũ, quod est per omnes impressiones, & per aliqua minus correcta exẽplaria, post expressionis mororũ, in præsenti descriptione. Vnde vera lectio talis est: Recipe expressionis mororũ, quę currũt secũdũ semitã ficus: & mororũ de sente, ana &c. Sẽtes enim siue sentis, & rubus, Latinè idẽ est: Gręcè autẽ batos dicitur. Et ꝙ mora de scemi sint mora celsi, probatur per dictũ Bellunẽsem, qui in suis interpretationibus, dicit: Mora scemi, sunt mora nigra saporis muzi. Et per cap. Auicennæ, vbi clarè per morũ de scemi scribitur morũ celsi nigrũ, saporis muzi. Etiã per Authorẽ nostrũ, in cap. de synãchia gutturis, vbi habet plures Diamori cõpositiones: & in prima, quæ est similis huic, quã ponit authoritate Alexandri, dicit: Accipe succi mororũ de scemi, mediocrium in maturatione & acerbitate, & mororũ rubi &c. Vnde vbi hîc habet succũ mororũ, quæ currunt secundũ semitã ficus, ibi habet succũ mororũ de scemi, quod est idẽ. Et vbi hîc habet succũ mororum de sente, ibi habet succum mororũ rubi, quod similiter est idẽ. ergo &c. Sed aduertendũ quòd Auicenna ponit in suo capit. de moris, duas mori species, quæ sunt duo celsi genera: videlicet albũ, & nigrũ, Vnde vnũ, quod dicit esse alfirsedu, siue alfersad, vel alfarsad, vt Bellunẽsis scripsit: est celsum albũ, quod est dulce &c. Et quòd sit celsum albũ, declaratur per dictũ Bellunensem in suis interpretationibus, cùm in litera A, dicit: Alfarsad est arbor mororũ dulcium alborũ. Et in litera M, Mora Alfarsad sunt mora alba dulcia. Alterũ genus, quod vocat morũ de scemi, est celsum

Morus currens secundũ semitã.

Sentis.
Rubus.
Batus.
Mora celsi.

sum nigrũ, quod cùm est maturum, est saporis muzi, scilicet inter acre & dulce. Vnde in textu ipsius Auicennæ, mēdosè pro muzo, legebatur amarũ, quod dictus Bellunēsis emendauit. Et hæc species est illa quam quærunt Authores in Diamori compositione. Supradictam autē dulcē minimè, quia (vt probatur per Auicennam) ipsa dulcis, est mali nutrimenti: & nō nominauit ipsam inter medicinas gutturis, & oris. Ex quo etiã probatur esse mendosum in præsenti descriptione filij Mesuæ illud dulcium, de quo suprà diximus, & malè legebatur: Recipe expresionis mororum dulcium: quia mora dulcia (vt diximus) sunt alba: quæ non conueniunt, &c. Et ambæ istę species currunt secundũ semitam ficus, scilicet in processu arborũ, non autē in maturatione, vt in Auicenna legitur. Vbi putamus textum esse mendosum, eo maximè, quòd ibi videtur tantūmodo de alba loqui, quòd currit secundũ semitam ficus in maturatione. Attamen scitur, quòd neutra maturatur cum ficu &c. Et quòd celsus alba, siue Alfirsedu Auicennæ nō sit sycomorus, scilicet ficus Aegyptia, probatur per ipsum Auicēnam in cap. de ficubus, in quo describit ficum Aegyptiam, id est sycomorum, sub barbaro vocabulo, Iumeiz, siue Aliumeiz, siue vt Bellunensis scripsit, Giumeizi. Et quòd giumeizi, siue giemizi sit Pharaonis ficus, id est sycomorus, probatur per Bellunensem præfatum, in suis interpretationibus dicentem: Ficus algiumeizi, vel algiemizi, est ficus Pharaonis. Et tales non oriuntur in ramis subtilibus, iuxta folia vt alij fici, sed in trunco, & in ramis grossis. Hæc ille. Et certè rationabiliter sycomorus potius connumerari debet inter ficorũ genera (cùm sit & ipsa ficus) quàm inter mororũ species. Non obstãte, quòd Theophrastus 2. capite quarti libri de historia plantarũ morũ vocet, & dicat ipsam esse similē nostrati moro. Quod autē dixit Author, ꝙ currit secundũ semitã ficus, hoc expresse patet in celso moro, scilicet ꝙ in folijs, & caudice perquã maximè assimilatur fico. Vnde etiã & sycaminũ Græcè dicitur. Ergo morus quę currit secũdũ semitã ficus, est morus celsus, & nō sycomorus. Alia autē species, siue aliud genus mororũ, quod intrat pręsentē cōfectionē, est morũ de sente, id est de rubo. Pro quo sciēdũ ꝙ aliqua rubi siue bati genera, cōnumerantur inter mororũ species, siue genera. Et animaduerte, ꝙ non diximus omnia rubi, siue sentis genera, quia rubus canis, siue sentes canis, id est cynosbatos, licet sit genus rubi, attamē non debet cōnumerari in generibus mori. Nō obstante ꝙ à nonnullis abusiuè fructus cynosbati, id est canini rubi, mora vocētur: vt in dicto

κυνόσβατος. Rubus caninus.

Brasauli syruporum examine, vbi 101. numero sene loquéte legitur: Nos moris idæi rubi, & rubi canis indiscriminatim vtimur. Et num. 105. ipse Brasaulus loquens dicit: Rubi canini morũ magis adstringit, quàm humilis rubi. Illa auté rubi genera, quę mora producũt, tria sunt. Primũ genus absolutè rubus, siue sentes, vel sentis, vel sentix, siue batos, siue rubus mosylleticus, id est Rubus Mosy dicitur. Et vocatur rubus Mosy ex eo (vt sacra testatur pagina) quòd in ipso flãmante & non vrente, Moses Israëlita supra Sinai mõtem, Domini gloriã viderit & alloquutus fuerit. Et hoc genus vbiq; prouenit. Virgas emittit longissimas, quadras spinis aduncis plenas, quodq; genus notissimũ est. Est & aliud rubi genus, qui rubus idæus appellatur, ob id quia in Ida Cretési monte copiosissimè habetur. Et licet alijs pluribus locis nascatur, nõ tamen sic copiosè, vt in mõte Ida. Hîc népe paruis atq; raris cõstat spinis, & sæpius absq; vlla penitus spina, vt Dioscorides tradit, & nos testamur vidisse illũ, & proprijs manibus pluries cõtrectasse in nostro conuétu Neapolitano, & in conuentu Barchinonense & cæteris vbi adhuc opere topiario circuncirca claustra magna ipsius habetur copia. Pluries nanq; curiosè, per ipsius folia, & per ramos perquirédo, nunquam valuimus in ipso vel salté vnã minimam spinam inuenire, nec etiã quidem signũ alicuius spineitatis habet. Hîc autem rubus, exceptis spinarũ aculeis, in omnibus alijs notis supradicto est simillimus, tenerior tamé atque pulchrior. Horum duorum ruborũ genera tantùm à Diosc. scribuntur, de illis supple qui mora producunt. Quia describit etiã & rubum canis, qui (vt diximus) licet computetur inter rubi species, veruntamé mora non gignit, quia fructus eius cùm maturus est, coralli rubedinem videtur habere: formã verò pyro paruo non absimilem, intus autem semé fert pilosum, austerũq; &c. Qui fructus minimè potest morũ vocari. Est etiamnũ & tertium rubi genus ferens mora, qué Theophrastus vltimo cap. libri tertij de historia plantarũ, humi rubũ scribit appellari. A nostris auté paruus siue humilis rubus, siue rubus cãpi, & Græcè chamæbatos dicitur. Huius nanq; rubi fructus, siue morũ, acinis cõstat paucis, quinis, senisve, rarò septenis, grossioribus tamé alijs. Et huiuscemodi plãtę fructus in omnibus, & per omnia, quæ medicinę vsui conueniũt, supradictis est potétior. Quapropter in cõpositione Diamori, ipse semper, si valeat reperiri, pro batino moro admini strãdus erit. Eius quidé planta nõ altè assurgit, sed quasi reptãdo per terrã vbiq; diffundit ramos, qui rami siue surculi sunt valde tenues,

Mororum genera.

Rubus mosylleticus.

Rubus moysi.

Rubus idæus.

Rubus campi.

Chamæbatos.

tenues,& vt in plurimis rotũdi & longiſsimi: ob quæ,ſcilicet lon gitudinem & tenuitatẽ, nõ valent ſtare,ſed in terrã ſe ſternẽtes, quocunq; ipſam tangũt,radices emittũt. Ipſi quoq; ſurculi quãdoq, aduncis,quandoq; rectis fulciũtur aculeis. Et hoc genus rubi ſub nomine rhamni ſcribitur ab Authore noſtro in dicto cap. de ſynãchia gutturis,vbi authoritate Alexãdri,dicit: Diamorõ, ex ſuccis mororũ rhamni,& propriè nõ maturorum:& eſt ſtipticius cæteris,& eius operatio fortis in principio eſt. Et hæc dicta quidem ſunt ferentia mora.Sunt preterea(vt quibuſdã placet)& aliæ plantæ mora producẽtes,ſed per ſimilitudinẽ credimus ſic vocari,non per proprietatẽ. Vt Comarus arbor,& fragaria herba &c. Nam in Virgiliana Bucolicorũ textura,in tertia Ecloga, Dameta & Menalca altercãtibus,verſum videre licet: Qui legitis flores,& humi naſcentia fraga.vbi Seruius & Aſcẽſius cõmen tantes,dicunt fraga,id eſt mora in herbis naſcentia:quod nõ niſi per ſimilitudinẽ debet intelligi,alioqui falsò dixiſſent fraga eſſe mora.His deniq; viſis,concludendũ eſt Authorẽ noſtrum in hoc ſuo Diamoro,per mora quæ currũt ſecundum ſemitã ficus,intel lexiſſe mora celſi,ſupple nigra:& per mora de ſente,mora rubi. Sed per mora rubi,intelliguntur tam fructus chamæbati,quàm rubi Moſy,quàm rubi idæi,quorum trium ſemper vnũ pro alio poteſt poni. Verũtamẽ(vt diximus) efficiora ſunt mora chamæbati. Præterea ſciendum,quòd ſunt aliquæ quorundã generum ſpecies,quę in duobus,tribúsve generibus conueniũt inter ſe.Vt exempli gratia:Aliquæ generis rubi ſpecies conueniũt in mororum & rhãnorum generibus.Et ecõtrà,morus & rhãnus conueniunt in genere ruborũ &c.Etenim morus ex ſupradictis patet. De rhãno autẽ Plinius 14.cap.24. libri naturalis hiſtoriæ teſtatur,dicens:Inter genera ruborũ rhãnus.Et eſt ille rubus paruus, ſcilicet humi rubus,ex cuius moris (vt ſuprà diximus)filius Meſuæ docet fieri Diamoron ſtipticius.Itẽ rubus canis percõmodè, imò melius cõuenit in generibus roſarũ,ſi roſarum genera reperiuntur:quia omnes roſarũ differẽtiæ (vt putamus) poſſunt dici ruborum ſpecies. Vt nomẽclatura percipitur,& res ipſa demonſtrat.Vnde roſa,quaſi ruboſa per ſyncopã dicitur. Non obſtãte quòd velint aliqui è Greco vocabulo,hoc eſt rhodos,ſit dicta roſa.Sed hoc quibuſdã non placet,quia rhodos ſcribitur cum aſpiratione,& per d,roſa autẽ per ſ,& abſq; aſpiratione. Etenim ſi à rhodo deriuaſſet,rectius rhoda quàm roſa nuncupanda eſſet Enimuero planta rubi canis non videtur habere diſsimilitudi- *Roſa.*

nem aliquam,imò maximam habet similitudiné cum plantis rosæ albæ,& rosæ incarnatæ,& præcipuè cũ planta rosæ damaschinæ,siue muscatellæ vulgò dictæ.Igitur omnes ruborũ & rosarũ species,ad vnum tantũ genus possunt deduci. Sic etiam & sycomorus in generibus mororũ,& ficorũ.Et similia multa. His tandem examinatis sciendũ etiam quòd vbi in fine præsentis descriptionis,dicit Author:Et sunt qui addũt,&propriè quãdo maior vocat necessitas: aluminis,myrrhæ, croci,succi acrestæ,ana partes æquales. Intelligit de æqualitate partium ad inuicé ipsorum quatuor simplicium, videlicet aluminis &c.scilicet vt ipsa quatuor simplicia sint æqua lance appensa:nõ auté illa partiũ æqualitas est referenda ad mororũ succos, scilicet quòd illa quatuor simplicia sint eodem pondere trutinanda quo & succi,quod est falsum.Quia medici est scire æqualitatem,& debitã proportionem ipsorum simplicium ad succos,scilicet quòd medicus debet ordinare quantũ de ipsis simplicibus æqualiter ponderatis,erit commiscendum in ipsis mororum succis,plus vel minus, secundum infirmorum necessitates.Quapropter non debet aromatarius,additiones has & consimiles, antidotis & medicaminibus, nisi de medici ordinantis præcepto apponere.

Modus confectionis de succo corticum nucum, & uocatur Grecè Diacaryon &c. CXV.



ERITIS viris præsentis cõfectionis descriptio est clarissima. Pro simplicioribus auté notãdum, quòd vbi legitur in titulo ipsius:Modus cõfectionis de succis nucũ.Rectius legẽdum est,& clarius: Modus cõfectionis de succo corticum nucũ,vt in quibusdã vetustissimis exẽplaribus inuenimus. Et certè rectius. Quia vt patet in ipsa descriptione,nõ recipitur succus nucũ,sed succus corticũ ipsarũ:exteriorũ supple.Et non sunt plures succi, scilicet tanquã ex varijs generibus,aut differẽtijs nucũ,vt de succis scribatur.Sed ex multis corticibus vnius communioris duntaxat,scilicet nucis inglandis vsualis, vnus exprimitur succus.vnde postea dicit: Accipe succi.& non succorum:ex quo rectius de succo legendũ. Non obstante quòd Galenus in 6. de medicamẽtorum cõpositione secundũ locos,vocet hoc medicamẽtum, ex succo nucum:& non de corticibus nucũ, ex quibus paratur succus. Verũtamen dicit ex succo:& non ex succis.Item vbi legitur:Decoque ipsum bullitione vna:deinde adde ei &c.Non est intelligendum

dum, cùm sit quòd Author taceat eius purificationẽ, quòd non debeat aliter depurari: sed immediate post vnicũ eius fauorẽ sit immittendũ mel &c. Quod quidẽ est præter Authoris intẽtionẽ. Quia ipse præsupponit se loqui cum peritis, & non inscijs viris. Quapropter nõ omnia, sed tantũ magis necessaria ipsi cõfectioni notat, putans aromatariũ scire ipsum authorem aliàs dixisse, quòd vniuersaliter succi semper depurãdi sunt, antequam in medicamina intromittãtur. Igitur posuit tantũmodo illã vnicã bullitionẽ necessariã pro succi depuratione: alioqui non oportebat scribere ipsam: quia si noluisset succum depuratum, à principio posuisset mel in ipsum &c. Et hoc notatum habeas pro omnibus consimilibus accidentibus: vt infrà in lohoc sano & experto: vbi post primã rerum decoctionẽ in quatuor aquæ libris, subticuit ipsarum rerum colationẽ & expresionẽ, dicens: Coquatur in ℔. iiij. aquæ, vsq; dum remaneãt ℔. ij. & proijciãtur super ea, penidiarum ℔. ij. &c. Nam necessariò debet fieri expresio ipsarum rerũ ante penidiarum immisionẽ. Penidiæ enim non sunt ponendæ cũ ipsis rebus: sed in duabus libris decoctionis ipsarũ sunt liquefaciendæ ac decoquẽdæ &c. Et sic de singulis, quæ breuitatis causa dimittimus. Hoc exemplum satis est pro omnibus similibus in quibus oporteret facere declarationem: cùm expresè reperiatur aliquid necessariũ, ab Authore omissum, seu nõ planè declaratũ.

De *Nucibus*.

NVx enim à nucleo dicitur. Plura nanq; sunt nucum genera siue species, & differẽtiæ. Sed notandum. Licet sit generalis regula, in pluribus speciebus vnius generis, quòd quando ab Authore non specificatur de ipsis, semper nobilior & melior species est accipienda. Veruntamẽ quælibet regula patitur aliquam exceptionem. Nam nux muscata, & nux inda, sunt nobiliores nuce iuglande: non tamen de ipsis intelligit Author in pręsenti descriptione, cùm de eis non specificauerit: quia quærit succum ex exterioribus corticibus nucis iuglãdis, quæ est communior & vsitatior omnibus alijs, cuius cortices facilius possunt haberi ob frequẽtem copiam arborum ipsius ferè cunctis regionibus nascentium. De hac etenim confectione, siue de hoc medicamento diffusè loquitur Galenus, vbi suprà diximus, & clarè & specificatè de iuglandibus nucibus intellexit. Vnde per antonomasiã quando absolutè scribitur nux, intelligitur nux iuglandis vsualis. Credimus nempe Authorẽ nostrum à Galeno accepisse præsentem cõfectionem, & quasi occultè nomẽ Authoris expresit, cùm dixit: *Nux absolutè.*

Et vocatur Græcè Diacaryō: licet barbarè legatur, diacaridion. Filius autem Serapionis in 7. sui Breuiarij, videlicet in fine de syrupis, sub nomine Rob, scilicet Rob de nuce. Et Hali Abbas in decimo practicæ etiam sub titulo Robi nucum: habent istammet confectionem, in quibusdam tamen paucis differenté. Cùm descriptione autem Galeni magis concordat descriptio Authoris nostri, quàm ipsorum, & ex consequenti est melior. Nux iuglandis auté notissima est. De reliquis autem generibus, siue differentijs nucū, quamuis in præsentem non ingrediantur confectionem, visum est tamen nobis bonū esse de aliquibus ipsarum hoc in loco facere métioné. Et primò de Nuce muscata, siue myristica, quæ eadem est. Hæc nempe cognoscitur, licet in partibus nostris non oriatur. Huiusmodi enim fructus cortex extimus est macis: inter macim auté & ipsam nucem est alius cortex durior, vt cortex nucis auellanæ. Et quamuis vt plurimū ipsæ nuces muscatæ deferantur decorticatæ: multoties tamé exportantur cum cortice duro, necnon & cum mace suprà reticulatè naturaliter concreata. Nos enim adhuc non vidimus ipsam nucé virentem, neque arborem ipsam ferentem: ex quo non possumus absolutè testificari, si extra macim habeat alium corticem, an non. Est & nux quę vocatur inda, cuius arborem similiter hucusq; nequiuimus noscere: fructus autem ipsius tantùm, licet non in magna copia, attamen exportatur. Est enim maxima omniū nucum, & in cortice suo duro (ex quo multi formāt vas ad potādum) habet à natura tanquam oculos, & os, ita quòd videtur esse non fructus (vt est) sed caput alicuius animalis. Quiquidem cortex est durissimus, nigricas, triplici diuisionis signo. Intus verò habet substātiam albā, & vnctuosam, atq; boni saporis. In cuius medio, tanquam vitellus in ouo, est locus aqua clara & dulci, saporisq; non ingrati plenus, dum ipsa nux est recés. Cum tépore autem euanescit ipsa aqua, & locus repletur aëre, & inde fructus rācescit. Hoc enim signo (scilicet si intus est aqua, vel nō) dignoscitur recens à non recenti. Extra dictū corticem etiam habet & aliū maximum corticem, crassum, lignosum, atq; neruosum. Est népe tantæ magnitudinis huiusmodi nux, quòd vnica tantùm vnà cum omnibus suis corticibus, vltra pōdus 27. librarum, testibus fide dignis præsentibus, libra est. Nux Alexandrina autem, est nux iuglans supradicta. Nux Auellana cognominata etiam à nemine ferè ignoratur. Sunt nanque & aliæ res largo modo nuces appellatæ, vt nux amygdala, quæ propriè est ipsum amygdalum: quæ & à

Nux alexādrina.

non

nonnullis nux Græca dicitur. Est & nux pinea, nux persica, nux cupressi &c. Non oportet hîc facere declarationem de eis, quia notiores sunt quàm vt declarari debeant. Non obstante quòd Pādectarius vult vt nux persica sit nux vīualis: quoniā alij tenēt, & rectius, quòd nux persica sit propriè fructus persicorum. Præterea sunt & quædam aliæ res diuersæ, quæ (vt arbitramur) potius à nocendo, quàm à nucleis, nuces dicuntur. Vt est nux vomica, & nux methel &c. Sed sciendum quòd nux vomica, quæ & castanea vomica, vel indica dicitur, tenetur esse illa quæ defertur ex orientalibus plagis, quæ est velut placentula, denarij magnitudine, albicans, depressa, & incurua. Non contrariante quòd legatur in Serapione, esse maiorem auellana, & quòd in ea sint nodi. Nec etiam obstante quòd in ipso Serapione & Auicenna, capitulo de nuce methel dicatur, quòd nux methel est similis nuci vomicæ. Cùm expresse videatur contrarium. Forsan quòd vel vterque textus sit malè trāslatus, vel ipsi intelligūt de virtutū seu proprietatū operationū similitudine: quia in alijs qualitatibus verificantur de ipsis omnia. Nux autē methel, teste Bellunense in suis interpretationibus, est fructus spinosus cuiusdam plantæ, quam vulgò vocāt Solatrū spinosum, cuius flos est albus & longus, similimus flori volubilis magnæ. Fructus autē est tanquàm nux, sed cortex ipsius est spinosus similis plātæ balsaminæ, siue momordicæ, vel charāciæ vulgò dictæ. Sed est semper viridis, & nō rubescit vt fructus momordicæ, semperq; spectat versus terrā, & circa pedicillū habet coronulā pulcherrimā. Semen intus vt mandragora habet, magis tamen depressum & siccū, & in maiori numero quàm mandragora, quod est multùm stupefactiuum. Folia verò ipsius plantæ sunt simillima folijs melongenæ: ex quo & melongena syluestris à nonnullis vocatur. Etiam ipsa folia sunt similia folijs solatri communis, sed sunt maiora eis. Ipsa autem planta ad duorum cubitorum altitudinem, & amplius erigitur: nec vltra annum durat, sed siccatur tota &c. Hanc plantam Leonardus Fuchsius stramoniam vocat. Sed animaduertendum, quòd Serapio facit capitulum de nuce vomica, quod est 163. & facit capitulum de nuce methel, quod est 375. & facit aliud capitulum de nuce mechil, siue mochil, quod est 164. Quodquidem conuenit multùm cum descriptione de nuce methel: tamen in rei veritate est aliud à nuce methel: & propriè est quædam planta magna, de qua in Syria copiosè nascitur, & particulariter in deserto IESV CHRISTI, scilicet vbi Dominus noster IESVS

Nux Græca. *Nux Vomica.* *Nux methel.* *Stramonia.*

CHRI-

CHRISTVS ieiunauit quadraginta diebus & quadraginta noctibus. Quæ quasi in omnibus similatur nuci methel prædictæ: sed fructus eius non est spinosus, & à pastoribus comeditur, vt plures fratres nostri Ordinis retulerunt nobis: quæ planta videbatur eis esse species solatri: quam plantam adhuc nonnulli ex Mauritanis mochil vocãt, & alij aliter vulgò nominãt. Sũt & aliæ nuces descriptæ in Pãdectario & cæteris de quibus non est opus hîc facere declarationem. Postremò notandum quòd illæ variationes intentionũ, quæ leguntur in fine descriptionis, sunt in arbitrio medici, & non aromatarij. Qui medicus habet apponere in ipsam confectionem illa quæ sunt magis competentia infirmitati illius patientis qui debet præfatam confectionem pro sanitate recuperanda suscipere.

Lohoc de Squilla &c. CXVI.

CONVENIENTIA partium quæ legitur in præsenti descriptione, intelligitur pondere, seu mensura. Et de hoc satis dictũ fuit in secacul condîto. Vide ibi. Scribitur nempe hoc lohoc (vt etiã ibi diximus) in cap. de tussi humida: & etiam tangitur ab ipso Authore, sub nomine electuarij, in cap. de squilla. vbi dicit: Electuarium ex succo eius & melle sumptum lambendo &c. Ponitur quoque & à filio Serapionis in 7. & ab Auicenna in v. cañ. cap. de allohocat. Squilla autem declarabitur, Deo duce, in aceto squillitico: vbi etiam qualiter succus eius sit excipiendus, reperies.

Lohoc de Alfescera &c. CXVII.

PER OMNIA ferè antiqua exẽplaria præsens descriptio locatur post descriptionem lohoc sani sequentem: paucis tamen duntaxat exceptis, quæ concordant cum impreßionibus. Sed hoc nihil mali infert ipsi descriptioni, si antea vel postea describatur. Veruntamen conuenientius nobis videtur esse antea, vt est in impreßionibus, & illis paucis exemplaribus: ea propter, quia præsens lohoc concomitatur lohoc de squilla præfatum. Quoniam non solùm eius virtutes: verumetiam & modum faciendi imitatur, vt textus declarat. Et scias quòd vbicunque fescera, siue fescerẽsim quæritur, si non specificatur de folijs, aut de semine &c. semper de radicibus suis intelligitur, vt hîc: & in confectione alfesceræ suprà notata &c. Et hoc manifestè probatur in

Fescerã, siue fescere-sim supplentia.

in capitulo alfescer æ ipsius filij Mesuæ: vbi de radicibus & ipsarum virtutibus tantùm pertractat. In quo quidem capitulo, Authoritate filij Zezar, habetur consimile lohoc, quod in hoc tantùm differt ab isto, scilicet quòd pro simplici melle, recipit mel passularum. De fescera iam dictum est in confectione alfescer æ.

Lohoc sanum & expertum ex inuentione nostra &c. CXVIII.



N PRAESENTI nanque descriptione, pro cinnamomi, lege cinnami: vt est in maiori parte antiquorũ exemplarium. Et scias quòd ante penidiarum immissionem, quamuis ab Authore nõ sit notata, facienda est expressio rerum dococtarum, vt supra in modo confectionis de succo corticum nucũ declarauimus. Sed sciendum etiam quòd tam ista decoctio, quàm omnes aliæ decoctiones vbi varia ac diuersa recipiuntur simplicia, sunt gradatim faciendæ, sicut ipse Author in canonibus docet. Et particulariter in primo capitulo summæ secundæ, quod est de modis coctionum per totum. Et specialiter vbi dicit: Verùm tibi superest scire medicinas quæ debilem coctionem suscipiunt, aut fortem &c. Quos omnes canones quilibet aromatarius deberet perfectè intelligere, ac integre memoriter retinere: & præsertim illa quatuor capitula quæ sunt de modis coctionũ, lauationum, infusionũ, & triturationum. Quia ibi ponitur modus, & assignatur ratio quare nõ omnia simplicia indigẽt æquali coctione &c. Lege etiam suprà in triphera Persica, vbi planè descripsimus gradationes decoctionum medicinarum.

Lohoc ad caliditatem &c. CXIX.



NVS nempe notabilis error per omnes impressiones est in præsenti descriptione: videlicet, vbi in aliquibus legitur: Sebesten, iuiubę, ana ℥.xxv. & in alijs ana ℥.xv. rectius legendum est: Sebesten, iuiubarum, ana xxv. scilicet numero. Quapropter illam dictionem, scilicet numero, ad euitandum errorem, descriptioni addidimus. Et ob hanc causam fecimus, quia in duobus ex antiquioribus exemplaribus inuenimus scriptam: in cæteris autem simpliciter & concorditer habetur; Sebesten, iuiubæ, vel iuiubarum, ana xxv. vbi subintelligitur numero. Præterea vbi habetur in præsenti descriptione, quòd casia fistula sit supermittenda in ipsam decoctionẽ, postea cum cæteris rebus à scosis, scilicet

ab

ab immunditijs,colanda: melius,iudicio nostro esset, si res ipsæ absque casia per se colentur,& casia prius transacta per setatium, cum rob & penidijs postea supermittatur. Etiam adhuc melius: si post decoctionem rob & penidiarum, ante commistionem farinæ fabarum commisceatur ipsa casiæ pulpa munda à scofis &c. Et hoc ideò: quia casia ipsa nõ sustinet vltra mediocrẽ coctionẽ, & res ipsæ meliori modo possunt colari sine casia, quàm cum casia, quia casia dilatando sui corpulentiam,maxime ingrossat decoctionem illam,& per consequẽs difficilior est ad colandum.

De Chesmes,seu Kesmes,vel Alkesmes.

Chesmes. CHesmes enim &c.nil aliud sunt secundũ veritatẽ,quàm passulæ,id est vuæ passę,& particulariter illæ quę nascũtur sine arillis,quarũ vna vulgò dicitur vua passerina,&vua mulierũ,& à nonnullis vua marina vocatur. Vnde Serapio cap.36.de passulis,authoritate Philosophi,ait: Alkesmes: ita nominantur in lingua Ferisis. Et sunt passulæ sine granis: ponuntur in sole virides,& passescunt ibi sine grano,& sunt dulces. Hæc ille. Quãuis etiam & omnes vuæ passæ sine arillis, vel studiosè enucleatæ, vel sine ipsis arillis natæ,generaliter possunt chesmes dici. Non obstantibus impressionibus mendosis,per quas hîc,& in pluribus alijs descriptionibus,pro chesmes legitur chermes: & econtrà in aliquibus locis pro chermes est impressum chesmes. Vnde Brasaulus peritus vir,a propinquitate vocabuli,& ab ipsis incorrectis impressionibus deceptus: in suo syruporum examine,scilicet in examine primi syrupi,asserit chesmes,& chermes,vnum & idem esse,scilicet granum ex quo sericum chermesinum dictum inficitur. Adducens etiam ipse authoritatem Serapionis,ait: Inquit enim Serapio: Chesmen &c.Si autem textus Serap. apud ipsum erat mendosus,nescimus. In vno nempe exemplari & in quinque diuersis impressionibus, quas vidimus, cap.321. legitur: Charmen,id est grana &c.Et econtrà in synonymis dicti libri legitur. Kesmes,id est passulæ paruæ,quæ nõ habent interiora. Et in præfato cap. de passulis: Alkesmes legitur. Item filius ipsius Serapionis in 7.sui Breuiarij,tractatu de syrupis: in syrupo videlicet,qui incipit: Syrupus conferens pectori & mundificat pectus &c.habet sic: Passularum kesmeni dulcium carnosarũ &c. Ergo chesmes non sunt grana tinctorũ: & per consequens,non sunt idem chesmes & chermes. Sed re vera chesmes,, siue per k , kesmes (vt plurimi testãtur,& ex antiquis,vt Serap.& cæteri, & ex iuniorib. vt Luminare Maius,Io.Manardus & cæteri) sunt vuę passæ absq; arillis.

Brasauli error in chermes & chesmes.

arillis. Chermes autem, siue charmes, siue per k, karmes. & kermes *Chermes.*
&c. sunt grana tinctorum: de quibus satis dictum est suprà in confectione alchermes. Præterea posset nobis quis ob mendosas impressiones obijcere, quòd chesmes non sint passulæ: quia Author noster in de ægritudinibus pectoris & pulmonis: videlicet, in sermone de aqua cicerum, authoritate Haboali, habet iuleb alchesmes, in quod ingrediuntur chesmes & passulæ. Sic enim legitur: Recipe alchesmes & passulas &c. Ergo &c. Ad hoc respondemus, quòd certissime impressiones illæ innumeris scatent mendis. Et particulariter eo in loco textus est mendosus: quia in nullo penitus antiquorum librorum quos vidimus est ita: nec in libro de vulgari impressione, quem (vt aliàs diximus) aliquãdo citamus præsupponendo exemplar ex quo translatus est ipse liber. Nec est in Luminare Maiori, in quo etiam habetur ipsa descriptio: sed omnes simpliciter habent, Recipe alchesmes, & bulliant &c. Illud ergo, & passulas: mendosissimè & ineptè ab imperitis librarijs & inscijs ipsorum librorum correctoribus additum est, atq; stare permissum. Poterat enim esse quòd in aliquo exemplari esset pro glossemate positum, sic: Recipe alchesmes, id est passulas &c. At ipsi malè legentes: pro, id est passulas: impresserunt & passulas. Cassetur igitur, nec permittatur talis error esse in libris tantæ authoritatis.

De Fabis.

FAba quidem legumen notissimum. Sed sciendum, quòd sub termino, scilicet faba, plura & varia simplicia connotãtur. Absolutè autem ipse terminus pro illis, quæ sunt ex leguminum genere, capitur, quarum (vt manifestè videmus) duæ sunt species, seu differentiæ communiores, & notiores, de quibus vel saltem de altera ipsarum in præsenti descriptione Author intelligit. Quæ duæ species forma & virtute non differunt. Discrimen autem ipsarum est, magnitudo vnius, & paruitas alterius, scilicet quòd vna plãta est maior altera, quæ & producit in suis siliquis seu scapis maiores fabas: videlicet ad quantitatem vngularis iuncturæ pollicis manus. Minor autem planta minutiores gignit fabas: videlicet, pisorum vel phaseolorum magnitudinem non excedentes. Et ex his quælibet sumi potest. Et intelligitur semper de maturis & siccis, cùm fabæ petũtur, nisi aliquo modo specificetur de virentibus. Alia autem fabarum genera, vt est faba lupina, quæ est aconiti species, & faba Aegyptia, quæ & colocasia dicitur, non oportet hîc declarare. *Faba absolutè.*

Lohoc

Lohoc aliud noſtrum de intentione hac. CXX.



QVATVOR nanq; ſunt in præſenti deſcriptione annotanda. Primum, videlicet vbi per impreſſiones in titulo ipſius legitur: Lohoc aliud noſtrũ inuentione hac. rectius legẽdum, vt eſt in antiquis exemplaribus: Lohoc aliud noſtrum de intentione hac, ſcilicet ſupradicta. Et ea de cauſa Author nõ ſcripſit operationes iſtius lohoc, quia valet ad omnia ad quæ ſupradictum. Secundum, vbi in ipſis impreſsionibus mendoſis legitur: Pſyllij, granatorum cytoniorum. lege correctius: Pſyllij, granorum cytoniorum &c. Quia ſic eſt in dictis exemplaribus. Et verius quidem. Non enim intrant præſentem confectionem granata, ſcilicet mala punica. Tertium autem, vbi legitur, draganti, & gummi. Pro gummi, intellige gummi Arabicum. Et ſemper cùm abſolutè ſcribitur gummi, Arabicum eſt ſubintelligendum. Lege etiam de hoc in principio ſequentis deſcriptionis lohoc boni. Quartum verò notandum eſt: vbi legitur in fine deſcriptionis, Papaueris albi, & triũ granorũ &c. Pro tribus nempe granis intelliguntur tria ſemina, ex quatuor ſeminibus maioribus frigidis. Et ſic etiam ſuprà, ſcilicet in Triphera Perſica, pro quatuor granis, intelliguntur ipſa quatuor ſemina. Et infrà, in trochiſcis de ſpodio per quatuor ſemina, eadem intelliguntur. Sed hîc aduertendũ, ſcilicet quòd quando nõ ſcribuntur omnia quatuor ſemina: tam maiora, quàm minora: tam calida, quàm frigida: ſed duo, vel tria ex ipſis, nõ ſpecificata, vt in præſenti deſcriptione, & ſimilibus: ſemper de prioribus deſcriptis in ordine ipſorum intelligi debet. Vt exempli gratia: Semina communia maiora & frigida ſecundum communem vſum, hæc ſunt, taliq; ordine: videlicet, Melonis ſemen primum, Citrulli ſecundũ, tertium Cucumeris, & quartum Cucurbitæ. Et ſic in præſenti lohoc, quarto ſemine omiſſo, quod eſt ſemen cucurbitæ, reliqua priora ſunt accipienda. Et ſic de ſingulis. Semina autem communia minora, & frigida, ſecundum magis communem æſtimationem, ſunt hæc: Semen lactucæ, portulacæ, plantaginis, & endiuiæ, ſiue ſcariolæ, vel cichoreæ, quæ vnum & idem ſignificant. Semina autem communia maiora, & calida, de communi conſuetudine, ſunt hæc, videlicet: Semen fœniculi, cymini, ſiſelei, id eſt ſileris montani, & ſemen carui. Minora autem ſemina communia, & calida: communiter tenentur hæc, ſcilicet ſelini, id eſt apij: vel ſemen petroſelini, id eſt apij de petra. Et horum duorum quodlibet

Gummi abſolutè.

Semina cõmunia maiora & frigida.

Semina cõmunia mino ra & frigida.

libet indiſcriminatim pro primo ſumi poteſt. Secundum ſemen aniſi, tertium ammeos, quartũ naſturtij. Et notandũ quòd diximus hæc omnia ſemina eſſe tali ordine poſita, ſecundũ cõmuniorem multorũ æſtimationẽ &c. Quoniam ſunt nõnulli, qui variãt & in ſimplicibus, & in ordine ipſorũ. Vnde Pandectarius ponit abſolutè quinq; ſemina calida: nec dicit maiora, nec minora, tali quidẽ ordine. Hæc ſunt, videlicet ſemen ammeos, aniſi, carui, cymini, & fœniculi. Paulus Suardus verò ponit quatuor ſemina cõmunia frigida minora, ſic: ſemẽ endiuiæ, lactucæ, ſcariolæ, & portulacæ. Quæquidẽ in rei veritate ſunt tria, & non quatuor: quia endiuidia & ſcariola (vt aliàs diximus) nõ ſunt duo diuerſa: ſed vnũ & idẽ. Etiã Braſauolus in ſuo Simpliciũ examine numero 223. vt Paulus Suardus ſcripſit ipſa quatuor ſemina minora frigida. Fortaſſe ipſi intelligunt pro endiuia, cũ vulgari plebe, lactucam ſylueſtrem, quod ſimiliter eſt malũ. Et nõnulli alij aliter variant. Inſuper notandũ etiam quòd dicta ſemina reſpectiuè dicuntur cõmunia, quia communẽ habent operationẽ. Quamobrem in quolibet gradu nihil refert, ſi nõ ſeruatur ordo: quia indifferenter poteſt poni alterũ pro altero ipſorũ quæ ſunt in vno gradu. Quia etiam & ipſe filius Meſuæ non ſemper ſeruauit vnũ & eundem ordinem: vt probatur, & præſertim de maioribus frigidis, quæ in practica ſæpe ſpecificatè recipiuntur omnia quatuor, & quandoq; tria, & ſæpiſsime duo. Vnde ad faciliorẽ lectoris cõmoditatem, exemplorũ gratia, aliqua particulariter ſignabimus loca, ex his in quibus Author omnia quatuor maiora frigida ſucceſsiuè & immediatè, non tamen vno & eodem ordine deſcripſit. Igitur in prima ſumma ſecundæ particulæ ſectionis primæ, capitulo de raucedine vocis: poſt ſummarum deſcriptiones, in vno lohoc filij Zezar, ſic legitur: Seminum cucurbitę, cucumeris, melonis, & citrulli. Item capitulo de aſthmate in cura ipſius: videlicet, in vno medicamine Zeid: ſic ordinatè ſcripſit, Seminis melonis, citrulli, cucumeris, & cucurbitæ. Et inferius in quodam lohoc, ſimiliter ordinatè poſuit. Item capitulo de tuſsi catharrhali: in Diapapauere Hamech, ſic habet: Seminis cucumeris, citrulli, melonis, & cucurbitæ. Et infrà in vno lohoc Ioannis Serapionis ſic: Seminis cucurbitæ, melonis, cucumeris, & citrulli. Item inferius in vno medicamine Regis Sabor, ſic: Seminum cucumerum, melonum, citrullorum, cucurbitarum &c. Item in præſenti antidotario: videlicet, in Diarhodon deſcriptione communi, ſic: Citrulli, melonis, cucumeris, cucurbitæ. Et in confectione alia

Semina cõmunia quare ita dicātur.

Galeni,sic:Cucumeris,cucurbitæ,citrulli,melonis.In Diasiracost autẽ primum scripsit absolutè,sic:Seminum communium: hinc immediatè subiunxit ordinate ipsorum declarationẽ.Et in trochiscis de camphora,& in oleo de semine cucurbitæ,& alijs in locis similiter fecit.De tribus quoq; vel duobus, infinita exempla passim reperiuntur.Sed quia de consimilibus idem est iudicium, breuitatis causa dimisimus.Veruntamen si de quolibet gradu habentur omnia quatuor,& ex eis oportet dimittere vnũ,vel duo, dimittantur secundũ ordinem ipsorum. Et hoc intelligitur super non specificatis.Sed insuper aduerte de semine apij,quòd nõ intelligitur de apio palustri.Lege de eo in Diacalamẽto.His igitur visis sciendũ etiam quòd in nonnullis impressionibus in præsenti descriptione,pro trium granorũ,legitur trium granatorũ. Emendetur locus,ne quis decipiatur,accipiendo tria genera granatorum pro tribus granis,scilicet seminibus iam dictis.

Lohoc bonum &c. CXXI.


VNT etiam & in præsenti descriptione per impressos libros tres errores corrigendi. Primus videlicet, vbi legitur:Dragaganti gũmi &c.Ex hac enim lectione putant aliqui vnũ,& non duo simplicia esse.Quia cùm legunt:dragaganti gummi, intelligunt tanquam si legerent,gummi dragaganti.Et certè aliquis nesciens rei veritatem,de facili in his & similibus errare potest.Sed reuera non est ita:quia è medio illarũ dictionum, librariorum vitio(vt putamus)sublata est copula.Volumina nempe antiqua,vt in suprascripto lohoc,ita & in præsenti descriptione sic rectius habent:Dragagãti,& gummi.Imò nõnulla magis clarè & specificatè,sic:Dragaganti, & gummi Arabici:tamen pro maiori parte non specificatè,sed cum copula tantùm. Secundus autem error est,vbi legitur:penidiarũ ℥.lx.lege verius ℥.lxx.Eadem de causa desunt hîc ℥.x.qua suprà,& dicta copula. Tertius error prædictis maior est,vbi legitur:Granorũ nasturtij coctorũ &c.Nam hîc est duplicatus error:quia secundum istam literam, coquunt semen nasturtij quod debet esse crudũ,& demũt vnum simplex ab ipsa confectione,vt mox patebit.Non enim est ita in exẽplaribus antiquis:quia in aliquibus ipsorum sic legitur:Granorum nasturtij,cotti. Et cũ puncto intermedio.In nõnullis autem sic,& cum puncto similiter,vt notamus: Nasturtij, granorũ cotti.In alijs clarius sic:Granorũ nasturtij,granorum cotti.In ali quibus

quibus etiam sic: Nasturtij, granorũ cottonum. Et in quibusdam aliter & aliter. In nullo autem ipsorum penitus inuenimus, sicut est in dictis impressis libris. Et putamus, quòd ex allegato vltimo exemplo error talis euenerit, scilicet quòd pro cottonũ, impresserunt coctorũ. Sed reuera Author non quærit hîc nasturtiũ coctum vllo quouis modo: sed præcipit recipi nasturtij semen crudum, vt sit magis aperitiuum, & post ipsum, & cum ipso iubet sumi grana cottonis, id est semen bambacis vulgò dictæ, quæ à multis cottum, cotti: vel cotuñi, coti: vel cotton, cottonis dicitur: vt apud varios Authores legitur. Et non putet quis granum cottonis non cõuenire intentioni huius confectionis: quia vt patet apud Authores ipsum scribentes perquàm maxime conuenit. Quia multùm cõfert tussi, & est bonũ pectori: vt Serapio in proprio cap. quod est lxvj. dicit. Et Pandectarius etiã adducit pluriũ authoritates de hoc. Præterea probatur etiam valere ad id quod diximus, non solùm per ipsum Authorem filiũ Mesuæ, capitulo de tussi humida: vbi in pilulis Pauli (quas retentas in ore scribit conferre ad tussim siccam) habet ipsum semen: sed etiam per Hali filium Abbas in x. practicæ, cap. de lahucis: in quo habet vnum la bucum, id est lohoc, de semine bambacis, quod facit ad asperitatem pectoris. Et in vj. practicæ, cap. v. de medela tussis, habet vnũ electuarium, in quo recipitur dictum bambacis, siue bombacis semen. Item in antidotario Nicolai, est syrupus cõtra pleuresim, & peripleumoniam, pro phthisicis & ethicis, in quo recipitur semen bambacis. Ergo bene recteq; est positum ab Authore in hoc lohoc ipsum semen, seu granum, quod idem est. Doctores enim nõ faciunt differentiã inter granũ & semen, nunc vnũ, nũc aliud scribentes pro eodem. Luminare Maius autẽ nesciens errorem literæ declarauit, quòd semina nasturtij per coctionem meliorantur. In qua autẽ virtute, seu proprietate, & quo coctionis modo, non explicauit. Si igitur secundum ipsum, per omnem coctionis modum augentur seu meliorantur cunctæ virtutes & proprietates nasturtij seminis, hoc est falsum, & contra Authorẽ nostrum, qui in canonibus dicit, quòd vnaquæq; res si per aliquem coctionis modum augetur, seu vigoratur, in vna virtute seu proprietate minuitur, & debilitatur in altera. Et exemplũ tradidit de myrobalanis &c. Lege ibi. Igitur nõ assignando virtutẽ huic necessariò vigorandam, neq; modũ coctionis faciendum (videlicet si per assationem, vel elixationem &c. quoniam plures sunt coquendi modi) verba ipsius magis obtenebrãt, quàm declarant. Thesau- *Cottonis grana.*

rus aromatariorum autem rectè posuit sic: seminis coti. vt in suo originali reperit. Et sic est secundum veritatem. Nam vera litera hæc est: Nasturtij, granorum cotti, seu cottonis &c.

De *Bambace, seu* Cottone.

BAmbax, vel bombax, acis: seu bambacium, vel bombacium, cij: seu cotton, vel cotto, nis: seu cottum, cotti: vel cotum, ti: seu cottonum, ni: & alia plura, pro vno & eodem, scilicet bambace, à iunioribus accipiuntur. Priores autem Latini, pariter Græci, xylinum, & xylum, & gosopium, siue gossipion nuncupabant. Xylon enim Græcis est nomen commune ad quodcunque lignum, & ad hoc bambacium. Inter lini genera à nonnullis ponitur. Lanugo autem ipsa (si ita dici libet) ab omnibus cognoscitur, quia in multos habetur vsus. Est enim multùm simillima bombycis serico albissimo. Planta autem ipsius non ita cognoscitur, quia non vbique prouenit: ex quo plurimi sunt & Romæ & alibi, qui eam videre peroptant. In Regno Apuliæ quidem copiosissime seritur. Gaudet calidioribus locis. Bicubitalis herba est, & ramosa, effigiem parui arbusti ferens. Radix dodrantalis, alba, atque lignosa. Folia vt vitis habet, minora valde. Flores fert mellinos, è quibus scapi ad instar nucis vsualis trisecti prodeunt: & in eis semen vti semen citrij, minus tamen, & ordinatè positum, lanugine dicta vndique obductum atque vestitum. Qui scapi maturationis tempore lanugine dicta intumescente, tripartite diuiduntur, & tanquam flos niueus, lanugo ipsa bambax, seu bombax, quasi bombix dicta, vnà cum suis granis siue seminibus scatet, ac inter defluendum colligitur. Et licet ipsa bombax sit albissima, vt nix: semen autem exterius potius trahit ad nigredinem, quàm ad albedinem: interius verò est album vnctuosum, gustusque non ingrati. Allucinantur nempe nonnulli putantes bambacem arte dealbari. Sed scitote, quòd ipsa naturaliter in supremo gradu candidissima, contrarium habet aliorum generum lini. Cùm enim lauatur, non accipit (quia nec potest accipere) aliquid albedinis: sed econtrà amittit magnam partem sui niuei candoris, vt experientiam fecimus. Arte tantùm separatur à granis, ex quibus multa in ipsa bambace relinquuntur. Quapropter si aliquis indigens ipsis, & aliter non potest habere, quærat diligenter inter ipsam, & habebit ea. Seritur autem bambacium Februario, vel Martio mense: colligitur verò Septembri & Octobri.

Bambacis semen quale.

Bambax arte non dealbatur.

Lohoc

Lohoc ad asthma &c. CXXII.



STVDMET lohoc etiamnum ponit Author capitulo de asthmate, circa finem: & scribit ipsum ibi duplicatis ponderibus, ad proportioné istius quod est in antidotario. Quapropter monendi sunt aromatarij, vt aduertant quòd per impressiones, in præsenti descriptione, est vnum mendum: videlicet vbi legitur, Accipe succi squillæ assatæ ʒ.iiij. Legendum est rectius ʒ.iij. vt probatur per dictum capitulum de asthmate, quod habet ʒ.vj. & per antiqua exemplaria quæ habent ʒ.iij. Item in decimo practicæ Hali Abbas, capitulo de lahucis, habetur lahucum vtile solutioni asthmati antiquæ, tussi &c. quod est simile huic in omnibus, præter quòd non habet myrrham & crocum. Et fortasse desunt illa, errore interpretis, vel librariorum. Habet autem squillę ʒ.iij. Igitur tres drachmæ ponendæ sunt, & non quatuor.

Lohoc de amygdalis &c. CXXIII.



ICET non in omnibus, tamen in quibusdam impressionibus pręsentis lohoc descriptio in vno mendosa probatur. videlicet, vbi in ipsis pro granorum pini, legitur granorum vini. Non enim competunt huic confectioni vinacea: id est vuarum grana, quæ per grana vini possent intelligi. Quamobrem rectius lege (vt est in cæteris libris) granorum pini. Præterea, vbi legitur in fine: Confice cum mellis & succi fœniculi bullitorum quantitate sufficienti: non intelligitur illa quantitas sufficiens, respectu proportionis mellis ad succum fœniculi, sed respectu totius confectionis. Et hoc modo intelligitur: videlicet quòd tu debes accipere succum fœniculi depuratum, & mel despumatũ, & proportionabiliter sicut competit secundum artem, parare ex eis tanquam syrupum siue iuleb: scilicet quòd bulliendum est mel cum succo fœniculi vsque ad succi consumptionem. Deinde accipe ex illo melle, quantum sufficit ad conficiendum ipsum lohoc, & cætera: & sic intelligitur illa quantitas sufficiens. Regula autem proportionis succi ad mel, sumi potest à pluribus descriptionibus syruporum, & iuleb ipsius filij Mesuæ. Sed hoc non te lateat: videlicet quòd ad minus succus cuiuscunque rei, vel succi plures pro vno sumpti, siue infusiones, vel decoctiones, ad mel siue ad zuccharum, siue ad simile, debent esse in proportione sesquialtera. Exempli gratia: quòd si mellis aut

zucchari sunt duæ libræ: succi autem, vel succorum tres libræ ponendæ sunt. Et hoc passim probari potest: quia rarissimè minus, quàm in dicta proportione sesquialtera reperies factum ab ipso filio Mesuæ. Imò vt videre licet, multoties in duplum, & aliquādo amplius de liquoribus ad mel, vel simile, subministrat. Præterea sciendum quòd Luminare Maius addidit ad præsentem descriptionem succum apij: quo autem iure, nescimus. Testamur Deum, quòd in nullo exemplari, neque in quauis impressione, neq; apud aliquem Authorem (præter ipsum) inuenimus. Quapropter iudicamus non esse admittēdum. Et sic imponitur finis huic quintæ distinctioni, ad laudem Domini nostri Iesu Christi. Indulgēdum quippe est nostræ prolixitati: quia, vt omnia clariora fiant, cogimur aliquando præter intentionem prolongare sermonem.

DISTINCTIO SEXTA.

Syruporum alij sunt simplices, sicut species iuleb &c. CXXIIII.



VTHOR noster hanc suam distinctionem sextam in duas principaliores diuisit partes: quarum prima est de syrupis, secūda autem de robub. Secunda ibi: Restat sermo noster &c. Prima autem adhuc in duas: quarū prima est de simplicibus, secunda verò de cōpositis. Ibi: Hucusque scripsimus &c. & hanc primæ secūdam adhuc in duas: quarum altera, scilicet prima, est de compositis infrigidantibus: secunda autem de compositis calefacientibus. Ibi: Iam quidē loquuti sumus &c. Quæ omnes in processu patebunt. In prima igitur parte, quæ est de iuleb, seu iulep (quod putamus rectius, quia à quibusdam iunioribus Græcis Zulapon inscribitur) siue de syrupis simplicibus, sciendum primò, Iulep Arabicè nil aliud significare, quàm syrupum simplicem. Vnde non est alia differētia inter iulep, & syrupum, præter quàm quòd iulep semper intelligitur syrupus simplex: syrupus autem & pro simplici, & pro cōposito accipitur. Nec audiēdi sunt nonnulli phantastici neoterici, qui directè vel indirectè semper nituntur peruertere sensum & intentionem Authoris, falsò diffiniendo iulep significare syrudum simplicem, ex pura aqua sublimata & zuccharo. Cùm apud

Iulep & Syrupus in quo differunt.

præ

præſentem Authorem expreſsè patet cõtrarium, cùm ſcribit: Iulep ex aqua infuſionis roſarum, & ſimiliter violarum: ex Iulep ex ſucco violarum, & ſimiliter ex ſucco roſarum: & Iulep & iuiubarum decoctione &c. Igitur non ex ſola aqua ſublimata, & per cõſequẽs falſa ipſorum diffinitio. Item probatur etiamnum, quòd Author nullam facit differentiam inter ſyrupum ſimplicem, & iulep, vocando vnum & idem, nunc vno, nunc alio nomine, ſcilicet non iulep, & nunc ſyrupum: vt in principio iſtius diſtinctionis, cùm dicit: ſyruporum alij ſunt ſimplices, ſicut ſunt ſpecies iuleb &c. Et clarius infrà, videlicet in iuleb iuiubino, vbi in principio vocat ipſum iuleb, & in fine vocat ipſum ſyrupum, dicens: Et cum ℔.j. zucchari fiat ſyrupus. Itẽ in fine ſyrupi de ſucco acetoſæ, vbi dicit: Et modus eius eſt, ſicut ſyrupus de ſucco violarũ. Et in ſyrupo de prunis, cùm dicit: valet ſicut ſyrupus de violis, & fit ſicut ipſe. Nam ſuprà nominauerat iuleb de ſucco violarum, & de aqua infuſionis violarum, & non ſyrupum. Et ſi quis velit contentioſè obijcere, dicẽs quòd filius Meſuæ in dictis ſyrupo de ſucco acetoſæ, & ſyrupo de prunis, non intelligat de iuleb violatis præfatis, ſed de ſyrupo de violis, qui eſt infrà poſt ſyrupum de portulaca. Ad hanc quidem obiectionem duas habemus reſponſiones potiſsimas, manifeſtè contrarium probantes. Prima videlicet, vbi ipſe Author in dicto ſyrupo de ſucco acetoſæ dicit: Et modus eius eſt ſicut ſyrupus de ſucco violarum. non poteſt intelligere de ſyrupo de violis infrà poſito: quia ipſe ſyrupus non fit cum ſucco violarum, vt patet in textu. Nec aliàs habetur in hoc antidotario ſyrupus de ſucco violarũ, præter dictũ iuleb de ſucco violarum. Ergo neceſſariò intelligitur de iuleb dicto. Secũda reſponſio eſt, ſcilicet quòd iſti ſyrupi de ſucco acetoſæ, & de prunis, ſunt ſimplices: & exemplum conficiendi ipſos malè daretur de illo qui eſt cõpoſitus: & ſequeretur corollariũ, quòd iſti confecti per modum illius compoſiti non eſſent ſimplices, & per cõſequens male locati ab Authore inter ſimplices. Eiuſdẽ etiã rationis & probationis eſt ſyrupus cheſmes, vt dicit Author: Decoquãtur cheſmes, ſicut diximus, in ſyrupo de iuiubis: hoc eſt, in iuleb iuiubino, qui eſt ſyrupus ſimplex: & non intelligit de ſyrupo de iuiubis compoſito, qui eſt infrà &c. Etiam in decimo practicæ Hali legitur: Iuleb aſsignatio: & eſt roſarũ ſyrupus. Et quidẽ communis vſus ſeruatur hodie ab omnibus in nuncupãdo: quia vocant ſyrupum roſatum, & ſyrupum de ſucco roſarum prædicta iulep. Igitur neceſſe eſt confiteri Authorem intellexiſſe, illis

in locis de Iulep suprà positis. Vnde ergo sequitur, quòd iuleb siue iulep, & syrupus simplex sunt idem. Syrupus autem Græcè, Latinè dicitur potio: & iuleb Arabicè, Latine dicitur potio simplex. Sed intelligendum est de medecinali simplici potione: quia potus, seu potio aquæ vel vini simplicis, non debet vocari iuleb, aut syrupus. Quapropter omnis syrupus, siue iulep, dicitur potio: sed non econtrà. Syruporum autem potiones, aliæ (vt textus declarat) sunt simplices, & aliȩ compositæ, de quibus postea. Nũc autem de simplicibus incipiamus.

Modus operationis iuleb rosati &c. CXXV.



Syrupus rosatus absolutè.

IVLEP, siue iuleb rosatũ, in ista distinctione primum occupat locum. Sed hoc hodie communiter sub nomine syrupi rosati intelligitur. Vnde quandocunq; syrupus rosatus absolutè petitur, vt semper de hoc iuleb intelligatur communis vsus fecit.

Iulep rosatũ absolutè.

Pro iuleb autē rosato simpliciter scripto, volunt moderni vt intelligatur illud quod conficitur cum aqua sublimationis rosarum, de quo mox infrà dicetur.

Modus iuleb uiolati &c. CXXVI.



AVTHOR docet aromatarium conficere hoc iuleb violatum vt rosatum supradictum, scilicet ex infusione violarum: quod etiamnum sub nomine syrupi violati, scilicet simplicis, communiter habetur hodie in aromatarijs officinis.

Operatio infusionis rosarum & uiolarum: Accipe foliorum rosarum, aut uiolarum &c. CXXVII.



PONIT nanq; Author in præsenti descriptione modum faciẽdi rosarum & violarum infusiones. Et intelligitur disiunctim altera ab altera. Quia licet vtriq; sit isdem modus faciendi: tamen per se est facienda infusio rosarum, & per se infusio violarum. Quoniam ob literæ confusionem, nonnulli minus periti aromatarij dubitauere: vtrum si simul rosæ & violæ essent ponẽdæ in vna & eadem infusione, quia litera in impressis libris sic se habet: Accipe foliorum rosarum, & violarum ℔.vj.&c. Sed cum legitur sine ana, error literæ deprehenditur. Et in sequẽtibus clare probatur, scilicet: Tunc denuò &c. vbi rosæ & violæ, non cum copulatiua, sed cum disiunctiua scribuntur. Et similiter in fine

Hoc

Hoc eſt: Et dicitur iſtud mucharus roſarum, vel violarum. Igitur re vera errore librariorum poſita eſt ibi copula, pro disiunctione. Etiam conſiderandum quòd roſæ & violę non vno met tempore floreſcũt. Quapropter oporteret alteram partem ipſarum ad minus eſſe ſiccam: quod eſſet malũ. Vel neceſſe foret in duobus temporibus facere huiuſmodi infuſionem, ſcilicet primùm bis infundere violas, quæ primùm florent, & poſtea tempore ſuo in ipſammet infuſionẽ bis etiam infundere roſas. Et ſic eſſet peius: quia fuiſſet quadruplicata infuſio contra Authoris præceptum. Vel ſi temporibus ſuis ſemel fiat infuſio violarũ, & ſemel roſarum, minime etiam poteſt eſſe bonum: & per conſequens poſtea non eſſet infuſio roſarum, nec violarum ſimpliciter, ſed vtriuſque ſimul, quæ non valeret ad conficiendum iuleb, ſiue ſyrupum roſatum, neque violatum ſimplicem. Ergo rectius (vt eſt in exemplaribus antiquis) ſic lege: Accipe foliorum roſarũ, aut violarum &c. vt in pluribus. Vel ſic, vt in nonnullis: Accipe foliorum roſarum, vel violarum &c. Præterea ſciendum quod licet ab Authore pro ſimplicioribus ponatur ſpecificatè quãtitas roſarum, vel violarum, & quantitas aquæ ſumẽda pro huiuſmodi infuſione facienda: veruntamen nos in hoc non ſeruamus ipſius regulam. Nec facimus ſecundum regulam Nicolai, permutando roſas vſque dum aqua rubeat: quæ regula eſt minus bona quàm illa filij Meſuæ. Quia qui plus, & qui minus poteſt facere roſarũ permutationes. Etenim in plurificatione permutationũ ipſa infuſio efficitur laxatiua. Vt experimento probatur: & Hali Abbas teſtatur in decimo practicæ, cap. 20. videlicet in deſcriptione quæ incipit: Iulep aſsignatio: & eſt roſarum ſyrupus &c. Et præter hoc plura alia inconuenientia ſequi poſſent. Sed hic eſt modus optimus quo vtimur. Appoſito cacabo ad ignem cum aqua pura communi & clara, vt ferueat, interim accipimus vas idoneum, puta ollam mundam, ad libitum magnã vel paruam, in quam plenam vſque ad ſummum folijs recentibus roſarum, vel violarum, vel alterius cuiuſcunque generis florum, (quia ex omnibus & ſingulis florũ generibus, ſi ipſorũ infuſionibus indigemus (vt dictus Nicolaus in ſyrupo violato refert) poteſt fieri infuſio. Et ita plenã dicimus, quòd videatur ex ipſis roſis, vel violis &c. amplius non poſſe immitti) ſuperinfundimus bullientem aquam, baculo agitando flores, vt ipſa aqua vbiq; tranſeat. ac etiamnum in ipſo aquæ feruentis immiſsionis actu (quia flores valde remittuntur) ſuperaddimus ex ipſis, vſque dum vas ſit

Infuſio ex omnibus floribus poteſt fieri.

floribus & aqua competenter plenũ. Quod diligenter coopertum dimittimus infrigidari in sequẽtem diem. Deinde exprimimus ipsos flores, ac proijcimus, & ipsam infusionem in caldario iterum super ignẽ constituimus, vt ferueat. Interim vt prius vas illud, seu ollam illam in qua facta fuit infusio prima, aut alteram sufficientem iterum eiusdem generis alijs recentibus floribus plenam paramus, ac demum ipsam primam infusionem bullientem immediate post primũ feruorẽ in dictã ollam floribus plenam superinfundimus, baculo, vt prius agitando. Postea bene opertam permittimus frigescere &c. Nec est necesse in ista secũda infusione superaddere flores, vt in prima: satis enim est vasis capacitas, pro secũda vice: quia si superaddes ex floribus, infusio ipsa non erit sufficiẽs. Neq; enim est supermittẽdum ex alia aqua pura aliquid omninò. Præterea si quis voluerit facere tertiã & quartam, & plures alias infusiones, vt in syrupo rosato solutiuo hodie habetur vsus, omnia prout in secunda facta fuerunt, peragere debet, præterquam quòd in qualibet vice quantitas florum est minuenda, quia etiam & quantitas aquæ minuitur. Quapropter hoc breuiter notatum habeas, scilicet quòd in prima infusione semper aqua debet esse ad sufficientiam florum: in sequẽtibus autem econtrà, scilicet quòd flores debent esse ad sufficientiã aquæ.

Infusio rosarum siccarum. Postremo sciendũ quòd nonnulli de consimili faciũt infusiones ex rosis siccis, quæ quidem infusio apud Authores rarissimè legitur. De qua autẽ nõ intelligitur, nisi specificatè legatur vel quæratur ab aliquo. Sicut à nostro Authore infrà in Gallia alesanginæ &c. Nec præparata diu est asseruãda. Quoniã ex quo, quia fit de rosis siccis, omni tempore recenter potest fieri ipsa infusio.

De *Mucharo*.

Est nanque per omnes impressiones in fine præsentis descriptionis vna barbara dictio, scilicet Mucharus, quæ stat tam pro rosis, quàm pro violis. videlicet cùm legitur: Et dicitur istud mucharus rosarum, vel violarum. Quid autem propriè significet, haud valuimus inuenire. Brasaulus autem in suo Syruporum examine numero videlicet quintodecimo, quasi ex se dicit quòd mucharus apud Arabes idem est quod infusio apud Latinos. Etenim ex rei consideratione, putamus ipsum bene interpretatum fuisse. Veruntamen si illa dictio sit verè & propriè significans illud, non nobis constat. Nam in vno tantùm exemplari inuenimus scriptum mucharus, & duo nihil habent: quia scriptores ignorantes veritatem vocabuli, diuiserunt locum

Mucharus rosarũ, vel violarum.

cum

cum vacuum. Reliquorum exemplariorum autem aliquod sic,& aliquod sic,has & consimiles plures variationes habẽt: videlicet, Amiccatur, Amicratus, Amicratet, Anucrarus, Anucarus, Imitari, Mitranis, Mitrarus, Mutarius, Mutarium &c. Sed in hoc vltimo vocabulo plura cõueniunt exemplaria, forsan rectius, quàm mucharus. Res parui momenti est,& parum facit vel sciatur vel ignoretur ab aromatarijs.

Iuleb aliud rosarum &c. CXXVIII.



VBINTELLIGE eiusdem operationis cum supradicto de infusione rosarum. Et, vt superius diximus, tantummodo aquã rosatã & aquam absynthij per sublimationem factas legimus apud Authores venisse in vsum medicinæ. De qua aqua sublimata (supple rosarum) intellexit Author in præsenti descriptione, cũ dixit: Accipe aquæ rosarũ &c. Nec potest aliter intelligi. Quia iam scripserat suprà iuleb rosatũ ex infusione rosarũ:& infrà, in iuleb de succo violarũ, describit præcise iuleb de succo rosarum: addensq;, quòd est laxatiuũ. Ergo pro aqua istius iuleb nõ potest intelligi infusio, neq; succus, sed aqua distillata ex ipsis rosis. Nec potest intelligi decoctio: quoniã infusiones tam rosarũ, quàm cæterorũ florũ, sunt decoctiones eorũ: quoniã generaliter flores nõ sustinẽt decoctionẽ. Et quòd ipse Author fuerit expertus operationẽ huiusmodi aquæ sublimatę, in suo de simplicibus, scilicet cap. de rosis, apertè demonstrat, cũ dicit: Et aqua earũ, quæ fit per infusionẽ, est mundificatiua, abstersiua,& solutiua. Et ea, quæ fit per sublimationẽ, est multæ cõfortationis: neq; est solutiua &c. Et inferius in eodem cap. dicit: Rosa verò,& oleum eius,& aqua ipsius per sublimitationem facta, confortãt cor &c. Igitur vt communis est vsus, quando absolutè hodie petitur iuleb rosatum, semper de hoc facto cum aqua ipsarum sublimata intelligitur: quoniam alia iuleb rosata, sub nomine syrupi (vt diximus) petuntur. Item cùm quæritur iulep,& non specificatur de rosato, vel violato &c. tunc semper intelligitur iuleb paratum ex zucchro & aqua communi,& simplici. Vt exempli gratia est suprà: videlicet in cytonijs cõdîtis,& in citris condîtis:& infrà, scilicet in syrupo de corticibus citri,& in syrupo acetositatis citri &c. Hodie quoque communiter de consimili fit iuleb violatum, ex aqua violarum sublimata:& consimiliter potest fieri ex omni alia aqua sublimata, si fuerit expediens. *Iuleb rosatũ absolutè.*

Iuleb

Iuleb de succo uiolarum, & Iulep de succo rosarum &c. CXXIX.


HIC NOTANDVM quòd sicut fit Iulep cum succo violarum, vel rosarum: ita de consimili potest fieri cum cuiuscunque alterius rei succo. Et profectò fiunt multa: sed habentur sub nominibus syruporum, vt infrà, syrupus de succo pomorum, & cæteri sequentes simplices: quia omnis syrupus simplex (vt superius diximus) vocatur etiam Iuleb. Præterea sciendum, quòd etiamnum ista iulep de succis violarum, & rosarum, hodie sub nomine syrupi de succo rosarum vel violarum nuncupātur. Et quamuis illud de succo violarũ amplius nõ conficiatur, attamen potest cõfici. Et licet Author dicat, quòd illud de succo rosarũ sit solutiuũ: tamẽ pro syrupo rosato solutiuo hodie Romæ ab omnibus intelligitur alius, qui fit ex tribus, vel quatuor, vel quinq;, vel pluribus infusionibus rosarũ incarnatarũ. Iuleb autẽ rosatũ præsens, non intelligitur sub nomine syrupi rosati solutiui: sed cum additione, de succo rosarũ. Sic videlicet, Syrupus de succo rosarũ. Ille autẽ præfatus, qui fit ex pluribus infusionibus rosarum incarnatarũ, qui & syrupus rosatus solutiuus dicitur, est nouiter adinuẽtus: quãuis posset dici sumptus ex decimo practicę Hali filij Abbas, vbi habetur syrupus rosatus solutiuus, ex plurib. rosarũ infusionibus. Sed tamen in hoc solùm differũt: quia Hali Abbas de rubris rosis intelligitur, & nõ de incarnatis. Quia rosa absolutè descripta, semper rubra intelligitur. Titulus autem descriptionis in Hali, talis est: Iuleb assignatio, & est rosarum syrupus &c. Similiter quoque nonnulli hodie faciunt syrupum rosatum solutiuum ex pluribus infusionibus rosarum Damascenarum nuncupatarum: quem iam experti sumus non solùm esse solutiuum, verumetiam & maxime viscerum conturbatiuum, & valde ventosum: quamobrem vsum eius non commendamus.

Rosa absolutè.

Iuleb Iuiubinum &c. CXXX.

Syrupus de Pomis &c. CXXXI.

Syrupus de Pyris &c. CXXXII.

Syrupus de Cytonijs &c. CXXXIII.

Syrupus de Persicis &c. CXXXIIII.

Descri


ESCRIPTIONES istæ sunt claræ, præterquàm quòd in syrupo de pomis, vbi legitur per impressos libros: Et sunt qui submergunt in succo setam tinctam ex chesmes ante succi depurationem. Lege rectius, ex chermes: vel in chermes: vt est in exemplaribus antiquis. Nam chesmes (vt superius dictũ est) sunt vuæ passæ, & nõ tingitur seta cum ipsis. Chermes autem sunt grana tinctorum: illa supple in quibus inficitur seta vulgò chermesina dicta. Consimiles errores sunt in syrupo de granatis dulcibus, & in syrupo de corticibus citri, de quibus locis suis lectores monebimus. Item lege correctius quod sequitur: non ante succi depuratione͂, vt est in ipsis impressis libris: sed post succi depurationem: vel ad succi depurationem, vt est in multis exemplaribus. Nam plura exemplaria habe͂t, ad succi depurationem. & ide͂ est ꝙ post succi depuratione͂. Quasi dicat: Quidam ad succũ depuratũ ponũt setã tinctã ex chermes &c. Etenim si ante depuratione͂ poneretur seta, postea in depuratione tota virtus & color deperderetur &c. Item quod sequitur: Vsquedũ rubeat &c. Subintelligitur quòd postea sit extrahenda ipsa seta à succo.

Syrupus de succo acetosæ &c. CXXXV.


BI AVTHOR in præsenti descriptione dicit: Et modus eius est sicut syrupus de succo violarũ: intelligit de iuleb de succo violarum supradicto, quem nunc vocat syrupum: quia nullam differentiam facit inter syrupum simplicem, & iuleb, vt in superioribus iam probauimus.

De Acetosa.

PLures sunt species seu differentiæ herbæ acetosæ. Sed quando absolutè (vt hîc) reperitur, semper intelligitur de illa quæ vulgò dicitur acetosella. Quæ quidem duplex est, videlicet vna quæ habet folia magna super terram expansa, lapatho simillima: vnde à nonnullis lapathium, siue lapathum acetosum dicitur, & ab alijs poscula vocatur. Altera folia habet parua, ad sagittæ alatæ effigiem &c. Et hæ duæ acetosæ species notæ sunt. Est & alia acetosæ species, quæ non lapathi, sed trifolij species videtur esse: vulgò nempe Alleluia, & panis cuculi dicitur, & hæc similiter cognoscitur. Est etiamnum & Ribes herba de genere acetosarum. Et de his vltimis quære infrà. Sed aduerte quòd diximus ribes herbam: quia fructus cuiusdam arbusti, quo vtuntur hodierni *Acetosa absolutè.* *Acetosæ herbæ species plures.*

aroma

aromatarij pro ribes, non est verum ribes.

Syrupus de succo cucurbitæ &c. CXXXVI.

De Cucurbita, & eius differentijs.



ET LICET Cucurbitarũ plura sint genera, siue species, Author tamen absolutè intelligit de communioribus & vsitatioribus. Et cùm dicit in præsenti descriptione: Accipe cucurbitam magnam: non dicit hoc ad differentiam alterius speciei minoris, scilicet quasi quod sit vna species, quæ vocetur cucurbita magna, vel ob magnitudinem plantæ, vel foliorum, vel fructus &c. & alia species, quæ econtrà ob paruitatem suarum partiũ, dicatur cucurbita minor, seu parua &c. quia per talem differétiam non distinguitur species ab huiusmodi generis specie. Sed dixit magnã: quia in vna met planta sunt magnæ & paruæ, propter ortus ipsarum variationes, scilicet quòd tu non accipias illam quæ vix heri aut nudiustertius florẽ dimiserit. Quæ sic tenella potius participat de flore, quàm de fructu: quia est absque bona substantia, tanquàm fructus immaturus. Author igitur dixit magnam, propter duo. Primum, ad differentiam tenellæ præfatæ: secundũ, vt sit sufficiens pro quinque libris expreßionis eius recipiendis. Quamuis hoc secundum non sit multùm necessarium: quia si vna non erit tam magna ex qua valeas accipere quinque libras dictæ expreßionis, licebit ex duabus, vel tribus, ac pluribus &c. Quapropter rectius putandum authorem intellexisse de magnitudine ætatis, quàm de magnitudine molis. Veruntamen non est accipienda illa quæ iam amisit omnem teneritudinem, & semen eius effectum est durum: quia huiusmodi non est bona. Illa autem est sumenda, quæ habet mediocritatem inter teneritudinem & duritiem. Illa propriè quæ est esui aptior. Nec sit amara: quia quandoque cucurbitæ, citrulli, & huiusmodi similia degenerant & producunt fructus suos amarißimos, de quo est valde curandum. Communiores autem cucurbitarum species, & de quibus Author intelligit, sunt illæ quæ habent folia mollia magna, petasiti consimilia, rotunda, subalbida, pilosaque: flores albißimos, ex quibus nonnullos caducos, nonnullos verò fructiferos &c. Et quædam planta producit fructus suos longos, id est cucurbitas longas, albas, magnasque: quædam verò rotundas, variaque rotunditate formatas. Et crescunt in similitudinẽ vitis: habentq; vt vitis in quolibet folio, ex alio latere duos capreolos quibus sustentan

Cucurbitæ communiores.

ſtentantur ſcandendo arbores & plantas quibus adhærent &c. Quæ quidem ſpecies omnibus notiſsimæ ſunt in noſtra Italia. Et per antonomaſiam vocantur cucurbitæ abſolutè. Vulgò autem à quibuſdam Zucchæ: ab alijs verò cucozzæ: & à nonnullis colocitræ, quaſi colocynthidæ, minus correctè nuncupantur. Sunt etiammum & aliæ ſpecies ſiue genera cucurbitarum, quæ nō ſimpliciter dicuntur cucurbitæ, ſed cum aliqua additione: vt cucurbita ſaracenica, cucurbita marina &c. quæ genera, ſiue ſpeciès, ſcandunt arbores &c. vt ſupradictæ, ſed habent quatuor capreolos in vno pediculo per ſingula folia, quæ folia ſunt magna, viridia, & aſpera, flores producūt vt præfatę, caducos, & fructiferos, non tamen albos vt illæ, ſed croceos. Fructus verò iſtarum plantarum peponibus ſimillimi, forma & magnitudine: ab extrà autem aliqui albicantes, aliqui virides, ad nigrum tendentes: ab intus verò, aliqui albi, alij crocei ſunt. Semina autem vt peponum ſemina ſunt, ſed maiora valde &c. Et hæ ſpecies quidem non ita omnibus notæ ſunt. Romæ autem notiſsimæ. Omnes generaliter humidis gaudent locis: Cucurbitæ Indicæ equidem &c. integræ ſeruātur vltra annum. Et tam iſtæ, quàm ſupradictæ, ſaccharo aut melle perquàm optimè cōdiuntur &c. Preterea ſunt & alia genera cucurbitarum: vt cucurbita deſerti, quæ & colocynthis, ſiue (vt mauis) coloquintida dicitur: & cucurbita reptilium, ſeu cucurbita ſylueſtris, quæ & feſcera, & bryonia, ſiue bryenia ſecundum Plinium, & Græcè ampelos leuce nuncupatur &c. de quibus alibi.

Cucurbita abſolutè.

Syrupus de prunis &c. CXXXVII.



CVM DICIT Author in præſenti deſcriptione: Valet ſicut Syrupus de violis, & fit ſicut ipſe: intelligit de iuleb de infuſione violarum ſupradicto. Sed de prunis non eſt facienda infuſio, vt fit de violis, ſed decoctio. Peritus enim aromatarius omnia debet intelligere cū ſale diſcretionis. & ſic de ſimilibus. Et aduerte, quòd pruna oportet ſint recentia, & non ſicca. Attamen in defectu ipſorum, & de ſiccis poteſt fieri decoctio: ſed neceſſe eſt in eis vti longiori bullitione.

Syrupus de granatis acetoſis &c. CXXXVIII

Syrupus de granatis dulcibus &c. CXXXIX.

In



N DESCRIPTIONE præſentis ſyrupi de granatis dulcibus,per libros impreſſos: mendoſè pro chermes legitur cheſmes. Scribe, ex chermes. Lege de hoc in ſyrupo de pomis ſuprà.

Syrupus de cortibus citri &c. CXL.



ONGA nempe examinatione præſentem vtiq; paruam deſcriptionem tranſegit Braſaulus. Attamen nec ſic nobis in omnibus ſatisfecit. Sunt etenim & in ipſa aliqua non ſine bona declaratione prætereunda. Ipſa igitur deſcriptio vſque ibi, videlicet: Et ſunt qui &c. eſt intelligibilis & clara. Ab illo autẽ loco plures inſurgunt dubitationes. Nam vbi dicit: Et ſunt qui in iuleb proijciũt ex corticibus citri, vel citrorũ (vtroq; enim modo in antiquis exẽplaribus legitur) partes conuenientes:& propriè quando vicinatur completioni coƈturæ eius &c. Completioni: non autem complexioni, vt in mẽdoſis impreſsionibus habetur. Eſt enim non parua differentia inter completionem, & complexionem. Aliàs etiamnum ſimiles mendæ leguntur: de quibus omnibus & conſimilibus multis paruis, breuitati ſtudentes, multoties non facimus mentionem: emendamus tantùm literam in receptario: vt legenti & cum alijs conferenti paſsim patebit. Ad ſupradiƈta autem redeuntes, poſſumus largo modo dicere, quòd tot ſunt ibi dubitationes, quot ſunt diƈtiones. Et primò. An illud iulep intelligatur ſyrupus ſupraſcriptus in illa deſcriptione, vel ſit denouo faciendum cum aqua pura & zuccharo. Secundò, ſi cortices citrorum ſunt intelligendi illi qui iam remanſerunt ex decoƈtione ſupradiƈti ſyrupi, vel alij. Quia ſi alij, inſurgit tertiũ dubium, videlicet ſi ipſi cortices ſint ponendi crudi in ipſum iulep, vel aliquo modo decoƈti. Quartò, ſi citrorum, vel citri ſit reƈtius legendum. Quia ſi citri, inſurgit quintum dubiũ in ſequentibus, ſcilicet vbi legitur: quando vicinatur cõpletioni coƈturæ eius: videlicet, ſi eius referatur ad citrũ, vel ad iulep. Sextò, qualiter ſit intelligenda illa partium conuenientia, ſcilicet vbi dicit partes conuenientes &c. Septimò, ſi ſeta tinƈta in chermes (non autem cheſmes, vt mendoſi libri habent) intelligitur ſubmergenda, in primo modo, vel in ſecundo, vel in vtroque. Oƈtauò, ſi in ſecundo modo ſit apponendus muſcus, vel non. Ad primum ergo dicimus, quòd pro illo iulep non poteſt intelligi ſyrupus ex decoƈtione citrorum ſuprapoſitus: quia ſi intelligeretur ipſe, &

ſuperaddendo ei cortices citri,reciperet plus de amaritudine,& per conſequens non eſſet(vt Author dicit) delectabilis, ſed magis horribilis,ob plurimam corticum citrorum amaritudinem. Ergo iuleb eſt per ſe faciẽdum ex aqua pura & zuccharo. Quod poſtquam receperit cortices citri &c.vocabitur ſyrupus de corticibus citri. Ad ſecundũ dicimus,quòd ſi ipſi cortices ponendi in iuleb(ſi pro quia)ſunt neceſſariò decoquendi, poſſunt intelligi illi qui ſuprà ex decoctione remanſerunt. Ad tertium dicimus, quòd dicti cortices in ipſum iuleb non ſunt ponendi crudi omni nò,eo maximè(vt aliqui putant)ſi ipſum iuleb ſit prope finem decoctionis: quia parum poſſunt bullire in ipſum iuleb. Et ſi extrahantur ſemicrudi ipſi cortices à iuleb percocto, tanquam nihil relinquent de ſua ſubſtantia in ipſum ſyrupum dictum iuleb. Et ſi permittantur ſtare,eſt periculoſum,ne ad tempus corrumpatur ipſum iuleb. Et ſi ponãtur ipſi cortices crudi in iuleb crudum,eſt expreſſè contra literam dicentem: Et propriè quando vicinatur completioni cocturæ eius. Vnde oportet vt alterũ ipſorum prius decoquatur: vtrunq; enim crudum nõ patitur illa litera. Ergo decoquendi ſunt ipſi cortices. Ad quartũ conſiderandum,quòd ſi litera dicat citrorum,& non citri: completio cocturæ neceſſariò erit referenda ad iuleb. Et(vt dictum eſt)non erit bonũ,nec rectũ ponere ipſos cortices crudos in fine decoctionis illius iuleb. Et ſi ponãtur decocti in vltima bullitione dicti iuleb in tam parua mora non poſſunt relinquere aliquid virtutis eorũ in ipſo iuleb: quia primum habent attrahere ad ſe iuleb,& poſtea diffundere virtutem &c. Igitur rectius putamus legendum eſſe citri,quàm citrorum. Eo maximè,quòd in maiori parte exemplarium,citri legitur. Et ſic quintum dubium reſoluitur ad citrum,ſcilicet quòd completio cocturæ rectæ debet referri ad citrum,& nõ ad iuleb. Et accipitur ibi citrũ pro corticibus ipſius, tãquam totum pro parte. Vt exempli gratia,tanquam ſi diceret: Accipe cortices citri,& in aqua ſufficienti decoque eos: non tamen ad perfectionem,ſed prope,& extrahe eos,& in zuccharum competenti aqua liquefactum & clarificatum ſubmerge illos: & ſic lento igne cum facilitate decoque, vſq; ad modum iulep &c. Poſtea potes extrahere cortices,vel ad libitũ dimittere: quia & ipſis corticibus poteris in neceſsitatibus vti pro citro condito. Et ſic ſyrupus huiuſmodi factus erit delectabilis: quia amaritudo ipſorum corticum pro maiori parte iam remanſit in prima bullitione. Et ſic eſt ſecundũ veram Authoris intentionẽ. Ad ſextũ,

x

ſcilicet de partium conuenientia. Eſt nanq; hoc in loco intentio Authoris vt ſumantur ex corticibus citri non perfectè decoctis, & ex iuleb clarificato partes cõuenientes, ſcilicet ad inuicẽ, id eſt quòd ad vnã librain corticũ ſit tanta quantitas ipſius iuleb accipienda, quæ poſt perfectã decoctionẽ valeat in ſe cõtinere dictos cortices. Vel ad vnã librã zucchari iulepati, ſiue iuleb clarificati, ponatur tanta quantitas ipſorum corticũ, quòd valeat perfectè coqui in ipſo, vt ipſe ſyrupus accipiat ex cõpetenti corticũ portione debitã virtutis ſubſtantiã &c. Et propriè (vt experti ſumus) libra pro libra eſt ſatis & ſufficiens, ſcilicet libra corticũ elixatorũ, pro libra zucchari nõ diſſoluti. Poſtea diſſoluatur & clarificetur &c. Vnde & iſto modo etiã poteſt rectè ſtare dicta ipſarũ partiũ conuenientia. Ad ſeptimũ dicimus, quòd licet ſit ad libitum, tamen ſecundũ verum literæ ſenſum ipſa ſeta tincta in chermes, in primo modo conficiendi, ſcilicet in decoctione perfecta corticum eſt immergenda, & non in ſecundo modo. Et ratio eſt: quia per primum modũ abiectis corticibus, poſt ipſorum decoctionem ſuſcipitur tantùm ipſa aqua decoctionis eorum, & cum zuccharo &c. conficitur in ſyrupum. In quaquidem aquam ante zucchari immiſsionẽ (ſi placebit) poteſt quilibet immergere dictam ſetam, & permittere ſtare, vſq; dum aqua rubeat: poſtea extrahat ipſam, & proijciat, aqua verò conficiatur cum zuccharo &c. In ſecundo autẽ modo, fruſtrà immergeretur ipſa ſeta in decoctionem citrorum, quæ poſtea erit abijcienda. Quia in ſecundo modo nõ recipitur ipſa decoctio, ſed cortices pluſquam ſemicocti tantũ, qui recoquendi ſunt in zuccharo iulepato &c. Sed ſi quis dixerit illam ſetam tinctam poſſe immergi in dictũ zuccharum iulepatũ, vnde etiãnum & de ſecundo modo poteſt intelligi ſicut de primo. Ad hæc reſpõdemus, quòd nõ ſolùm ſetam, ſed & alia plura poteſt addere & facere pro liberi arbitrij volũtate. Sed erunt ipſa præter textum, & Authoris intentionẽ. Textus nempe ſic ſe habet: Et quãdo ſubmergitur in aqua decoctionis citri &c. Non enim dicit in iuleb, ſeu in ſyrupo &c. Sed in aqua decoctionis &c. Ergo de primo modo intelligitur. Et aduerte quòd ſeta non eſt conficienda in his & ſimilibus locis: ſed poſtquam aqua, ſeu alius liquor receperit tincturam eius, ipſa ſeta eſt abſtrahenda & abijcienda: aliter enim ſe habet, quãdo quærit Author ſetã combuſtam &c. Ad octauum dicimus, quòd muſcus in vtroque modo eſt apponendus. Nec obſtat quòd Author non ſpecificet de eo in ipſo ſecundo modo: quia neque etiamnum dicit, vt non appo-

apponatur. Loquitur enim ipse peritis viris. Dixerat nāq; in primo modo, ipsum apponendū esse in secūda parte ipsius compositionis. Si autē postea, scilicet in secūdo modo variauit primā partem dictæ cōpositionis, secunda quidem remansit in suo robore. Et de hoc multa habemus exempla in testimonium. Sed ne simus prolixi, vnū tantùm subscribemus. Vt exempli gratia: Confectio de cytonijs bona superius declarata, post primā descriptionis positionē habet quidem multas variationes, tam primæ quàm secūdæ partis ipsius confectionis. Et sciendū quòd quælibet compositio habet duas partes principales, ad minus. Ipsius igitur confectionis de cytonijs, prima pars principalis hæc est: Accipe carniū cytoniorum coctorum in vino ℔.iij. mellis boni despumati tantundem: decoque cum facilitate. Hucusq; prima. Hinc sequitur secūda: Et postquam coctū fuerit, proijce super ipsum, cinnami, caryophyllorū &c. vsq; macis, ana ʒ.iiij. Et ibi est finis secundæ. Ergo postea cùm dicit Author variādo primā partem: Et quandoq; inuitat necessitas, & coquūtur cytonia in aceto ad causas calidas. Intelligit forsan, quòd post bullitionē in aceto sint propinandæ absq; melle, & sine speciebus? Absit. Et sic de singulis quæ subscribūtur ibi: Igitur muscus est apponēdus in secundo modo istius syrupi &c. Præterea animaduertendū quòd nonnulli ex iunioribus (vt Quiricus de Augustis, & Paulus Suardus, & cæteri) pro illo quod legitur in ista descriptione, videlicet: Et sunt qui in iulep proijciūt ex corticibus citri: habent ipsi, ex corticibus cytoniorum. Si autē ab aliquo mēdoso libro sic accepêre, vel quam ob causam permutauêre, nescimus. Et forsan male legentes, pro citrorū (vt libri impressi habent) intellexerūt cytoniorū. Nos autem fatemur veritatē, quòd in nullo tam antiquorum, quàm impressorū libro inuenimus vt ipsi habent. Brasaulus quidem dicit posse fieri cum corticibus cytoniorū: addensq; nō disconuenire. Sed re vera si fuisset ita, scilicet quòd loco citri, legatur cytoniorū: tota ipsa descriptio erit aliter intelligenda. Quia clausula illa tunc nō erit variatio compositionis, sed additio ad primū ipsius syrupi modum, scilicet quòd prope finem coctionis dicti syrupi aliqui possent addere corticum cytoniorum partes conuenientes. Sed nō sequeretur, quòd ipse syrupus esset postea (vt Author dicit) delectabilis: quia cortices cytoniorum non valent occultare amaritudinem corticum citri. Ergo non est ipse syrupus tali modo conficiendus, scilicet cum corticibus cytoniorū. Postremò notandum quòd cortex citri intelligitur pars exterior lutea,

Citri cortex & caro. absq; albedine illa quæ est inter ipsum corticem & citri acredinem, quæ caro citri potest nuncupari. Et hoc notauimus: quia nonnulli existimant totum ipsum citrum, præter acredinem dictam & semen, intelligi debere sub nomine corticis citri. Sed magnopere errant: quoniam sic non esset differentia inter citrum condîtum, & ipsum syrupum de corticibus citri.

Syrupus acetositatis citri &c. CXLI.



Bi dicit Author in præsenti descriptione: Et funde super ipsum ex iuleb claro & depurato: intelligit, quòd tu debes accipere quantitatem zucchari & dissoluere in cõpetēti aqua pura, & clarificare, ac etiā coquere ad modum iulep: quodquidem verè est iulep purum. Quia si non coquitur, non est iulep, sed aqua zucchari, quam non quærit Author: ex quo necessariò est decoquendū. Et ex dicto iulep claro & cocto, accipias v. ℔. &c. Etiam quia si non fuisset coctum iulep, esset indeterminatum pondus quantitatis zucchari conficiendi ipsum syrupum: quia quis poterit clarificare zuccharū cum aqua plurima, & facere iulep lentum, scilicet aquosum & crudum, & accipiendo postea v. ℔. ipsius iuleb crudi & lenti, siue aquosi, non accipit debitam zucchari quantitatem ad ipsum syrupum conficiendum. Et econtrà, aliquis potest suscipere plus, quàm fuerit necesse: quia ad clarificandum zuccharum, non indiget apponere multam aquam. Et ideo necessariò iulep est decoquendum prius, quàm vniatur citri acredini. Necest dicendum quòd Author pro v. ℔. dicti iulep, intelligat quinq; libras zucchari non dissoluti, & postea dissoluendi & clarificandi &c. quia litera patet. Etenim non scripsisset iuleb, si voluisset zuccharum: sufficiebat tantùm dicere: Et cum quinq; ℔. zucchari fiat syrupus: vt in multis alijs descriptionibus fecit. Nam hoc est notissimum & commune, quòd omnes syrupi siue cum zuccharo, siue cum melle, vel simili conficiantur, sunt semper clarificandi &c.

De Citris.

Citra equidem, siue citria, id est mala medica, apud omnes ferè nationes notissima sunt. Hoc autē sciendū, quòd in defectu cuiuscūq; partis citri, necnō & arboris eius respectiuè, possumus vti illis quæ sunt de genere limonum. Etiam & pro acredine citri necessitate cogente, si non adsunt limones, acredine *Stamnum pomum.* stumorum, quæ & poma Adam dicuntur, siue succo malorum au- *Poma Adā.*

reor

reorum, id est arantiorum acetosorum dũtaxat, vti licebit. Quoniam dulcia arantia sunt alterius proprietatis. Et hæc omnia & similia, sub vno genere (hoc est citrangulum vulgò dictum) largo modo possunt intelligi. Acredo autem à quolibet ipsorum accipienda est cum omni diligentia. Illa videlicet, quæ libenter & quasi sponte fluit, scilicet quæ non est mucilaginosa. Ideo non vi preli exprimenda est, sed manibus tantùm diligenter & cum facilitate premenda, linteoloq; non raro percolanda, postea decoquenda & purificanda &c. *Citrangulũ pomum.*

Syrupus de Acresta &c. CXLII.

De Acresta.



STE syrupus non indiget declaratione. Veruntamen de acresta aliqua paucula dicenda sunt. Ab ipsa nempe acredine quam habet, acresta nuncupatur. Per c, autem & non per g, rectius (vt putamus) scribenda est. Omnis enim vua immatura, acresta dicitur. Res ipsa vbiq; nota. Sed accipiẽdus est succus acrestæ, antequam in vuã transeat, nec nimis citò post florũ defluxionem, quia tũc plus habet de austeritate acerbitatis, quàm de acredinis põticitate. Succus autem ipse absolutè, Græcè Omphacium dicitur, teste Galeno pluribus in locis, sed particulariter in .6. Miamyr. cap. de mediorum medicaminum compositione. Videlicet in Diamoro Hieræ Cappadocis, dicit: Vuæ immaturæ succum indit, quod omphacium nominatur. & alibi. Teste etiam Plinio, cum alijs pluribus. Et aduerte, quòd differt omphacium à vino omphacite. Nam vinum omphacites fit ex vua acerba in primo gradu maturationis existente: omphacium autem simpliciter succus vuæ omninò immaturæ est. Et vel sit coagulatus in sole, vel liquidus ipse succus, quo ad denominationem nihil facit: tamen hîc liquidum omphacium expetitur. Sed mirati sumus de vulgari interprete libri filij Mesuæ, qui capitulo de Synanchia gutturis: in Diamoron Alexandri, authoritate Galeni, inueniens omphacium, vertit, seu vulgariter dixit, oleum omphacinum. Non enim conuenit illi Diamori medicamini oleum omphacinum, id est oleum de oliuis immaturis. Et licet omphacium dicatur etiam de oleo olearum immaturarum: non tamen pro ipso oleo absolutè scribitur: quia simpliciter & absolutè scriptum, quasi per antonomasiam, semper intelligitur de succo vuæ immaturæ, id est acrestæ. Pro pinguedine autem oleæ

Acresta vnde dicta.

Omphaciũ absolutè.

inmaturæ præponitur ei ſemper oleum,ſic: Oleum omphaticū ſeu omphacinum,quod idem eſt. Ponitur etiãnum hic ſyrupus à filio Serapionis,& ab Auicenna in proprijs antidotarijs.

Syrupus de granis myrti &c. CXLIII.

De Myrto.



YRTVS quidem nota eſt. Sed ſciendum quòd ſecundum Dioſcoridem,myrtus mõtana eſt melior ſatiua, & nigra eſt vtilior medicinæ, quàm candida. A differentia autẽ granorum, altera dicitur nigra,& altera alba,ſiue cãdida,ſcilicet quia vna fert grana nigra in maturatione ipſorũ,& altera alba.Quãuis illa quę dicitur nigra,& folia quoq; producit nigriora,quàm alba.Et nõ eſt myrtus alba myrtus agreſtis,vt vult Luminare Maius,& plures ex iunioribus,de qua poſtea . In initio ſuæ maturationis,myrti nigræ grana accipiẽda ſunt pro huiuſmodi ſyrupo conficiendo. Præterea ſciendum quod præter has,duas alias cognoſcimus myrti ſpecies,quæ ſunt tanquam duo extrema prædictarum, ſcilicet quòd vna ipſarum habet folia ampliſsima reſpectu aliarum ſpecierum,lauro proxima,cuſpidiora tamen , & arboreſcit magis quàm alię ſpecies.In partibus Taraconenſibus hanc arborem pluribus in locis vidimus. Eſt etiamnum ibi & ex præfatis mediocribus,& communioribus myrti ſpeciebus copia non parua:ex quo non poteſt ſuſpicari terram illam naturaliter producere myrtum magnis folijs. Econtrà,eſt altera myrti ſpecies quæ in regno Neapolitano frequẽtius habetur. Cœpitq; Romani apportari.In viridarijs ſuis Cardinales & nobiles,opere topiario ipſam libenter colunt. Et vulgò myrtus minuta,& myrtus gentilis,ſiue nobilis dicitur.Folia fert minima,& rotundiora,nigrioraque,buxei aſpectus,ſed ipſa folia ſunt minora folijs buxi,ramulis multis exilibus,longis,flexibilibus, ad topia facienda perquammaximè idoneis. Ex quo Myrtus topiaria dici poteſt. Quæ ſpecies ſi taliter cultura tranſformantur, neſcimus. Eninuero quod quælibet planta poſsit cultura ampliari, & nobilitari,& mitior fieri,ac luxuriari in folijs &c.negabit nemo. Sed quod econtrà aliqua planta,& præſertim eadem poſsit cultiuatione reprimi,& humiliari &c.ſi non eſt ratione carens,nemo concedet. Quapropter & ſi non ſupradicta,ſaltem iſta(quæ paruis conſtat folijs) neceſſariò eſt dicenda alia myrti ſpecies. Præterea eſt & myrtus agreſtis, de qua Dioſcorides cap.facit,à ſimi

Myrtus gentilis ſeu nobilis.

Myrtus topiaria.

ſimilitudine foliorum tantùm dicta:aliter autem res eſt longè diuerſa à myrto. Quæ myrtus agreſtis aliter ruſcus,& vulgò bruſcus dicitur.

Syrupus Cheſmes &c. CXLIIII.


ICIT Author in præſenti deſcriptione: Decoquantur Cheſmes ſicut diximus in ſyrupo de iuiubis, id eſt in iuleb iuiubino ſupradicto. Sed ibi ſunt iuiubæ centum, hîc autem cheſmes non numero, ſed competenti deſcriptione ſunt ponenda. Cheſmes autem ſuprà iam declarauimus. Habet nanque filius Serapionis in 7.iſtammet deſcriptioné,ſed loco zucchari ponit penidias.

Syrupus Albalach,uel Albelach,uel Alchelach &c. CXLV.


ER varios libros varias legimus huius ſyrupi intitulationes. Vnde ſunt qui habét albalach,& ſunt qui albelach,& ſunt qui alchelach,& ſunt qui aliter & aliter. Veriora tamen vocabula(vt opinamur)ſunt albalach,& albelach. Plures ex iunioribus declarant eſſe dactylos,cum quibus & nos concordamus, & addimus quòd intelligũtur immaturi dactyli. Quia balach,ſiue belach,ſunt dactyli immaturi, vt probatur per Serapioné cap.de palma,dicentem: Et recens ex eo eſt immaturum,quod eſt ſicut acreſta vuæ in comparatione,& eſt balach. Et infrà cùm præciſè loquitur de fructu,ait: Et quando eſt viridis,eſt in odore ſimilis odori cytoniorum:& tunc nominatur bethonia:& eſt balach,& eſt plus reſtrictiuum &c.Item inferius: Quando dimittitur balach,donec fit baſſa, nominatur panchiotoma &c. Al autem dictum eſt ſuprà quid ſignificet in his Arabicis dictionibus.In interpretationibus Bellunéſis etiam legitur: Belha,ſunt dactyli recétes crudi,magis immaturi quàm beſſer. Et infrà:Beſſer eſt dactylus immaturus recens. Et ex hoc probatur quòd belach,ſiue balach eſt dactylus valde immaturus,quia eſt immaturior beſſer.Igitur acerbior dactylus vocatur belha,ſiue belach, vel balach &c.& eſt valde reſtrictiuus.In principio auté maturationis, ſiue parum ante maturationem,nominatur baſſa,ſiue beſſer. Et ſic melius conuenit cum iſta deſcriptione, ſcilicet quòd habent eſſe valde immaturi:quia iſte ſyrupus habet reſtringere véti em, vt in textu apparet.In ſynonymis antiquis Auicennæ etiam legi- *Balach.*

tur: Albela, id est flores palmarum: sed ibi putamus vel textum esse mendosum, & rectius legendum fructus palmarum: vel quia ob nimiam acerbitatem potius tribuisse eis nomen floris, quàm fructus, esse credendum. Præterea filius Serapionis in 7. habet vnum syrupum, qui in omnibus proprietatibus conuenit cum isto filij Mesuæ. Et intitulatur, Syrupus de albella &c. Quem putamus esse malè translatum: quia in eius descriptione legitur cõfusè, sic: Sumantur bellahasuen, aut mellasuce, & extrahãtur nuclei eorum &c. Multa equidem à malis interpretibus corrumpũtur & vitiantur. Sed absq; dubio aliquo iste est syrupus de dactylis immaturis. Postremo notandum, quòd vbi Author dicit in præsenti descriptione: coquantur vsque ad cõsumptionem duarum partiũ, & fiat syrupus, sicut diximus. Intelligit, quòd tu omnia agas, sicut in syrupo chesmes immediatè supradicto. Qui syrupus chesmes sequitur regulam iuleb iuiubini: hoc excepto, scilicet quòd tu debes coquere ipsos dactylos vsq; ad consumptionem duarum partium. Iuiubæ autem & chesmes coquuntur vsq; ad consumptionẽ medietatis. Vt exempli gratia: Ex iuiubis quidem pro iuleb iuiubino, sumũtur centum, & coquuntur in quatuor libris aquæ vsque dum remaneant ℔.ij. quæ duæ libræ, cum vna zucchari libra conficiuntur &c. Ex dactylis autem secũdum ipsorum magnitudinem: quia si sunt maiores iuiubis, non centum, sed octuaginta plus, vel minus, secundum discretionem sume, & enucleatos decoque in quatuor libris aquæ vsque dum remaneãt vnciæ sexdecim, quæ sunt tertia pars quatuor librarum, & cum libra vna zucchari cõfice &c. Sed insuper notandũ etiam quòd hæc exempla, regulæ, canones, siue modi &c. scribuntur ab authoribus pro minus peritis & nouitijs aromatarijs. Discreti autem & experti, in huiusmodi & similibus vtuntur ratione pro lance, & plus & minus secundum rei exigentiam faciunt. Vt exẽpli gratia: Si in centum iuiubis decoquendis vident non sufficere quatuor aquæ libras vt optimè decoquantur, ponunt quinq;, vel plus. Sic etiam & inter decoquendum esset potius diuinum, quàm humanum agnoscere determinatum punctum: vt nõ plus, nec minus exprimatur è decoctis iuiubis, quàm duarũ librarum quantitas, quæ quantitas ab authore limitata posita est. Sed neque per viam ponderationis possumus scire: quia ignoratur põdus superfluitatum iuiubarum abijciendarum post ipsarum decoctionem & expresionem. Et sic de singulis. Quamobrem bonus aromatarius debet semper librum discretionis habere præ

mani

manibus,& in illo omnibus peragendis ſtudere. Et timor Dei non recedat à corde ſuo: vt faciat omnia diligenti ſtudio atque conſcientia recta, vt Chriſtianum decet. Et hæc notata, omnibus conſimilibus erunt accommodanda, memoriæque tradenda.

Syrupus de papauere &c. CLXVI.



EST præſens deſcriptio, Syrupus de papauere ſimplex, & non compoſitus. Et eſt vltima deſcriptio ſyruporum ſimpliciũ præſentis particulæ, & non prima ſequentis, vt in impreſsis libris mẽdosè habetur. Rubrica etenim, ſcilicet, Hucuſque ſcripſimus &c. Locãda eſt poſt præſentem deſcriptionem, & non antè: quia ſic rectius, & ſic eſt in omnibus exemplaribus. Nam deſcriptio ipſa patet ꝙ eſt ſimpliciſsima. Quid aliud habetur in ipſa, præter papauer, zuccharum, & aquam? Et ſi ſunt duæ papaueris ſpecies, non tamen ſunt duo diuerſa ſimplicia, ſed duæ ſpecies, vnius ſimplicis tantum. Et quid ſunt penidiæ, niſi zuccharum? Et certè ſi benè conſideratur, compoſitior eſt ſyrupus de corticibus citri: quia recipit & muſcum, & ſetam tinctam in chermes, vltra citrum & zuccharum & aquam. Et tamen connumeratur inter ſimplices. Quam ob cauſam ergo & iſte non debet connumerari inter eos? Re uera ſi Author intellexiſſet hunc ſyrupum eſſe compoſitum, locaſſet ipſum infrà cum alio ſyrupo de papauere, qui eſt compoſitus. Sed quia iudicauit ipſum ſimplicem, vt eſt, locauit illum cum ſimplicibus vltimo loco. Alium autẽ, qui eſt compoſitus, quia eſt ex infrigidantibus, poſuit etiam vltimo loco cum illis qui habent infrigidare. Et hoc non caſualiter, ſed hac ratione feciſſe putamus. Quia ipſe Author in canonibus, ſcilicet in cap. Compingere & ſtupefacere &c. de vſu & propinatione narcoticorum, ſic ait: At verò quando neceſsitas inuitat, & propriè quando omnia non contulerint, præſumimus ſuper narcoticis &c. Et infrà: Verùm ſi excuſari poteſt, non propinari, eſt melius: ſed ſi excuſari non poteſt, melius eſt vt non potui dentur: ſed adminiſtrare in emplaſtris tantùm, eſt melior cura, vel ſaltem in ſuppoſitorijs & enematibus, ſi parum in emplaſtris contulerint. Et ſi cogeris propinare potui, fac cum timore & cautela. Et dare ea antiquiora, eſt minoris nocumenti &c. Et ideò poſuit iſtos ſyrupos in fine aliorum reſpectiuè. Vt ſi neceſsitas vrgeat, tanquam ad vltimum remedium, recurratur ad ipſos. Et

ſic eſt concludendum quòd deſcriptio iſtius ſyrupi eſt inter ſimplices connumeranda &c. Præterea animaduertẽdum quòd iſta deſcriptio per omnes fere impreſsiones habetũr mẽdoſa ibi: videlicet vbi legitur: Zucchari albi,& penidiarum,ana 3.iiij. Rectius ergo lege:ana ℥.iiij. ſic enim eſt in omnibus exemplaribus antiquis. De papauere autem dicetur in ſyrupo de papauere compoſito.

Hucuſque ſcripſimus &c. CXLVII.



HIC eſt locus huiuſce rubricæ: poſt cuius deſcriptionem à ſyrupo dinari incepit Author deſcribere particulam de ſyrupis compoſitis infrigidãtibus. Vnde ſequitur.

Syrupus dinari: & eius interpretatio eſt de Biſantijs &c. CXLVIII.



VERITATEM nempe inſcriptionis huius ſyrupi(ob multorum librorum variationes) nõ inuenimus. Nihil tamen facit ad rem,quomodocũque tituletur. Hæc eſt enim prima deſcriptio ſyruporum compoſitorum infrigidantium præſentis antidotarij,in qua quidem deſcriptione aliqua ſunt videnda. Et primo pro ſucco endiuiæ, intellige ſuccum cichoreæ quæ eſt vera endiuia.Secundò pro apio,intellige ſelinum:& propriè illud quod vulgò dicitur petroſelinum. Et de his alibi. Tertiò de bugloſſa domeſtica & ſylueſtri. Omnes enim libri impreſsi ſic habent:Succi boraginis,aut bugloſſæ domeſticæ,aut ſylueſtris. Et licet poſſet ſtare,quia (vt mox dicemus) reperitur & domeſtica, & ſylueſtris bugloſſa:& in carentia vnius,altera poteſt ſubminiſtrari. Sed tamen hîc per omnes antiquas deſcriptiones habetur ſimpliciter:ſucci boraginis,aut bugloſſæ. Item, vbi legitur: Et quandoque ad omnem partem ſucci depurati ponitur aceti boni,albi & clari pars media. Intelligit Author ſub nomine ſucci, vniuerſam ſuccorum quantitatem quæ recipitur in ipſa deſcriptione. tanquam ſi diceret: ſi ſuccorum ſunt libræ quatuor, appone medietatem aceti, ſcilicet libras duas. Præterea aduerte(ſicut aliàs diximus) quòd additiones non ſunt ponendæ in compoſitionibus,niſi medicus præcipiat,pro vſu ſuorum infirmorum duntaxat. Et hoc notauimus hîc: quia nonnulli volunt quòd quando ſimpliciter petitur hic ſyrupus, ſemper debeat intelligi cum aceto. Quod eſt falſum: quia acetum eſt additio. Igitur

Bugloſſæ domeſticæ vel ſylueſtris loco quod ſubminiſtretur.

Igitur absolutè, sine aceto est intelligendus: & ita est simpliciter præparandus. Sed melius esset, si apud quemlibet aromatarium fuissent huius descriptionis quatuor distincti syrupi parati: videlicet, Vnus simplex, absq; aceto, & absq; speciebus: alius cum aceto, absq; speciebus: tertius cum speciebus, sed absq; aceto: quartus cum aceto, & cum speciebus. Ad minus autem quilibet aromatarius duos primos semper debet apud se habere paratos, quia sunt magis vsuales. Et hoc similiter potest intelligi de omnibus illis descriptionibus quæ habent additiones, dũmodo à Medicis habeantur in vsu.

Do Boragine, & Buglosso domestico, & syluestri.

QVid certè sit borago vulgò dicta, à nemine priscorum describitur. Iuniorum autem plurimi firmissime tenent esse buglossum antiquorũ. Et buglossum, siue (vt vulgus loquitur) buglossa, qua cõmuniter vtuntur aromatarij, ingenuè fatentur quòd sit cirsion ipsorum antiquorum. Ad quod probandum citant in testimonium & Dioscoridem, & Plinium, & alios plures. De quorum iuniorum numero etiam his diebus vidimus esse Leonardum Fuchsium in suo de Stirpibus. Nos autem diligẽter examinatis omniũ descriptionibus, & eorum opinionibus, quas (ne simus prolixi) studiosis relinquentes, nec buglossum antiquorum esse boraginem nostram, nec cirsion siue crision eorundem esse communem atq; vulgarem buglossam, breuibus (vt posibile erit) apertè ostẽdemus. Verba nanq; Dioscoridis tanquam fide digniora producamus in medium, vt veritas magis elucescat. Quid igitur Dioscorides libro 4. cap. 129. secundum Ruellij translationem, de buglosso dicat, audiamus: Buglossum, inquit, Magi &c. Romani linguam bubulam, alij libanium &c. Nascitur in campestribus & vaporosis. Iulio mense colligitur. Aiunt eam quæ tres thyrsos emittit, cum semine & radice tritam, potamq;, contra tertianos rigores prodesse: quæ quatuor, ad quaternos. Ea in vino decoquitur. Herbam abcessibus vtilem esse volunt. Verbasco simile est: folium in terra sparsum, nigrius, asperum, bubulas imitans linguas. Quod in vinum deiectum, animi voluntates auget. Hæc Dioscorides. Videamus ergo nunc an omnia dicta adamussim conueniant nostrati boragini. Primò, Romani linguam bubulam? Non: sed boraginem vocant. Attamen de nomenclatura transeat, quia & alia plura hodierni non, vt antiqui, nominant. Nascitur in campestribus, & vaporosis? vel vt Hermolaus & Marcellus habent,

Borago non est buglossum antiquorum.

habent,in ſabuloſis & planis locis? Borago non: ſed in hortis,& cultis,& pinguibus locis frequentiſsimè. Et licet rarò oriatur in locis non cultis: tamen ſemper in ſolo pingui, & non ſabuloſo. Etenim Dioſcorides cùm dicit: naſcitur talibus in locis.intelligit vt in pluribus,vel copioſius.Item,Iulio menſe colligitur? Borago autem generaliter in Italia menſe Aprili,& rariſsimè vſque ad dimidium menſis Maij perdurat quin ſiccetur tota, etiam & radix eius.Item,Verbaſco ſimile eſt? Quam ſimilitudinem habet noſtra borago cum verbaſco? Quia nec in caule, nec floribus, nec in ſemine,nec in radice eſt ſimilis verbaſco. Obijcias forſan, quòd in folijs,& de his Dioſcorides intellexerit,quia ſequitur: Folium in terra ſparſum. O ſi accipias folia boraginis, & folia verbaſci,quàm paruam & penè nullam ſimilitudinẽ inter ea inuenies.Quia pro maiori parte folia verbaſci ſunt criſpa,ita quòd à longe videntur tanquam inciſa &c.Item folium in terra ſparſum. Vt plurimum borago non expãdit per terram folia, vt quilibet oculata fide videre poteſt in hortis &c.Plures nanq; herbas cognoſcimus,quibus melius rectiusq; ipſe Dioſcorides poterat aſsimilare folia noſtratis boraginis,quàm verbaſco. Itẽ quod legimus,ſcilicet aiunt eam quæ tres thyrſos &c.Videmus enim boraginem noſtram non ſemper tres vel quatuor tantùm caules emittere,ſed plures paucioréſve. Ergo illa quæ duos ſeu quinq;, & plures producit thyrſos,ob id quia non habet tres ſiue quatuor thyrſos,caret etiam & virtute ſanandi tertianarios & quartanarios. Ergo virtus conſiſtit in numero thyrſorum,& non in ipſa planta. Quod eſt ridiculum. Quamuis Dioſcorides non dicat alicuius authoritate,neque ſe ipſum hoc eſſe expertum,ſed tanquàm fabuloſum ſcripſit: Aiunt &c. Et ſi ſit fide dignum,patet in Plinio,qui non bugloſſo,ſed cynogloſſo adſcripſit illud. Neceſſariò igitur dicendum,vel Plinium,vel ipſum Dioſcoridem erraſſe. Sed hæc nihil ad rem faciunt vt verũ bugloſſum cognoſcatur.Niſi quis velit experiri dictam proprietatẽ trium & quatuor thyrſorum. Et nos quidem experientiam egimus de boragine noſtra: ſed non inuenimus ipſam talem habere proprietatem,neque per tres,neque per quatuor thyrſos.Vnde certiores ſumus,noſtram boraginem non eſſe antiquorum bugloſſum.Præterea ipſe Dioſcorides capitulo de verbaſco, ſcilicet de phlomo (quod idem eſt) plures verbaſci ſpecies & differentias ſcribit. Quæ autem ipſarum ſit habens folia bugloſſo ſimilia,ſcilicet noſtrati boragini,ſecundum ipſos,nec in capitulo de bugloſſo,nec in ca

in capitulo de verbasco speciatim legitur. Neque etiam per notas in ipso capitulo de verbasco descriptas talis similitudo percipitur. Sed potius contrarium expresse probatur. Quid igitur in præfato capitulo de verbasco, de folijs tradit Dioscorides, audiamus: Phlomon Græci, Latini verbascum vocant. Scilicet ille est, qui & tassus barbassus hodie vulgò vocitatur. Differentiam duplicem habet, nigrum & album, in quo (scilicet albo) masculus & fœmina reperitur. Fœminæ igitur folia sunt brassicæ similia, pilosiora multò, latiora, & candida &c. Borago autem minimè conuenit cum brassica in folijs. Ergo de ista non potest intelligi. Item verbascum, qui mas appellatur, oblongis, albis folijs, & angustioribus constat. Igitur si de fœmina non intelligitur, à fortiori nõ potest intelligi de masculo, qui longioribus & angustioribus constat folijs. Folia etenim boraginis sunt ampla &c. Nigrum quoque verbascũ dicit esse simile albo, præter nigredinem & foliorum latitudinẽ &c. Et si de hoc volunt intelligi, folia boraginis præter similitudinem brassicæ, quam haberent, necessariò fuissent nigerrima: quia nigrum verbascum dicitur, quia nigriora altero habet folia. Et capitulo de buglosso dicitur, Buglossum habere folia nigriora folijs verbasci &c. Borago autem non est tantæ nigredinis, vt dicatur nigra, quasi in superlatiuo gradu. Et per consequens, nec de ista specie est intelligendum. Item subiungit ipse Dioscorides: Et syluestre verbascum, quod folia fert saluiæ &c. Et istud etiamnum est alienum à similitudine boraginis. Item subscribit tres alias verbasci species, duas videlicet quæ phlomides dicũtur, quæ sunt hirsutæ, & humiles, cum rotundis folijs: & tertiã, quæ Lychnitis, & Thrialis dicitur. Quam & asserit habere folia terna, quaterna, pluráve, crassa, pinguia, plumosa, apta ad lucernarum licinia construenda &c. Quarum nulli competit cõparari folia boraginis. Item Dioscorides cap. de symphyto altero dicit, Symphytum alterum habere folia linguæ bubulæ, scilicet buglosso proxima. Borago autem non habet folia symphyti. Quod symphytum vulgò consolida dicitur. Et hæc planta notissima est. Ex his igitur necessariò concludendum est, buglossum antiquorum non esse nostram vocatam boraginem. Insuper & cirsion non esse nostram vocatã buglossam, facillimè probatur. Primum: Cùm dicit Dioscorides, Romani vocant spinam mollem &c. neque vocatur, neque in veritate est spina mollis nostra buglossa: quæ tactu & in caule, & in folijs est asperrima. Item, caulis cirsij est triangulus; buglossa nempe habet

Tassus barbassus.

Verbascum albũ & nigrum.

Cirsion non est nostra buglossa.

bet caules rotundissimos. Item, extrema foliorum cirsij aculeata, buglossæ minimè. Item, summitas caulis cirsij orbiculata, in qua capitula sunt purpurea, quæ postea soluuntur in lanugines, siue pappos &c. Buglossa quidem nostra à medio caule incipit erumpere flores, & semen, ordinate, tanquam hyoscyamus, vsq; ad summum: & neque habet capitula orbiculata, neque ipsa capitula soluuntur in pappos, vt clarè omnia videntur. Quapropter sequitur, quòd aliud est cirsium à nostra buglossa. Et certissimè est aliud, quia nos cognoscimus verum cirsium Dioscoridis. Et est ipsa planta, perquàm similis cuidam plantæ, quam vulgares stoppionem vocant. Habet nanque ipsa planta, scilicet cirsiũ, folia similia herbæ linguæ hircinæ vulgò dictæ, vel potius veri bu glosso, vt ipse Dioscorides scripsit: sed leniora, & circumcirca ora aculeata aculeis rectis. Rarò plus quàm vnũ caulem fert triangulosum, qui anguli, vti extrema foliorum, sunt & ipsi aculeati. Erigiturq; ad quinque palmorum altitudinem, vel circa. In cuius summitate est tanquam mappa, seu corymbus capitulorũ similium capitulis stoppionis dicti, oblongiorum tamen, quæ similiter vt dicta stoppionis capitula soluuntur in pappos. Pluribus locis, & præcipuè montanis, nascitur. Non longè ab Vrbe sæpius inuenimus &c. Restat nunc declarandum quid sit nostra borago, & quid buglossum Dioscoridis, quídve nostra buglossa. Et quæ sit buglossa domestica, & quæ syluestris. De boragine igitur nostra quid certum scribendum, haud in præsentiarum habemus. Coniectamus tamen inter buglossi species rectè connumerari posse. Non est enim ipsa reijcienda herba. Olus nempe gratissimum crudum coctumq; estur. Ioannes Iacobus de Manlijs in syrupo Sabor Regis tenet, quòd borago sit buglossa syluestris. Et certè non bene. Si autem dixisset boraginem esse buglossam domesticam, fuisset minus dissonum & magis credibile, quamuis neutra ipsarum sit. Buglossum autem Dioscoridis, non esse buglossam nostrã firmissimè astruimus. Sed illam buglossam esse indubiè tenemus, quam paucis antè annis in Hispanijs inuenimus, scilicet in Regno Galitiæ, & propriè in ciuitate Compostellæ, vbi largius prouenit: qua quidem incolæ illius regionis quasi frequenter pascunt boues suos, quia boues libentissimè eam comedunt, ob quam causam potius quàm à similitudine putamus eam vocari bouis linguam: quasi, quia tanquam lin gua frequenter sit in ore bouino. Semen ex ipsis collegimus, quod postea Romæ in nostro Aræcœli horticello seuimus, & ad-

huc

huc habemus plures plantas,& ex eis etiam nõnullis viris & Medicis dedimus: quia in partibus nostris aliàs non vidimus. Iam perscrutati sumus eam,& in omnibus cõuenit descriptioni Dioscoridis de buglosso: præterquam quòd nõ sumus vsq; nunc experti illud quod legitur de tribus & quatuor thyrsis eius. Quodquidem (vt diximus) fabulosum esse putamus. Ipsa etenim planta non seritur in illis partibus Galitiæ: sed sponte in sabulosis, ac etiam in parietibus vetustis prouenit. Folia habet notiori verbasco simillima, longiora quàm borago, asperitate simili, imò ita ipsa folia proxima sunt symphyti folijs, quòd aliquando decepti sumus in ipsis plantis, in nostro horto, scilicet quòd natum symphytum prope ipsam buglossam nõ agnouimus, credẽtes ipsum esse buglossam dictam: postquam autem adoleuit planta, caulis ostendit nobis rei veritatem, quia caules vtriusque non sunt similes: quoniam ipsa buglossa, siue ipsum buglossum, caules emittit plures, rotundos, cubitali & quandoque ampliori longitudine: flores producit lazulinos, paruos, floribus nostræ buglossæ pene similes. Semen nigrum, radicesq; ab extrà nigras, longas, teretes, ab intus albas, mucilaginosas, carnosas, & teneras, pollicari atq; maiori grossitudine, quæ non siccantur æstiuo calore, neque in totum amittunt folia: sed quolibet anno efficiuntur maiores, ac regerminant &c. Odor enim foliorum, & plantæ, necnon & sapor sunt gratissimi, simillimiq; nostræ boragini. Hanc denique plantam, esse verum Dioscoridis buglossum, non contingit suspicari. Hancq; etiamnum pro domestica buglossa accipiendam esse nõ dubitamus. Et pro syluestri illam quam communiter vocamus buglossam. Et has sine dubio filium Mesuæ credimus intellexisse suprà in modo electuarij de psyllio, & infrà in modo secaniabin solutione educentis melancholiam: & in practica, scilicet cap. de soda frigida ab humore melancholico, videlicet in syrupo Iesui Iuhæ. Et in cap. de cura maniæ, & melancholiæ sanguineæ, scilicet in syrupo Sabor Regis Medorum. & alibi: quibus in locis vtranque recipi iubet. De ipsa autẽ buglossa vulgò nota, quam buglossam syluestrẽ appellamus, similiter vt de boragine, nec potuimus inuenire apud antiquos quid in præsenti scribere debeamus. Hoc autẽ dicere nõ verebimur, scilicet quòd si borago & buglossa domestica, scilicet buglossum Dioscoridis, & buglossa syluestris, scilicet cõmunis & vsualis, nõ sunt eiusdem generis: sunt tamen in tanta propinquitate, quòd possunt dici eiusdem generis & virtutis. Quapropter rectè in defectu vnius, per reliquas

quas supplendum est. Et quid mirum si de omnibus speciebus istius generis non scripserunt antiqui, cùm & de alijs plurimis ab eis omissis manifesta hodie habeatur notitia? Sufficit nobis, quòd tempore filij Mesuæ,& ante per plures annos de istis habebatur cognitio. Et scripserunt de ipsis plurimi (quamuis sine aliqua rei diffinitione, quid essent supple) attamen hodie & borago,& buglossa syluestris notissimæ sunt: & buglossa domestica iam cœpit agnosci, ex quo non est necesse de eis aliter declarare.

Sermo in syrupo acetoso &c. CXLIX.



VTHOR noster antequam scriberet compositiones syruporum acetosorum, voluit præsentis sermonis præfatiuncula mirificè cõmendare virtutes,& multiplices operationes ipsorum. In quo quidẽ sermone, tanquam à minori ad maius procedens, introscripsit primam & omnium vtique simplicissimam descriptionem. Sed si quæsieris, quam ob causam posuerit inter compositos syrupos præsentem simplicem syrupum? Respondebimus, quòd duplici de causa hoc rectè fecisse coniectandum est. Prima, quia si scripsisset inter simplices, hîc oportebat iterum rememorare eum, propter sermonem omnium syruporum acetosorum, supple aceti vini. Et ex hoc animaduertendum quòd nullus suprascriptorum syruporum simplicium est qui acetum vini recipiat: licet sint aliqui aliter acetosissimi, vt sunt syrupus de granatis acetosis,& syrupus de acetositate citri &c. Secunda causa est: quia Author non tantùm intelligit simplices syrupos eos, quia pauca recipiunt simplicia: sed etiamnum illos qui paucas habent operationes & virtutes. Et hoc est quod in argumento istius distinctionis innuere voluit, cùm dixit: Syruporũ alij sunt simplices, sicut species iulep: aliqui extensæ compositionis propter arduitatem & multitudinem beneficiorũ ipsorum &c. Vnde & hunc syrupum acetosum, quamuis sit simplex: tamen propter multiplicem virtutem & operationem beneficiorum eius, rectè Author inter compositos collocauit. Est nanq; eius descriptio clara: sed nonnulli minus periti intelligunt illam aceti partitionem à contrario sensu, attribuentes illud in leui, & in forti, & in medriocri, nõ syrupo (vt decet) sed aceto, vel qualitati morbi infirmorum recipientiũ ipsum syrupum. Authoris igitur intentio vera hæc est, scilicet vt sit vnum & idem perfectum vini acetum, album & clarum: ex quo tu debes tripliciter conficere syrupum

Syrupi simplices qui.

rupũ acetosum simplicẽ. Et de facto, sicut & de iure, apud quemlibet aromatarium debet esse ipse syrupus sic tripliciter praparatus. Et hoc clare ostendit Auicenna in quinto canone, scilicet in modo syrupi acetosi Galeni, dicẽs: Et oportet vt fiat secũdum omnem dispositionem &c. Et sic sunt tres distincti syrupi acetosi simplices, videlicet: Primus, qui vocatur syrupus acetosus leuis, scilicet debilis, qui debet recipere duas aceti libras. Secundus syrupus acetosus mediocris, qui tres eiusdem aceti recipiat libras. Tertius autem syrupus acetosus fortis, qui quatuor præfati aceti libras contineat. Docet etenim in hoc sermone Author conficere syrupum, & non cognoscere infirmitatũ qualitates: quodquidem est medici, & non aromatarij. Scit nempe ipse medicus (vel saltem scire debet) vnicuiq; infirmitati quid competat. Et secũdum quod melius fuerit, vni leuem, alteri fortem propinare medicinam. Quapropter aromatarius & leues, & fortes, atq; mediocres tenetur medicinas apud se semper habere paratas: eas præcipuè quæ citius parari non possunt. Vt cùm necessitas vrgeat, non patiatur infirmus detrimentum aliquod, expectando pharmacum conficiẽdum. Sed vbi bono modo nõ possunt teneri omnia pharmaca, saltem mediocria nõ dimittant. Sed de huiusmodi syrupis melius est habere duos extremos paratos, quàm mediocrem: quia ex ipsis sumendo partes, & in simul commiscendo, potest quis ad libitum semper mediocrem formare syrupum. Hæc autem pro ignaris tantùm voluimus nos dixisse. Præterea insuper sciendum quòd vbi Author dicit: Et funde super illud in vase lapideo &c. Monet aromatarium non conficere ipsum syrupum: nec vllum consimilium recipientium acetum, vel aliud acre in vase æneo, aut ferreo, vel simili. Ob id, quia omnia acria habent proprietatem abstergendi, & attrahendi ad se ærugines metallorum &c. Et licet scribatur in vase lapideo: veruntamen similiter potest fieri in vase testeo vitreato: quia vasa lapidea non semper de facili possunt vbiq; haberi. Postremo notandum, quòd dosis vera huius syrupi (vt in omnibus exemplaribus antiquis legitur) est ab ℥.j. vsq; ad iiij. & non vsq; ad iij. vt impressiones habent.

Syrupi acetosi, & similes vbi decoquendi.

De Aceto.

NOn ignoratur quid sit acetum. Et licet sit pars vini, siue ex vino, attamen contrarias vino habet operationes: quia est frigidum & abstersiuum &c. Vinumque corruptum est: nec loco vini vtendum omnino. Et ex hoc sumitur argumentum potissi-

mum, quòd res corruptæ non sunt administrandæ loco incolumium: quia iam nō habent amplius illas operationes & proprietates quas antea (cùm nō essent corruptæ) habebāt. Imò in ipsarum corruptione vt plurimum amittentes suas primas virtutes, expresse (vt patet in aceto) cōtrarios sortiuntur effectus. Summa

Aceti bonitas in quo cōsideretur. autem aceti bonitas in sui acetositate cognoscitur. Et ideo quanto acetosius, tanto melius. Scripsit enim Author: Aceti vini albi. Vini dixit ad differentiam multorum acetorum, quæ fiunt ex varijs vini generibus fructuum & pomorum, vt est acetum granatorum, & acetum cytoniorum, & similia. Sed qualiter antonoma-

Acetū absolutè. sticè per vinum absolutè, intelligitur vinum vuarū: sic & acetum simpliciter prolatum, intelligitur acetum vini vuarum. Albi autem posuit ad differentiam rubri, vel nigri &c. Vt autem album, citrinum, rubrum, vel nigrum, seu alteriusmodi reperiatur: hoc non ex se, sed ex vini qualitatibus fit. Hoc autem scire te volumus, quòd ex optimo vino fit optimum acetum, & dulce vinum citius, quàm non dulce acescit. Fit etiamnum à nonnullis arte acetum ex varijs rebus, sed quod est ex vino vuæ, non est spernēdum: fictitium verò ex aliena materia loco aceti vini, vsui medicinæ non est bonum.

Modus syrupi acetosi cum radicibus &c. CL.



VM dicit Author in præsenti descriptione: Deinde funde super ipsum aceti boni quantitatē sufficientē iuxta modum superioris doctrinę, dat intelligi, quòd tu etiā debes tripliciter conficere istū syrupum, sicut te docuit in superiori descriptione syrupi acetosi simplicis, scilicet quòd tu facias debilem & mediocrem, & fortem, syrupos, tribuendo debili duas, mediocri tres, & forti quatuor aceti libras &c. Præterea nō vno nomine vniuersaliter in Italia vocatur hodie iste syrupus, nec vniformiter conficiunt ipsum aromatarij. Vnde sunt qui nominat ipsum syrupum de duabus radicibus: & sunt qui syrupū de duabus radicibus, cōpositū: & sunt qui syrupū de duabus radicibus cum aceto, ad differentiā alterius qui sine aceto cōmuniter paratur. Et sunt qui vo-

Syrupus cōpositus cum aceto. cant ipsum syrupū acetosum compositū: & syrupū compositum cum aceto &c. Conficitur autē huiusmodi syrupus, nō tripliciter (vt Author ordinauit) sed dupliciter: videlicet, cum aceto & sine aceto. Nec sic concordant inter se. Quia sunt qui plus, & sunt qui minus: & sunt qui nihil de aceto administrant. Quasi ad libitum

quilibet

quilibet facit. Sed ſcitote quòd iſte ſyrupus quando cōficitur ſine aceto, non fit ſecundum deſcriptionē filij Meſuæ: quia nunquam filius Meſuæ dixit talem ſyrupū conficiēdum eſſe abſq; aceto, nec intentio eius eſt vt conficiatur abſq; eo omninò. Sed cum aceto, & tripliciter, vt diximus &c. Confuſio etenim non parua eſt hodie in aromatarijs officinis: & non ſolùm de hoc, ſed & de multis alijs compoſitionibus. Et domini medici permittunt, non quærentes ſi compoſitiones pharmacorum ſint rectè, & debitis modis ab ipſis paratæ. Multoties certè propinatur ægrotis quod eſt eis expreſsè contrarium. Et hoc nempe ex vtrorunque incuria. Demum ſciendum, quòd Braſaulus noſtra ætate inter medicos celebratiſsimus, de radice endiuiæ, quæ legitur in præſenti deſcriptione: tum quia in Auicenna (nec in ſuo exemplari, vt ipſe dicit) non habetur: tum, quia ipſa endiuiæ radix eſt frigida, & aliæ duæ calidæ: tum etiam, quia vulgaris ipſius nomenclatura, ſcilicet de duabus radicibus, quaſi vbiq; profertur, dubitat an debeat eſſe in hac deſcriptione. Nos autē vel conueniat, vel non, alijs inquirendum dimittimus: hoc autē dicimus, quòd in vigintiquinq; exemplaribus ex pergameno inuenimus. Quapropter putamus ipſam non eſſe amouendam. Et ſi radix endiuiæ eſt frigida, tanto magis competit huic ſyrupo, qui eſt ex infrigidantibus &c. Vocant ergo ipſum ſyrupum de duabus radicibus, ex quinq; calidis, quas alibi, Deo concedente, declarabimus.

Modus ſyrupi acetoſi de ſuccis herbarū &c. CLI.



SCIENDVM quòd hic ſyrupus eſt idem cum ſyrupo dinari cum aceto, qui ſuprà: ſed tamē ſine additione ſpecierū. Vnde Author ſubtìcuit operationes eius, quaſi remittens lectorem ad deſcriptionem pręfati ſyrupi dinari. In hoc autem ſunt differētes, ſcilicet quòd iſte ſyrupus recipit minorē aceti quantitatē, quàm ſyrupus dinari: videlicet quòd ad tres partes, puta tres libras, ſyrupi dinari perfectè decocti, ſine additionibus aceti & ſpecierum, apponitur aceti boni pars vna, ſcilicet libra vna. Non autem eſt intelligendū quòd pro tribus partibus ſuccorum, qui ſunt in ſyrupo dinari, ſit accipienda pars vna aceti &c. vt Nicolaus Præpoſitus, & Author nouarum additionū in præſentem antidotariū filij Meſuæ, declarauerunt: & cōſequenter permutauerunt textum & intentionem authoris præcipientis ſumere tres partes ſyrupi, & non tres partes ſuccorum. Etenim ipſis exceptis,

omnes libri tam antiqui, quàm impressi habent sic: Recipe syrupi dinari partes tres, & funde super ipsum aceti boni partẽ vnã. Et sic debet stare. Et hæc est vera Authoris intentio, scilicet vt sumãtur syrupi dinari ex succis & zuccharo tantùm cõfecti partes tres: quibus addatur aceti boni pars vna, & decoquatur cũ facilitate, & fiat syrupus acetosus &c. Et loco istius, syrupus dinari cũ aceto est accipiendus: quia rectè potest poni alter pro altero. Sed nota, quòd iste syrupus vocatur acetosus de succis herbarũ: verũ subintelligendũ sine aromatibus: quia infrà Author habet aliam descriptionem syrupi acetosi de succis herbarum cum aromatibus, de quo loco suo dicetur.

Syrupus dinari cũ aceto, loco quid subministretur.

Modus syrupi acetosi de succis fructuum &c. CLII.



VNVM quippe generale notãdum est in præsenti descriptione pro omnibus similibus accidẽtibus, tam pondere, quàm mẽsura: videlicet, vbi Author dicit: Et iuleb partes tres, vel plus, vel minus &c. Qua in re est sciendum quòd licet authores post ipsorum determinationem dimittant illud per plus, & per minus, ad libitum nostrum: veruntamen vltra partem vnam, scilicet mediam per plus, & mediam per minus non est præsumendum. Quia tunc ageretur expresse contra ipsorum intentionem. Nam ipsi primùm declarant intentionem suam: postea ostendunt quòd per plus, vel per minus, potest illud fieri. Verbi gratia: Intentio Authoris in præsenti descriptione est, vt non sint iuleb quatuor libræ, neq; duæ: sed sint tres, plus vel minus. Plus, scilicet non vltra tres partes, & dimidiam. Minus autem, id est non citra duas partes & dimidiam. Quia si quis acceperit vltra tres & semis, tunc accipit quatuor libras parum minus, & non tres parum plus. Et ecõtrà, si quis minus quàm duas & dimidiam acceperit &c.

Modus syrupi acetosi de succis, & aquis fructuum &c. CLIII.



PONITVR istamet descriptio: in aliquo tamen parum differens à filio Serapionis in 7. Breuiarij, & ab Auicenna in v. cañ. sub titulo syrupi de fructibus. Etiam dictus Auicẽna habet ibi aliam descriptionem sub eodem titulo: sed est differentior quàm prima. In vtraq; tamen habetur zarur, sicut in ista descriptione filij Mesuæ. Item ipse Auicenna in dicto v. cañ. scilicet in summa

ſumma ſecunda, tractatu ſexto, habet etiamnum alium ſyrupum de fructibus, qui ſimiliter recipit zarur. In deſcriptione autẽ filij Serapionis, legitur Zaharur. Et præter hoc non eſt aliud declarandum in præſentis ſyrupi deſcriptione.

De Zarur, ſiue Zaror &c.

Zaror autem, ſiue Zarur, vel Zaharur: ſiue alzaror, vel alzarur &c. vnum & idem ſignificant: quod à nonnullis dicitur eſſe ſorbum, ab alijs meſpilum, ſcilicet illud quod vulgo vocatur corrupto vocabulo neſpilum, vel neſpulum. Cùm ſecundum veritatem neutrum ipſorum ſit abſolutè. Sed verè eſt meſpilum tricoccum Dioſcoridis: illud videlicet meſpilum, quod ſemicorrupro barbaro vocabulo, vulgò hodie nũcupatur Lazarolum, ſiue alzarolum, ſeruans adhuc aliquod veſtigium Arabicæ nomenclaturæ. In regno Neapolitano, & in Sicilia copioſius habetur. Cœpit iam & Romam apportari: vnde pluribus Cardinalium & nobilium pomarijs, hodie non deeſt alzarolum. Res ipſa notiorem veritatem oſtendit, quàm vt declarari debeat. Nam ita ad literam correſpondet capitulo Dioſcoridis de meſpilo tricocco, quòd nec minimum iota diſſentire videtur. Et præter Dioſcoridem, ſunt & alij non paucæ authoritatis, quorum ſcripta illud idem probant: vt ſunt Theophraſtus, Plinius, Serapio, & cæteri. Et ex iunioribus, vt Manardus, Braſaulus, necnon & Pandectarius in pluribus locis, & cæteri. Non obſtante quòd capitulum Serapionis ſit inſcriptum de ſorba, quia fuit error interpretis. Incipit enim zaror, & ſequitur capitulum Dioſcoridis de meſpilo tricocco quaſi ad literam. Etiam ipſe interpres in ſynonymis errauit, dicẽs: Zarur, id eſt ſorbæ. Et infrà: zarore, id eſt ſorbæ. Auicenna autem confundit duo capitula Dioſcoridis de meſpilis, in vno ſuo quod incipit, Zarur: quod eſt alzarur &c. Andreas Bellunenſis etiam in ſuis interpretationibus, neſciens quid eſſet, ſcripſit: Zarur eſt ſpecies ſorbę, vel meſpili &c. Sed animaduertẽdum quòd ſicut meſpilum æquiuocè dicitur de meſpilo tricocco, & de meſpillo ſetanio, quod meſpilum ſetanium, ſiue epimelida dictum, eſt vulgare neſpulum, ſcilicet meſpilum Italicum: de quo etiam Dioſcorides ſcribit capitulũ immediatè poſt ſupradictum de meſpilo tricocco. Sic etiam Zaror, vel zarur &c. æquiuocè dicitur de lazarolo, & de neſpulo Italico vulgari noto. Quod probatur per Serapionem, qui in dicto capitulo ſub nomine zaror, ſcribit vtrunque. Vnde ſequens dicit: In regionibus verò Italiæ eſt alia ſpecies zaror, quam multi vocant epimelidam &c.

Lazarolũ.

Meſpilum æquiuocè dr quibus intelligatur.

Zaror æquiuocè.

Et similiter probatur per Hali filium Abbas, qui secundo practicæ, capitulo de fructibus, vtrunque tangit, cùm dicit: Zanrũ, vel zaruram, citrinum frigidum & siccũ, & in eo ponticitas, prodest abominationi colericæ: rubeũ autem maioris est in his actionis. Pro citrino autem, intellexit vulgare nespulum Italicũ. Nam clarum est, quòd quando maturatur, ad citrinitatem tendit. Pro rubeo autem, intellexit mespilum tricoccũ, scilicet lazarolum, qui fructus cùm est maturus est tantæ rubedinis, quòd cum corallio rubro perpolito maximam habet similitudinẽ. Vnde zaror, vel zarur Arabicè, idem significat quod mespilum. Sed absolutè per zaror intelligitur lazarolum dictũ: per mespilum autem, & præcipuè in Italia, absolutè, intelligitur nespulum vulgare. Michaël de Capella redarguit Stephanum, zaurur, vel zaror vertisse mespilum, siue (vt ibi legitur) mespilam, asserẽs mespilam Arabicè, nõ zarur, sed gubeira vocari. Atqui vel ipse Michaël errauit, vel est alia species mespilorum, quæ (vt ipse dicit) vocatur Arabicè gubeira. Quia (vt Theophrastus libri tertij de historia plantarum, cap. 12. & Plinius lib. xv. historiæ naturalis cap. 2. tradunt) constat quòd sunt tria mespilorum genera, videlicet duo præfata, & tertium quod cognominatur gallicũ, hoc est, mespilum gallicum. Vnde potest esse quòd hoc tertium mespilum gallicum dictum, vocetur Arabicè gubeira. Veruntamen Stephanus non errauit. Sed an de hoc tertio Dioscorides loquatur, adhuc incompertum est nobis. His denique visis sciendum quòd pro zaror, scilicet lazarolo (saluo semper meliori iudicio) potest sumi mespilum setanium, id est nespulum vulgò notum. Et in vtriusque horum carentia si sumatur sorbum, putamus non esse malum. Sed nec mespila setania, neque sorba oportet vt sint optimè matura: quia post ipsorum maturitatem, succus nõ benè potest ex eis excipi, ob id, quia caro ipsorum efficitur sorbilis: vnde & à sorbendo (quia matura sorbentur) putamus sorba dicta. Præterea, qualiter mespila conseruentur, ac melle condiantur: & de arborum ipsorum satione &c. Palladius lib. 4. optimè scribit.

Zaror absolutè. *Mespilum absolutè.* *Gubeira.* *Lazaroli loco quid sumatur.* *Sorbũ quid suppleat.*


Modus syrupi acetosi de cytonijs &c. CLIIII.



HABET filius Serapionis in 7. vnam quasi huic similem descriptionem, sed nõ recipit zuccharum, cuius titulus est, Syrupus de rob cytoniorum &c. Nihil enim aut parum differt hic syrupus à miua acetosa simplici, quę infrà habetur. Quamobrem po

poteſt alterum pro altero adminiſtrari. Aduertendũ verò, quòd per aliquas impreſsiones præſens deſcriptio habetur mendoſa, videlicet quòd vbi in illis legitur: Accipe ſucci cytoniorum acetoſorum &c. partes xx. legẽdum eſt rectius: partes x. vt eſt in exẽplaribus & pluribus impreſsis libris. Quid autem ſit cytonium acetoſum: quære in condîto de bugloſſa.

Modus ſyrupi acetoſi de pomis &c. CLV.



VTHOR hac de cauſa (vt putamus) non locauit præſentem deſcriptionẽ ſyrupi acetoſi de pomis cum duabus alijs quæ ſunt infrà: quia hic ſyrupus in omnibus ſequitur modũ ſyrupi acetoſi de cytonijs. Igitur rectè poſt illum debuit locari. Et ex hoc ſciẽdum, quòd poma huius ſyrupi, oportet vt ſint acetoſa: quia cytonia ſyrupi præfati de cytonijs (ad cuius imitationẽ iſte ſyrupus conficitur) ſpecificantur acetoſa. Et conſimiliter hic ſyrupus recipit acetum &c.

Modus ſyrupi acetoſi de prunis &c. CLVI.



N præſenti deſcriptione quidẽ dicit Author: Accipe aquæ prunorum acetoſorum, & aquæ tamarindorũ &c. Sed qualiter faciendæ ſint ipſæ aquæ, in capitulo de tamarindis clarè oſtendit, ſcilicet per viã decoctionis. lege ibi. Habet enim & filius Serapionis in 7. eãdem deſcriptionem, cuius eſt titulus: Syrupus ſanans coleram citrinam &c. Auicenna quoque in v. cañ. habet ipſammet deſcriptionem: ſed vitio librariorum, vel interpretis, pro prunorum, legitur pyrorum. Bellunenſis autem emendauit, reſcribens prunorum &c. Titulus deſcriptionis Auicẽnæ eſt: Syrupus extinguens, & conferens ad ſitim &c. Sed tam filius Serapionis, quàm Auicẽna, habet ipſam deſcriptionẽ ſine zuccharo, tanquam rob. Quodquidem ipſe filius Meſuæ in fine deſcriptionis notauit, dicens: Et quandoq; non ponitur in eo zuccharum, & fit ſicut rob bonum & expertum. Habet ẽtiam Auicẽna aliam deſcriptionem, quæ intulatur, Syrupus de prunis. Sed longè differt ab iſta.

De Prunis acetoſis.

DE Damaſcenis prunis, ſatis iam dictum fuit in confectione de prunis. In præſenti autem deſcriptione, & nõnullis alijs locis, quærit Author pruna acetoſa. Quapropter ſciendũ quòd prunorum cũ plura ſint genera, ſeu ſpecies, & differentiæ, ali-

quando propter aliquam causam magis conuenit vnum genus, seu vna species de minus electis, quàm electissima: quodquidem etiam in omni genere, sub quo diuersæ continentur species, intelligendum est. Igitur in præsenti descriptione, & similibus, pro prunis acetosis, non sunt intelligenda pruna Damascena, licet sint meliora in genere suo. Quia pruna Damascena nuncupata, non sunt acetosa, imò inter dulciora & suauiora obtinent principatum. Sed sumenda sunt ex alijs prunorum speciebus, illa videlicet, quæ matura gustui acetosiora probantur. Vt sunt aliqua syluestria &c. Sed aduerte etiam quòd non debent intelligi illa pruneola syluestria Atrineæ dicta ex quibus (vt in modo confectionis iacur diximus) apud multos conficitur acacia: quia ipsa habent plus de austeritate, quàm de acetositate &c. Ex alijs autẽ prunis eligenda sunt: nec debẽt esse optimè matura, sed in initio maturationis eorum &c.

Pruna Damascena.

Pruna syluestria.

Modus syrupi acetosi de pomis descriptione nostra &c. CLVII.



YRVPVS iste (vt textus declarat) est ex descriptione propria ipsius filij Mesuæ. Sed vbi in ipso legitur, Aquæ rosatæ: intelligitur aqua infusionis rosarum rubearum, & nõ aqua ipsarum sublimata. Quoniam vt patet in descriptione Iuleb rosati ex infusione rosarum, omnes operationes ipsius conueniũt huic syrupo. Veruntamen in defectu dictæ infusionis, in quibusdam compositionibus, vt in ista, potest subministrari aqua rosarum sublimata. Et hac ratione: quia filius Mesuæ (vt etiam diximus in descriptione iulep alij rosarũ) cùm scripsit ipsum iulep ex aqua sublimata, subticuit virtutes & operationes ipsius, tacitè innuens nobis ipsum habere easdẽ operationes & virtutes quas habet iuleb ex infusione &c. Et ideò cùm legis ibi, Iuleb aliud rosarum: subintellige eiusdem operationis &c. Præterea vbi Author dicit in præsenti descriptione: Succi endiuiæ cocti & despumati: intellige, cocti vsque ad perfectam ipsius despumationem. Si autẽ dixisset, despumati & cocti: aliter esset intelligendum, scilicet quòd post ipsius depurationem esset decoquendus ille succus vsque ad consumptionem medietatis, seu tertiæ aut quartæ partis ad minus. Nunc autem, cocti, id est bulliti: & despumati, id est depurati &c. Item animaduertendum quòd errore librariorum, per

omnes impresiones non rectè legitur in ista descriptione: Et sunt qui condiunt cum 3.ij. camphoræ. In antiquis exemplaribus autem non ita: sed sic legitur, Et supercondies cum 3.ij. camphoræ. Et quod sic debet stare, ratio tenet: quia Author (vt præfati sumus) testatur in exordio, se fuisse inuentorem istius syrupi, cùm dicit: descriptione nostra. Et ideò non competit huic descriptioni illud, scilicet quòd alij faciunt sic, & alij sic &c. quia nullus ante ipsum filium Mesuæ, composuit talem syrupum. Ergo rectius est, secundum quòd legitur in dictis exemplaribus. Posset tamen stare hoc modo (si Author scripsisset) videlicet: Et aliqui possunt condire cum 3.ij. camphoræ. Si placebit supple. Et tunc esset ad libitum conficientis: nunc autem si volumus sequi doctrinam eius, cùm conficitur iste syrupus, necessariò est cōdiendus cum dictis 3.ij. camphoræ: quia Author præcipit, dicens: Et supercondies &c.

De *Melonibus hyemalibus*.

MElonum, siue peponum, plura genera & species reperiuntur. Vnde ex illis aliqui dicuntur hyemales: non quòd hyeme nascantur, sed quia sunt tardioris corruptionis: & possunt domi incolumes seruari per totam hyemem sequentem, & de facto seruantur, idcirco hyemales vocantur. Ex eo huiusmodi duas agnoscimus species. Quarum vna, sunt illi melones magni virides, de quibus separatim Serapio facit capitulum, quiquidem vulgò cucumeres, & anguriæ nuncupantur. Et à quibusdam citria aquæ, siue melones aquæ appellantur. Quamuis dicta nomina, scilicet cucumeres, & anguriæ, magis conueniant illis cucumeribus, qui sunt longi & varijs modis retorti, anguium repræsentantes formam. Vnde putamus angurias dici. E quibus sanè reperiuntur albi & nigri. Et vulgariter in regno Apuliæ, absolute cucumeri vocantur. Quos etiam Serapio in capitulo de melonibus & citrullis describit. Alij autem melones hyemales, sunt cytrini coloris ab extrà: ab intus verò vtrique albi. Sed isti sunt oblongi, maiores citreis pomis: sapore autem inter dictos melones magnos virides hyemales, & pepones æstiuales. Quos scilicet citrinos, melones Romanos Hispani vocant. Vtriq; enim sunt frigidæ complexionis & tardioris corruptionis, feræq; concoctionis &c. Vnde & de quolibet ipsorum potest sumi aqua pro huiusmodi syrupi propinatione. Quia etiam & cum aqua frigida pura, vt Author dicit, propinari potest.

Cucumeres.
Anguria quid.
Melones Romani.

Syrupus alius acetosus de pomis &c. CLVIII.



VLEB huius syrupi, ex pura aqua & zuccharo debet fieri. Item aduertendum quòd in præsenti descriptione per impressos libros, est similis error qui in multis alijs, videlicet vbi legitur: Seta tincta ex chesmes. Lege ex chermes.

Modus syrupi acetosi altereniabin &c. CLIX.



LIQVI libri habent, de tereniabin. Et idem est quod altereniabin. Sed tam per impressos, quàm per manuscriptos codices, multas variationes huiusmodi vocabuli inuenimus. Ignorãtia quidem peregrinarum linguarum est causa multorum errorum, vt in multis alijs vocabulis probauimus. Quamobrẽ in præsenti descriptione, siue legatur tereniabin, siue terniabin (vt frequentius in impressis) siue taraniabin, siue alterniabin & similia, quæ idem significant, pro mannæ specie (vt suprà declaratum est) intelligatur. Præterea qualiter sit intelligendus succus endiuiæ coctus & depuratus, mox suprà in modo syrupi acetosi de pomis descriptione nostra, declaratũ est. Et similiter aqua rosata, pro qua intelligitur infusio rosarum. *Granata muza.* Granata muza dicuntur illa quæ sunt media inter acria & dulcia. Vbi autem dicit: Da vt suprà: subintellige cum aqua niuis, siue cum aqua frigida &c.

Modus syrupi acetosi, solutione educẽtis coleram &c. CLX.



N præsenti nempe descriptione per omnes impressiones sunt duo menda, & quamuis parua, tamen corrigenda. Primum videlicet vbi legitur, Succi rosarum recentium. Rectius lege: Succi rosarum recentis, & non recentium. *Succorum consideratio.* Alioqui frustrà poneretur dictio illa recentium. Non enim ex siccis rosis potest extrahi succus. In antiquis exemplaribus certè recentis legitur. Vnde intentio Authoris est, vt sit succus recenter extractus è rosis: quia est magis solutiuus, & aptior pro huiusmodi syrupi operatione, scilicet vt soluat &c. Nam succus rosarum, & generaliter omnes succi qui non condensantur, quanto magis tenentur (& maximè post annum) tanto magis debilitantur in operationibus suis, & corrumpuntur &c. Ex quo sequitur, quòd iste syrupus conficiẽdus est tempore collectionis rosarum. Et similiter omnes succi non condensati recentissimè administrandi sunt,

præ

præmiſſa tamen ipſorum depuratione ſi indiget. Neceſsitate autem cogente inter annum ſi defecerint compoſitiones, in defectu ſuccorum recentium licet nobis vti illis, ſuper quos iam præterierunt menſes. Nec tamen vltra annum ſeruandi ſunt huiuſmodi ſucci, ſed quolibet anno, temporibus ſuis, excipiendi ſunt &c. Item aduertendum quòd hic eſt facienda decoctio prunorum, & cæterorum ſimplicium, ſecundum artem, in ſufficienti aquæ puræ quantitate, & exprimenda antequàm ſuccus roſarum, manna, caſia fiſtula, & zuccharum immittantur. Et fiat ſyrupus. In fine autem decoctionis eius, ſuperaddantur acetum & ſuccus granatorum acetoſorum, & coquatur aliquãtulùm cum facilitate: interim ponatur ſcammonea, ſupple correcta, ligata in panno ſubtili &c. & perficiatur eius decoctio, ſemper auferendo ſpumam &c. Aliud mendum eſt vbi legitur: caſiæ, abſolutè, lege ſpecificatè: caſiæ fiſtulæ, vt eſt in præfatis exemplaribus.

Syrupus conferens catarrhis &c. CLXI.

QVAMVIS ab Authore, ſeu ab interprete, omiſſa ſit decoctio faciẽda in præſentis ſyrupi confectione, & in ſupradicta, & infrà, ſcilicet in ſyrupo de hyſopo & ſyrupo de praſsio, & ſyrupo de calamento primæ deſcriptionis, & ſyrupo de thymo, & ſimilibus. Peritus tamen aromatarius, nullum neceſſarium debet omittere. Loquitur enim Author cum peritis &c. Quamobrem neceſſariò hîc, & in ſimilibus, eſt facienda decoctio rerũ aliquarum in competenti aqua, ſecundũ artem &c. Item nota quòd vbi legitur per impreſſos codices: Seminis maluæ, ſeminis cytoniorum ana ʒ.vj. putamus verius legendum: ana ʒ.v. quia ſic eſt pro maiori parte in antiquis exemplaribus.

Syrupus de cannis zucchari &c. CLXII.

SCIENDVM quòd in præſenti deſcriptione eſt per omnes impreſsiones vnum notabile mẽdum: videlicet vbi legitur, Recipe ſucci granatorum dulcium ℔.ij. lege rectius ℔.iiij. in veritate dicimus, quòd in nullo penitus antiquorũ librorum inuenimus ſcriptũ ℔.ij. Sed paucis duntaxat exceptis qui habent ℔.iij. reliqui omnes habent cõcorditer ℔.iiij. Præterea, ſcribitur præſens ſyrupus à filio Serapionis in 7. Cuius principiũ eſt: Syrupus qui confert ad tuſsim, & pleureſim &c. & ab Auicenna in v. cañ. cuius initium eſt: Deſcriptio ſyrupi, qui confert ad tuſsim &

pleur

pleuresim &c. Et vterq; habet, aquæ granatorũ dulcium ℔.iiij. &c. Vide Nicolaum Præpositum: quia & ipse etiam habet succi granatorum dulcium ℔.iiij. Et aduerte quòd filius Serapionis & Auicenna posuerunt aquam granatorum intelligentes sub nomine aquæ, succum quem postea Author noster specificatè scripsit. Quia (vt aliàs diximus) aquæ antiquorum sunt succi, & decoctiones &c. & non aquæ distillatæ. Sic etiam aqua malorũ de scemi, & aqua cannarum zucchari in præsenti descriptione intelligũtur succi. Mala de scemi, nõ de seni, suprà iam declarata sunt.

Aqua granatorum.

Aqua malorũ de scemi.

De Cannis Zucchari.

CAnnæ igitur, ex quarum succo per coctionem ignis fit zuccharum, arundinibus communibus similes sunt, minores tamen, & intus plenæ &c. Pluribus nascuntur locis, vt in Creta, & Sicilia &c. Lusitani autem non multis antè annis, in insula Maderæ ab ipsis nouiter reperta, plantauerunt ex dictis cannis nõ modicam quantitatem: vnde nunc singulis annis ferè per totum orbem magnam distribũnt boni zucchari copiam. Aqua autem ex ipsis cannis, pro istius syrupi & similium confectione, accipiẽda est, eo tempore quo aptiores sunt ad zuccharum faciendum. Et est prius bullienda, atque despumanda &c. Vbi autem commodius non potest haberi succus ipsarum cannarũ recens, loco eius (vt Author docet) penidiæ ponendæ sunt. Ad differentiam autem aliarum cannarum, Author addidit zucchari: ex quo rectius titulus istius syrupi est cum additione zucchari: vt in quibusdam exemplaribus inuenimus, sic videlicet: Syrupus de cannis zucchari &c.

Aqua cãnarũ Zucchari quid suppleat.

Syrupus de Portulaca &c. CLXIII.



VT IN plurimis, per antiqua exemplaria præsentis syrupi descriptio locatur post syrupum de Iuiubis. Sed quia hoc nihil facit ad rem: & quia in aliquibus, quamuis paucis exemplaribus, hũc (quem in impressis libris) obtinet locũ, noluimus ipsam aliter amouere.

De Portulaca.

POrtulaca tanquam res notissima, à Dioscoride non depingitur. Quæ igitur apud nos sponte nascitur, folia habet longiora & strictiora: quæ autem seritur, folijs constat latioribus & curtioribus ad corculi effigiẽ accedentibus. Vnde primam (tanquàm non satiuam, quamuis locis cultis & hortis vtplurimum oriatur)

oriatur) ſylueſtrem vocamus. Secundam autem, quia ſeritur, ſatiuam, ſiue domeſticã dicimus. Et qualibet ipſarum indiſcriminatim poſſumus vti. Tamen ſylueſtris præfertur. Sed ne quis decipiatur in ſylueſtri portulaca, ſciendum quòd apud Dioſcoridẽ, portulaca ſylueſtris, neutra iſtarum intelligitur: ſed eſt herba, quæ vulgò Telephion dicitur. Quod nomen etiam & ipſe Dioſcorides poſuit. Quodquidem telephium, licet vocetur portulaca, à foliorum ſimilitudine, virtutes tamen habet portulacæ contrarias: vt in ipſius Dioſcoridis volumine legi poteſt. Eſt etiamnũ præter ipſam, & portulaca marina, quæ ſimiliter ab ipſo Dioſcoride portulaca ſylueſtris, & peplis vocatur. Et iſta eſt de ſpeciebus lacticiniorum pernicioſorum. Portulaca autem à Græcis Andrachnes dicitur. Tamen hoc vocabulũ apud ipſos eſt æquiuocum, ſiue commune ad omnes ſupradictas, necnon & ad alias plures herbas. Vnde (vt iam diximus) ſit quilibet cautus in his & ſimilibus vocabulis æquiuocis: quoniam pluries ſub vno & eodem nomine, duæ, & quandoque plures res contrariæ ad inuicem reperiuntur.

Telephium. *Andrachnes.*

Syrupus de Violis &c. CLXIIII.



EST in præſenti deſcriptione (licet paruus) vnus error: videlicet, vbi legitur per impreſſos codices: Seminum cytoniorum, ſeminum maluæ, ana ʒ.viij lege ʒ.vij. quia ſic inuenimus in omnibus fere exemplaribus antiquis quæ legimus. Modum autẽ accipiendi aquam, ſiue ſuccũ à cucurbita, ponit Author ſuprà, ſcilicet in ſyrupo de ſucco cucurbitæ. Et ille modus eſt obſeruandus. Non obſtante quòd etiã e cucurbita cruda poſsit exprimi ſuccus, ſiue aqua. Nec etiam hîc (vt nõnulli putant) pro aqua cucurbitæ, eſt intelligẽda aqua ſublimata, de qua minimè intellexit Author. Iſtammet deſcriptionẽ, authoritate Hamech, habet etiam Author in practica, videlicet in ſermone de aqua cicerũ, in aliquibus tamen differentem. Et in eodem ſermone, authoritate Ioannitij, habet alium ſyrupum violatum, ſed non eſt in vſu.

Syrupus de Iuiubis &c. CLXV.



PER omnes nanq; impreſsiones, in præſenti deſcriptione, eſt vnus error valde notabilis: videlicet, vbi legitur: Accipe iuiubarum ℔.x. Veriſsimè legendum eſt: Accipe iuiubarum lx. id eſt 60. ſcilicet numero. Nonnulli ex iunioribus animaduert

uerterunt errorem: quia x.libræ iuiubarum in quatuor libris aquæ non possunt decoqui, sed causam erroris ignorantes. Sunt qui vnũ, & sunt qui aliud, variaq; exponentes somnia. Vnde Manardus vir eruditissimus etiam in hoc valde hallucinatus est. Etenim volens ipse emendare, maiorem commisit mendam, falsoq; suspicatus errorem esse in libris aquæ, & non in iuiubis, declarauit non quatuor, sed centum aquæ libras sumendas esse. Et posito casu quòd pro decem iuiubarum libris, esset bene sumere centum libras aquæ: sed tanta quantitas aquæ, quam substantiam posset accipere ex quinque drachmis violarum &c. paucis simplicibus, quæ in ista descriptione scribuntur? Et quomodo bene ad tantam aquæ quantitatem, nõ amplius quàm duæ libræ zucchari? Error igitur est in iuiubis: quia (vt diximus) non habent esse amplius, quàm sexaginta numero. Et sic vniformiter habent ferè cuncta exemplaria manuscripta. Causa tamen huiusmodi erroris hæc fuit. Legebatur nempe in dictis exemplaribus, illa dictio sexaginta, absolutè, absque numero, vt in pluribus nos legimus: sic videlicet, Accipe iuiubarum lx. vel sic: Accipe ex iuiubis lx. Minus periti librarij quidem imprudenter separantes l, ab x, inter vtrunque statuerunt punctum, siue comma: sic, l.x. vel sic, l:x. vt in prioribus excusionibus legitur. Hinc de facili successores errauerunt, intelligentes l. pro libris: & x. pro decem. Hinc iuniores impressores fortificantes mendam, tanquam ad clariorem intelligentiam, ad l, addiderũt ℔. sic imprimentes, ℔.x. Sed re vera (vt aliàs diximus) errores, non impressoribus librorum, sed ipsorum correctoribus imputandi sunt.

Manardi error in syrupo de Iuiubis.

De Iuiubis.

IVIubarum secundum aliquos, duo reperiuntur genera, videlicet album & rubrum. Apud nos verò genus rubrũ tantùm habetur. Et licet antiquioribus (vt nonnulli astruunt) iuiubæ fuerint incognitæ, hodie tamen omnibus ferè nationibus notissimę sunt. Et vt Plin. 14. cap. libri 15. naturalis historiæ refert, ante Augusti tempora iuiubæ non fuerunt in Italia. Græce quidem, & etiam Latinè Zizipha, & sorica dicuntur. Arabicè autem (vt in Serapione legitur) Hunen, & Zufaizef (quasi zizipha) barbarè & corruptè vocantur. Arbor enim ziziphorum, id est iuiubarũ, spinosa est valde, & non multùm differt à quodam rhamni genere. Aprili mense seritur. Plinius Author est.

Syrupus

Syrupus de Papauere &c. CLXVI.



ESCRIPTIO præsentis syrupi compositi de Papauere, posita est ab Authore vltimo loco huius primæ partis syruporum compositorum, ratione quam suprà in syrupo simplici de papauere assignauimus. Estq; in præsenti descriptione per omnes impressiones vnus maximus & pessimus error. Videlicet, vbi legitur: Recipe papaueris albi & rubei. Non enim papauer rubeum intrat præsentem compositionem. Quapropter lege rectius: Recipe papaueris albi, & nigri. Quia sic est in exẽplaribus antiquis. Apud nullum Authorum reperitur in huiusmodi compositionibus, vel similibus, papauer rubeum, de quo mox dicemus. Multæ nempe compositiones sunt positæ in isto volumine filij Mesuæ, quæ recipiunt papaueris, seu papauerum portiones: vt in practica cap. de tussi &c. In nulla tamen reperies papauer rubeum, præter hîc, vbi pro nigro, non ab Authore, sed ab imperitis librarijs mendose positum est. O vtinam non malè. Item in fine præsentis descriptionis, vbi legitur in quibusdã impressionibus: zucchari, & penidiarum ana ℥.viij. Errore quidem posita est ibi ℥. pro ʒ. Et in nonnullis de recentioribus excusionibus peius est, ana ℥.iiij. Lege igitur rectius, ana ʒ.viij. Quia sic est secundum veritatem literæ: vt per antiqua exẽplaria apertè probatur. Præterea sciendum quòd quando reperitur papauer, & non specificatur de aliquo, semper de albo est intelligendum. Etiam absolute, de aliquo specificato, semper intelligitur semen. *Papauer absolutè.* Item sciendum, quod partes illius plãtæ, e cuius capitibus est abstractum opium, sunt tanquàm seminortuæ: & per consequẽs, non sunt ita bonæ ad medicinæ vsum vt aliæ, à quibus non fuit opiũ ablatũ; quæquidẽ semper præferẽdæ sunt. In necessitatibus tamen & illis vti licebit. Sed neq; seritur semen dictæ plantæ quæ amisit opium: quia est (vt diximus) tanquàm sine anima, & vtplurimum non oritur.

De *omni* Papauere.

PApauerum genera multa, species plures, & differentiæ plurimæ reperiuntur. Antonomasticè autem, cùm papauera scribuntur, album & nigrum intelliguntur. Singulariter verò, semper album subauditur. Estq; inter Doctores non parua disceptatio, super pauerum generibus, & ex ipsorum dictis magna oritur confusio. Et certè esset prolixitas magna describere tot hominũ opinio-

opiniones. Igitur curiosis lectoribus dimittentes eas, sub breuitate papauerum genera, quæ scimus, declarabimus. Nam papauer album, quod Dioscorides satiuum vocat, est notissimum. Nigrum quoque, quod similiter Dioscorides in genere satiuorum enumerat, non est incognitum. E cuius succo volunt plurimi in Thebaica regione optimum fieri opium. Vnde opium Thebaicum præfertur cæteris, secundũ ipsos. Veruntamen scimus quòd in partibus Apuliæ & alijs locis, non ex nigris, sed ex albis faciũt: non tamen per contusionem capitum, sed per ipsorum scarificationem lac assumunt &c. Album semper seritur apud nos: nigrũ verò rarò, quia copiosè sponte nascitur. Album autem papauer dicitur: quia non solùm flos, sed & semen est ei album. Et præter istud & aliud, quod dicitur papauer spumeum, omnia alia papauerum genera, semen nigrum, vel saltem ad nigrum tendẽs producunt. Et nigrum (cuius meminimus) dicitur peculiariter nigrum, ob id, quia in folijs, floribus, & cæteris partibus est reliquis nigrius &c. Quod quidem Dioscorides, licet ipsum in capitulo de papauere satiuo scribat: tamen syluestre papauer nominat. Cuius capita sunt in partibus nostris depressa, grossitudinem nucis iuglandis nunquam aut rarissimè excedentia. Capita autem albi papaueris, sunt eis maiora valde &c. Aliud autem papauer, quod ipse Dioscorides eodem satiuorum capitulo, tertio loco scribens, dicit syluest. ius esse, hodierno tempore communiter ignoratur. Est etiamnum & papauer rubeum, quod pro nigro falsò positum erat in præsentis syrupi descriptione. Et hoc, secundum aliquorum iudicium, est illud quod Dioscorides papauer rhoëas appellat. De quo quidem ante præfata, capitulum facit. Sed secundum alios papauer rubeum est species anemonis. Et in hoc est magna controuersia. Quia si papauer rubeum est de genere anemonum, nõ poterit esse papauer rhoëas, quod scribitur à Dioscoride inter papauerum genera, & non inter anemones: nec obstat quod legitur in illo cap. scilicet ipsum habere florem similem syluestri fremio, id est anemoni, quia similitudo nõ dicit proprietatem. Non parum interest inter proprietates anemonum & papauerum: vnum quippe ipsorum est valde calidũ, & alterum maximè frigidum &c. Et licet anemonis, siue fremij genus, teste Dioscoride, multas habeat species: nõ tamen per hoc est dicendũ, species papauerum esse species fremij &c. Multas & alias super hoc disputationes breuitatis causa dimittimus. Hoc vnum autem dicimus, quòd illud papauer rubeũ vulgò notum (quod

Papauer album.

Papauer rhoëas.

(quod à mulierculis hodiernis rosa canina vulgariter nuncupatur, & à nonnullis rosella, & ab alijs paparina, quasi papauerina, per syncopam dicitur) vel sit species papaueris, vel species frenij, non intrat præsentis syrupi compositionem. Præterea de corniculato papauere: tum quia est notum, tum etiam quia non intrat præsentem compositionem, non erat hîc de eo multùm dicendum. Sed quia authores non scribunt nisi vnam tantùm speciem papaueris ceratitis, scilicet corniculati, & nos proprijs manibus non tantùm vnam, sed tres differentes species huiusmodi papaueris pluries collegimus, visum est nobis non silentio prætereundum esse. Papauer igitur corniculatum, quod Dioscorides & cæteri depingũt (vt dicitur) nascitur in maritimis, floremq; fert croceum, languidum, siue (vt mauis) mellinum &c. Nos autem paucis ante annis cùm essemus in Hispanijs, & propriè in regnis Aragoniæ & Castellæ, non in maritimis, sed longe à Thalassicis litoribus per multa miliaria duas alias papaueris corniculati species inuenimus. Quarum vna simillima est præfatæ maritimæ in omnibus, & per omnia, præter in flore: quia flos est ei non croceus, sed valde rubeus, figura tamen & magnitudine non dissimili. Cornicula ad vnguem, vt Thalassicum dictũ, profert. In sapore etiam differunt: quia hoc non habet illam salsedinem, quam illud propter maris vicinitatem habet. Alterius autem speciei planta tota respectiuè est minor: folia habet maximè incisa, & non ita albicantia. Flos est ei, quatuor foliorum, vt alteri, non croceus, neq; rufus, sed violaceus, simili forma vt suprà, minor tamen. Cornicula etiam fert simillima, sed valde exigua. Semina omnibus his nigra &c. Hæ quidem species non in litoribus maris: sed iuxta viarum semitas & circa triticeos campos, in præfatis Regnis copiosissimè proueniunt. In maiori tamen quantitate illud cum flore rubro, quàm illud cum flore violaceo. Hæc nempe scripsimus, vt lectores perscrutentur an aliquod ipsorum per authorum libros reperiri valeat: vt habita ipsorum cognitione, sciant posteri & ipsis plantis in necessitatibus vti. De papauere autem spumeo, siue spumoso, haud habemus in præsentiarum quid certius scribamus. Variæ enim sunt opiniones doctorum super hoc: nam sunt qui vnum, & sunt qui aliud esse suspicantur. Sunt & alia diuersa quidem, tamen papaueri attributa, vt Nigella, scilicet melanthium, quod Romani, teste Dioscoride, papauer nigrum appellant. Et Nenuphar, quod Pandectarius papauer palustre nominat. Et Esula, quam isdem Pan-

Papaueris corniculati species.

dectarius in litera P, papauer spinosum vocat. Sed nos nusquam vidimus Esulam spinosam. Etiam & quoddam frenij genus, quod Dioscorides à quadam similitudine, papauer cognominat. Et alia plura minus necessaria, quæ breuitati studentes dimisimus.

Papauer fremij genus.

Iam quidem loquuti sumus &c. CLXVII.



HINC Author incipit particulam syruporũ compositorum excalfacientium. Et primò pertractat de syrupis, quos vocat secaniabin. Secaniabin autem, siue schingibin, siue squingibin, siue magis barbare secangibin, & similia, quæ per varios libros legimus, Arabicè vnum & idem significant: quod est Latinè syrupus acetosus, supple calidus, siue ex melle, siue ex zuccharo fiat. Græcè autem syrupus huiusmodi ex melle, vocatur oxymel: ex zuccharo autem, oxyzaccharon. Oxos enim Græcè, acetum significat Latine. Et licet acetum sit frigidum: tamen ab authore in syrupis calefacientibus (vt patet in præsenti particula) sæpe perquàm optimè accommodatur, ob multos effectus operationum eius, contemperando caliditatem alicuius simplicis, & cætera quæ non sunt præsentis speculationis.

Syrupus acetosus calidus.

Sermo in aqua mellis &c. CLXVIII.



MIRO quidem sermone commendat Author syrupum, scilicet portionem aquæ mellis. Sed quare ipse Author syrupum hunc omnium simplicissimum, & sequentem, scilicet secaniabin purum, & quosdam alios, non numerauerit inter simplices, suprà, scilicet in sermone de syrupo acetoso iam dictũ est. Obijciet forsan aliquis dicens, quòd hic syrupus non intelligitur simplex: quia (vt Author testatur) potest recipere species alephangi næ &c. Ad hoc respõdendum quòd species illæ &c. sunt additiones ad libitum, & huiusmodi additiones non sunt de essentia compositionis. Igitur (vt diximus) syrupus ipse simplicissimus est. Species autem alephanginæ, in pilulis alephanginis declarabuntur. De melle dictum est suprà, & satis clarè etiamnum describitur ab authore, in istomet sermone de aqua mellis. Ponit nempe Author duos modos faciendi aquam mellis: sed neutro ipsorum cõmuniter vtuntur Medici hac tempestate, in infirmorum curis.

Sermo in Secaniabin puro &c. CLXIX.



N hoc secundo sermone commendat Author syrupum acetosum simplicem, ex melle, quem vocat Secaniabin purum: qui quidem syrupus hodie in aromatarijs officinis communiter paratur sub nomine oxymellis simplicis. Et declarat Author eius simplicitatem, dicens: Illud (supple secaniabin) quod nos intelligimus, est illud cuius materia sunt tres res, scilicet mel, acetum, & aqua. In processu autem sermonis, vbi dicit: Et quandoq; exigit dispositio vt addatur ad quantitatem aceti, sicut te scire fecimus in capitulo de syrupo acetoso. Declarat apertè, & hunc syrupum esse tripliciter parandũ, sicut & illũ, scilicet debilem, mediocrem, & fortē. Sicut te scire fecimus, in capitulo, scilicet in sermone de syrupo acetoso. Propterea lege ibi. Et certè res foret optima, habere præsentē syrupum, & consimiles omnes tripliciter paratos. Et si aromatarij de hoc non curant, saltem ipsi Medici deberent curare & pręcipere vt fiant. Quia ad varias infirmitates non vnũ & idem semper, sed varia sunt administranda pharmaca.

Modus Secaniabin de radicibus &c. CLXX.



IC præsens syrupus intitulatur Secaniabin de radicibus. Sed quare Authori placuerit dare ei talē inscriptionē, cùm non amplius quàm duæ radices ingrediãtur ipsum, nullus declarat. Nam in sequētes syrupos, scilicet Secaniabin de cheisim, & secaniabin de calamento, scilicet in quemlibet ipsorum intrant tres radices, & tamen ab ipso authore non intitulantur de radicibus. Et si non est, quia in præsenti syrupo maior quantitas ex duabus recipitur, quàm in quolibet sequētium ex tribus: fatemur etiamnum & nos ignorare causam. Etenim in hoc secaniabin, ex dictis duabus radicibus quatuor vnciæ sumuntur, scilicet de qualibet ipsarum vnciæ duæ, vt patet in litera: in sequentibus autem, ex singulis radicibus, singulæ sumuntur vnciæ: & sic ex tribus radicibus ipsorum, tres tantùm vnciæ recipiuntur. Sunt equidem & in præsenti descriptione duæ mendæ. Prima videlicet vbi legitur seminis anisi, apij, fœniculi &c. Illa dictio anisi, in antiquis exemplaribus pro maiori parte non habetur, nec in vulgari impressione: quapropter putamus non esse admittendum anisum. Sicut enim Author posuit primùm duas radices, sic etiam & earundem

radicum duo plantarum semina associauit, ita scribens: Accipe corticum radicum apij,& fœniculi,ana ℥.ij.seminis apij,& fœniculi,ana ℥.j.&c. Alia menda est,vbi legitur: Aquæ ℔.xx.lege rectius: Aquæ ℔.xij.quia sic est in cunctis ferè præfatis exéplaribus, & in vulgari impressione. Præterea vbi Author dicit: Coquatur cum facilitate, sicut superius dixi. Declarat quòd tu debes illud dum coquitur,diligenter despumare &c.Vt in sermone de secaniabin puro immediatè præscripto,clarè notauit.

Modus Secaniabin solutione educentis phlegma &c. CLXXI.



RATIONABILITER nempe hoc Secaniabin potest dici additio precedẽtis:quia causa phlegmatis euacuandi, additur ad illud medulla carthami &c.Sed aduertẽdũ quòd Author specificauit quãtitatem secaniabin de radicibus facti sumendam, scilicet circiter ℔.ij.Et si non est error,subticuit quantitatẽ aliorum simplicium ad ipsas duas libras præfati secaniabin adiũgendam,dimittẽs illud arbitrio medicorum,plus & minus &c. Sicut in multis alijs cõsimilibus additionibus fecit. Et ex hoc sequitur, quòd aromatarij non possunt sine scitu medici huiusmodi secaniabin conficere:quia ignorant quãtum ex carthamo,seu ex turbith,vel zinzibere subministrare debent &c. Sed suspicamur esse errorem in præsenti descriptione: quia in quatuor ex antiquioribus exẽplaribus inuenimus turbith,& zinzibere, cum assignato pondere,sic:videlicet,turbith,& zinziberis ana ʒ.j.De carthamo autẽ, in nullo legimus speciatim pondus. Manardus verò in huius secaniabin declaratione, testatur posse poni vsq; ad integram libram,ex carthami medulla, & ℥.iij.turbith. Sed quomodo hoc bene posset fieri,nescimus.Quia in duabus libris secaniabin de radicibus ab authore assignatis, tanta quantitas medullæ carthami ligata in panno &c.nequaquam potest decoqui.Vix enim præfatæ duæ libræ valent madefacere libram medullæ carthami, vt quilibet experiri potest. Insuper notandum quòd duæ libræ prædictæ accipiendæ sunt ex secaniabin de radicibus præparato crudo,& non cocto,& postea decoquendæ cum medulla carthami, vel cum turbith &c, Quia si de percocto acciperetur, frustrà diceretur quod sequitur in litera, videlicet: Et suspende in ipso quando coquitur &c. Nisi quis vellet in ipsum decoctum superinfundere de nouo acetum & aquã, vt iterum cum carthami

mi medulla decoquatur &c. Quodquidē licet poſsit fieri, tamen non credimus eſſe de mente authoris. Et animaduerte quòd Author aſſociauit zinziber turbith: quia vt in ſuperioribus iam dictum fuit, & probatum, nunquam turbith abſq; zinzibere eſt adminiſtrandum. Igitur ſi cuipiam placuerit apponere turbith, apponat etiam & zinziberis portionem. Lege de hoc in confectione electuarij indi maioris.

Modus ſecaniabin ſolutione educentis melancholiam &c. CLXXII.



SVNT & in præſenti deſcriptione per omnes impreſsiones duo menda. Primum, videlicet vbi legitur chamędryos, chamæpityos &c. deeſt ibi vnũ ſimplex, ſcilicet aniſum. Lege verius ſic: Aniſi, chamedryos &c. Aliud mendum eſt: vbi legitur, hellebori nigri. aur. iij. rectius lege. aur. ij. Quia ſic vtrunq; eſt fere in cunctis antiquis exemplaribus. De bugloſſa autem domeſtica, & ſylueſtri, ſatis diximus in ſyrupo dinari. Et de Bedegar, lege in ſyrupo de eupatorio.

De Chamædry, ſiue Chamædreos.

CHamædrys herba, quæ minus rectè per genitiuum ſemper Chamædreos dicitur, à Romanis, teſte Dioſcoride, triſago *Triſago.* appellatur. Sed hodie vulgò, alij querculam minorem, alij cha- *Quercula* lamandrynam quaſi chamædrynam vocant. Hiſpani autem her- *minor.* barij & aromatarij betonicam falsò nominant, ipſaq; prò betonica falſiſsimè vtuntur. Herba ſatis nota. Folia vnà cum ſemine colligenda ſunt. Dioſcorides Author eſt. Chamædrys enim Græcè idem ſignificat, quod Latinè parua quercus.

De Chamæpity, ſiue Chamæpyteos.

ET Chamæpitys etiam vt chamædrys, quaſi ſemper per genitiuũ, per authorũ volumina chamæpiteos legitur. Dioſcorides enim de chamæpity ſcribēs, tres eius ſpecies notat. Apud nos autē duæ tantũ (quæ & notiores ſunt) habentur in vſu. Quæ duæ vulgò iua artetica, & iua muſcata nuncupatur. In vtraq; enim fo- *Iua artetica, & muſcata.* lia ſunt vt in parua pinu, vnde & nomē acceperũt. Nam chamæpitys Græcè, parua pinus interpretatur Latinè. Habēt etiā odorē reſinoſum, ſicut eſt odor pini. Flores vtriuſq; mellini &c. Quę autem cognominatur muſcata, vt plurimũ locis petroſis oritur. Reliqua verò, ſcilicet artetica, inter ſtipulas triticeas derelictas poſt annũ, naſci gaudet. Vtraq; indifferenter vtuntur omnes. Muſca-

ta tamen (quia muſcũ olet,& ſic co͡gnominata) tanquam magis aromatica,nos potius vtimur.

Modus de Secaniabin de cheiſim &c. CLXXIII.



VARE præſens ſecaniabin intituletur de cheiſim, quære in ſyrupo de eupatorio.Habent nanq; mendoſe libri impreſsi in præſenti deſcriptione ſemen fœniculi,quodquidẽ in antiquis exemplaribus minimè legitur.Sic ergo rectius lege: Seminis aniſi,cheiſim &c.De cheiſim autẽ ſiue keiſim,require in oxymelle ſquillitico.Præterea,inſuper ſuſpicamur,quòd vel incuria interpretis,vel errore priſcorũ ſcriptorum &c.deſit aqua in huius ſecaniabin deſcriptione. Quia ſi Author in omnibus alijs ſecaniabin,vnà cum aceto poſuit aquam,etiam & in hoc credi poteſt non omiſiſſe. Eo maximè,quòd ipſe teſtatur in ſermone de ſecaniabin puro,principalem materiam ſecaniabin eſſe tres res, ſcilicet mel,acetum,& aqua. Tãquam ſi diceret,quòd ſi vnum ex his tribus deerit, non poterit vocari ſecaniabin. Et quòd aqua non ponitur fruſtrà in huiuſmodi compoſitionibus,in dicto ſermone ipſe Author tres aſsignauit rationes,vt legẽti patet. Quãobrem (ſaluo ſemper meliori iudicio) putamus aliquid aquæ eſſe ponendum in compoſitione iſtius ſecaniabin &c.

Modus Secaniabin de calamento &c. CLXXIIII.



NTIQVA exemplaria tripliciter variãt præſentẽ deſcriptionem in pondere ſquinanti, videlicet quòd aliqua habent ſquinãti 3.ij.ſicut & omnes impreſsiones habẽt. Aliqua autẽ habẽt 3.vij.& nonnulla 3.viij. Et de quolibet ſunt plura, quæ in vnum conueniunt. Dimiſimus autem ſtare 3.ij.propter duo. Primum,quia numerus ipſorum exemplarium,quæ ſic habebant, in tribus excedebat. Secundum,quia omnia impreſſa volumina cum ipſis in hoc concordabant.Si autem alicui melius videbitur aliter,fiat quod erit melius. De calamento domeſtico autem,& ſylueſtri,dicetur in ſyrupo de calamento primæ deſcriptionis.

Syrupus acetoſus diarhodon &c. CLXXV.



ESCRIPTIO præſentis ſyrupi per nonnullas excuſiones in vno eſt vitiata: videlicet vbi legitur: ℞ Recipe ſucci endiuiæ, apij, aniſi, ana &c. Illud aniſi quidem,à librarijs additum eſt deſcriptioni: forſan ana conuerterunt in aniſi,male legen

gentes,& ſuperaddiderunt aliud ana. Etenim in antiquis exemplaribus non eſt,nec etiam in aliquibus impreſsionibus,neque meminimus nos vſquam legiſſe ſuccum aniſi eſſe poſitum ab Authoribus in pharmacorum compoſitionibus. Quapropter ſine eo,rectius lege:Recipe ſucci endiuiæ,apij,ana &c.

Syrupus acetoſus de ſuccis herbarum,cum aromatibus &c. CLXXVI.



AD differētiam alterius ſyrupi de ſuccis herbarum ſupraſcripti, addidit Author huic deſcriptioni, cum aromatibus. Vnde ille ſyrupus ſuprapoſitus titulatur acetoſus de ſuccis herbarū:ſed ſubintelligitur ſine aromatibus. Prætereà ſciendum quòd præſens deſcriptio per cunctas impreſsiones reperitur cum vno mendo: ſed per aliquas magis mendoſas,cum tribus. Mendum igitur quod habetur vniuerſaliter per omnes impreſsiones, necnon & per aliqua pauca minus correcta exēplaria eſt, quòd vbi legitur ſucci bugloſſæ ℔.ij.s.verius eſt legendum ℔.j.s. Reliqua verò duo menda,quæ particulariter ſunt in quibuſdam minus correctis impreſsionibus,hæc videlicet ſunt. Primum vbi habetur,ſpicæ ℥.iij.rectius lege ʒ.iij.errore quidē poſita eſt ibi ℥.pro ʒ.Reliquum autem mēdum eſt in fine deſcriptionis,vbi ſine determinata quantitate legitur: Cōdias cum galliæ aromaticæ.Lege igitur emendatius ſic: Condias cum galliæ aromaticæ ʒ.ij. Omnia nempe(vt poſſumus)ſumma diligētia,atque digna examinatione in noſtro opuſculo ponimus. Cauſa enim euitandæ prolixitatis multas rationes ac rerum & veritatis probationes dimittimus. Bugloſſa autem hîc,& in ſimilibus locis in quibus abſolutè legitur,ſemper communis & vſualis eſt intelligenda. Item per raued ſimpliciter ſcriptum (vt hic &c.) ſemper intelligitur raued ſeni. Et eſt vna ex optimis rheubarbari ſpeciebus, pro qua pone rheubarbarum electum.

Syrupus de Menta &c. CLXXVII.



PONITVR hic ſyrupus ab Auicenna in quinto canone.Item,Hali Abbas quoque in decimo practicæ habet vnum ſyrupum cuius titulus eſt:Syrupi Romanorum aſsignatio &c. Quiquidem non multùm differt ab iſto. De menta autem,mox in ſequenti ſyrupo dicetur.

Syrupus de Menta inuentione nostra &c. CLXXVIII.



SYRVPI præsentis descriptio, est de inuentione propria ipsius filij Mesuæ, vt textus declarat. Et quoniam, vt ipse Author etiam testatur, iste syrupus est excellentior priore, ideò vsus eius frequentatur magis. Tamen descriptio impresśionum in vno non concordat cum exemplarium descriptione. Videlicet vbi legitur: Accipe succi cytoniorum muzorum &c. ana ℔.j.s. Exemplaria antiqua vniuersaliter habent, ana ℔.j. Verum nobis videtur, quòd talis quantitas succorum, scilicet ana ℔.j. non bene sufficiat ad mentæ quantitatem. Quamobrem putamus ab aliquibus peritis viris ipsam succorũ summam non sine ratione fuisse auctam. Vnde noluimus in hoc exẽplari sequi: iudicantes rectius esse, secundum impresśiones, quia forsan est mẽda in ipsis exemplaribus, scilicet quòd potest esse quòd sit in ipsis imminutum pondus succorũ, vel aliquo modo aucta quantitas mentæ: quia in vno exẽplari antiquisśimo legitur: mentæ siccæ ℔.j. & nõ ℔.j.s. vt reliqua librorum multitudo habet. Attamen hoc, cum nonnullis alijs dubijs, peritiorũ nobis iudicio reseruamus. Præterea notãdum in præsenti descriptione & similibus, vbi Author dicit: Et cum mellis, vel zucchari: siue cũ zucchari vel mellis &c. quòd licet dimittat illud ad conficiẽtis arbitrium, tamen quod prius ab eo describitur, est principalius de sua intentione, & sic debet fieri. Si autẽ alicui magis placuerit, vt fiat sibi non cum prima re, sed cum secunda, aromatarius de licentia Authoris illud quicquid sit liberè potest eiusmodi conficere. Sic etiam & in alijs rebus est intelligendum: quãdo duo, vel tria, vel plura simplicia describuntur, vt vno eorum (quod magis placuerit) accipiatur, semper priora descripta potius, quàm posteriora sunt de ipsius Authoris intẽtione. Itẽ vbi in fine dicit: Aromatizetur cum gallia, & non specificat quantitatem, nec modũ, est notandũ. Et primo de quãtitate. Intellige cum duabus drachmis ad minus ipsius galliæ: quia eadẽ quantitas posita est ab ipso suprà, scilicet in syrupo acetoso de succis herbarũ: & infrà, scilicet in syrupo de calamento secũdæ descriptionis: & in syrupo de thymo, & in modo condĩti de buglossa, & in modo operationis condĩti de cytonijs, & similibus. Modus autẽ aromatizandi, siue condiendi huiusmodi & similes cõpositiones cum gallia, musco, ambra, & similibus, vbi specialiter non asśignatur, hic est: Accipiatur gallia, vel mu-

scus,

ſcus, vel ſimile, & ponatur ſuper bombacem, & bombax ponatur intus caczolam ſtannatam perforatam. Deinde pone ſyrupum, vel ſimile coctum in colatorio ſatis raro, vt valeat dictus ſyrupus coctus paulatim, quaſi guttatim tranſire per ipſum colatorium, & pone colatoriũ cum ſyrupo ſuper caczolam ex directo, & ſubter caczolam conſtitue vas ad recipiendum ſyrupum. Et ſit inter cuſpidem colatorij & caczolam ſpatium trium vel quatuor digitorum, ita quòd fluens ex colatorio ſyrupus, cadat in galliam contritam, ſeu muſcum ſtantem ſuper bombacem in caczola, ita quòd totus ſyrupus ſeu ſimile tranſeat per ipſam galliam ſeu muſcum &c. Et ſic ipſe ſyrupus erit optimè aromatizatus, & clarus. Et hic modus eſt obſeruandus in miuis & ſimilibus, ſcilicet in ſecunda aromatizatione: quia primæ ſpecies ligatæ in panno ſunt bulliendæ &c. Muſcus autem, gallia, & ſimilia minimè, ſed, vt diximus, fieri debet. Cui autem non placuerit hic modus, poterit ipſe in fine decoctionis cum pauco ipſius decocti diſtemperare galliam, vel ſimile, & proijcere in ipſum totum &c.

De Mentha, vel Menta, & eius ſpeciebus.

Rectius putamus cum aſpiratione ſcribi Menthã, quàm ſine. Tamen communis opinio eſt, ſcribere ipſam ſine aſpiratione. Nihil facit ad rem, omni modo intelligitur. Plures nempe ſunt eius ſpecies. Sed quando non ſpeciatim ſcribitur, ſemper mẽta cõmunis & vſitatior, ſcilicet mẽta hortulana (quam Græci hedyoſmon ſatiuũ nominant) intelligitur. Et hæc notiſsima eſt. Sed ſcias quòd hæc duplex reperitur: vna videlicet longioribus folijs, quæ à nonnullis menta maſculina vocatur: Altera verò rotundioribus folijs conſtat, quam fœmininam mentam nominãt. Eſt præterea & menta aquatica, quæ balſamita, & ſiſymbriũ cognominatur, & hæc etiamnũ non ignoratur. Pro qua lege ſuprà, ſcilicet in cõfectione de xylo aloes. Eſt etiamnũ & menta Romana, quæ à multis menta ſaracenica apellatur, & ab alijs laſulata dicitur, qua & in partibus Galliarum nonnulli pro coſto vtuntur, & ipſam falsò coſtũ vocant. Et de hac iam diximus in Diacoſto. Folia nempe huius mẽtæ, foliorũ lauri figuram habent, ſed ſunt molliora, obſcura viriditate ſubalbicantia, & per ora inciſa ſicut ſerra, valde amara &c. Inter ſpecies quoque mentæ connumeratur & mentaſtrũ. Et illud eſt verius mentaſtrum, quod rotũdioribus folijs conſtat. Quod autem folia longiora habet, potius eſt calamentum fluuiale, quàm mentaſtrũ. Lege de hoc in Diacalamento. Eſt præterea & Meliſſa, quæ à nonnullis menta apum vo

Menta abſolutè.

Hedyoſmũ ſatiuum.

Mentaſtrũ.

catur, ex eo quòd apibus ipſa maximè placet. Inſuper & illa ſpe-
Mentucia. cies nepetæ, quæ vulgò dicitur mentucia, ob eius vulgarem nomenclaturam, poteſt connumerari inter ſpecies mẽtæ: non obſtante quòd ipſa etiã habeatur in numero ſpecierũ nepetæ, & calamẽti. Et de hac vide in ſyrupo de calamẽto. Lege etiã de menta in electuario de aromatibus. Arabicè autẽ menta, Nahanaha, vel Nahanna &c. vocatur: vt eſt in Pandectario, & Simone Ianuenſi, & primo cap. xj. tractatus primi libri Abumeron Auenzoar.

Syrupus de Abſynthio &c. CLXXIX.

De Abſynthio.



VOD abſolute dicitur abſynthiũ, notiſsimũ eſt. Sed quia dicit Author in præſenti deſcriptione: Recipe abſynthij Romani &c. ſciẽdum quod ferè omnes pharmacopôlæ Romæ decipiũtur, ſumentes pro abſynthio Romano, illud quod in parietib. vetuſtis derelictis ruinarũ antiquæ Romæ copioſiſsimè oritur: de quo minimè Authores intellexerũt, quodq; à peritis viris
Abſynthij murorũ Vrbis notæ. iudicatur diuerſa abſyntij ſpecies. Et in veritate eſt. Quia cõſtat ipſam eſſe folijs minutioribus, nec hyemali tẽpore timet frigus ſicut aliud, imo in ipſis algoribus magis viget, & creſcit: econtrà aliud in æſtate magnificatur &c. Et verè priſci Authores non poterãt loqui de dicto murorũ Vrbis: quia prioribus tẽporibus, ſcilicet in Roma triũphante & ædificijs pulcherrimis florente, non erãt tot murorũ ruinæ, nec Mœnia vrbis ita diruta, vt noſtra ætate ipſa nimia vetuſtate penè cõſumpta videmus. Et per cõſequẽs non erat abſynthiũ in ipſis: nec (vt putamus) vllum herbæ genus permiſiſſent illi heroes priſci Romanorũ patres, ſuper ipſorũ ædificia multiplicari. Quapropter abſynthiũ Romanũ à filio Meſuæ, Auicen. & cæteris Authorib. deſcriptũ, nõ intelligitur ſupradictum murorũ vrbis. Non obſtãte quòd præfatũ murorũ Vrbis non negetur eſſe Romanũ, quia omne quod naſcitur Romę,
Abſynthiũ Romanũ duplex. Romanum dici negabit nemo. Vnde abſynthium Romanũ duplex conſideratur, ſcilicet præfatũ murorum Vrbis: & aliud (de quo intellexerunt Authores) quod oritur in partibus Romæ propinquis. Et largo modo per abſynthiũ Romanũ intelligitur omne illud abſynthiũ, quod ſponte intra Italicũ naſcitur ſolum. Quia vtplurimũ & Dioſcor. & Galen. & cæteri Authores, cùm dicunt aliquid Romanũ, intelligunt illud eſſe Italicũ. Vt exẽpli gratia: Apud Dioſcoridem cum citãtur Romani, intelliguntur

Lati

Latini,ſcilicet Itali,qui ſunt veri Latini. Aliud efficacius exemplũ: Scribitur à pluribus Authoribus,& præſertim ab Auicenna,Gentiana Romana, Pæonia Romana,ſpica Romana,& alia plura quæ nõ tantùm Romæ non ſunt,ſed nec prope Romam ad multa miliaria naſcuntur. Qua de re,talibus in locis,neceſſariò pro Roma,Italia:& pro Romano, Italicum intelligendũ eſt. Quod clarius oſtendit ipſe Author noſter filius Meſuæ,in ſuo de Simplicibus,cap.de abſynthio.vbi de Romano tantùm pertractans,ait: Abſynthium multiplex eſt.Sed illud quod intendimus nunc,eſt abſynthium Romanũ. Electio.Melius eſt,quod eſt remotum ab odore maris,& quod oritur in terris liberis &c. Si igitur intellexiſſet pro abſynthio Romano,illud præfatum quod naſcitur in ruinis vrbis,non dixiſſet: Melius eſt,quod eſt remotũ ab odore maris,ſciens Romam non eſſe in maritimis poſitã. Vnde neceſſarium eſt dicere,omne abſynthiũ Italicum, etiã & quod oritur circa mare(nõ obſtante quòd ſit non bonũ) eſſe abſynthiũ Romanum. Et ex hoc ſciẽdũ quod iſtud murale, iudicio plurimorum, eſt malum:quod pro certo compertũ eſt eſſe aliud abſynthij genus:quia neq; trãſplantatione de loco ad locũ pinguiorem, neq; cultura aliqua tranſmutatur à primo ſuo eſſe. Vnde pro abſynthio Romano accipiendũ eſt illud quod (vt dicit Author noſter) naſcitur in terris liberis,habens folia latiora,lenia,alba,& plana. Quodq; non eſt ita aridum,& pluribus Italiæ locis copioſè habetur. Et hoc etiamnum à Romanis (teſte Dioſcoride) vocatur abſynthiũ ruſticũ.Et abſynthium abſolute,vbiq; à Latinis appellatur,ſiue abſynthiũ Italicum,vt in Plinio legitur. Quod enim Plinius dixit Italicũ,Author noſter & Auicẽna,& cęteri Romanum dixerũt. Illud autem murorũ Vrbis ſupradictum, ad differentiã alterius,abſynthiũ murale nuncupare quibuſlibet non diſplicebit. Et ſciendũ quòd præter abſynthiũ Romanũ naſcitur etiam in maritimis,& montibus aliud abſynthiũ, quod à Dioſcoride & alijs pluribus principaliter vocatur abſynthiũ marinũ,& ab alijs ſeriphium,ſiue ſeriphũ,& abſynthium põticũ. Eſt quoque & tertium apud Dioſcoridẽ abſynthiũ, quod antonomaſtice vocatur ſanctonicũ,ſeu ſandonicum: quia hoc vocabulũ eſt etiam commune ad omnes abſynthij ſpecies,ſecundum ipſum Dioſcoridem,& Plinium,& cæteros. Sicut Sceha apud Serapionẽ. Qui Serapio omnibus abſynthij ſpeciebus, ſceha nomen tribuit. Et hæ duæ vltimę ſpecies ab antiquioribus & recẽtioribus ita confunduntur,quòd nemo in præſentiarum audet dicere abſolutè, hoc

Abſynthiũ abſolutè.

Sandonicũ.

hoc est istud, & hoc est illud. Dioscorides nempe,& Serapio,& alij plures,tres tantùm absynthij species scribunt. Auicenna autem sex,dicēs: Species eius quinque sunt:Tarsense,& Susi,& Nabati,& Corasceni,& Romani. Et infrà ait: Et est etiam ex speciebus sceha. Et propter hoc vocauerunt ipsum quidam sapientes,sceha Romanorum &c.Vel saltē ponit quinque species.Quia hoc vltimum forsan non intendit absolute esse diuersam absynthij speciem: sed quod dicitur absynthium Romanum,à sapientibus vocatum esse sceha.Verba etenim ipsius ad vtrunq; sensum possunt deduci. Platearius quidem duas tantùm scribit absynthium habere species. Sed Simon Ianuensis authoritate Galeni, & ex libro antiquo de simplici medicina,enumerat quatuor.Pādectarius autem,præter supradicta,habet etiamnum absynthiū dulce,quod declarat esse anetum. Et sticados citrinum,dicit esse absynthium marinum. Item apud Halifilium Abbas legitur absynthium Græcum,quod si differat à Romano, nescimus. Et alij alia de absynthio tradunt genera. Nos autem dimissis omnibus alijs,tanquam dubijs & incognitis, solummodo primo genere, quod est verum,notissimum & præstātius cæteris,& pro Romano,& pro Pōtico,& pro Sanctonico vtimur. Aduertendū tamen illud quod oritur in terrris non mari propinquis,esse melius marino,& montanum est melius non montano &c. Scitote etiam, quòd absynthium nō est amarum per totum,sed amaritudo eius solummodo in superficie consistit. Nam pars eius intrinseca non est amara,imò est optimi saporis cum aliqua dulcedine, vt quilibet experiri potest sumendo cauliculos eius, & præcepuè tenellos,& dextre mundans eos à suo cortice. Folia nanq; & cæteræ partes,non ita de facili possunt excorticari. Hinc enim est quòd aqua ipsius sublimata est dulcis. Postremò sciendum, quòd nonnulli (quamuis falsò) opinantur absynthium Sanctonicum esse plantam ferentem semen,quod vulgò semen sanctum,& sementina vocatur. Sed hoc nobis videtur impossibile: quia absynthiū Sanctonicum nascitur (vt Authores tradunt) non vbique,sed in vna ciuitate Galliæ,nō longe ab Alpium montibus,eiusdem nominis,vnde & nomen absynthium Sanctonicum sibi vendicauit. Sementina autem: siue hoc semen sanctum vulgò dictum, quod aliqui etiam falsò putant sanctum à Sanctonico dici,quodq; Venetijs non vili venditur pretio,vt scitur,Alexandria Venetias fertur. Quapropter non potest esse absynthij Sanctonici semen. Quid autem sit, incompertum habemus. Pluries illud seuimus, sed

Sticados citrinum. *Semen sanctum.* *Sementina.*

ſed nunquam potuimus natum videre. Præterea Venetijs etiam venundatur aliud ſemen groſsius eo, pro vermibus puerorum, quod nõnulli aſſeuerãt eſſe ſemen Sanctonici abſynthij: ſed neq; de hoc adhuc potuimus habere certitudinem quid propriè ſit. Vtrunq; enim non poteſt eſſe. Vnde neceſſe habet, alterum ipſorum eſſe falſum. Et fortaſſe (vt coniectamus) quòd neutrum eorum eſt verum abſynthij Sanctonici ſemen. Item nonnulli pharmacopôlæ Romæ pro ſemine ſancto vulgò dicto, vendũt ſemen cuiuſdam plantæ ſimilis Alexandrinæ herbæ, quam plantam ſcimus in partibus Apuliæ, vocari vulgariter morulam. Cuius quidem ſemen nunquam fuit ſanctum, neque beatum. Pro infuſione vnius ſyrupi autem, lege in ſyrupo liquiritiæ.

Syrupus de Abſynthio alius &c. CLXXX.



ISTAM ſecundam deſcriptionem Author noſter ex quinto canone Auicennæ accepit: quia Auicenna teſtatur eſſe ſuam, dicens: Syrupus de abſynthio ex compoſitione noſtra &c. Verũtamen ipſæ deſcriptiones, in quibuſdam paucis, non conueniunt ad inuicem. Habet etiamnum ipſe Auicenna, præter dictam, tres alias ſyruporum abſynthij deſcriptiones, quarum vltima ſimiliter eſt de ſua inuentione: ſed differunt inter ſeſe omnes. Item filius Serapionis in 7. habet ſyrupum de abſynthio diuerſum ab iſtis dictis. Aduerte tamen, quòd iſte ſyrupus, reſpectu ſuperioris, rectè poteſt dici ſimplex. Et quamuis ſit optimus, à paucis tamen habetur in vſu.

Syrupus de Fumo terræ maior &c. CLXXXI.



SICVT præſens deſcriptio eſt vſitatior, ita & mẽdoſior habetur per omnes impreſsiones. O dedecus magnum! Certe multoties ſtomachamur in libris tantæ authoritatis atque neceſsitatis (quoniã in illis de vita hominis agitur) legere, & inuenire cõpoſitiones vſitatiores eſſe mendoſiores illis quæ nõ habẽtur in vſu. Sex nẽpe mẽdæ ſunt in præſenti deſcriptione, ſecundũ duas impreſsiones ex quibus legimus. Secũdum alias autẽ, vbi quinq;, vbi quatuor, & ad minus tres in vnaquaq; impreſsione leguntur. Nos autem, breuitatis cauſa, dimiſsis quatuor minoribus, quas tantũmodo in Receptario ſimpliciter correximus, reliquas duas communiores & maioris momenti annotabimus. Prima igitur menda quæ eſt per omnes impreſsiones Latina, necnon & per

quædam

quædam pauca exemplaria minus correcta (quia in duobus duntaxat ex tot quæ vidimus legebatur) est: vbi legitur, Forum boraginis, vel buglossæ, violarum, absynthij &c. Et per quasdam incorrectiores, peius: sic videlicet, Florum boraginis, vel buglossæ, violarum, vel absynthij &c. Neutra quippe ipsarũ disiunctiuarum legitur in antiquis exemplaribus, scilicet pro maiori parte: quia (vt diximus) in paucis minus correctis, reperitur prima disiunctiua, scilicet primũ vel. Etiam in tribus ex ipsis exemplaribus non sunt flores boraginis: & simpliciter absq; disiunctiua in illis legitur sic: Florũ buglossæ, violarũ, absynthij. &c. Quodquidem etiam (vt putamus) non est sine errore. In reliqua autem exemplarium multitudine, ac etiam in libro de vulgari impressione, loco prioris disiunctiuæ habetur copulatiua. Vnde sequitur, quòd vtriq; flores admittendi sunt. Sic enim in ipsis legitur: Florum boraginis, & buglossæ, violarũ, absynthij &c. Huiusmodi etenim est secundum veritatem. Alia autem menda, siue alius error notabilis est, vbi in dictis Latinis impressionibus legitur: Prunorum numero centum, passularum enucleatarum ℔.s. In cunctis autem præfatis exemplaribus, ac etiam & in vulgaribus libris, sic rectius habetur: Prunorum, passularum enucleatarum, ana ℔.s. Etenim centum pruna superflua quantitas nobis videtur. Item in quatuor ex antiquioribus præfatorũ exemplarium adhuc melius sic legitur: Prunorum enucleatorum, passularum enucleatarum, ana ℔.s. Vnde sciendum, quòd pruna, dactyli, myrobalani, & similia quando ab Authoribus scribuntur taxato pondere, vt hîc, semper enucleata ponderanda sunt. Vt exempli gratia: Legimus in practica nostri Authoris, capitulo de Asthmate, videlicet in syrupo de prasio Hamech: Recipe passularũ enucleatarum, iuiubarum pinguium sine ossibus, & sebesten, ana 3. c. Et in syrupo iuiubino eiusdem Hamech, ibidem, vbi dicit: Accipe pulpæ iuiubarum pinguium, & pulpæ sebesten, ana 3.c. &c. Quando autem numero ponuntur, nõ oportet ea prius enucleari, & postea numerari: quia enucleatio ipsorum nihil facit ad computationem. Quamobrem rectius est legere: prunorum enucleatorum &c. Et quod dictum est de prunis, dactylis, & similibus, consimiliter idem est intelligendum de tamarindis, de casia fistula, & similibus, scilicet quòd prius eo modo quo fieri potest, purganda sunt ab immunditijs & superfluitatibus suis, & postea ponderanda, quamuis talia nõ possunt numero poni. Præterea animaduertẽdum quòd decoctio præsentis syrupi est gradatim

Pruna, dactyli, & similia qualiter ponuntur pondere.

facien

facienda,& similiter omnes aliæ decoctiones quæ varia recipiũt simplicia, vt superius iam declaratum est.

De Fumo terræ.

EXuberantia nempe maxima fumi terræ, quæ vbique prouenit, facit ipsum hominibus nõ esse ignotum. Duplex enim reperitur. Vnus videlicet producit flores albicantes, & vt plurimum in sepibus oritur. Alter verò habet flores purpureos, qui est melior. Et ipse est accipiendus pro præsenti syrupo & cæteris compositionibus, vbi expetitur. Et semper recens est intelligendus, nisi semen ipsius quæratur, quodquidẽ oportet vt sit siccum.

Syrupus de Fumo *terræ minor &c.* CLXXXII.



VBI AVTEM per impreßiones legitur: Succi fumi terræ cocti, & despumati ℔. ij. Zucchari ℔. ij. In multis exemplaribus est cum ana, quod nobis magis placuit. Sic videlicet legitur: Succi fumi terrę cocti & despumati, & zucchari, ana ℔. ij. Item sciendum quòd ferè omnes aromatarij parant syrupum simplicem de fumo terræ, scilicet ex solo succo ipsius & zuccharo, quem nusquam legimus apud Authores. Vnde quando Medicus ordinat pro aliquo infirmo syrupum de fumo terræ, ipsum simplicem tribuunt: & male faciunt: quia in nõ specificato semper syrupus de fumo terræ maior est intelligendus.

Syrupus Liquiritiæ *&c.* CLXXXIII.



AVTHOR in præfato syrupo de absynthio & in præsenti syrupo liquiritiæ, & similibus, infundit varia simplicia quæ nõ sunt eiusdem texturæ: deinde pręcipit vt coquantur vsq; ad medietatẽ &c. Ibi enim nõ potest fieri gradatio rerum: ergo malè: quia spica, capillus Veneris, & huiusmodi similia, teste ipso Authore, non patiantur multam decoctionem. Ad hæc dicendũ quòd Author in huiuscemodi compositionũ decoctionibus, nõ quærit virtutes illorum simplicium, scilicet spicæ, capillorũ Veneris, & simplicium explicitè, sed implicitè: & ponit ea ad cõfortãdum & meliorandum virtutes, & operationes aliorum simplicium, quæ sunt basis & fundamentum ipsarum compositionum. Circa quæ versatur tota Authoris intentio. Vt exempli gratia: In præsenti syrupo, toto conatu quærit Author magnificare & meliorem facere virtutem liquiritiæ: & in syrupo de absynthio, virtutem seu operationem absynthij &c. Cum huiusmodi simplicibus,

cibus, vtputa cum ſpica & ſimilibus, & per viam decoctionis ſciẽs illud non poſſe fieri, facit illud per viam infuſionis. Vnde in ipſa infuſione melioreſcunt melioranda, & recipiunt in ſe pro maiori parte virtutem reliquorum ſimplicium. Et quæ virtus prius in ſubiecto debili ob multã decoctionẽ deſtruebatur, poſtea in ſubiecto forti conſeruatur &c. Quapropter nõ male fit infundẽdo & decoquendo, vt ſcriptũ eſt &c. Imò optimè agitur, & de mera Authoris intẽtione. Suprà autẽ, ſcilicet in cõfectione Hamech, & ſimilibus, quia Author quærit totam virtutẽ omniũ ſimplicium ibi exiſtentium poſt ipſorum infuſionem, præcipit vt vna bullitione tantùm bulliant &c. Et hoc totum notatum habeas pro omnibus ſimilibus accidentibus. Præterea ſciendum quòd nonnulli iuniores è præſenti deſcriptione expungunt aquam roſaceam, quaſdam friuolas rationes expreſsè contra Authoris intentionem adducentes. Nos autem inijcimus, & conſulimus vt omnes pharmacopôlæ inijciant. Non enim præſumendum eſt nos doctiores & peritiores eſſe ipſo Authore. Etiã & filius Serapionis, in huiuſmodi ſyrupo habet aquam roſaceam. Cuius ſyrupi titulus hîc eſt: Syrupus alius, qui confert pectori, & mundificat canalem pulmonis &c. Ergo ponenda eſt. Sed aduerte, quòd nõ debet eſſe aqua roſarum ſublimata, ſed aqua infuſionis roſarum.

De Liquiritia.

Glycyrrhiza. *Radix dulcis.*

GLycyrrhiza, quę corrupto vocabulo liquiritia dicitur, quam & multi hodie (vt etiam Dioſcorides tradit) radicem dulcem appellant, notiſsima eſt. Aliqui etenim ipſam magis barbarè vulgariter regulitiam vocant. Naſcitur in pluribus Italiæ locis. Radix tantùm in vſum medicinæ recipitur. Et ſuccus liquiritiæ ex ipſa radice extrahitur, & exiccatur, vſuique reſeruatur. De ipſa quidem ſatis clarè ſcripſerunt Authores. Hoc tamen nõ ignorandum, quòd cùm petitur radix liquiritiæ, ſemper raſa debet intelligi, licet non ſpecificetur.

Syrupus de Hyſopo &c. CLXXXIIII.



DEEST per omnes impreſsiones vnum ſimplex in præſenti deſcriptione. Hoc eſt, Radix petroſelini, quæ debet locari in primo ana cum alijs radicibus, & propriè inter fœniculi & liquiritię. Et rectius legendũ ſic, vt eſt in omnibus exemplaribus: Recipe hyſopi ſiccæ, radicũ apij, fœniculi, petroſelini, liquiritiæ &c. Præterea ſciendũ quòd habet Author in practica alias varias

dehy

de hyſopo cōfectionum & ſyruporum deſcriptiones, ex propria aliorumq; inuentione: optima autem omniū iudicatur præſens, quapropter non immeritò eius frequentatur vſus.

De *Hyſopo, & Iſopo.*

VEra antiquorum hyſopus, ſiue verū hyſopum (vtroq; enim modo dicitur) hodie ignoratur. Hæc autem herba, qua vtimur pro hyſopo (vt probatur per Dioſcoridem, & præciſe in capitulo de chryſocome) nō eſt vera ipſorum hyſopus. Quid autem ſit, apud Dioſcoridem & antiquiores hoc vulgare hyſopū, haud ſcimus. Secūdum authorem noſtrum autem eſt verè ſua hyſopus. Nam ipſe Author in ſuo de Simplicibus, ponit duo capitula de hyſopo: & in primo capitulo, hyſopum hortenſe, quod cognominat haſce, dicit quòd eſt mater epithymi, ſcilicet thymus. Vnde & thymus apud ipſum eſt ſpecies hyſopi. In ſecundo autem capitulo ponit duas hyſopi ſpecies: vnam etiam hortenſem, quam haſce aſsimilauit, id eſt thymo. Demptis quòd non ita copiosè fruticat vt thymus, & quòd habet maiora folia, & flos eſt ei cœruleus. Hinc depingit alteram, quam dicit eſſe montanam, cuius folia ſunt copioſiora, ſed minora, & ſtipites breues &c. Et in hoc cōuenit cum Dioſcoride, ſcilicet quòd eſt duarum ſpecierum: hortenſis videlicet, & montana. Et hæ duæ ſpecies filij Meſuæ verìſsimè (vt diximus) ſunt iſtæ vulgares, quibus communiter vtimur, ſcilicet vna hortenſis, & altera montana. Et licet non ſit aliorum quorundam hyſopus: veruntamen non per hoc eſt reprobanda. Imò in præſenti ſyrupo, & cęteris compoſitionibus noſtri authoris, in quibus hyſopus petitur, ſua ſemper reſpectiuè, ſiue hortēſi, ſiue montana debemus vti. Et ſimiliter (vt aliàs diximus) intellige de omnibus ſimplicibus, quorū inter doctores eſt differentia, ſcilicet quòd cuius deſcriptio eſt diſpenſanda, ſemper ipſius ſimplicia alijs ſunt preponenda. Et aduerte quòd montana hortenſi eſt melior. Lege etiam de hyſopo ſuprà, ſcilicet in Triphera ſaracenica, in origani annotatione. Præterea incidenter viſum eſt nobis non ab re eſſe de Iſopo humida vulgò dicta, paucula hæc lectu digna ſubſcribere. Clarū quippe eſt, quòd vocabulum iſopi humidæ eſt deprauatum, & ob id ſæpe cōfunduntur hyſopus herba, cum ſordelanarum. Hyſopus enim herba ſcribenda eſt cum aſpirationis nota in principio, ſequente y, & proferri debet penultima producta: quia Græcè per ω, ſcribitur. Hodie autē à pluribus, communi abuſione, ſcribitur & imprimitur inaſpiratè, & cum i Latino, & profertur penultima correpta cōtra omnem ra-

Thymus hyſopi ſpecies.

tionem. Nonnulli tamē (quod est minus malum) cum y, sine aspiratione scriptitant. Si autē cum duplici ss, hyssopus, vel cum simplici scribatur, nihil refert: vtrunq; enim reperitur apud probos authores. De consimili abusione, ısopus humida scribitur, atque profertur. Et sunt qui cum h, & sunt qui sine, & sunt qui cum y, & sunt qui sine eo &c. Cùm verum ipsius vocabulum sit œsypus, siue œsypum. Vtroq; enim genere, sicut hysopus & hysopum habetur. Vnde per œ diphthongum scribendum, & penultima correpta pronuntiandum est. Vt probatur per Ouidij versum, videlicet: Oesypa quid redolent, quāuis mittantur Athenis. Oesypum quidem Græcum est, & Latinè sordem lanarum significat. Et vt Hermolaus tradit, à Græcis primum corruptum est hoc vocabulum. Hinc ab Arabibus, & Latinis, magis corruptum habetur. Vnde si nolunt immunditiem seu succiditatem lanæ œsypum recto vocabulo nominare, minus malū est conuertere œ diphthongum in i Latinū productum, & y, in o, Latinum supple correptū, & scribere sine h, ad differentiam hysopi herbæ, quàm econtrà vtrunq; cōfundere. Nos igitur erroris euitandi causa, herbam (vt decet) aspirate, & cum y, syllaba media semper producta scribi & pronuntiari curauimus. Sordem lanarum autem, vt diximus, per i Latinum productū, absq; aspiratione, & per o correptū scribere, & pronuntiare decæterò lectores monemus. Humida quidē seu humidum additum est ei (vt suspicamur) à iunioribus, dignoscendæ rei gratia, quamuis male: quia & in herbis etiā humiditas reperitur. Et scribendo (vt ipsi faciunt) hysopū humidam, ita potest intelligi herba, sicut & lanarū sordes. Melius nempe esset (vt in Paulo Aegineta 17. cap. septimi libri legimus) vocare ipsam isopum liquidā, quàm humidam. Itē aliqui inscij forsan, tanquam si hysopus herba nō inueniretur virēs, addiderūt ad textus aliquorum authorū siccam: dantes intelligere, quod ad differentiam supradictæ, quæ est immūditia lanarū, ipsa herba semper debet nūcupari hysopus sicca. Et quòd huiusce rei gratia ab authore in præsenti syrupo, & alibi petatur hysopus sicca. Quod est falsum. Quia Author aliquoties petit hysopū siccā, mentā siccam, & similia, ad differentiam mēte virētis, & hysopi virētis &c. Et quia huiusmodi herbarū species virētes sunt cum aliqua ventositate contraria infirmis, pro quibus talia pharmaca cōponuntur: ideo authores herbas ipsas siccas administrari præcipiūt. Igitur sicca hysopus, ad differentiā virētis posita est hic, & in similibus locis ab authore, & nō respectu lanarū immunditię. Teneamus pro certo, quòd

Oesypum.

quòd in vno Auicēna antiquiſsimo ex pergameno & manuſcripto, quē vidimus, in canone de ſimplicibus, qui canon nō procedebat per literas ſecundum ordinem alphabeti Latini, vt impreſſi libri habent, neq; in capitulo de ſorde lanarum, iſopus humida, neq; in capitulo de hyſopo herba, hyſopus ſicca legebatur: ſed vtrunq; abſolutè. Vnde magis ſuſpicamur eſſe aliquorū additiones. Imò (vt melius dicamus) deprauationes. Quid autem ſit ſordes lanarum, ſcilicet iſopus, ſiue iſopum, id eſt œſypū, & modus colligendi ipſum, ſatis clarè deſcribitur, non ſolum à Dioſcoride, Serapione & cæteris, ſed etiā ab ipſomet noſtro Authore infrà, ſcilicet in diſtinctione de vnguentis, & emplaſtris. Pro œſypo, ſcilicet iſopo ponitur medulla vituli, ſecundū Paulum ex Galeno. Hæc equidem voluimus dixiſſe pro iunioribus & minus peritis, non autem pro doctioribus & conſummatis viris. *Medulla vituli quid ſuppleat.*

Syrupus de Praſsio &c. CLXXXV.



PLVRIMI ſunt errores in præſenti deſcriptione: ſed per impreſſos libros ſubintellige ſemper. Et primo vbi legitur: Hyſopi, capillorū Veneris, ana ℥.vj. & in nōnullis, ana ʒ.vj. Et ſequitur: Liquiritiæ ℥.j. Hic nempe ſunt duo errores. Primus, videlicet, quia liquiritia non intrat in præſentem ſyrupum. Secundus autem, quoniam hyſopi, & capillorū Veneris, nō eſt ana ʒ.vj. nec ℥.vj. ſed eſt ana ℥.j. vt probari poteſt per antiqua exēplaria, ac etiā per libros de vulgari impreſsione, & per Nicolaū Præpoſitū, qui ſimiliter vt dicta exemplaria habēt. Non obſtante quòd iudicio aliquorū in tali ſyrupo liquiritia potius poterit prodeſſe, quàm obeſſe. Attamen quia profitemur dicere veritatē, nolumus quid non verū deſcribatur in noſtro libello. Item nō in cunctis, ſed in aliquibus impreſsionibus, deeſt hîc, ſemē lini, quod debet eſſe in vno ana, cum ſemine cytoniorum. Item omnes ferè impreſsiones habent mendosè: paſſularum enucleatarum ℥.v. antiqua etenim exēplaria, & vulgares impreſsiones, Luminare Maius, Lumē apothecariorū, & Theſaurus aromatariorū concorditer habent ℥.ij. & ſic eſt verum. Nicolaus Præpoſitus enim in hoc concordauit cum impreſsionibus. Item aliud mendum, vbi legitur: Penidiarum ℔.ij. lege rectius, ℔.j. vt præfata exemplaria habent. & ſimiliter Nicolaus Præpoſitus. Certe ſi fuiſſent ℔.ij. concluſiſſet Author vnico ana, & mel, & penidias. Quoniā & mellis quoq; ℔.ij. ingrediuntur. Hæc ſanè erant in præſenti deſcriptione corrigen-

da. Præterea habet ipſe Author tres alias ſyruporum de praſsio deſcriptiones in practica, ſcilicet in ſumma de ægritudinibus pectoris & pulmonis, quæ tamen differunt ab iſta.

De Praſsio, ſeu Marrubio.

PRaſsium, ſcilicet marrubiũ vſuale, eſt notiſsimũ. Græci praſsion vocant. Sed animaduertendum, quòd nonnulli inſcij iuniores æquiuocant hæc nomina, ſcilicet praſsiũ, vel praſsion, ſiue per ſimplex ſ, praſiũ vel praſiõ (vtroq; modo legitur) quod ſignificat marrubium: & praſum, ſeu praſon, quod ſignificat porrum: & praſinũ, quod abſolutè denotat viride. Quodq; ab aliquibus falsò interpretatur, flos æris. Et ob affinitatẽ ipſorum multoties errant, intelligendo alterum pro altero. Et quanta differentia ſit inter ipſa, vosipſi ô lectores iudicate: quoniam nos in re tam clara, certè veremur prolongare ſermonem. Prętereà licet praſsium reperiatur plurium ſpecierum: hoc tamen notum (quod vulgò marrubium dicitur) eſt probatiſsimum, atq; optimũ praſsium. Et hoc, quotieſcũq; abſolutè reperitur ſcriptum in compoſitionibus, ſumi debet. Qñdoq; ſcribitur marrubium album, & hoc ad differentiam marrubij nigri, quod eſt Ballote.

Praſsium abſolutè.

Syrupus de Calamento &c. CLXXXVI.

De Calamento domeſtico, & ſylueſtri.



QVAELIBET calamẽti ſpecies nepeta vocatur. Græcè autẽ calamintha dicitur: vnde calamẽtum Latinè. Dioſcorides enim tres calaminthæ ſpecies ſcribit. Author noſter autem videtur quatuor ſpecies calamẽti tangere. Videlicet, duas in Diacalamẽto, ſcilicet calamẽtũ fluuiale, & mõtanũ: & in præſenti ſyrupo, & in ſecaniabin de calamẽto alias duas, ſcilicet calamẽtũ domeſticũ & ſylueſtre, ſiue agreſte. Sed ſi rectè verba ipſius perpẽderimus, nõ erit Author noſter Dioſc. cõtrarius, & tres tãtùm ſpecies erũt apud ipſum, ſicut & apud Dioſc. Quia calamentũ montanũ eſt idẽ quod domeſticũ. Et hæc eſt prima calaminthæ ſpecies poſita à Dioſcor. Et propriè illa eſt, quę vulgò dicitur mẽtucia, & nepetella, vel nepitella, vt iam diximus in Diacalamẽto. Vocatur autem mõtanũ calamentũ: quia (vt Dioſc. author eſt) montibus familiare habetur. Etenim nõ ſolũ mõtibus naſcitur: verũetiã & in cãpeſtribus & cultis locis copioſè prouenit. Ita quòd in quibuſdã regionibus, vt in Apulia, ob ſui frequẽtiã, verſum eſt in prouerbiũ, ſcilicet quòd quãdo alicuius rei volũt denotare abundantiã, dicunt:

dicũt:De hoc reperitur plus,quàm de nepeta.Vnde propter eius exuberantiam,ab Authore nõ incongruè quandoq; vocatur domesticũ,hoc est familiare,& commune,atq; notius calamentum. Quodq; multoties & in hortis reperitur.Manardus autem & Brasaulus super hoc syrupo declarauerunt,calamẽtum domesticum esse mentam nostratẽ hortulanam:quod nobis non placet. Nam Author scripserat suprà syrupos de menta:ad quid igitur iterum separatim scriberet syrupum de menta, sub nomine calamenti? Quoniam si calamentũ domesticũ,secundum ipsos,est menta:ita potest dici iste syrupus de menta,sicut & de calamento. Nõ enim intrat in ipsum plus de vno,quàm de altero. Sed secundum veritatem,calamentum domesticum non est menta,sed mentucia,scilicet nepetella. Et hoc calamentum est notissimum. Syluestre autem calamentum est illa nepeta, quæ vulgò dicitur gattaria. Et *Nepeta.* hoc calamentum secundo loco scribitur à Dioscoride. Et quia *Gattaria.* videtur æmulari pulegium odore, ideo (vt ipse Dioscorides refert) à nonnullis syluestre pulegium vocitatur. Vnde & rectè à *Pulegium* nostro Authore vocatur syluestre calamentum : quia vt pluri- *syluestre.* mum syluestribus & asperis nascitur locis. Et de hoc atq; de fluuiali calamento (quod tenemus esse illud quod Dioscorides scribens tertio loco dicit esse simile mentastro) abundè suprà, scilicet in Diacalamento disseruimus.Lege ibi.Loco calamenti sylue *Calamenti* stris autem,secundum Paulũ,ex Galeno,menta potest sumi. Præ- *syluestris lo* terea sciẽdum quòd cùm Dioscorides dicat cap.de calamintha: *co quid su=* Nepeta nascitur in campestribus,asperis,& aquosis.Hęc circum- *matur.* loquutio referri debet ad omnes tres calaminthæ species,singula singulis,videlicet campestre ad primam, asperum ad secundam, aquosum ad tertiã.Et intelligitur vt plurimum : quia etiã largo modo ipsa circũloquutio tota vnicuiq; speciei potest applicari. Et quamuis primam calaminthæ speciem dicat ipse Dioscorides esse montibus familiarẽ:tamen non est contradictio,quòd etiam campestribus nascatur &c.Et hæc quidem de calamento satis.

Syrupus de calamento ualens &c. CLXXXVII.



ST equidem in præsenti descriptione per excusos libros vna menda. Videlicet vbi legitur : vini odoriferi ℔.iiij.in antiquis autem exemplaribus pro maiori parte legitur ℔. iij. Quod putamus verius. Nam si Author voluisset dicti vini ℔.iiij. fecisset ex ipso, & ex calamenti succo vnum ana. Præterea vbi

in fine huius descriptionis habetur: Et dimittatur in sole per dies 40. In quinque ex dictis exéplaribus inuenimus per dies xv. Quod enim melius iudicatum fuerit, facito. Non enim est casus multæ æstimationis, si plus vel minus, quàm 40. diebus exponatur soli. Item non ignorandum quòd quandocunque absolutè reperitur scriptum calamentum, vt in præsenti descriptione, & in syrupo de prasio, & syrupo de epithymo, & syrupo desticados, & similibus, semper de calamento mõtano, vulgari, noto, scilicet de mentucia est intelligendum.

Calamentũ absolutè.

Syrupus de Thymo &c. CLXXXVIII.



VNVS paruus error reperitur in præsenti descriptione per impressiones. Videlicet, vbi legitur: passulularum enucleatarũ ℥.iiij. s. rectius lege ℥. iiij. In nullo quippe penitus antiquorum exemplariũ, nec in vulgari æditione, neq; in aliquo iuniorũ, videlicet Nicolao Præposito, Lumine apothecariorum, Luminari Maiori, & Thesauro aromatariorum, illud dimidium legitur. Sed omnes concorditer habent absolutè ℥.iiij. Et sic est verum.

De Thymo.

THymus, vel thymũ dicitur, res valde nota. A nostro Authore vocatur Hasce, de quo facit capitulum in suo de Simplicibus. Et ex istius planta verum epithymum colligitur. Sed sciendum quòd aliqui vt Author noster, Dioscorides, Serapio & cæteri vnum tãtùm thymi genus describunt, scilicet thymum album. Aliqui verò, vt Theophrastus, Plinius, & cæteri, duo ponũt genera, siue species, scilicet album & nigrum. Brasaulus autẽ tria genera, seu species notat. Nos autem vnum dũtaxat genus, quod est commune & omnibus notissimũ, scimus. Reliqua duo ignoramus: quoniam nec ipsi qui ea describũt declarant quæ sint, aut vbi reperiantur. Sed quia (vt Aëtius tradit) niger thymus in vsu medico reprobatur: idcirco fortasse ipsum tanquam reprobum Dioscorides subticuit. Quia clarum est, quòd album ponitur ad differẽtiam nigri vel alterius coloris. Et nos etiam non curemus multùm ipsum agnoscere. Satis enim est, quòd nobis est necessarium scire, & perquirere. Colligitur autẽ thymus cum floribus, & siccatur in vmbra. Tradunt enim Authores semen thymi esse inuisibile, & quòd si seruntur flores thymus nascitur. Auicenna autèm in secundo cañ. capitulo de thymo, de eius semine tãtum pertractat. Vnde vel thymum apud ipsum est alia res (quoniam scri-

ſcribit etiamnum ipſe capitulum de haſce) vel pro ſemine,intelligit flores:vel ipſe ſomniabat ſcribens ea de ſemine thymi.Eiuſdem naturæ quidem, & effectus ſunt thymus,& thymbra,& poteſt poni alterum pro altero,vt Dioſcorides, Paulus,& ferè omnes Authores teſtantur.Vnde & Macer etiã capitulo de Satureia (quæ eadem eſt,quæ thymbra) ait: *Thymi loco quid ſit mendum.*

Si deſit thymus,pro thymo ponere thymbram
Præcipiunt medici:quia vis eſt æqua duobus.

De haſce etiam lege ſuprà,ſcilicet in Diacalamento.

Syrupus de *Eupatorio &c.* CLXXXIX.



T quamuis nõ omnes,plurimæ tamẽ impreſsiones habẽt mendoſe in præſenti deſcriptione: Liquiritiæ &c.ana ℥.vj.Reliquæ autẽ impreſsiones, & cũcta exemplaria &c.habent,ana ℥.xvj. Et ita eſt verum.Et licet ℥.xvj.& ℔.ij.ſint vnum & idem, ita quòd ſupraſcripta inibi ſimplicia,ſcilicet radices apij,&c. & iſta poſſent vnico ana cõcludi: tamẽ placuit Authori ſic variare. Et ne eſſent duo ana ſimilia,immediatè vnũ poſt alterũ, ex quo poſſet alicui dubitatio erroris oriri,primũ poſuit per ℔.ſecũdum per ℥. Poſt hæc ſciẽdum,ꝙ hic ſyrupus denominatur ab eupatorio,non tamẽ à quantitate,quia parũ ex eo recipit:nec à pretioſitate,quia eupatoriũ vilius venditur, ſed ab effectu, & proprietate.Quoniã viſum eſt ipſi Authori,ad hepatis affectus(circa cuius curationẽ verſatur principaliter intẽtio iſtius ſyrupi)maximè valere eupatoriũ:& ita eſt. Vnde à nonnullis rectè eupatoriũ interpretatur bonũ hepati. De conſimili habetur ſuprà, Modus ſecaniabin de cheiſim,vbi etiam ingreditur & eupatoriũ. Quod ſecaniabin vocauit de cheiſim,& non de eupatorio,ſeu ex zinzibere,vel ex alio ipſorum quæ ſunt in eodem ana. Neq; ex aliquo ſuperioris ana,cuius ſimplicia in maiori recipiuntur portione. Vocauit autẽ ex cheiſim : quoniã probauit illud efficaciſsimum eſſe operationibus curationũ ipſius ſyrupi,ſiue (vt mauis) ſecaniabin . Et ob id quia ſecaniabin de cheiſim valet oppilationibus hepatis,præcepit Author in eius cõpoſitione & eupatoriũ ſumi. Et ſi aliquis, cui præfata declaratio nõ placebit)dixerit,quoniã Serapio authoritate Rhaſis,capitulo de eupatorio dicit:Manifeſtum eſt per experientiã quòd abſynthium eſt magis conueniens in iuuamento hepatis,quàm eupatorium : ergo ab abſynthio conuenientius denominaretur præſens ſyrupus , quàm ab *Eupatorij interpretatio.*

eupatorio. Eo maximè, quòd in maiori quãtitate ingreditur absynthium in syrupũ, quàm eupatoriũ. Dicendũ, quòd hac de causa denominatur ab eupatorio, & non & ab absynthio, videlicet ob differentiam aliorum syruporũ de absynthio, quos iam scripserat suprà. Vel denominatur ab eupatorio, quia sic placuit Authori, & cæteris. Et similiter dicendum de præfato secaniabin de cheisim, & cæteris consimilibus, de quibus certa & expressa non habetur denominationis ipsorum assignandi ratio. Et animaduerte, ne omittas in decoctione istius syrupi, & similibus, facere gradationem simpliciũ, vt primò quæ maiorem coctionem sustinere possunt iniiciãtur &c. vt in superioribus iam declaratũ est.

De Eupatorio.

Gafet quid. GAfet Arabicè, Græcè & Latinè eupatorium dicitur. Omne tamen quod prodest hepati, eupatoriũ, siue hepatorium (vt aliqui volunt) potest dici. Principaliter autẽ, & antonomasticè, quædã genera herbarum eupatoria vocantur, quoniam virtutes ipsorum ad hepatis vitia curanda (experiẽtia teste) ab Authoribus probatæ sunt: & particulariter duas herbas habemus, quas verè per Authorũ scripta esse eupatoria probamus. Vna videlicet est, quam vulgò falsissimè agrimoniã nũcupãt. Et hoc est verissimũ eupatoriũ Dioscoridis, & antiquorũ, vt patet considerãti ipsam herbã, & doctorum conferenti scriptis. Altera verò est eupatoriũ, quod scribit Author noster filius Mesuæ. Quam herbam in patrimonio Romano, nonnulli herbã S. Ioannis appellant. Non obstante quòd aliæ & diuersæ herbæ à vulgaribus sub dicto herbæ sancti Ioannis nomine intelligãtur. Et hoc eupatorium non est ignotũ. Imò à pluribus eupatoriũ absolutè intelligitur. Sed sciendum quòd non loquimur de quadã herba, quam vulgares vtplurimum, pro eupatorio sumunt quod pseudo, seu adulterinũ eupatoriũ nos vocamus. Quam quidem herbã, ob id quia semper reperitur in aquosis, eupatoriũ aquaticũ nominãt. Quoniam talis herba nũquam fuit eupatorium, nec species eius. Ignoratur enim & à peritis viris qđ sit ipsa herba. Præterea quãuis nonnulli enixi sint aliquibus notis & signis, quibus conueniũt inter se capitulũ filij Mesuæ, & capitulũ Dioscoridis de eupatorio, probare non esse diuersa, sed idẽ eupatoriũ esse apud filium Mesuæ, quod est apud Diosc. tamen quibusdã alijs clausulis, quibus non conueniunt, probatur contrariũ, scilicet quòd est diuersum alterũ ab altero. Et maximè de amaritudine, quam scribens filius Mesuæ tribuit suo eupatorio. Quæ quidẽ à Dioscoride notatur,

Herba sancti Ioannis vulgaribus quæ.

tatur,nec in ipsa herba agrimonia falsò dicta (quod est verum Dioscoridis eupatoriũ) persentitur,vt quilibet experiri potest. Et similiter de forma foliorũ &c. quæ breuitatis causa studiosis dimittimus:ex quibus clarè percipitur eupatoriũ filij Mesuæ esse alienũ ab eupatorio Dioscoridis. Et vt suprà in syrupo de hysopo,& alibi diximus,semper simplicia cuiuscunq; Authoris in suis cõpositionibus duntaxat,omnibus alijs sunt præferenda. Vt etiam exẽpli gratia:pro compositionibus filij Mesuæ, in quibus recipitur eupatoriũ,contra aliquorũ iuniorũ opiniones,non est accipiendũ eupatorium Dioscoridis,sed eupatoriũ quod scribit ipse filius Mesuæ. Et similiter pro cõpositionibus Dioscoridis, Galeni,& cæterorũ antiquorum, non est sumendũ eupatorium filij Mesuæ,seu Auicennæ,sed suũ eupatoriũ,scilicet eupatorium ab ipsis descriptũ. Et sic de singulis. Eupatoriũ autẽ filij Mesuæ, licet sit notissimum,pro illis tamẽ minus peritis adolescentioribus aromatarijs,qui forsan assueti recipere suprascriptũ pseudo eupatorium,aquaticum nuncupatũ, non bene cognoscũt illud, breuiter declarabimus. Pluribus in locis nascitur. Folia fert similia cẽtaureę minori,sicut dicit Author,sed sunt incisa vt serra. Ex vna radice plures eleuãtur surculi,in quorũ summitate sunt flores subcitrini,oblongi,in vmbella perpulchra compositi. Et vmbella ipsius est vt vmbella illius plantæ quæ vocatur barba Iouis,siue Iouis barba,quæ apud Diosc. Chrysocome dicitur,& vulgò etiã sticados citrinũ appellatur. Et flores istius eupatorij nõ citò marcescũt,seu diu perdurãt,nec cùm siccãtur amittunt colorem suum. Vnus & idẽ odor grauis est in herba,& in floribus. Tota planta amarissima est,& flos est melior pars ipsius plantæ &c. Succus ab ipsa planta excipitur,cùm est tenera,& exiccatur in sole,& vsui reseruatur &c. In defectu autem eupatorij, rectius ponitur absynthiũ,quàm aliud.

Barba Iouis. *Chrysocome.* *Sticados citrinum.* *Eupatorij loco quid sumendum.*

De Bedegar,& Suchaha.

VAriæ atque diuersæ sunt iuniorũ opiniones de Bedegar,& suchaha,quas curiosis lectoribus relinquentes, breuiter vt poterimus,quid de huiusmodi simplicibus sentimus,subscribere non pigebit. Clarũ quippe est,& patet cuicunq; legenti & considerãti capitula de Bedegar & de suchaha apud Serapionẽ,quòd eadem sunt quę apud Dioscoridẽ Acãtha leuce,& Acantha Arabica,id est spina alba,& spina Arabica. Et aduerte ne decipiaris in Dioscoride (vt nonnulli decepti sunt) intelligendo leucacantham, id est albam spinam,pro acantha leuce,id est spina alba:

Acantha leuce. *Acantha Arabica.*

quoniā differt altera ab altera,& separatim de vtraq; ipse Dioscorides capitula facit. Pro faciliori autē dictorum, scilicet bedegar,& suchaha declaratione, à posteriori incipiētes, scitote quòd suchaha, siue sucaha verissimè est planta illa quæ vulgò Carlina dicitur: quod etiā in synonymis filij Serapionis clarius percipitur, vbi legitur: Suchaha, id est herba parua, dulcis & spinosa, quæ extenditur super terrā,& facit capita grossa prope radicem, & exeunt ex ipsis capitibus flores sanguinei. Carlina huiusmodi autem notissima est. Et dicitur carlina (nescimus an fabulosè) à Carolo, siue Carlo Magno imperatore, cui tēpore maximæ epidimiæ Pestis, pro salutari remedio, ab Angelo sancto (vt fertur) ostensa fuit. Vnde quamplurimi in Pestilentiali morbo vtuntur ea. Sed sciēdū, quòd duplex reperitur carlina. Vna videlicet, quæ non eleuatur à terra, sed producit caput magnū, spinosum, terræ annexū,& folia quæ similiter sunt valde spinosa, circunquaq; super terrā expansa,& flos ipsius sanguinei coloris est &c. Et hoc est suchaha præfatum. Altera verò carlina, simillima est prædictæ, præterquàm quòd eleuatur à terra in stipitibus cubitalibus, plus & minus, secundū locorum dispositiones,& facit plura capita, quæ sunt oblonga,& non ita magna. Prima autem rarissimè producit duo capita ex vna radice. Sed generaliter vnū magnū spinosum (vt diximus) echino marino, seu echino castaneæ perquàm simile. Radices vtriusq; etiā sunt simillimę in omnibus, supple odore, sapore, longitudine, pollicari crassitudine &c. Excepto quòd radices illius quæ nō eleuatur à terra, sunt albiores, scilicet ab extra, integræ & sanæ. Alterius autē radices, scilicet illius quæ producit stipites,& capita plura, sunt nigriores, acutioris saporis,& scissæ ab illa parte qua folijs & stipitibus coniūguntur, in duas, aut tres, plurésve partes, scissuris magnis, ferè dimidij palmi, tāquā si studio aliquis eas gladio scidisset. Et hæc planta in nōnullis Italię locis, magis quàm altera, intelligitur pro carlina. Et hoc haud dubiè est bedeguar, siue bedegar, siue bedoar, & similia, vt in Auicenna & cæteris legitur. Quæquidē barbaræ voces vnum & idem significant. Et quòd bedegar & suchaha sint eiusdē naturæ & proprietatis, non solùm per capitula Serapionis & Dioscoridis,& cæterorū probatur, verūetiā & res ipsæ veritatem ostētāt. Nascūtur ambo mōtibus altis,& locis frigidis ac asperis. Copiosius tamē suchaha, quàm bedegard, sed asperioribus locis bedegard magis quàm suchaha, gaudet. Sæpius enim in vno met colle vtrūq; reperitur, vt proprijs manib⁹ pluries in mōtibus

Carlina

Carlina duplex.

tibus Rheatinis & alijs locis carpsimus. Radices tantū in medico recipiūtur vsu. Et rationabiliter alterū pro altero potest subministrari, cùm sint eiusdē naturæ &c. Præterea sciēdum, quòd non solùm carlina (quod suchaha Arabice dicitur, quod est acantha Arabica) in carduorū generibus caret caule: verumetiam & chamæleon albus, quem nonnulli ob id quia caule priuatur, falsò suspicauere suchaha esse. Sed in veritate in partibus Aragoniæ comperimus chamæleontem album non esse suchaha. Contingit enim iter agentibus nobis per Aragoniā, casu videre secus viam rem simillimam pineæ arborum, mediocri magnitudine, in terram iacentē, scilicet in medio vnius plantæ cardui. Eramus enim tres fratres pedestres, qui omnes à visione nouitatis rei ita decepti, quòd verè putantes esse fructum pini, vnus ex nobis extendit manū vt ipsum acciperet. Tūc illusionē visus, sensus tactus nobis detexit: cùm nō sensit duritiā quam in re ipsa putabamus. Quāuis asperitas eius non fuit abscondita à tactu manus. Continuò autē curiosi voluimus inuestigare quidnā esset illud, & inuenimus esse florē cuiusdam cardui in modū pineæ formatum. Folia ipsius floris, siue calicis, aspera, & non sine aculeis, quamuis paruis, erant. Absq; stipite radici insidebat. Folia plantæ super terrā expāsa circumcirca, quinq; aut sex, albicātia, non multa aculeorum asperitate obducta, pluribus scissuris fibrata. Radicē verò ipsius, licet ob sarculi carentiam, non integram, pro parte tamen effodimus. Quæ erat digitali crassitudine, non sine bono odore, dulcis, & optimi saporis, cum aliqua astrictione, intus alba, extra verò partim subuiridis, scilicet pars coniuncta folijs, & partim terrea, trahens ad albedinem &c. Prosequentes nos iter plures eiusdē generis vidimus plantas. Colorē floris, ab intus supple, nō vidimus, quoniā iam adhuc ipse flos nō cœperat florere. Hinc in Dioscoride Carduorum genera cōsiderantes, reperimus descriptionem chamæleontis albi, quę in omnibus optimè quadrabat. Eo etiā maximè, cùm inibi secundum traditionē Hermolai legatur, quòd aliqui carduū pineā vocāt &c. Hanc igitur plantā potius quàm carlinā, credimus esse chamæleontem album. Item in confinibus dicti Regni Aragoniæ, versus Regnū Castellæ reperimus aliud cardui genus, quod copiosè ibi iuxta viarū semitas, & in triticeis campis nascitur. Quodquidē habet folia super terram expāsa, similia folijs carlinæ. Caret caule omninò, & producit capita plura: taliter ordinatè cōposita. Videlicet vnū magnū caput, echino marino simile est in medio, ac immediatè radici

Chamæleon albus.

Cardui, qui Corona fratrū dicitur, cōsideratio.

anne

annexum,& circumcirca ipſum octo,nouem,vel decem,& aliquando plura,paucioráve capitula,nucis iuglandis & ampliori magnitudine ſic cõtigua,quòd vnum tangit aliud, omniaq; terræ adhærentia &c. Et dum baculo effodiebamus ex ipſis plantã vnam,tranſeuntem quendam ruſticum interrogauimus, an ſciret nomen illius plantæ. Qui vulgari ſuo idiomate nomen indicans,idem eſt quod Latinè Corona fratrum. Quod nomen nobis viſum eſt non diſconueniens eſſe rei. Quia caput magnum ſtat tanquam pater,capitula verò tanquam filij eius,& fratres in modum coronæ ſtant circundantes ipſum patrem &c. Demum effoſſa ex parte radix,baculi groſsitiem habens,tenera, alba,& cum quadam aſtrictione iucundi ſaporis erat. Quid autem ſit apud Dioſcoridem,& cæteros, tam antiquiores quàm iuniores Authores,adhuc incompertum habemus. Alias etiamnum plantas ex aculeatis, carentes caule ſcimus,non tamen ſunt carlinæ ſpecies,de quibus quidem non eſt neceſſe impræſentiarum habere ſermonem. Hæc quidem ſatis pro bedegar,& ſuchaha declaratione. Caueant igitur aromatarij,à vaniloquijs plurimorum iuniorum de hiſce ſimplicibus.

De ſucci Apij,& Endiuiæ quantitate ſufficienti.

ALiàs quippe ſuprà diffusè & clarè,de partium conueniẽtia & ſufficiẽtia, & ſimilibus pertractauimus. Hîc autem tum, quia clauſula iſtius circumloquutionis non manet in ſua rectitudine,tum etiam quia nonnulli iuniores varias ſcripſere declarationes & interpretationes,ſuper huiuſmodi clauſula viſum eſt nõ bis ſilentio ipſam non præterire. Certè ipſa circumloquutio per impreſsiones non eſt in ſuo eſſe recto,vt aliqua exemplaria vetuſtiſsima de hoc nobis teſtimonium perhibent, quæ ſic rectius habent: Et cum zucchari ℔.iiij.& ſucci pij, & endiuiæ quantitate ſufficienti,fiat ſyrupus. Quantitas autem ſufficiẽs hoc in loco dupliciter eſt intelligẽda. Primò,vt ſit inter ipſos ſuccos ęqualitas,ſcilicet quòd ſucci apij,& endiuiæ ſint partes æquales,ſcilicet quòd non plus de vno,quàm de altero ponatur &c. Secundò,vt ſit ſufficiens & competens pars ſuccorum,ex proportione ad zuccharũ: & tali modo, licet poteſt ſumi regula ex ſyrupo de fumo terræ,ſcilicet quòd ſucci ambo pro vno ſumpti,& zuccharum,ſint æquali librata pondere: tamen nõ in omnibus alijs hic modus eſt obſeruandus. Quia illarum compoſitionum, quæ nõ recipiunt decoctionem ſeu infuſionem rerum ex aqua, vel altero liquore,ſed ſolos ſuccos,ſucci non ſunt accipiendi æquali pondere

dere seu mensura cum zuccharo aut melle: sed debent esse in duplo, vel saltē in proportione sesquialtera, scilicet quòd pro quali-libet parte zucchari, vel mellis, vel similis succi, vel succorum in vnum & pro vno (vt dictum est) copulatorum, pars vna cum dimidia ad minus sumi debet. Quoniam vtplurimum talibus modis vtitur Author in suis compositionibus. Hîc autem & in syrupo de fumo terræ, & similibus, quia decoctio rerum excusat partem succorum, idcirco ponendi sunt succi æquali pondere ad zuccharum. *Proportio sesquialtera quæ.*

Syrupus de Epithymo *&c.* CXC.



IN PRAESENTI descriptione plurimæ impresiones mendose habent, passularum enucleatarum 3.iiij. Imprudentia enim librariorū posita est ibi drachma, pro vncia. Lege igitur rectius ℥. iiij. Item cunctæ impressiones, necnō & quædam pauca exemplaria minus correcta mendosissimè habent hîc: Recipe epithymi boni hortensis &c. Nam (exceptis duobus) cuncta exemplaria, quæ vidimus, sic rectius habent: Recipe epithymi boni Cretensis. De quo mox in declaratione epithymi dicemus. Præterea animaduertendum quòd licet in præsenti & sequenti, & alijs pluribus syrupis (vt etiam suprà retulimus) non sit specificatè descripta decoctio rerum: veruntamen rationabiliter & necessariò debet fieri, gradatim, & secundū artem. Quia quamuis epithymum, & aliqui myrobalanorum sint primitus descripti: tamen in decoctione vltimum locum tenere debēt, quoniam non patiuntur multam decoctionem. Et econtrà, aliqua quæ in fine describuntur, vt pruna &c. Item nonnullæ ex impressionibus mendosis, minus correctè habent in præsenti descriptione: zucchari ℔.iiij. rectius legito ℔.iij.

De Epithymo.

QVantò magis legimus de epithymo apud Authores, tantò magis mens nostra vexatur, & confusionem maximam inuenimus. Sed omissis pro parte ipsorū lectionibus, ne prolixitas minus nobis necessaria carpatur, vnde quilibet per se quærat, si illis habet opus, necessarias tantummodo authoritates pro rei veritate cognoscenda (vt potuimus) in nostro libello constrinximus. Phantasticentur igitur iuniores, machinētur, fabricentq; suo modo vaniloquia: quòd secundum veritatē epithymum non est aliud, quàm illud capillamentum inuolucrum *Capillamentum thymi.*

(si

(si ita dici libet) quod supra thymum nascitur. Sicut etiam nascitur super plures alias herbas & plantas, vt super genistas, super ozimum, super linum, & similia. Quamuis illud capillamentum quod oritur circa vel supra linum, particulari nomine vocetur cuscuta: est tamen huiusmodi generum, de quo alibi. Tantummodo capillamentum quod supra thymum procreatur, præcisè & antonomasticè, recteq; epithymum vocari censemus: ab epi, quod dicitur supra: & thymum, id est supra thymum. Et quod supra ozimum, epiozimum, & similia. Et licet à quibusdam vocetur flos thymi, & ab alijs inuolucrum, & palliolum &c. non tamen per hoc, quia sunt diuersa nomina, diuersas putemus Authorum intentiones, atque diuersa simplicia &c. Quoniam si rectè perceperimus ipsorũ scripta, vnum & idem erit epithymũ apud Dioscoridem, quod apud filium Mesuæ, & apud Plinium & cæteros Authores. Certissimè (vt coniectamus) à paucis verus sensus verborum Dioscoridis de epithymo percipitur. Nam cùm ipse Dioscorides dicat, capitulo de epithymo: Flos est è thymo, satureiæ similis. Non per hoc intelligit epithymum, scilicet capillamentum thymi, esse simile herbæ satureiæ: sed asserit illud dictum capillamentum thymi, esse simile capillamento satureiæ, scilicet thymbræ. Quia etiam & supra thymbram generatur huiusmodi capillamentũ, sicuti supra thymum. Quod capillamentum thymbræ, à Paulo Aegineta epithymbrum vocatur. Tanquàm si Dioscorides diceret: Epithymum est simile epithymbro &c. Et quòd epithymbrum sit simile epithymo, & in qualitate, & virtute, licet debilius operetur. Ait Paulus 4. cap. libri septimi, Epithymbrum (quod thymbræ supernascitur) epithymo similiter euacuat, sed imbecillius est. Cùm igitur dixit, Quod thymbræ supernascitur: intellexit capillamentũ, & non flores. Flores enim naturaliter verius dicuntur in planta nasci, capillamentum autem supra plantam. Præterea verbi gratia: Dato quòd epithymum Dioscoridis, & cæterorum, sit aliud ab epithymo filij Mesuæ (quod non credimus) non obstante etiam quod Plinius ponat duo epithymi genera, quoniam ipse Plinius à diuersis Authoribus accipiens, diuersa putauit simplicia, vel forsan epithymbrũ pro epithymo intellexit. Filius autem Mesuæ clarè, aperteq; de nostro vsuali epithymo loquitur, in suo capitulo de epithymo. Ad quid ergo in eius cõpositionibus volumus recurrere ad alienorum simplicia, cùm habemus sua? Vnde nullus dubitet in hoc nostro epithymo, quòd verissimè est illud quod scribitur à nostro

Cuscuta est de genere epithymorum.

Thymbra.

Epithymbrum.

ſtro Authore. Et in præſenti ſyrupo, alijſq; cõpoſitionibus ſuis,
ſuo epithymo debemus vti. Sed nota, quòd non ſolùm ſecũdum
ipſum Authorem noſtrum præfertur Cretenſe epithymum, epi-
thymo aliarum regionum: verumetiam & Serapio, & Auicenna,
& alij plures, illud idem teſtantur. Quamobrem ipſe Author no
ſter ſpecificauit in præſenti deſcriptione epithymum Cretẽſe eſſe
ſumendum, & non hortenſe, vt mendosè per omnes excuſiones
legitur. Quod mendum nonnullis tribuit errandi anſam: quo-
niam non defuère qui declarauerunt pro epithymo hortenſi, in-
telligendum eſſe capillamentum baſiliconis, id eſt ozimi: quod-
quidẽ reprobatur ab authoribus, & peritis viris: & rectius, non
epithymum, ſed epiozimum (vt diximus) quod ſupra ozimũ na- *Epiozimũ.*
ſcitur, nuncupandum eſt: ſicut epithymbrum, quod ſupra thym-
bram &c. Etiam nonnulli dixerunt, & peius, hortenſe ideò poſi-
tum eſſe ab Authore, quia minus vigoroſum. Ergo Author im-
becillius & minus bonum epithymũ elegit pro iſto ſyrupo? Ab-
ſit. Etenim ignorantes errorem hallucinati ſunt. Doctor igitur
noſter quærit hîc epithymum Cretenſe, tanquam melius, & ele-
ctius &c. Sed ſi quis carebit illo, loco eius noſtrũ epithymũ ſub-
miniſtret. Si autem neutrum habuerit, epithymbrũ ponat: quòd
ſi nec epithymbrũ affuerit, ſubſtituat flores thymi, vel flores thym *Thymi flo-*
bræ, vel ſaltem folia alterius. Pandectarius autem, & Platearius *res epithym*
dicunt, quòd loco epithymi ponitur cuſcuta: attamen ſi bene, ne- *brum ſup-*
ſcimus. Collegimus præterea aliquando & ſuper roſmarinũ co- *plent.*
ronarium, capillamentum ſimile epithymo: quod epiroſmarinũ, *Epiroſma-*
ſeu epilibanotum poteſt appellari, quodq; in defectu epithymi *rinum.*
compenſare, melius quàm cuſcutam eſſe putamus. *Epilibano-tum.*

Syrupus de Sticados &c. CXCI.



HABET Author noſter in cura de ægritudinibus
neruorum, Authoritate Iudæi, alium ſyrupum de
ſticados in multis ſpeciebus huic conformem. Sed
eo in loco vbi in præſenti deſcriptione habet cala
mentum, & origanum, ibi habet Zinian. Quod *Zinian con-*
Zinian paulò ſuperius in eadem cura authoritate Dioſcoridis *ſideratio.*
in multis operationibus cõmendauerat. At verò quid ſit zinian,
fatemur nos ignorare, Nonnulli ex iunioribus autem, interpre-
tati ſunt eſſe chamæpityn, id eſt iuan, quæ & aiuga dicitur: tamẽ
hoc nobis non conſtat. Nihil enim habet Dioſcorides in cap. de
chamæpity, ipſorum quæ authoritate ipſius Dioſcoridis, de zi-
nian

nian ab Authore noſtro ſcribuntur. Ex quo patet, quòd zinian non eſt chamæpytis Dioſcoridis. Præterea percucurrimus in Dioſcoride omnia capitula in quibus neruorum remedia, & curationes notantur: in nullo penitus legimus quæ de zinian ab Authore noſtro dicuntur. Vnde neceſſariò ſequitur, quòd vel interpres, vel ipſe Author, attribuit Dioſcoridi quod erat alterius authoris: vel (vt aliàs diximus) plura alia opera extabant apud antiquiores, & Dioſcoridis, & Galeni, & aliorum, quibus nos caremus. Et de facto erant. Quia legitur in Collectaneis Sudæ, quòd Dioſcorides ſcripſit medicinales 24. valdè celebres libros, ex quibus tantummodo hæc paucula de ſimplici medicina fragmenta adhuc extant. Igitur non admiremur in allegationibus Doctorum, ſi fortè non reperiantur quæ alicuius authoris non ſpecificato libro ab ipſis atteſtata ſunt. Item ſciẽdum quòd nonnulli Apothecarij parant præſentem ſyrupũ dupliciter. Vno modo, videlicet cum ſpeciebus in pãno, vt præcipit Author, quẽ vocant ſyrupum de ſticados completum. Altero verò modo ſine ipſis ſpeciebus, quem ſyrupum de ſticados incompletum nominant. Sed qua authoritate, ſine dictis ſpeciebus paratur hîc ſyrupus, ignoramus. Nam filius Meſuæ præcipit vt fiat cum ſpeciebus, nec ſine ipſis ſcribit poſſe fieri. Qui autem aliter velit facere, faciat. Hoc tamen ſciat, quòd de mente iſtius Authoris non eſt, vt fiat ſine ſpeciebus.

De *Sticados*.

STœchas, dos: vel ſtichas, dis, Græcè & Latinè dicitur. Arabicè autem, vt in Serapione, Aſtochodos, ſiue ſecundum Pandectarium, Aſtochodes, vel Aſcukodos. Indeclinabiliter verò ſtichados, ſiue abſque aſpiratione (vt vulgus tenet) ſticados nuncupatur. Secundum Dioſcoridẽ, ab inſula Galliæ Maſsilienſis, eiuſdem nominis, vbi maximè exuberat denominari cœpit. Attamẽ in Gallijs & in Hiſpanis, atq; in Italia copioſiſsimè naſcitur. Herba ipſa notiſsima eſt. Sed Author noſter, vel quia forſan medici ſui temporis experti fuerunt illud Arabiæ ſticados: vel quia ob maximam itineris diſtantiam carebant ſticados præfatæ inſulæ, & recentius & cõmodius quaſi præ manibus habebant illud, ſticados Arabicum commendãt. Veruntamen ſciẽdum quòd cùm eſſemus annis elapſis in Luſitania, & propriè in Olyſsipone, vel Vlyſsipone, quæ ciuitas hodie corrupto vocabulo Vlisbona dicitur, in noſtro cõuentu Franciſcano, nos vidimus ſticados Arabicum virens in horticello Infirmariæ. Quod vocabant fratres eiuſdem

eiusdem conuentus,patria eorum lingua:Romiero de los moro, quod Latinè sonat,Rosmarinũ Mauritanorum. Nam(vt habuimus ab eis)ex Arabiæ partibus cum mercimonijs aromatum ibi transuectũ fuerat.Fructicosior planta est, quàm nostrũ sticados. Etenim in spica,siue flore,in stipitibus,in colore foliorum & florum,in amaritudine & forma plãtæ,ad vnguẽ conuenit cum nostrate sticados: erat enim tũc cum flore. Odoratius enim nostro nobis visum est illud. Et spicæ siue flores ipsius sunt aliquãtulum minores.Necnõ & folia ipsius,quãuis nõ excedant magnitudinẽ foliorum nostratis sticados:tamen ex vtroq; latere sunt incisa vt serra,sed leuibus quidem, & non cuspiditatis incisuris.Pro certo enim tenemus illud esse sticados Arabicũ. Sed quia caremus eo,licet nobis,loco eius,vti nostrate. Si autẽ quispiam habuerit illud, optimã rem habebit,pro præsentis syrupi cõfectione. Quoniam certè iudicio pluriniorũ est melius quàm nostrũ sticados. Et ne putet quis nos cõposuisse mẽdacia,exportauimus aliquid parum siccum de planta eius,cum folijs & floribus,ad ostendendũ alijs, quodquidem adhuc est apud nos in testimoniũ. Melior pars sticados,est spica florida:in defectu tamẽ spicæ,folijs possumus vti. Præterea sciendum,quòd præter hæc duo præfata sticados genera,est & aliud,quod iuniores & vulgares vocant sticados citrinum,& barbam Iouis,siue Iouis barbam.Quod propriè est Dioscoridis chrysocome.Sed hæc planta(vt putamus)non est numerãda in generibus sticados,neq; pro sticados quis vtatur ea, quia in veritate non est sticados,nec species eius.

Sticados Arabici loco quid sumendum.

De Alchilil.

PRo Alchilil hoc in loco non potest intelligi nisi flos rosmarini,& de hoc iam dictum est suprà.

Sermo in Mellicrato condito &c. CXCII.



MELLICRATVM simpliciter(vt Author ipse in litera apertè declarat) nil aliud est, quàm syrupus cõfectus ex melle & vino tantũ. Si autem ipsi syrupo addãtur aliquæ species,vocatur Mellicratum cõditũ. Quãuis(vt ipse Author etiã scribit) sint nõnulli,qui vtrũq;,scilicet cõditũ & nõ cõditũ, vocẽt vtroq; nomine.Et modi eorũ sunt diuersi,vt in sequentibus clarè patet. Hinc iuuamẽta primi modi,& immediatè ipsum primũ modum subscribit,dicens:Recipe vini antiqui boni &c.In cuius calce est vnus error per impresiones nõ paruus:videlicet,vbi legitur:Mu

Mellicratũ conditum.

sci ℥ iij. Cuncta etenim exéplaria, sic rectius habét: Musci ℨ. vnius tertia. Paucis tamen dũtaxat exceptis, quæ habét: musci ℈. j. quod idé est quod tertia pars drachmæ. Huiusmodi etenim errores (vt aliàs diximus) non est multũ necesse annotare: quia sumus certi quòd aromatariorũ nullus poneret in præsenti syrupo tres musci drachmas. Imò cõiectando de errore, potius inclinaret animum ad interpretandum tria grana, quàm tertiam parté vnius drachmæ. Vt veritas autem stet in loco suo, nunquam sanè pigebit nos adamussim omnia fidelissimè describere.

De speciebus in huiusmodi syrupis ponendis.

EX præsenti nãq; primo modo sumitur regula ponendi species aromaticas in huiusmodi & similibus syrupis: sed clarius habetur apud filiũ Serapionis, & Auicennam in cõsimilibus compositionibus: quia ipsæ species sunt triturandæ trituratione grossa, præter crocum, quod non est triturandum. Et muscus non est ponendus in decoctione cum reliquis speciebus: quia (vt suprà diximus) muscus, ambra, & similia, aromatizandi gratia in fine ponenda sunt: vnde & Author nouissimè descripsit ipsum post colationem syrupi. Veruntamen potest poni cum bambace, sub cuspide colatorij, eo modo vt suprà notatum est: vel post colationem ponatur &c. Huiusmodi enim compositio apud filium Serap. intitulatur: Operatio candicon, ad illum cuius stomachus est frigidus &c. Apud Auicennam autem vocatur Condîtum: siue, secundum Bellunensem, Chandicum conueniens ad frigus stomachi &c.

Modus condîti de citro &c. CXCIII.



CVM dixit Author, Modus cõdîti de citro: subintellexit mellicrati. tãquam si diceret: Modus mellicrati cõdîti de citro. Et licet ipse Author in istamet distinctione habeat duos alios syrupos ex citri cognominatione: præsenté tamé & sequétem, ob id quia vnũ recipiũt, sub nomine mellicrati descripsit eos. Et animaduerte ne decipiaris, intelligédo condîtũ de citro, & citrũ condîtũ vnũ & idem esse, quia multũ differũt inter se. Nam citrũ condîtũ intelligitur in eo quod accipitur ipsum proprie, & proijcitur decoctio eius. In isto autem & sequenti condîtis de citro, econtrà accipitur decoctio citri & aliarũ rerum, rebus ipsis post coctionem, & colationem, vnà cum citro abiectis. Quia isti sunt syrupi potabiles, & non confectiones comestibiles: vt etiam in litera

Cõditum de citro, & citrum condîtũ, differũt.

tera probatur, cum in fine legitur: Et bibatur impermiſtum. Præterea quod dicit Author in præſenti deſcriptione, ſcilicet: ſi autem recens illud propinabitur, ſufficit parua in eo decoctio. Hoc conſimiliter eſt intelligendum in omnibus ſyrupis. Hoc eſt. Si recentes propinantur, non multùm ſunt decoquendi &c. Item vbi dicit: Et accipe adhuc de ſpeciebus quas diximus ſuperius: ſubintellige in ſermone mellicrati condîti &c. Denium ſciendum quòd per impreſſos libros ſunt in præſenti deſcriptione duo mẽda. Primum, videlicet, vbi legitur: Cytoniorum ℨ.ij. Et in alijs: Cytoniorum ℥.ij. Vtrunq; enim eſt falſum. Antiqui nempe codices vniformiter ferè habent apertè, & clarè: Cytoniorum numero iij. & nonnulli clarius ſic: Cytoniorum numero tria. Et ſic eſt verum. Aliud mendum eſt, vbi legitur: Aquæ roſatæ ℔.ij. lege rectius ℔.j. vt præfata exemplaria habent. Nam ſi eſſent ℔.ij. concluſiſſet eas Author in immediatè ſuperiori ana, ſic: Mellis deſpumati, zucchari tabarzet, & aquæ roſatæ, ana ℔.ij. Ad maiorem quoque probationem, vide apud filium Serapionis in 7. quòd in ſimili compoſitione (quæ videlicet inſcribitur: Syrupus alius qui confortat ſtomachum &c.) habet aquæ roſatæ ℔.j. & cytonia numero deſcripta. Ergo &c. Poma odorifera abſolutè deſcripta, apia intelliguntur.

Condîtum aliud de Citro &c. CXCIIII.



IN hoc ſecundo mellicrato condîto de citro ſunt quatuor emendanda per impreſsiones. Primum vbi legitur: Recipe corticum citri ℥.vij. lege ℥.vj. Secundum, vbi legitur: Bugloſſæ ℥.j.s. In alio mentæ ſiccæ, marmacur ℥.s. Caſſetur illud, videlicet: In alio mentæ ſiccæ. Et lege ſimpliciter: Bugloſſæ ℥.j.s. marmacur ℥.s. Tertium, vbi legitur: Garyophyllorum aur.ij. lege verius: aur.j. Quia ſic probauimus omnia hæc per antiqua exemplaria eſſe ſecundum veritatem. Quartum emendandum, eſt vna confuſa lectio, quæ licet non ſit in omnibus, tamen in nonnullis impreſsionibus habetur. Videlicet, vbi legitur: Croci ʒ.j.iiij. lege planius: Croci ʒ.vnius quarta. Hoc vltimum annotauimus: quia ſcimus aliquos qui intelligebant illo modo, drachmam & quartam. Habent etiamnum præſentem deſcriptionem, in paucis tamen differentem, filius Serapionis in 7. & Auicenna in v. Titulus deſcriptionis filij Serapionis eſt: Syrupus almuniati. Auicennæ autem: Syrupus Salmuniu.

Modus condîti de Buglossa &c. CXCV.



HOC est mellicratum condîtum de buglossa. Et licet non habeatur in vsu, tamen est optima cõpositio pro stomachi debilitate &c. Sed aduerte, quòd per impreßiones, in hac descriptione mendosè legitur: Setæ crudæ incisæ, nucis muscatæ &c. ana ℥. j.s. lege melius, ana ʒ.j.s. quoniam sic est ferè in omnibus antiquis exẽplaribus. Et certè magna quantitas est, ex quolibet ipsorum simplicium ℥.j.s. Et si non aliorum, saltem croci est maxima quantitas. Præterea probatur etiam hoc mendum ex superiori ana, quod est similiter ℥.j.s. Etenim Author non fecisset duo ana similia vnum post aliud, sed vnico ana conclusisset & cytonia, & poma, & illa simplicia sequentia. Igitur rectius illorum simplicium, ana ʒ.j.s. Aduerte etiã quòd Luminare Maius, secundum omnes ipsius impreßiones habet, alselegemisch ʒ.j. Sed hic error, vel si ipsi authori, vel si librarijs sit imputãdus, nescimus, Rectius lege, ℥.j. vt est in cæteris libris, tam impreßis, quàm manuscriptis.

De Cytoniorum generibus.

HAbet nanq; Author in præsenti descriptione tria cytoniorum genera. In Romano autem solo, non nisi duo nascuntur. Et hæc quidem nota sunt, quæ iam declarauimus suprà. Vnde sciendum, quòd teste Plinio cap. xj. libri xv. cytoniorum plura sunt genera: ex quo sequitur, quòd reperitur & tertium genus. Et verè reperitur. Quoniam scimus huiusmodi tertij generis arbuscularum magnam copiam, intra Italiam sponte nasci in sepibus, & præsertim in montibus Alpium Mutinæ, & Bononiæ. Et hoc quidem tertium genus est minus, & syluestrius alijs, tam in planta quàm in pomis. Quæ poma, scilicet cytonia huius tertij generis, quamuis sint minora, tamẽ odore gratißima sunt, & sunt valde acetosa. Et hæc quidem denotantur à præfato Plinio, cum dicit: Sunt præterea parua syluestria à strutheis, odoratißima, in sepibus nascentia &c. Ex his etenim præcipit Author in sequentibus condîtis de cytonijs, scilicet in miuis, parari succum, dicens: Recipe succi cytoniorum acetosorum &c. Aliqui autem, qui duo genera tantùm cytoniorum faciunt: hi nempe de notioribus & domesticis intelligunt. Et de ipsis intelligendum est semper, quando non specificatè scribuntur. Animaduertendum autem quòd cytoniorum genera varijs appellantur nominibus: vt sunt cytonia, siue more Græcorum cydonia, cotonea,

nea,struthea,chrysomela (quasi mala aurea, non obstante quòd *Chrysome-* mala aurea etiam in citriorum generibus intelligantur) mala *la.* cotonea, mala cytonia, seu poma cotonea, & pyra cotonea &c. Quæ quidem omnia, omnibus generibus, largo modo possunt dici æquiuoca, siue communia: quamuis aliqua ipsorum sint aliquibus particularia, & vniuoca.

De generibus Pomorum.

POmorum genera secundum omnes authores, penè innumera sunt. Quoniam hoc nomen, scilicet pomum, in fructibus, est tanquam genus generalissimum, quod continet in se plura alia genera non generalissima. Quia vniuersaliter, siue largo modo, omnes fructus qui non habent corticem durum ab extrà (sed illud quod estur videtur, vt in plurimis) ad hoc nomen, scilicet pomum possunt reduci. Vt sunt ficus, dactyli, sorba, mespila, pyra, & similia. Sed strictè, illi fructus præsertim nuncupantur poma, in quibus orbitas quædam, scilicet rotunditas aliqualiter reperitur. Vt verbi gratia: dicuntur poma, omnia mala, vt sunt apia, maciana, & similia. Item malo granata, siue mala granata, id est mala punica, mala aurea, arantia dicta, & similia. Item mala cotonea, & præcoqua, & persica omnia, & alia multa. Magis strictè autem, poma intelliguntur ista quæ vulgari voce generaliter vocantur mella, siue mela, vel mila, quasi mala. Et de his intelligit Author in præsenti deseriptione, sumi tria genera, scilicet dulcia, vt sunt apia, vel in defectu ipsorum, mala Decij, vel alia ex dulcibus. Acria, vt sunt syluestria, & similia. Et dulcacida, siue muza, id est illa quæ medium inter acrem & dulcem habent saporem, de quibus plures sunt species & differētiæ, & varijs nominibus, secundum diuersitates gentium & locorum appellantur. Et aduerte quòd in præsenti condîto, sicut & in condîto de citro, tam per cytonia quàm per poma, intelligitur carò, scilicet pulpa ipsorum, & non succus.

Modus operationis condîti de cytonis, & est Miua &c. CXCVI.



INCIPIT nunc Author scribere compositiones mellicrati condîti de cytonijs, quas etiam sub alio cognomine, miuas vocat. Miua autem secundum veram interpretationem, significat syrupum confectum ex succo cytoniorum, & vino,

vel aceto,& melle,vel zucc haro. Sed quia recipit vinum & mel, rectè etiam dicitur mellicratum cōditū de cytonijs. Miua autem acetosa,quæ infrà describitur,non potest dici mellicratum,quia non recipit vinū.Et quamuis acetum fiat ex materia vini, tamen expresse est vino contrariū. Neq; illa quæ conficitur cum zuccharo,debet nūcupari mellicratum. Habet etiamnū Author in principio istius distinctionis syrupū simplicem de succo cytoniorū, quiquidem neq; miua, neq; mellicratū dici potest,quia nec vinū, nec mel recipit.Item habet syrupum acetosum de cytonijs,qui,licet non possit vocari mellicratū,ob id quia non recipit vinū,nec mel,potest tamē appellari miua,quia recipit acetum.Vnde rectè potest nūcupari miua acetosa ex zuccharo sine speciebus, non obstante quòd Author posuerit ipsum sub nomine syrupi: quia (vt in rob dicemus) omnes miuæ sub nomine syrupi cōputãtur. Est præterea in præsenti descriptiōe per quasdā impressiōes vnū mēdum,videlicet vbi in ipsis legitur:Ligni aloës,macis,ana ℥.j.s. lege rectè ʒ.j.s.Postremò sciēdū quòd Author in præsenti descriptione notauit regulā quãtitatis mellis,aut zucchari ponendi in miuis sequentibus, vt melius declarabimus in sequenti simplici miua. Et similiter de speciebus est intelligendū,vt statim de ipsis dicemus.Sed nō ignorandū quòd quilibet aromatarius tenetur apud se habere miuā multipliciter præparatā, scilicet cum speciebus,& sine eis,& cum zuccharo,& cum melle &c. Similiter notandū (vt in electuario granorū myrti iam diximus) quòd quandocunq; aliquo modo in aliqua compositione recipitur miua, si nō specificatur de ipsa,puta de acetosa &c.semper de ista prima, & sine speciebus est intelligendū. Si autem petitur miua aromatica,vel aromatizata,vt est in electuario granorū myrti &c. tunc etiam ipsa prima miua est intelligēda:sed cum speciebus,scilicet cum ipsis quæ in eius descriptione notantur.Quādo autē sit cōficiēda cum melle,& quādo cum zuccharo &c.Lege in supradicto electuario granorū myrti. Cytonia acetosa iam declarata sunt: in ipsorum defectu autem,domestica sunt administranda.

Miuæ omnes sub nomine syrupi computantur.

Miua absolutè.

De speciebus Alephanginis, seu Alefanginæ.

LArgo modo omnes species aromaticæ possunt dici alephanginæ,siue sint ex radicibus,siue ex corticibus,siue ex cæteris partibus aromaticis plantarum,siue etiam ex aliena materia,vt muscus ex animali,& ambra &c. Sed specialiter illæ quæ ab Authoribus speciatim notantur,vt in præsenti miua,& in mellicrato,&

to,& in capitulo de aloe nostri Authoris, cùm loquitur de eius rectificatione,& in emblicis condîtis,& in pilulis alephanginis, & in gallijs,& cæteris pluribus compositionibus huius antidotarij, & quæ sunt apud Bulchasim in ablutione aloës &c. Vnde animaduertẽdum quòd quando reperitur scriptum aliquo modo de ipsis non specificatè, sed verbi gratia, legitur: Condias cum speciebus alephanginæ, siue cum speciebus aromaticis &c. (frequenter enim reperiuntur huiusmodi circumloquutiones) tunc consideratis omnibus speciebus alephanginis, siue aromaticis, quæ autem conuenientiores iudicabuntur, illæ quidem tantummodo pro illa compositione administrandæ erũt, quia non omnes omnibus competunt. Pro qualibet autem miua, de istis quæ in præsenti prima miua speciatim ponuntur, semper erit intelligendum: respectiuè tamen & pro rata accipiendo, scilicet quòd in maiori miuæ quantitate multiplicanda est etiam & quantitas ipsarum specierum, & in minori minuenda cum desideramus ipsas, seu quamlibet ipsarum cum speciebus conficere, nisi de voluntate alicuius præcipiẽtis medici, alia addantur, siue ex illis minuantur, siue permutentur &c. Quia huiusmodi species rarò præcipiunt Authores administrari in compositis, sed frequenter dimittunt eas ad libitum medici & suscipientis &c. Præterea sunt nonnulli neoterici sibijpsis sapientes, vt quidam Petrus Paulus Villanus Neapolitanus, qui composuit quẽdam (qui circunfertur) libellum intitulatum, Opus quibuslibet aromatarijs necessarium.& ipsum imitantes, qui expresse contra textum Authoris, declarant species in syrupo de sticados,& in ista miua, quando fit cum melle, & similibus, non esse bulliendas, assignantes quasdam friuolas rationes, scilicet quòd mel est attractiuum, & cum tempore absq; bullitione attrahit sibi virtutes specierum ligatarum in panno, & suspensarum in ipso, in asseruatorio vase post decoctionem, scilicet quòd stando ipsæ species ligatæ in panno multo tempore in syrupo seu miua &c. mel recipit virtutes specierum &c. Ergo secundum ipsos (etiam contra Authoris intentionem) huiusmodi syrupi non possunt propinari, nisi transacto multo tempore: quoniam si recentes propinabuntur, non habebunt virtutes specierum: quia licet mel sit attractiuum, non tamen citò & in instanti attrahit &c. O cæcitas magna, Cauete igitur ab his falsis declarationibus, imò verius deprauationibus: quoniam litera Authoris est clara, quòd ipsæ species debent bullire in decoctione &c.

Species omnes non omnibus, nec vni conueniunt.

Species debent bullire in decoctione syruporum.

Confectio Miuæ simplicis &c. CXCVII.



T apparet in titulo ipsius hæc est descriptio simplicis miuæ, Porrò non solùm simplex, sed simplicissima intelligitur, si cõficitur cum succo cytoniorum, vino, & melle, aut zuccharo tantùm absque speciebus. Cum speciebus autẽ non potest vocari simpliciter simplex, sed vocatur Miua simplex cũ speciebus, siue miua simplex aromatica, non ratione simplicitatis, quam tunc non habet, sed ratione suæ inscriptionis, scilicet quia placuit Authori sic eam inscribere. Vnde largo modo omnes miuæ si nõ recipiũt species, possunt vocari simplices: si autẽ admittũt species, vocantur aromaticæ, seu compositæ. Non obstante quòd aliqua ipsarum sit magis vel minus simplex. Sed animaduertẽdũ, quòd est intentio Authoris, vt nulla miua cõficiatur sine melle, aut zuccharo, contra illos qui dicunt præsentẽ miuam & sequentes esse simpliciter cõficiendas, scilicet absque melle, vel zuccharo, ob id quia Author nõ specificauerit de ipso. Nam Author (vt aliàs diximus) loquitur cũ peritis. Posuerat enim in primæ miuæ descriptione ordinẽ & regulam cõficiendi miuas, & tanquam principales ipsarũ partes, notauit in ipsa succum cytoniorũ, vinum, & mel. Vt illo modo, siue illa regula, & reliqua cõficiãtur. Non igitur habuit necesse hîc & in sequentibus eadẽ repetere. Sed notatis succo, & vino, aut aceto, tanquam primis principijs, subticuit mellis pondus: tanquam si diceret, mel quod sufficit &c. Præterea qui bene ponderabit Authoris verba, reperiet præsentem miuã non absq; melle esse ab eo descriptã. Et cum dixit: Et sunt qui loco mellis ponũt zuccharum: declarauit se prius cum melle intellexisse ipsam esse conficiendam. Et sic de alijs: quarum vnaquæq; potest confici cum zuccharo, si fortè mel non placuerit, vel vbi oportet. Et omnes cum speciebus, & sine speciebus &c. Cõfirmat hoc etiam Author nouarũ additionũ in librum ipsis filij Mesuæ scribens specificatè in ipsa additione, & ponens summam medicinarum excrescentẽ in vno: intelligendo ipsum pro melle, tanquàm si esset in ipsa descriptione speciatim positũ. Igitur ex proportione calculãdo, si in superiori miua sunt sex ℔. mellis, in xx. libris vini & succi cytoniorũ, quia iam euanuit tertia ipsorũ pars inter decoquendũ. In præsenti autem pro quinquaginta ℔. succi cytoniorum, quæ ex centum post coctionem restant, & quadraginta ℔. vini, ponẽdæ sunt mellis ℔. xxvij. scilicet pro quibuscũq;

Miua nulla conficitur absque melle, vel Zuccharo.

xx.

xx.℔.ſucci & vini prædictorum,ponuntur mellis deſpumati,vel zucchari ℔. ſex,ſicut in ſuperiori miua,ex qua ſumitur regula pro omnibus alijs.Sed nota, quòd vinum præſentis miuæ nõ co quitur prius cum ſucco cytoniorum,vt in prima. miua,ſed per ſe decocto ſucco cytoniorum vſq; ad medietatem,atque clarificato,ſuperponitur vinum,& mel,vel zuccharũ:& ſic totum deſpumatur,& coquitur vſque ad ſpiſsitudinẽ,vt in litera habetur&c. Aduerte etiamnum,quòd diximus xl.vini ℔. & nõ lx.quoniam ita eſt ſecundum veritatem,ferè per cuncta exemplaria. Errore nempe librariorum per omnes impreſsiones tranſpoſita ſunt,l, & x.Lege etiam de miua in electuario granorum myrti.

Confectio Miuæ acetoſæ &c. CXCVIII.



SVNT etenim in præſenti parua deſcriptiõe duæ non paruæ mendæ per omnes impreſsiones. Prima(vt in ſupraſcripra miua) vbi legitur: Accipe ſucci cytoniorum acetoſorũ ℔.lx.lege rectius ℔. xl.Secunda autem,vbi legitur: Aceti boni & albi ℔.xx.lege verius,℔.lxx. Omnes enim vetuſtiores codices planè habent ℔.lxx.& ſic eſt verum. Prima igitur menda ex tranſpoſitione literarum proceſsit. Secunda autem ex omiſsione,l. Præterea, vbi dicit Author:Et fiat ſicut diximus:ſubaudi cum melle, aut zuccharo,& cum ſpeciebus,& ſine eis &c.

Confectio Miuæ alterius &c. CXCIX.



EST quoque & in iſta deſcriptione per omnes impreſsiones vnus error. Videlicet, quòd vbi legitur:Accipe ſucci cytoniorũ acetoſorum ℔.lx.legendum eſt rectius ℔.lxx.vt cuncta exẽplaria habent.Sunt præterea nonnulli declarantes præſentem miuã poſſe fieri tribus modis,ſcilicet quòd poteſt tripliciter variari.Nos autem non ſolùm tribus,ſed pluſquam tredecim modis aſſeueramus poſſe confici ſecundũ textum,vt breuiter legi poteſt in ſequentibus. Primò, cum melle, aceto,& ſpeciebus. Secundò,cum melle,& aceto,ſine ſpeciebus. Tertiò,cum zuccharo,aceto,& ſpeciebus. Quartò,cum zuccharo,& aceto,ſine ſpeciebus. Conſimiliter quatuor alijs modis poteſt fieri,loco aceti ſubminiſtrãdo vinũ.Itẽ præter dictos,pluribus alijs modis:videlicet,cum zuccharo,& melle ſimul: vel cum vino,& aceto ſimul: vtroque pro medietate ſumpto,& cum ſpeciebus,& ſine ſpeciebus. Itẽ cum omnibus quatuor præfatis,ſcilicet cũ vino,aceto,

& zuccharo ſimul,& cum ſpeciebus,& abſque eis. Item diuerſis alijs modis, ponendo plus de vno,quàm de altero,& variando ſpecies &c.poteſt confici ipſa miua. Et de conſimili omnes aliæ miuæ & cæteræ compoſitiones,in quibus Authores nõ præcipiũt abſolutè modum, ſed dimittunt eas ad libitum cuiuſcunque variari.Quapropter nõ ineptè in calce iſtius deſcriptionis ſubſcripſimus: Aut vtroque. Eo maximè,quòd in duobus exemplaribus vetuſiſsimis legitur: Et hæc dicta,ſint notata,pro omnibus conſimilibus accidentibus.

Confectio Miuæ factæ ex ſucco fructuum &c. CC.

Mala montana.



ER mala mõtana quæ recipiũtur in præſenti deſcriptione,ſiue per poma montana,quæ leguntur in Rob primo de fructibus,intellige mala ſylueſtria. Et pyra agreſtia,ſunt etiam ſylueſtria. Et fit iſta miua, vt aliæ, ſcilicet cum melle,vel zuccharo, & cum ſpeciebus,& ſine eis &c.

Sermo in Aceto ſquillitico &c. CCI.

Aceti ſquillitici doſis.



LARE & aperte ſcripſit Author præſentẽ ſermonem præparationis aceti ſquillitici, vſque in finem.In fine autem vbi dicit: Et ſumatur in potu ex eo,omni die, ieiuno parumper, donec deueniatur ad ℥.j.s.nonnulli declarant eſſe intelligẽdum,quòd quilibet poteſt ſumere ex eo omni die parum,puta ʒ.j.pro qualibet die,& ſic cõtinuando vſque ad duodecim dies,accipiet in duodecim vicibus duodecim drachmas,quæ complent ſummam ℥.j.s.ab Authore notatam. Sed in rei veritate, intentio Authoris non eſt eiuſmodi,quoniam ipſe declarat,qualiter quis poteſt ſumere omni die,ex eo parũ (exempli gratia) hoc modo, ſcilicet prima die ſumat minimam doſim,puta ʒ.s. Secunda die, ſit doſis drachma integra. Tertia die ʒ.j.s. Quarta die,recipiat ʒ.ij.Et ſic quotidie ſumat ipſum augendo doſim, donec perueniatur ad ℥.j.s.ſcilicet quòd vltima (quæ erit maxima doſis) ſit ℥.j.s. quæquidem doſis non eſt amplius augẽda,ſed ſic (ſi opus fuerit) continuanda &c. Sunt etiamnũ & alij modi faciẽdi acetũ ſquilliticũ,vt apud Paulum Aeginetam in 7.& apud Dioſcoridem, & Auicennam,& filium Serapionis,& Conſtantinum Cæſarem, & Bulchaſim,& alios plures Authores. Solummodo iſtum modum filij Meſuæ,communiter vbique operatur.

De

De Squilla.

SCilla siue (vt mauis) squilla, nota est. Author enim noster in suo de Simplicibus, facit de ipsa capitulũ, in quo ponit notas cognoscẽdi bonam à mala, & modos assandi insinuat. In præsenti autem sermone descripsit modũ siccãdi laminas eius pro aceti squillitici præparatione &c. Succus autẽ à squilla, cum quo fit lohoc de squilla, qualiter excipiatur, ab antiquioribus (vt sciamus) non describitur. Iuniores autem ex assatis in pasta squillis docẽt nos extrahere succũ. Et hac de causa oportet ex assata squilla exprimere succum: quia ex cruda, propter nimiam sui viscositatem, minimè potest exprimi succus. Igitur accipiatur squilla, & non diuidatur per laminas (vt fit quando assatur ad alios vsus) sed integra, expoliata tamen tunicis siccis exterioribus dũtaxat, inuoluatur pasta triticea, siue hordeacea vel simili, & ponatur in clibano, vel furno, & post perfectam assationem, actu calida extrahatur è pasta, & pistetur, & exprimatur, & manabit succus abundanter. Sed nota quòd assatio squillæ non intelligitur vt crematur, siue candicet vt carbo, sed ita debet assari sicut assatur cepe vt comedatur. Et ideo assatio eius fit in pasta, vt melius sua cõseruetur humiditas &c. Reperitur quandoq; scriptũ cepa squillæ, siue cepe muris, & idem est quod squilla.

Squilla cruda non dat succum.

Modus Oxymellis squillitici uirtuosi &c. CCII.



IDem significat oxymel quod mel, & acetum syrupizatum. Et oxyzaccharon idem quod zuccharum, & acetum. Dicitur autem Oxymel squilliticum, ex aceto squillitico quod recipit. Et quamuis Author habeat in præsenti antidotario duas alias sequentes descriptiones: tamen præsens prima descriptio, sicut alijs est simplicior, ita & vsitatior habetur. Ipsa nanq; descriptio peritis viris est clara. Pro minus sciolis autẽ, sciendum quòd vbi dicit Author: Coquatur, & despumetur, & perficiatur eius operatio, sicut diximus, in speciebus secaniabin. Intelligitur quòd dum coquitur, debet sæpe despumari. Nec multiplicetur spuma in ipso. Et quòd potest fieri ipsum oxymel forte, & leue, & mediocre, sicut declarauit in sermone de secaniabin, & in sermone de syrupo acetoso. Hoc excepto, scilicet quòd loco aceti simplicis, ponatur acetum scilliticum, id est squilliticum.

Modus

Modus oximellis squillitici de radicibus &c. CCIII.



OTEST hoc Oxymel præsens vocari secaniabin squillliticum de radicibus. Ex eo quòd in omnibus sequitur modum ipsius secaniabin de radicibus. Hoc solùm dempto, scilicet quòd loco aceti puri subministratur acetum scilliticum.

Oxymel squilliticum descriptione Democriti &c. CCIIII.



VTHOR etiam ponit præsentem descriptionem, authoritate Democriti, capitulo de Fescera: variato tamen ordine, & in quibusdam paucis duntaxat differentem: sed impressi codices cum exemplaribus manuscriptis in quibusdã non concordant quo ad descriptionem in dicto capitulo positam. Habẽt enim ipsi impressi codices leuisticum, & seseleos, quæ penitus in nullo exemplari inuenimus. In præsenti autem antidotarij descriptione, impressiones & exemplaria in omnibus & singulis conueniunt ad inuicem: sed loco leuistici, quod est per impressiones, in descriptione capituli, habent cheisim, quod idem est. Vnde potest dubitari, an deficiat per exemplaria in præfati capituli descriptione leuisticum. Item & pro seseleos, quod diximus esse per omnes impressos libros, in dicta capituli descriptione, tam impressiones, quàm exemplaria cõcorditer habent alhasce, quod non est idem quod seseleos. Sed vnde hæc variatio, nescimus. Forsan placuit ipsi Authori permutare seseleos in alhasce. Descriptionis autem capituli hoc est principium: Inquit idem (scilicet Democritus, de quo suprà dixerat) Accipe succi eius (scilicet alfescerae, nam de ipsa habebatur sermo) ℥.v.&c. Et in fine dicit: fiat syrupus. Vnde descriptio capituli vocatur syrupus alfescerae, & descriptio antidotarij præsens, nuncupatur Oxymel squilliticũ. Ab aceto squillitico, quod hic Author posuit in maiori quantitate, quàm erat in descriptione capituli. Et hoc quare? Quia sic placuit Authori. Vnde nec putamus errorem librariorum esse, quia nullum in hoc inuenimus descrepantem codicem. Insuper animaduertendum, quòd in præsenti descriptione, ipse Author specificauit modum faciendi decoctionem origani, & cæterorum simplicium, quod quidem non fecit in capituli descriptione. Item notandũ de succo alfescerę, quòd semper vbi absolutè legitur, de radice ipsius tãtùm intelligitur, & nõ de folijs.

Alfescerae succus absolutè.

De

De Cheisim, quod non est Cordumenum.

APertè probatur per præsentem descriptionem, cheisim non esse cordumenum, cùm sit quòd vtrunque hîc ingrediatur. Contra quosdam asserentes esse vnum & idem. Nam secundum veritatem cheisim, siue keisim est leuisticum, siue dicas libysticũ, vel ligysticum, vt Manardus scribit, & Græci dicunt: siue Ligusticum, à Liguria dictum, vt Dioscorides testatur. Qui etiamnum dicit, quòd Ligures vocant ipsum panaciã, siue panacem. Et hoc est verum, quòd incolæ Ianuenses siue Genuenses dicti, qui sunt veri Ligures, vsque hodie verum ligusticum, panacem nominãt, à similitudine sic vocatum: quoniam (vt Dioscorides Author est) viribus & figura panaci heracleotico non sit absimile. Veruntamen ipsi Ligures sub nomine leuistici, aliud diuersum simplex accipiunt, quod nunquam fuit ligusticum, nec species eius. Vnde qui desiderat habere verum ligusticum, apud ipsos panacem quærat. Diu etenim latuit: nunc autem cœpit apportari. Et (ni fallimur) in nostro viret horticello. Omnes enim notæ à Dioscoride descriptæ ei conueniunt, & semen est vt semen fœniculi, nigrius tamen, quod vt plurimum in medicinis recipitur, quamuis & radix ipsius sit valde vtilis ad plura. Venit etiam sub nomine ligustici, & vitex, scilicet agnus castus, vt in Dioscoride legitur. De cordumeno autem, lege in trochiscis de ligno aloës.

Ligustici cõsideratio. *Panax est Ligusticũ.* *Vitex. Agnus castus.*

Restat sermo noster &c. CCV.



HINC Author incipit secundam partem principalem huiusce distinctionis, pertractantem de speciebus robub. Sed prius declarabimus Rob significatum.

De Rob, & Robub.

EX omni enim succo (vt Author noster ait) & præcipuè pomorum & fructuum, per coctioné ignis, aut solis calefactionem, ad mellis spissitudinem redacto, rob efficitur. Et nil aliud secundum Arabes rob significat, quàm (vt dictum est) succum cuiuscunque rei coctum, vel inspissatum vi ignis, vel solis calore, vsque ad duarum seu trium partium cõsumptionem. Teste ipso Authore nostro in Rob myrtino, dicente: Et omnis quidem syrupus factus ex succis, si inspissetur, præter mel & zuccharum, vocatur rob. Dixit autem præter mel, & zuccharum: quia nec zuccharum vocatur rob: non obstante quòd zuccharum fiat ex succo quarundam cannarum, quia non est regula quæ non patiatur

aliquam

aliquã exceptionẽ. Excipitur ergo zuccharũ & mel omne, à generib. rob. Et Auic. in quinto cañ. in principio de ſyrupis, & robub dicit. Et differẽtia quidẽ inter ſyrupos, & robub eſt, ꝙ robub ſunt ſucci inſpiſſati per ſe ipſos, & ſyrupi ſunt decoctiones & ſucci inſpiſſati cum dulcedine. Et in rob de cytonijs &c. dicit: Iſta omnia ſunt ſicut ſyrupi eorũ, niſi quia ipſi ſucci eorũ inſpiſſantur cũ facilitate, abſq; dulcedine. Pro dulcedine autẽ his in locis, intellexit mel & zuccharũ: quia aliter eſſet falſum quod dicit, ſcilicet ꝙ ſucci inſpiſſantur abſq; dulcedine: quoniã nullus ſuc⁹ cdulcis per ſe poteſt inſpiſſari abſq; ſua dulcedine. Imò dulciores in ipſa decoctione ſeu inſpiſſatione efficiũtur ipſi ſucci, vt probatur per rob vini muſti, & ſimilia. Vnde pro dicta dulcedine, mel & zuccharũ intelligi debet. Quaſi diceret ꝙ ipſi ſucci inſpiſſantur abſq; aliena dulcedine, ſcilicet mellis, aut zucchari, quæ nõ vocãtur abſolutè rob. Miſtũ autem mel, aut zuccharũ, cum alijs ſuccis ſyruporũ, & vnà cum ipſis inſpiſſatũ, nõ prohibet ipſos ſyrupos, ſiue ſuccos nuncupari rob: vt probatur per filij Serapionis, Hali filij Abbas, & aliorũ deſcriptiones de rob, quæ recipiũt & mel, & zuccharũ, & alia. Et ſciendũ ꝙ omne rob poteſt vocari ſyrupus, ſed nõ ecõtrà. Quod probatur per Serapionis filiũ, capitulo de ſyrupis: vbi ſub nomine ſyrupi deſcripſit rob citri. Et immediatè ſub nomine rob, poſuit aliã deſcriptionẽ, quæ incipit: Operatio alia rob citri bona &c. Quaſi dicat, ꝙ de prima operatione ipſius rob, iam loquuti ſumus, ſupple ſub nomine ſyrupi. Vnde non ignorandũ, ꝙ ſub nomine ſyrupi, cõputãtur omne iuleb, ſecaniabin, mellicratũ, miua, oxymel, oxyzaccharũ, rob, decoctiones, & alia plura: ſed non econtrà. De iuleb, ſecaniabin, & mellicratũ eſt clarũ: de oxymelle autẽ, iam dictũ eſt in oxymelle ſquillitico, quòd ſub nomine ſyrupi ponit Author ipſum oxymel in capitulo de alfeſcera. Et quòd decoctiones etiã veniãt ſub nomine ſyrupi, probatur in ſeptima diſtinctione, ſcilicet in decoctione fumi terræ: vbi in fine dicit Author: fiat ſyrupus ſicut diximus. Et quòd miua vocetur etiã ſyrupus, poteſt probari per Rhaſim in nono ad Almanſorẽ, capitulo de debilitate ſtomachi: in quo deſcribens miuam, dicit: Miua autem hoc modo fit &c. in fine autem dicit: Deinde ſyrupus recondatur &c. Coquitur autem ſuccus, ſeu inſpiſſatur, vt per talem operationem diu cõſeruetur in illo eſſe, in quo poſt dictam decoctionis ſeu inſpiſſationis operationem reperitur. Qui quidẽ ſuccus aliter non bene diu ſeruaretur. Pluralitatem enim ſuccorum inſpiſſatorũ Arabes robub appellant. Sed quando ſim

Rob in quo differat à ſyrupo.

do simpliciter & absolutè reperitur rob, per antonomasiam intelligitur rob ex musto vuæ. Quod aliter sapa, mustum coctum, vinum coctũ, carenum, passum, defrutum, & simpliciter coctum dicitur. Et apud Paulum Aeginetam, & Aëtium, hepsema, & siræon appellatur. Et licet aliqui faciant differentiam inter carenum, & mustum coctum, attamen parum, quasi nihil differunt inter se, & alterum pro altero potest sumi. Carenum quidem est mustum coctum, sed habet minorem coctionem, scilicet quòd ex eo fit consumpta in igne medietas, seu pars tertia: vnde dicitur carenum, quasi carens tertia parte. Sapa verò est ipsum mustum magis decoctum, scilicet quòd post decoctionem superest tertia aut quarta pars ipsius crudi. Pusca autem licet coquatur, tamen aliud est à sapa. Fit autem pusca pluribus modis, scilicet ex duabus aquæ partibus, & tribus vini, & coquitur secundum aliquos. Alij autem loco vini, acetum substituunt. Nonnulli verò ex secundario, scilicet deuterio vino (si vinum dici potest, de quo etiam Plinius dubitat) puscam parant. Quod vinum secundarium, tribus paratur modis, vt ipse Plinius decimo cap. quartidecimi libri testatur, his verbis: Decima parte aquæ addita, quæ musti expressa sit, & ita nocte & die madefactis vinaceis, rursusque prelo subiectis. Alterũ quomodo Græci factitauêre: Tertia parte eius, quod expressum sit, addita aquæ, expressoque decocto ad tertias partes. Tertium est fecibus vini expressum, quod fecatum Cato appellat. Hæc ille. Ex secundo autem secundario dicto, scilicet ex eo quod fit ex tertia parte aquæ, credimus fieri veram puscam. Dictum quidem secundarium vinum, à Græcis deuterion, siue deuteria appellatur. Et deuterion etiãnum apud ipsos (quod & chorion dicitur) teste Paulo, est, quod latine secundæ dicuntur, scilicet quæ vulgò secundina mulieris vocatur. Et propriè secundæ, seu secunda, est ille folliculus, siue illa pellicula, qua inuoluitur infans in vtero matris. Quæ nisi infans ea vestitus (vt ita dicamus) exierit, statim secundo loco infantem sequitur. Vnde secundæ dictæ sunt. Præterea, nuncupatur etiam dictum secundarium vinum Lora, siue Lorea. Et Romæ apud vulgares aquatum, & aquatellum dicitur. Item, plurimi vocant puscam quãdam commistionem aquæ & vini, vbi plus aquæ immiscetur. Sed non est vera pusca. Neque pusca (sit quomodocunque parata) potest vocari rob simpliciter, nec loco rob ea debemus vti, nisi per coctionem ita inspissetur quòd sit consumpta tota aqua, & pars vini sit ad spissitudinem mellis redacta. Et tunc necessitate cogente putamus

Rob absolutè.

Carenum.

Sapa.

Pusca.

Vinum secundarium quot modis paratur.

Secũdæ, vel secundina mulieris.

tamus loco rob posse poni.

Rob de ribes &c. CCVI.



Obub sequentium equidem omnes descriptiones sunt per se clarissimæ, paucis duntaxat exceptis, de quibus pro minus peritis aliqua subscribemus. Igitur in fine istius descriptionis, vbi dicit author: Et scito quòd rob herbę acetosę est in virtute eius: subintelligitur etiãnum, quòd modus faciendi ipsum rob herbæ acetosæ, est sicut modus ipsius rob de ribes. Et secũdum Rhasim, rob de ribes valet vt rob de acresta, sed parum plus operatur.

De Ribes.

RIbes, siue (secundum Stephanum) Ribesum, non est hoc arbustum, cuius fructu in Italia falsò pro vero ribes, omnes vtuntur pharmacopôlæ. Nam si Serapioni creditur, ribes est herba habens capreolos rubeos. & magna folia, betæ similia, quorũ sapor est acetosus, cum aliqua dulcedine. Ex his ergo folijs, atque capreolis, necnon & ex seminibus recentibus ipsius plantæ excipitur succus, ex quo rob de ribes, & similiter syrupus de ribes cõficitur. Non obstante quòd à nostro Authore non scribatur talis syrupus, quia forsan vtebatur rob de ribes loco syrupi: vel sub nomine rob, syrupum ipsum intelligebat: quoniam (vt diximus) omne rob est syrupus. Et quòd syrupus ex ribes reperitur apud authores, lege Serapionem in capitulo de ribes, dicẽtem: Et modus syrupi eius est sicut modus syrupi de citro. Et quòd eo in loco nõ putes ipsum intellexisse de rob, in eodem capitulo superius & inferius particulariter de rob eius pertractat. Superius enim sic ait: Et rob eius confert cardiacis, & vomitui &c. Item: Et in rob eius est dulcedo, & acetositas, sine stipticitate &c. Inferius autem authoritate Abemmesuai dicit: Et rob eius est sicut rob acetositatis citri, & acrestæ &c. Pluries nempe fratribus nostris mediantibus, è partibus Hierosolymitanis, & Syriæ, delatum est nobis rob veri ribes, & quandoque succum purificatum, aut syrupum factũ ex zucchаro & succo ipsius habuimus. Et licet ex fructu plantæ veri ribes exprimatur succus, vnde & Rhasis (teste Serapione) memorauit ribes inter fructus: tamen non per hoc debemus intelligere fructum ribes, esse fructum illius arbusti, quo (vt diximus) falsò pro ribes vtuntur aromatarij hodierni. Quodquidem arbustum (vt plures coniectant (à Galeno in septimo Miamyr, nuncupatur

cupatur Arciuua. Sic enim legitur: Quæ dicitur arciuua, in Pōto *Arciuua.*
nascitur, planta est humilis, & fruticosa, folia habet similia memæcylo, fructum rubrum producit, & rotundum, gustu austerum, hanc vocant arciuuam. Hæc Galenus, secundum vnam traductionem. Veruntamen secundum alias interpretationes, ad veritatem Græcorum codicum, non arciuua, sed vrsi vua legitur. ἄρκτου enim Græcè, vrsus Latinè est. Vrsi vuam autem nonnulli potius opinantur esse Rhus Ponticum, quàm plantam ribes, vocatam. Et non mirum est, si Galenus dicat in Ponto nasci: quia quasi antonomastice, semper rhus Ponticum ab eo scribitur magis laudatum &c. Rhus ponticum enim (vt Paduæ nobis ostensum fuit) habet folia memæcylo simillima, & fructum rotundum, rubrum, austerum, ac in racemulis &c. propriè vt ipse Galenus scripsit, producit. Sed aduerte quòd rhus Ponticum differt à sumach, quod est rhus obsoniorum, de quo infrà. Attamen quia difficilius habetur rob veri ribes, melius nobis *Rob de ribes supplentia.* videtur esse, si loco ipsius compensetur, aut rob de succo acetosæ, aut rob de cornis, aut rob acetositatis citri, aut rob de acrestaaut rob de berberis, aut rob de granatis acetosis (quæ omnia & singula, secundum probos authores, valent sicut rob de ribes) quàm rob de fructu supradicto. Etiam in defectu omnium præfatorum, si quis vti voluerit rob de vrsi vua prædicta (si tamen ipsa est) non malè aget. Quoniam & ipse Galenus præcitato libro, ad eundem effectum, ad quem ordinauit rob, id est succum vrsi vuæ, ordinauit & succum cornorum. Nam ita descripsit: Vrsi vuæ ℔. sexdecim, aquæ pluuialis sextarij sexdecim. Coquito ad tertias, succoq; expresso reponito. Aliud: Cornorum fructus ℔. sexdecim, aquæ pluuialis tantundem, facit similiter. Hæc ille. Ex quo, si rob cornorum valet sicut rob de ribes, & rob vrsi vuæ valet sicut rob de cornis: ergo rob vrsi vuæ valet sicut rob de ribes. Etiam loco veri ribes, in carentia omnium prædictorum, potest compensari succus siue rob fructus istius vulgaris arbusti dicti ribes, tam pro rob, quàm pro syrupo. Quoniam (saluo semper meliori iudicio) nos putamus istum fructum non elongari à virtute cornorum, & berberorum, & cæterorum supradictorum fructuum. Quid autem propriè sit ipse fructus, adhuc nos latet. Sciendum quoq; quòd in quibusdam Italiæ locis, vt in Aprutio, arborem berberorum, vuam vrsi nominant. Tamen ipsi (vt credimus) decipiuntur: quoniam arbor berberorum Græcis est oxyacantha, de qua separatim capitulum faciūt,

cuius fructus est acetosus, & non austerus, vt est fructus vrsi vuæ. Et similiter fructus arbusti præfati vocati ribes, est acetosus: ex quo probatur neutrum ipsorum esse vrsi vuam.

Rob de Acresta &c. CCVII.



SECVNDVM Serapionem capitulo de Ribes, præsens Rob valet sicut rob de ribes, vnde potest poni alterum pro altero.

Rob de Cornis &c. CCVIII.

Rob de Berberis &c. CCIX.

Rob de Sumach &c. CCX.

Rob de Moris de sceni &c. CCXI.

Rob de Cytonijs &c. CCXII.

Rob de Pomis &c. CCXIII.

Rob de Pyris &c. CCXIIII.

Rob de Prunis &c. CCXV.

Rob de Granatis acetosis &c. CCXVI.

Rob de Persicis &c. CCXVII.

Rob de Acetositate citri &c. CCXVIII.



IN istis nempe descriptionibus pauca sunt declaranda.

De Cornis.

CORnus arbor notissima. Theophrastus duodecimo capitulo, tertij libri de historia plantarum, ponit masculum & fœminã cornum. Tam secundæ, quàm quartæ declinationis reperitur, pro arbore. Rectius igitur hîc legendum est: Rob de cornis: siue rob cornorum, tanquam ex fructu, quod vocatur cornum. Non autem de cornibus, tanquam ex arboribus, seu ex membris animalium, quod absurdũ est dicere. Hoc cornu quidem, & hic cornus quartæ declinationis, etiam & hoc cornum secundæ, in animalibus sunt, nec est de ipsis hoc in loco agendum.

De Berberis.

BErberi sunt notissimi, à Græcis quidem ipsorũ arbor, oxyacantha, scilicet acuta spina, siue acetosa spina vocatur: vt patet in capitulorũ Dioscor. & Serap. cõcordatione. Nonnunquam reperitur scriptũ magis barbarè, Amberberis, siue Amiberberis, siue

ſiue Amyrberberis,ſiue Emiberberis,& ſimilia,& idem eſt.

De Sumach.

SVmach,ſiue ſumachiũ,à Dioſcoride & Græcis alijs,Rhus obſoniorum dicitur. Ex eo,quòd antiqui ad obſonia vtebantur ipſo,ſalis vice. Inter arbuſta connumeratur, quoniam non multùm arboreſcit. Folia fert folijs ſorbi ſimillima. Semen autem racematim producit,quod plurimùm medicinis expetitur. Et huiuſmodi planta non eſt ignota:quoniam coriarij ex frequẽti vſu ipſam vulgarem facit. Eſt & aliud rhus ponticum cognominatum,à Galeno 7. de medicamentorum compoſitione ſecundum locos,plurimis pharmacis maximè commendatum:ad cuius differentiam,ſupradictum rhus obſoniorum inſcribitur. Aliquando ipſe Galenus hoc rhus ponticum(vt nonnulli coniectauerũt) vrſi vuam appellat:de quo ſuprà,ſcilicet in rob de ribes, ſatis diximus. Propterea vide ibi. *Rhus obſoniorum.* *Vrſi vua.*

Rob de fructibus &c. CCXIX.

Rob de fructibus aliud &c. CCXX.



PER poma montana, intellige mala agreſtia. Et per Zarur, meſpilum tricoccum, ſcilicet lazarolum. Lege de ipſis in ſuperioribus. Aquæ prunorum & tamarindorum faciẽdæ ſunt per viam decoctionis. Et generaliter omnes fructus &c. ex quibus aliquo modo rob ſuorum ſuccorum per expreſsionem ſimplicem non poteſt haberi, decoquenda ſunt, & poſt competentem decoctionem exprimẽda. Et expreſsio ipſa iterum eſt decoquenda, vel ſolis calore inſpiſſanda vſq; ad rob craſsitudinem, vel quantum oportet,& vſui reſeruanda.

Rob myrtinum &c. CCXXI.



DESCRIPTIO præſens claudit iſtam diſtinctionem, in qua notandum quòd vbi in fine dicit Author: Et omnis quidem ſyrupus factus &c. Intelligitur(vt ſuprà iã diximus)quòd mel, aut zuccharum tantùm per ſe ſolùm, non vocatur rob. Alij autem ſyrupi ex ſuccis, ſiue decoctionibus quomodocunq; inſpiſſatis,etiam ſi receperint mellis aut zucchari partẽ, poſſunt vocari, & de facto vocantur rob. Et omne rob largo modo vocatur ſyrupus. Propterea lege ſuprà.

C 2

DISTINCTIO SEPTIMA.

Septima distinctio est &c. CCXXII.

De decoctionibus & infusionibus in generali.



VLLA quippe compositionum istius distinctionis cõmuniter vtuntur hodie medici in infirmorũ curis: vnde nec ab aromatarijs parantur. Vnusquisq; autem medicorum (vt sibi melius videtur) ordinat & decoctiones, & infusiones &c. & propinat ægris cum electuarijs &c. secundum necessitates ipsorũ. Nec quidem arguẽdi sunt ipsi medici, cùm nõ vtãtur huiusmodi potionibus, & alijs atq; alijs compositionibus, quæ videntur esse excellẽtes & nobiles, quia forsan quæ ab ipsis ordinantur, sunt meliores & magis necessariæ respectiuè secundum infirmantiũ diuersitates. Et hac de causa huiusmodi potiones non tenentur præparatæ, quia non diu possunt conseruari, ni corrũpantur: sicut conseruantur syrupi cõfecti ex zuccharo, vel melle, & similia. Vnde oportet eas propinare recentes. Nos autẽ ab omnibus mendis, & dubijs purgabimus ipsas: vt si fortè alicui placuerit eis vti, habeat ipsas claras & emẽdatas. Et nota, quòd est differẽtia inter decoctionẽ & infusionẽ. Decoctio enim fit in igne, mediante aliquo ebullitionis spatio. Infusio autem nõ indiget ebullitione, supple secũdaria. Bene autem quandoq; recipit in aliqua sui parte primariam ebullitionẽ, siue decoctionẽ. Vt exempli gratia: Infusiones de hieris recipiũt decoctiones, vt patet infrà &c. Si autẽ res ipsæ postquàm sint infusæ decoquãtur, ab infusione in decoctionem transeunt. Vnde infusio vel fiat in liquore frigido, vel calido, etiã & in feruẽti, deinceps non est amplius bulliẽda. Et econtrà, nisi decoctio aliquantulum ferueat, nõ potest rectè decoctio nominari. Sciẽdũ etiã quòd omnes huiusmodi potiones, & similes, possunt aliquo modo dici syrupi, vt probatur in fine decoctionis fumi terræ. Vbi ipse Author cùm dicit: fiat syrupus sicut diximus, declarat huiusmodi potiones etiã nũcupari syrupos. Sed ratio qua Author fecerit de ipsis separatim distinctionẽ à syruporũ distinctione, hæc fuit, scilicet ꝙ istæ cõpositiones parãtur sine zuccharo, vel melle: vnde (vt dictũ est) nõ possunt multo tẽpore absq; aliqua corruptione asseruari, nisi decoctiones ipsæ ita coquãtur quòd transeãt in esse Rob &c. Infusiones autẽ huiusmodi, ob id, quia sunt ex varijs simplicibus, & non coquuntur, non perdurant. Sed infusio alicuius rei simpliciter,

Infusio in quo differt à decoctione.

pliciter, puta rosarum, vel violarum &c. bono studio pro aliquo tempore conseruatur. Vnde rectè istæ decoctionum & infusionum potiones vocantur syrupi, supple recenter propinandi &c. De quibus quidem syrupis recenter propinandis, placuit Authori facere præcisè præsentem distinctionem. Et ne omittas, quòd in omnibus decoctionibus est facienda gradatio rerum.

Decoctio capillorum Veneris &c. CCXXIII.



SVNT etenim in presenti descriptione duæ librariorũ mendæ. Prima, per quasdã impresiones est, vbi legitur: Tamarindorũ ℨ.ij. lege ℥.ij. Altera verò mẽda, quæ est generaliter in cunctis excusionibus, est vbi in fine descriptionis legitur: Et quandoq; ponitur loco aquæ seri caprini, ℔.iiij. Lege verius, ℔.iij. vt vetusti codices habẽt. Etenim Author ipse in permutatione aquę nihil necesse habuit permutare quãtitatẽ ipsius aquæ. Quia sicut ipsa decoctio fieri poterat in tribus libris aquæ: ita & in tribus libris dicti seri caprini posse fieri, nulli dubium est. De ipso autem sero, dicetur in modo infusionis aquæ casei. quære ibi. Habet præterea Author noster in cap. de tussi humida, authoritate filij Humain, vnam aliam descriptionem decoctionis capillorum Veneris, quæ differt ab ista.

Aqua Fructuum &c. CCXXIIII.



VOCAT Author præsentẽ decoctionẽ, aquã. Ex quo clarè probatur quod suprà diximus, scilicet quòd antiquorũ aquæ nõ intelligũtur istæ sublimatæ. Lege de hoc in electuario granorũ myrti. Habet ipse Author in cap. de soda calida, vnã aliã diuersam ab ista aquæ fructuũ descriptionẽ. Est nãq; per impressiones in præsenti descriptione vna mẽda. Videlicet, vbi legitur: Prunorũ numero xl. Lege rectius, numero l. Sic enim omnia antiqua exẽplaria (quæ vidimus) habẽt. Itẽ vbi in impressis libris legitur: Tamarindorũ ℥.iij. Casiæ fistulæ ℥.iij. In præfatis exẽplaribus pro maiori parte legitur: Tamarindorũ, casiæ fistulæ, ana ℥.iij. Et ita putamus esse secũdũ veritatẽ, & melius ac clarius. Quia sine ana, poterit quispiã dubitare in ipsis clausulis esse errorẽ &c. Demũ vbi in fine descriptionis dicit Author: fiat vt diximus. Pro hac igitur & cæteris sequẽtibus, in quibus erit opus, sciẽdum ꝙ in prædicta prima decoctione ipse Author docuit aromatariũ modum & regulã cõponendi, siue parãdi omnes cõsimiles. Videlicet

quòd tamarindi,casia fistula,manna,myrobalani,rheubarbarũ, & similia,non sunt coquenda:sed perfecta aliarũ rerũ decoctione immittantur &c.Et quando particulariter,& specificatè non assignatur liquor in quo sit facienda ipsa decoctio, seu infusio: tunc in aqua pura debet fieri,sumendo semper pro rata ex superioris descriptionis proportione. Vnde pro ista decoctione satis sunt libræ tres aquæ,vel seri caprini,quia non multùm differt à superiori decoctione,cuius regula moderatur &c.

Modus infusionis aquæ casei &c. CCXXV.



IN præsenti descriptione per omnes impressos codices mendosè legitur : Raued boni aur.j.s.Libri antiqui autem concorditer habent:Raued boni aur.ij.s.Et ita rectius legendum putamus.Preterea in fine descriptionis vbi legitur : quandoq; in defectu rosarum viridium,fit sine eis. Notandum sanè quòd eo in loco Author prudẽter egit. Quoniam sciens ipse omni tẽpore non posse reperiri rosas, scilicet flores rosarum recẽtes,seu virentes,ne quis deciperetur putando posse fieri,aut esse bonum in defectu recentium parare præsentẽ infusionem cum siccis rosis,declarauit esse minus malum,si omittantur ipsæ rosæ,quàm si admittantur siccæ. Vnde animaduertendum quòd vbicunq; petuntur rosæ recentes,si non habentur, faciendum est potius sine eis,quàm cum siccis. Et ecõtrà,scilicet quòd in defectu siccarum non sunt apponendæ recentes.Quamuis hoc rarissimè in aliqua vrgenti necessitate possit accidere. Quia facilius possumus siccare rosas tempore suo,quàm extra tempus congruum inuenire recentes. Sed non est ita dicendum de omnibus alijs floribus,fructibus,herbis,& similibus: quoniam multa simplicia sunt quæ in defectu virentium possunt compẽsari sicca,& econtrà.Vt exempli gratia : In triphera persica,& in electuario de psyllio legitur:Violarum siccarum aut viridium,scilicet virentium &c. Frequenter enim reperitur viride pro virenti positum ab Authoribus.Et scias,quòd vbicunque petuntur rosæ,si non legitur specificatè de recentibus,semper siccæ intelliguntur. Et hac de causa vult Author,vt potius fiat sine eis,quàm cum rosis siccis: quia præsens infusio habet educere cholerã,& rosæ siccæ cum sint stipticæ,non conueniunt. Et quòd rosæ siccæ valde stipticent,non solùm probatur per Dioscoridem & cæteros Authores: verumetiam & per ipsummet Authorem nostrum in capitulo de rosa.

Rosæ siccæ non sunt pro recentibus compensandæ.

Item

Item in modo cōfectionis de succo corticum nucum ait: Et quādo morbus est in principio, aliquid de stipticitatem habentibus misceri oportet, sicut sunt rosæ (supple siccæ) & balaustia. Vnde &c. Et quamuis rosæ recentes habeant suam stipticitatem, attamen pars solutiua in eis magis viget quæ cum siccantur, deperditur. Vnde in siccis nulla est solutio. Violæ autē ecōtrà, cùm siccantur magis soluunt. Quod probatur per Authorem nostrum, in capitulo de violis, vbi sic ait: Quæ recens est, solutione educit per ventrem Iambificando, quæ verò est sicca, educit dissoluēdo. Nos autem (saluo semper meliori iudicio) in defectu rosarū recentium, ponere succum ipsarum putamus non malum esse. Et propriè drachmam pro vncia, scilicet quòd pro qualibet vncia rosarum recentium, ponatur 3. vna vel circa ex ipsarum succo. *Rosarum recentium loco quid sufmendum.*

De aqua Casei.

EX materia lactis animaliū equidem quatuor principalia habemus, scilicet butyrū, quod primitus extrahitur, si desideratur, quoniam multi non eximūt. Secundò caseū, qui ab omnibus accipitur, mediante coagulo, seu alia re coagulante. Tertiò, scilicet post caseū, aliam habemus rem quam Auicēna cap. de caseo, caseum ex sero vocat, & vulgares Itali recoctā, siue ricoctam, & mascherpam nominãt. Quæquidē extracto caseo, per fortem decoctionem tanquam spuma coagulatur, & supernatat. Quam autē recoctam, caseum secundariū rectius posse nuncupari fatemur. Vel spumā seri vocare, non esset ab re. Quartò, exēpta ipsa recocta, quod residuum est aquosum, scilicet quòd à pastoribus (tanquam res inutilis) canibus bibendū projicitur, serum, aqua lactis, & aqua casei, & à nonnullis discoctū dicitur. Non obstãte quòd aliqui velint aquam casei, propriè esse serū à quo non est ablata recocta, scilicet illud quod immediatè remanet à casei coagulatione. Quodquidem licet non possit negari quòd non sit, veruntamē tunc ipsa aqua casei est tanquam succus alicuius rei non depuratus, de quo minimè intendit Author. Vnde oportet ipsum serum depurari. Quia quamuis hîc posset stare, quoniam hæc infusio non indiget bullitione: tamen in cōpositionibus vbi aqua casei necessariò est bullienda, esset non bonū si cum dicta recocta fieret ipsa cōpositio. Vnde melius est vt prius depuretur & clarificetur. Et sic erit ipsamet aqua casei, supple purificata, & erit aqua lactis mera, & serū purū, necnon & verū discoctum. Igitur pro ista infusione ipsa aqua casei sumenda est continuò, postquam recocta fuerit ablata. Et sic in ipsa, vel cum ipsa, actu *Recocta.* *Serum.* *Discoctum.*

calidiſsima,facienda eſt aliarũ rerum infuſio,& dimittẽda vſque mane,vt præcipitur,poſtea colãda,& propinanda &c. Præterea inſuper ſciendũ ꝙ ex omni lacte,animaliũ ſupple,ex quo poteſt haberi caſeus,& ſerũ etiã per cõſequẽs poteſt haberi. Quoniã nõ omne lac coagulatur. Laudatiſsimũ omniũ autẽ,eſt ſerum caprinum. Quod quidẽ Author ſpecificauit in præſenti deſcriptione, cùm dixit: Et propriè ſumptæ ex capris. De aqua caſei enim erat ſermo. In ſuo etiã de Simplicibus ſcripſit particulariter capitulũ de aqua lactis,in quo magnopere cõmẽdat aquã ſumptã ex lacte caprino. Et præcisè ex iuuenibus capris,atq; nigris &c. Lege ibi.

Modus infuſionis de ſuccis herbarum &c. CCXXVI.



PER nonnulla exemplaria legitur in præſenti deſcriptione: Succorũ endiuiæ &c.ana ℥.iiij.& vulgares excuſiones habent peius: ana ʒ.iiij. Reliqua autem exẽplaria, & omnes impreſsiones latinæ, rectius habent, ana ℥.viij. Nam in rei veritate de quolibet ipſorũ ſuccorũ ℥.iiij.eſt parua quãtitas pro infundẽdis rebus illic notatis. Ideò rectius & verius eſt ℥.viij. Itẽ vulgares impreſsiones præfatæ mẽdosè etiã habẽt: Tamarindi ℥.s. Lege ℥.j.s.

Decoctio *Fumi terræ &c.* CCXXVII.



MIRARI equidem quiſpiã poteſt,quare Author non potius iſtam compoſitionẽ,quàm ſuperiorẽ titulauerit de ſuccis herbarũ? Cùm ſit,quòd hîc quinque diuerſi ſucci recipiũtur: illic autem non niſi tres. Etiam quare nominauerit iſtam,decoctionem? quæquidẽ cõpoſitio,clariſsimè vt ſuperior, probatur eſſe infuſio,& non decoctio. Sed hac de cauſa(vt putamus) nominauit ſupradictam infuſionem de ſuccis herbarum: nõ quia iſta non ſit de ſuccis herbarũ, ſicut & ipſa,ſed quia in intẽtione priorum poſitarum eſt etiam & ipſa infuſio de ſuccis herbarum. Decoctio autem fumi terræ præſens,licet conueniat in quibuſdam in earundem priorum intentione: tamen aliàs habet particulares intentiones diuerſas à ſupradictis,vt patet in litera. Et vt nequis deciperetur in ipſis deſcriptionibus,placuit Authori in iſta ſecunda deſcriptione infuſionis de ſuccis herbarum variare titulum. Vnde & nominauit eam decoctionem,& non infuſionem: & non de ſuccis herbarum,ſed de fumo terræ,de cuius ſucco maiorem recipit portionem,vt mox infrà patebit. Hac etiã de cauſa(vt cõiectamus) titulauit eam decoctionem: quoniam ſucci in

iſtam

iſtam compoſitionem ingredientes,ſunt aliquatenus poſt ipſorum depurationem decoquendi.vnde in litera habetur: Et proijce ſuper eis depuratis & coctis &c.Non obſtante quòd mendosè in impreſsis codicibus legatur per contrarium, ſcilicet coctis & depuratis. Etenim ferè cũcta exemplaria ſuper hoc veritatem oſtentãt. Quoniam(vt iam in modo ſyrupi acetoſi de pomis deſcriptione noſtra diximus)quando reperitur ſcriptus aliquis ſuccus,hoc modo, ſcilicet coctus & depuratus,ſiue deſpumatus: intelligitur quòd eſt decoquendus ille ſuccus,ſiue bulliendus vſq; ad perfectam ſui depurationem,non amplius. Quando autem econtrà ſcribitur:depuratus,& coctus:tũc intelligitur quòd poſt ipſius deſpumationem,eſt etiam decoquendus vſque ad conſumptioné tertiæ partis ad minus. Et iſto modo intelligitur in præſenti deſcriptione.Modus autem parandi talem decoctionem,& (vt melius dicamus) infuſionem,talis eſt. Depurẽtur ſucci & decoquantur cum facilitate,vſque dum cõſumpta ſit pars ipſorum quarta,& ponderentur,& ſtatim paſſulæ enucleatæ,& contritæ, & ſimiliter myrobalani enucleati & groſſo modo contriti,& tamarindi infundantur in eis calidis,& dimittatur ipſa infuſio refrigeſcere vſque mane.Deinde coletur,& more ſyruporum propinetur &c.Præterea animaduertendũ quòd per omnes impreſſiones,in pręſenti deſcriptione eſt vnus error valde notabilis,videlicet vbi legitur:Succi fumi terræ ℥.s.Lege rectius ℥.viij.vt omnia antiqua exemplaria (quæ ſupple videmus) nulloque diſcrepante,habent. Etenim pro tam modica portione non decebat Authorem intitulare ipſam decoctionem,de fumo terræ. Sed re vera ipſius ſucci ℥.viij.hìc recipiuntur,& non s.℥. Nam ipſe ſuccus eſt baſis & fundamentum iſtius potionis ſeu ſyrupi:vt probari poteſt legendo omnes intentiones iſtius potionis,in poſſe capituli fumi terræ,ipſius noſtri Authoris. Vnde etiam denominatur à fumo terræ, tanquam à baſi & fundamento totius compoſitionis.Ex quo rectius ℥.viij. legendum eſt.

Decoctio Albaſce &c. CCXXVIII.



CVNCTA volumina impreſſa in preſenti deſcriptione habent vnum mendum: videlicet vbi in eis legitur:Coquantur omnia in ℔.iij.aquę:rectius legendum eſt, ℔.iiij.vt antiqua exemplaria habent.Et ſic eſt melius:quia rerum coquẽdarum eſt bona quantitas,& quædam ex ipſis non parua indigent deco

ctione.In qua quidem decoctione est facienda gradatio ipsarum rerum. Myrobalani autem non sunt bulliendi,sed vltimo loco ponantur,& cõtinuò vas auferatur ab igne.Quia hîc,& in superiori decoctione fumi terræ,& similibus,quærit Author solutionem ex eis:vnde non oportet vt bulliant &c. Item animaduertãt qui vtuntur paruis impreſsionibus operis istius nostri Authoris:quoniam in eis præsens descriptio est maximè vitiata, vnde sunt in ipsa plurimæ mendæ. De alhasce,siue hasce,quod est thymus,quære in superioribus.

Decoctio Myrobalanorum &c. CCXXIX.



VNT etiamnum & in præsenti descriptione per omnes impresſiones Latinas(vbi legitur : Et proijciatur in ea,Casiæ fistulæ ℥.j.turbith,agarici,ana ʒ.s.)duo menda. Primum est,quòd illud,Casiæ fistulæ ℥.j.vacat.Secundum est,quòd turbith est ʒ.j. & agarici ʒ.s.& vnumquodque per se,sine ana. In nullo penitus antiquorum voluminum,neque in vulgari æditione est ita. Sed concorditer habent: Et proijciãtur in ea turbith ʒ.j.agarici ʒ.s. &c. Et sic est verum.Hinc verò sequitur : Et quando volueris vt sit medicamen debilius,siue medicina debilis(vtroque enim modo inuenimus)non proijciantur in ea illa duo,scilicet turbith & agaricum:sed sufficiunt casiæ fistulæ ℥.ij.&c. Myrobalani autem in fine ponantur . Lege de eis suprà. Scribitur quoque hæc decoctio ab Auicenna in quinto cañ.scilicet in primo tractatu secundæ summæ.Cuius inscriptio est: Decoctio collecta &c.sed in aliquibus differt ab ista filij Mesuæ.

Decoctio de Stichados &c. CCXXX.



N paruis impresſionibus quidem mendosè legitur in præsenti descriptione : Turbith albi,arundinei ʒ.iij.rectius legendũ est ʒ.iiij.vt reliquæ impresſiones,& cuncta exemplaria habent.

Decoctio de Eupatorio &c. CCXXXI.



ON est in præsenti descriptione menda. Veruntamẽ vbi in omnibus impresſionibus,& in exemplaribus antiquis pro maiori parte legitur : Chebulorum,Indorum , ana ʒ.viij. passularum enucleatarum ℥.j. In reliquis paucis exemplaribus autem

autem concluduntur omnia vno ana, sic videlicet, Chebulorum, Indorum, passularum enucleatarum, ana ℥.j. Quodquidem nihil refert, quia idem est.

Decoctio Epithymi &c. CCXXXII.



ARIAE leguntur mendæ per varias excusiones in præsenti descriptione. Vnde in quibusdã, vbi legitur, chebulorum, fumi terræ, ana ʒ.iij. lege ʒ.iiij. Item in alijs vbi legitur: Salis Indi aur.j. lege verius aur.s. vt cuncta exemplaria, ac etiam nonnullæ impressiones habẽt. Præterea, ipse Author noster in cura de soda frigida, habet vnã aliã epithymi decoctionẽ differentẽ ab ista. Itẽ Hali Abbas in x. practicæ vnam. Et Rhasis in ix. ad Almansorem, cap. de melancholia, vnam: & in antidotario diuisionum, cap. etiam de medicinis ad melancholiam & lepram &c. alteram quasi eandem. Omnes tamen differunt ab ista filij Mesuæ.

Infusio de Hiera &c. CCXXXIII.



NIMVERO præsens descriptio & duæ sequentes, vt habentur in codicibus impressis, rectius vocari possunt cõfusiones, quàm infusiones. Abalienatæ enim sunt à vera authoris intentione. Etenim non quærit Author in his descriptionibus hieram, & vltra hieram aloën, cum ana &c. vt ipsi codices mendosissimè habent. Sed quærit hieram ex aloë, id est hieram picram, quæ ab ipso sub Galeni cognomine inscribitur. Quæquidẽ vt suprà, scilicet in tractatu de hieris retulimus, ab ipsomet Galeno in secundo Miamyr, & alibi, Hiera ex aloë nuncupatur. Posuit autem Author in istis descriptionibus, ex aloe, ad differentiam multarum hierarum quæ absque ab aloë conficiuntur. Vt exempli gratia: Sũt suprà Hiera Archigenis, descriptione Pauli: & Hiera diacoloquintidos, inuentione Ruffi & cæteræ quæ minimè recipiunt aloen. Et de hoc testantur antiqua exemplaria, quæ pro maiori parte sic rectius habent: Recipe hieræ ex aloe bonæ. & nonnulla sic: Recipe ex hiera ex aloe bona ℥.s. Nec est ibi ana, quia ipsa compositio hieræ, tanquam si esset solum simplex, pro vna sola re intelligitur. Et vni quidem non conuenit ana. Nec sunt ibi ʒ.v. vt plures impressiones habent: sed ℥.s. tantùm. De facili nempe (vt coniectamus) librarij errauerunt, transsumentes pro, ex aloë, & aloës. Vnde & subsequentes postea forsan putantes ibi deesse, addiderunt ana: rescribentes (quamuis fal

falsò) Recipe hieræ & aloës ana &c.Igitur rectius legendum est: Recipe hiære ex aloe ℥.s.& funde &c. Quasi de consimili petijt filius Serapionis in 7.scilicet in vna pilularum descriptione, cuius titulus est: Pilulæ quæ conferunt ad ægritudines choleræ citrinæ, & sanguinis. cùm dixit, Hieræ picræ, ex illa quæ fit cum aloë abluto &c. Ad differentiam aliarum Hierarum specificauit &c. Sed animaduertendum quòd in his infusionibus quærit Author species ipsius hieræ picræ tantùm, absque melle. Etiam cum ipsis speciebus connumeratur & aloe, ne putet quis ipsas species absque aloë intelligẽdas esse: quia taliter nõ esset hiera ex aloë, neq; posset vocari picra. Præterea ipse Author in cura de soda frigida, habet plures quasi cõsimiles infusiones de hiera, in quarum nulla est vtrunque simul positum, scilicet hiera & aloë. Vnde à simili est considerandum, ipsum authorem non posuisse vtrunque in istis. Item sciendum quòd ab hac prima descriptione sumitur modus siue regula pro reliquis sequentibus.

Infusio alia hieræ &c. CCXXXIIII.



ONSIMILITER, vt præfata, & ista præsens est vitiata. Sed in ista verè sunt 3.v. ex ipsa hiera ex aloë: in superiori autem (vt diximus) est ℥.s. Et sciendum quòd in nullo antiquorum voluminum quæ vidimus, decoctio epithymi in præsenti descriptione est scripta cum suo determinato pondere, vt est in impressis libris. Simpliciter enim cuncta concorditer sic habent: Et funde super ipsam decoctionem epithymi, quam diximus &c. Tamen quia decoctio epithymi præfata cùm est perfecta, non est nisi vna libra: ideò non est extra rationem in ipsis impressis libris si specificatè legitur ℔.j. Nos autẽ posuimus sine põdere, vt textus antiqui habẽt. Item sciendũ ꝙ vbi in fine præsentis & subsequẽtis dicit Author, Et fiat sicut diximus: intelligitur vt in vase vitreo exponatur soli &c. sicut dixit in prima hieræ infusione.

Infusio tertia hieræ &c. CCXXXV.



VTHOR in ista vltima descriptione infusionis hieræ, non specificauit de hiera. Sed subintelligitur de supradicta hiera ex aloë. Aduertẽdum autem, quòd in omnibus impressionibus mẽdosè hîc legitur: Et funde super ipsum decoctionis alhasce, ℔.ij. vbi rectius legẽdum est, ℔.j. vt omnes vetusti codices habent. Etenim probatio eius mendæ est manifesta: quia tota

ipsa

ipsa alhasce decoctio postquam completa est, non est nisi vna libra: vnde Author ipse, sicut in superioribus, sic & in ista non posuit nisi ℔.j. Et consimiliter de dicta hiera, sumendum est pōdus ℥.s. vel circa: quia ista infusio in omnibus regulatur ex superioribus. Vnde dicit. Et fiat sicut diximus.

De decoctionibus vsitatioribus &c.

EQuidem nobis visum est non esse ab re hoc in loco annotare decoctiones communiores, & magis vsuales medicinarū, quibus hodie vtuntur medici, & præcipue in pharmacis laxatiuis propinandis. Sæpe enim scribunt ipsi medici: Dissoluatur cum decoctione cordiali, seu cum decoctione florum & fructuū cordialium, vel cum decoctione pectorali, vel cum decoctione communi: & sic frequenter in enematibus &c. Igitur quādo cum decoctione cordiali, vel cum decoctione florum & fructuum cordialium, quod idem est, si non specificatur in quo liquore, debet fieri in aqua simplici pura. Flores autē ac fructus cordiales conuenientiores, pro huiuscemodi decoctionibus faciēdis, hi sunt: videlicet, flores violarum, boraginis, & buglossæ principaliter, & flores roris marini, thymi, atque thymbræ, qui non sunt ita vsuales vt priores. Fructus verò sunt, Sebesten, pruna, (& præsertim Damascena nūcupata) iuiubæ, passulæ enucleatæ, & tamarindi. Sed tamarindos (vt scimus) nullus ponit, neque Sebesten, nisi medicus speciatim præcipiat. Etiam additur liquiritia, licet sit radix, & non flos, neque fructus. Et huiusmodi vocatur decoctio cordialis, vel decoctio florum & fructuū cordialium. Cui etiamnum aliquando additur ex floribus labruscæ pars, qui sanè cordiales sunt: veruntamen quia habent de stipticitate non parum, sicut & rosæ siccæ, & similia, non sunt apponendi in decoctionibus, absque medici præcepto. Sicut etiam aliquando ipsi medici ad speciales causas, addunt huiusmodi decoctionibus epithymū, vel polypodium, vel senæ folliculos, vel myrobalanos &c. in quibus aromatarius non debet præsumere, nisi ex iussione medici, pro quibus ipse ordinat. Et si non omnia præfata possunt haberi, saltem pro maiori parte debet esse in dicta cordiali decoctione. Decoctio autem pectoralis fit vtplurimum in aqua pura, cum iuiubis, passerina, siue passulis enucleatis, cum liquiritia, & ficis siccis. Sed fici debent poni in minori portione. Quandoq; verò ipsa decoctio pectoralis fit in aqua hordei, & quandoque additur ei pars mellis. Adduntur etiamnum & alia plura, prout medicis videtur esse expediens, secundum infirmantium qualitates.

Deco

Decoctio autem communis pro clysterijs fit in aqua pura:& pluuialis est melior nō pluuiali,& principaliter cum malua,& planta violarum (quæ vulgò dicitur mater violarum) & cum mercuriali, quando potest haberi,& æstiuo tempore additur blitum,& hyeme additur helxiste, id est vulgò parietaria, vitriola,& herba venti dicitur. Et ponitur salis,& olei oliuarum quantitas bona. Et huiusmodi decoctio, cum sale & oleo, potest seruari per aliquot menses in sua perfectione, vt ab infirmarijs nostri Conuentus asseuatur: & non est necesse quotidie pro quolibet clystere facere communem decoctionem. Et talis decoctio Romæ & alijs in locis multùm habetur in vsu. Vtuntur etiam nonnulli & alia simpliciori communi decoctione, vel (vt melius dicamus) infusione furfuris triticei: quæ quidem virtute non est inferior supradicta,& in quacunque hora desideratur, parari potest. Et modus eius est: Accipe furfuris frumentacei pugillos iiij. vel v. plus vel minus, secundum qualitatem personæ, pro vno enemate, & ponatur in panno lineo, seu in staminea, in aliquo vase,& funde super illud aquæ bullientis quantitatem necessariam pro clysterio,& exprimatur diligenter: ipsi verò expresioni addatur sal, oleum sufficiens,& fiat enema. Decoctionibus etiam præfatis aliquando addūtur plura diuersaq; olea, mella, electuaria, ouorum vitelli, fœnum Græcum, camomilla, melilotū &c. secundū ægrotantium necesitates. Sed quando hęc conueniant, potius est medici, quàm aromatarij scire. Præterea multæ diuersæq; decoctiones & infusiones medicinarum notantur ab Hali Abbas in decimo practicæ,& à Christophoro de Honestis in fine præsentis distinctionis, quæ potius apud nos sunt particulares, quàm cōmunes,& vniuersales. Antonius Guainerius quoque in suo antidotario, facit capitulum de decoctionibus, in quo ponit decoctionem pectoralem,& decoctionem, quam vocat communem &c. Sed hæ, ni medicus mandet, non sunt administrandæ. Item Antonius ibidem facit capitulum de clysteribus, quæquidem clysteria recipiunt varias decoctiones contra diuersas infirmitates: quapropter non possunt communia dici, nec absque medici iusione licet alicui ipsis vti. Et de decoctionibus dicta sufficiant.

Mater violarum.

Herba venti.

OCTA

OCTAVA DISTINCTIO.

Octaua distinctio est de Trochiscis, & erit &c. CCXXXVI.



ROCHISCVS potius quàm Trociscus. Et vt Sypontinus in Cornucopia scribit, idem est quod pastillus. Pastillus autem à pane dicitur, quasi paruus panis. Latinè propriè Rotula dici potest. Sed differt pastillus ab emplastro, in hoc scilicet quòd emplastrũ aliquid liquidi recipit: pastillus autem tantummodo pulueres, qui aliquo liquore iunguntur & postea exiccantur &c. Paulus Aegineta autem in 7. cap. 12. ponit tres trochiscorum species. Ait enim: Pastilli, Græcè trochisci, à figura nominãtur. Tres sunt eorum species. Alij nanque sunt potabiles, alij in aluum dantur, & alij delinuntur. Hinc ex vnaquaque specie ponit differentias. Lege ibi: quia sub nomine pastilli, multas trochiscorum descriptiones notat.

Confectio Galliæ muscatæ &c. CCXXXVII.



B HAC etenim confectione Author incipit suã octauam (quæ est de Trochiscis, siue vt mauis trociscis) distinctionem. Vnde autem dicantur Galliæ, seu Galiæ (vtroque modo legitur) ista, & quædam aliæ confectiones, adhuc authenticè non reperimus. Serapio quidem, & Auicenna in suis de simplicibus, faciunt capitulum de Gallia. Et incipit ipse Serapio: Such, id est galia &c. Tamen ex ipsis non potest percipi quid hoc nomen gallia simpliciter significet: præterquam, quòd sunt compositiones sic nominatæ. Simon Ianuensis autem, & Pandectarius, & ex cæteris recentioribus multi, multa dicunt: sed omnes, nẽpe de hoc, tanquã in somnijs loquũtur. Huiusmodi enim galliarũ cõpositiones aliter (imò rectius cùm fiat trochisci) sub nomine trochiscorũ possunt nũcupari. Videlicet, Trochisci de gallia, siue muscata, siue sebellia, siue alephangina, vel alefanginæ, siue magna, vel regali &c. Vel, Cõfectio trochiscorũ de gallia muscata, vel sebellia &c. Nã quatuor galliarũ descriptiones habẽtur in præsenti distinctione, scilicet muscata, sebellia, alephangina, & quarta quæ vocatur magna, siue regalis, quæ habetur infrà sub titulo sucahalertif, vt legitur in impreßis libris. Aliquãdo etiã reperitur scriptũ Algalia, siue cõfectio algaliæ, & idem est. Quatuor quoq;

galliarum ſpecies præfatus Serapio in dicto capitulo Such,diuer ſas tamen ab iſtis ſcribit. Auicenna autem vnam tantùm laudat, quam in ſecundo cañ.capitulo proprio,Sinian factam ex emblicis vocat. Sed animaduertendum quòd in præſenti deſcriptione Galliæ muſcatæ filij Meſuæ,eſt vnus error valde notabilis,ex quo quidem generata eſt in ipſa quædam magna confuſio,vt mox liquebit. Legitur nanque in cunctis ferè impreſsionibus,in præſenti deſcriptione: Ambræcani,vel canni.Et in quibuſdã cum punctulis intermedijs, ſic: Ambræ, cani, partes iij.Cani igitur,aut canni,per ſe quid propriè ſignificet, haud reperies. Quia hoc in loco nihil præſtat Arabicè,neq; Græcè,neq; Latinè. Quãuis Latinè,canus, na,num,denotet habẽs canitiẽ,& canis ſignificet & animal latrabile,& ſydus cœleſte,& piſcẽ marinũ.Etiã ſtãte eo quod

Ambra vbi reperitur. nonnulli Doctores aſſeuerãt,ſcilicet ambram in ventre ceti (qui eſt marinus piſcis) reperiri. Quia ſi quis obijciẽs,dicat ambram cani,eſſe ambram ceti,tãquam ſi Author poſuiſſet illud cani pro piſce marino,ac intellexiſſet pro ceto: hoc ſanè duplici ex cauſa

Cetus & canis piſcis differunt. ibi non poſſe ſtare, apertè probamus. Prima, quia cete ipſa licet ſint piſces,nõ vocantur canes,nec cum ipſis canibus marinis conueniunt in aliquo, præterquam in generibus animalium & piſcium. Et perquammaximè differunt inter ſe,canis piſcis,& cetus: neque eſt qui deſcribat canem ,aut aliud piſcium genus habere ambram,præter cete. Quæ cete grandia , vulgò balenæ dicuntur, qui ſunt maximi omnium piſcium. Secunda cauſa eſt, quia latinitas non patitur eo in loco datiuum pro genitiuo poni. Nam dato quòd Author intelligat canem piſcem, pro ceto (quod abſurdum eſt audire) litera ſtaret: Ambræ canis,& non cani. Sed re vera errore literæ à pluribus non percepto,introducta eſt inter gentes hæc confuſio,ſeu abuſio nuntiandi atq; ſcribendi, Ambra cani. Vt in alijs multis erroribus conſimiliter iam probauimus eſſe factum. Igitur in antiquioribus exemplaribus, non Ambræ cani,nec canni: ſed Ambræ,camphoræ, vel Ambræ camforæ legitur. Et in quibuſdã ex ipſis (vt in octo inuenimus) habetur diſtinctè & planè per literas: in aliquibus verò abbreuiatè,ſeu incompletè in his & ſimilibus variationibus: videlicet, ambr.camph.amb.canf.ãbr,cãph.ambr.cãp.ãbr.cam.&c.& cum ana partes iij.Et ſic eſt ſecundum veritatem.Errorem autem huiuſmodi,ex vltima præfatorum variationum proceſsiſſe coniectamus. Quoniam quidam fortaſſe trãſſcribens, inueneri tambræ,cam.& ignorãs quid ſignificaret cam , facilius potuit errare

conuer

conuertẽdo m,in ni,ſcilicet pro cam,ſcribẽs cani.In proceſſu autem tẽporis alij forſan putãtes ambræ cani,eſſe vnũ tantùm ſimplex,deleuerũt illud ana &c.Rectè itaq; ſcribendum eſt, Ambræ, cãphoræ,ana partes iij.Etiã animaduertito,quòd in ſequẽtes,ſcilicet galliam ſebelliã, & alephanginã ſimiliter ingreditur camphora &c.Præterea ſciendũ quòd in cõpoſitionibus filij Meſuæ, quãdo abſolutè petitur gallia : ſemper de iſta prima, quæ muſcata cognominatur,intelligitur.In cõpoſitionibus autẽ Nicolai & aliorũ(qui habent)ſuis gallijs debemus vti.Itẽ ſciendũ quòd antiquitus nõ ſolùm lutũ lemniũ, verumetiã & ſcãmoniũ,& omnes trochiſci,& alia plura ſigillabãtur.Hodie autẽ,quia (vt dicit Author noſter in capitulo de ſcammonea) fides ſigillorũ perijt:non multi facimus ſi trochiſci ſigillẽtur,vel nõ.Bonitas quippe ipſorum non conſiſtit in ſigillo:quia & ſigillati poſſunt eſſe mali : & ecõtrà abſq; ſigillo poſſunt eſſe boni.Fides enim potius dãda eſt pharmacopôlis,quàm ipſis pharmacis. Quoniã eadem pharmaca bona,vel mala fiunt,ſecundum quòd aromatarij boni vel mali ſunt. Nos autem mallemus habere & ſcammonium, & terram lemniam,& trochiſcos &c.abſq; ſigillo,vera,& bona : quàm ſigillata,falſa,& mala. Vnde nihil facit ad rem ſi non ſigillentur iſti, & conſimiles trochiſci, vt Author præcipit. Similiter dicendum de ipſorum forma,ſiue figura. Videlicet, quòd nihil refert ſi ſint rotundi,vel plani, vel longi, vel conquadrati, vel alteriuſmodi formæ. De magnitudine autem,& paruitate trochiſcorum, eſt curandum:quia magnitudo, vel paruitas poteſt ipſis addere vel minuere in bonitate,vel malignitate &c.tum propter fermentationem,tum verò propter deſiccationem, & cõſeruationem &c. Quamobrem in hoc obſeruandum eſt authoris præceptum. Et hoc notatum habeas pro omnibus trochiſcis.

Gallia abſolutè.

Trochiſci antiquitus ſigillabãtur.

Cõfectio Galliæ Sebelliæ,uel Sebellinæ &c. CCXXXVIII.



VID propriè Latinè velit ſignificare ſebellia,ſeu ſebellina,vel ſebelia, nequaquam valuimus ſcire. Pandectarius tantùm dicit: Sebêlia, vel Seben,eſt quædam medicina inda. Sed vt coniectamus, nil aliud dicit,quàm res aromatica.Et vnum, & idem putamus ſebelliam,& alephanginam ſignificare.Sed ſcripſit Author præſentem confectionem ſub tali titulo,ad differentiam alterius confectionis ſequentis, quæ cognominatur alephangina. Vnde titulus ipſius eſt : Confectio alia galliæ alefanginæ. Quia

Sebellia quid.

cùm dicit aliã, denotat prius scripsisse vnam cõsimilem. Ex quo igitur, si Gallia alefangina interpretatur aromatica, propter species aromaticas quas recipit: quare & Gallia sebellia nõ debet dici aromatica, quæ recipit easdem aromaticas species? Ergo sebellia potest interpretari aromatica. Est nanq; in præsenti descriptione vnus error. Videlicet, vbi legitur: Ambræ, & cãphoræ, añ. aur. s. rectius legendum est. añ. aur. j. vt in maiori parte exemplariũ inuenimus. Non obstante, quòd in aliquibus ex ipsis exéplaribus legatur: Ambræ aur. j. cãphoræ, aur. s. quia (vt diximus) maior pars ipsorum habet: Ambræ, & camphoræ, ana aur. j. Præterea hæ trochiscorũ de Gallis confectiones per se simpliciter non habentur in vsu: sed parantur pro eo quòd recipiuntur in alijs compositionibus. Sed animaduertẽdum quòd in præparatione istius Galliæ nõnulli iuniores errauerũt, & ansam errandi pluribus tribuerunt, intelligendo per contrariũ sensum clausulam illam: videlicet, Recipe foliorũ rosarum recentiũ, & humidarũ, quæ iam incipiunt reserare nodos. Primo errant, quia falsò intelligũt per nodum rosarũ illud pomellum, siue pyrulum, in quo semina rosarũ cõcrescunt & seruantur ad maturitatem, quodq; defluxis folijs restat in planta, & tempore maturationis fit rubrũ &c. Secundo quidem (veremur dicere) quòd ita hallucinati sunt, quòd pro reserare, intelligunt claudere, & non aperire. Tertio errant, quòd cùm Author quærat rosas immaturas, tãquam magis stipticas & confortatiuas: ipsi per contrariũ accipiunt folia rosarum, quasi in ipsorũ defluxu, quæ sunt magis solutiua & minus confortatiua. Expresse omnia contra authoris intentioné. Et hoc annotauimus pro imperitis & iuuenibus: quia circunfertur libellus quarundam declarationũ super canonibus, & antidotario filij Mesuæ, partim Latinè, & partim vulgariter impressus, intitulatusq;, Opus quibuslibet aromatarijs necessarium. Innominato authore: quamuis nonnulli (vt suprà diximus) asseuerent ipsum opus à quodam Petro Paulo Villano aromatario Neapolitano esse ædi tum. Quodquidem opus ex iuuenculis & minus peritis aromatarijs quidam, tanquam oraculum Apollinis amplectuntur. In quo opusculo, licet sint aliqua bene posita, tamen plurimæ interseruntur fatuitates, ac innumeri sunt errores. Vnde in hoc quod diximus, tam ipse Petrus Paulus, quàm Quiricus de Terthona dictus Lumẽ apothecariorum, quàm etiam Paulus Suardus cognominatus Thesaurus aromatariorum magnopere errauerunt: vt quilibet scripta ipsorum intueri potest. Igitur per nodum rosarum

rum non intelligit Author supradictum pomulum, sed calycem folia florum rosarum continentem. Et calyces rosarum proprie sunt illi, qui vulgariter bottones rosarum dicuntur. Et cùm dicit Author: Quæ iam incipiunt reserare nodos: non intelligit quòd rosæ sint ita completæ, quòd folia ipsarum stent in primo defluxionis gradu pendentia versus stipitem, ac incipientia circundare & occultare præfatum pomulum, vt prænominati Authores malè exponunt. Sed dicit Author (vt peritos non latet) quòd illa folia rosarum sunt accipienda, quæ iam incipiunt reserare, id est aperire nodos, scilicet calyces, quarum rubedo adhuc ex pelliculis, seu folliculis ipsius calycis, pro parte occultatur. Et propriè in principio apertionis ipsorum florum, scilicet antequam aliquod foliorum separetur in totum à reliquis: sed adhuc sint omnia in vnum ad inuicem colligata. Quia authoris intentio est per hanc confectionem stipticare, & confortare, & non soluere, vt legenti est clarum. Ex quo etiam ipsa confectio recipit & Ramich, quæ est compositio ad stipticãdum, de qua infrà. Etiam nota, quòd istarum Galliarum, & similium confectionum species, sunt vltimatè puluerizandæ. Ex quo ipse Author posuit in descriptionibus, sicut alcohol.

Rosarũ calyces. *Rosarũ bottones.*

Confectio alia Galliæ alephanginæ, & eius interpretatio est aromatizatum &c. CCXXXIX.



DECLARATVR nempe in præsenti descriptione ab interprete significatum huius vocabuli: hoc est, Alephangina, vel alefangina, dicentē: Et est eius interpretatio, aromatizatũ, siue aromaticum. Tanquam si Author dixisset in hũc modum: Confectio Galliæ aromatizatæ, siue aromaticæ. Vnde species alephanginæ, sunt species aromaticæ. Et dicitur in singulari: Alefangina, æ, & in plurali, Alephanginæ, arum. Ex quo quandoq; reperitur scriptum: specierum alefanginæ, & alefanginarum: & Gallia alefangina, & alephanginæ, & similia. Et dicitur propriè res alephangina, res aromatica. Vnde largo modo omnes species aromaticæ, possunt dici alefanginæ: vt latius in modo operationis condîti de cytonijs, scilicet in prima niua iam loquuti sumus. Et similiter sebelliã (vt etiam suprà diximus) coniectamus illud idem significare &c. Sunt equidē in præsenti descriptione per impressos codices nonnullæ mendæ. Quamobrem, vbi legitur: Ramich 3.j.s. rosarum 3.x. garyophylorum 3.x. lege

Alephangina quid.

rectius sic: Ramich ℥.j.s. rosarum, garyophyllorum, ana ʒ.x. Item vbi legitur: Musci boni ʒ.j. lege verius ʒ.j.s. quia sic per exemplaria antiqua probauimus esse secundum veritatem. Præterea sciendum, quòd vbi Author dicit in præsenti descriptione: Et fundatur super eos aquæ rosatæ bonæ & electæ, infusionis rosarum siccarum, & corticũ citrorum ℔.s. nõ intelligitur vt sumatur aqua rosacea sublimata, & in ipsa infundantur rosæ siccæ, & cortices citrorum &c. vt aliqui opinati sunt, quod litera non habet. Sed pro ea aqua, intelligitur infusio ipsa rosarum siccarũ, quam ad differentiam alterius quæ fit ex recentibus rosis, specificauit. Quia (vt aliàs diximus) generaliter quando doctores in suis libris petunt aquam alicuius rei: intelligunt succum, vel infusionem, vel decoctionem illius rei, & non aquam sublimatam, quæ non legitur apud antiquiores, & rarissimè apud ipsum filium Mesuæ. Et illa bonitas, & electio referuntur ad infusionem, & non ad aquam, tanquam si sic legas: Et fundatur super eos aquæ rosatæ, videlicet ex bona, & electa infusione rosarum siccarum, & corticum citrorum ℔.s. &c. Vnde facienda est ipsa infusio in bullienti aqua pura, cum rosis siccis, sicut fit cum recentibus, & cum permutatione rosarum &c. vt suprà dictum est. Et quia Author non notauit quantitatem corticum citrorum: ideo cum discretione poni debent. Videlicet, per quartam, seu quintam partem ad rosas: & debent ipsi cortices esse præsiccati, sicut flores rosarum, & in particulas incidendi sunt ante infusionem &c.

Aqua alicuius rei apud antiquos, quid.

Confectio Trochiscorum Diarhodon &c. CCXL.



DIARHODON certè idem dicit quod de rosis. Igitur cùm ista sunt quatuor descriptiones trochiscorũ, sub hoc titulo, de rosis, in presenti distinctione. Hali Abbas enim decimo practicæ, habet tres descriptiones: sed vna ex eis quæ intitulatur, Diarhodon trochisci, differt ab ista filij Mesuæ. Necnon & reliquæ etiam sunt differẽtes. In antidotario Nicolai quoq; sunt trochisci Diarhodon differentes ab istis. Et in septimo Breuiarij filij Serapionis, sunt quinq; trochiscorum de rosis descriptiones: in Auicennę v. cañ. autem vndecim. Apud Rhasim etiamnũ, cap. xj. decimi ad Almansorem, est confectio trochiscorũ diarhodon, qui cognominantur parui. Non obstante quòd postea sequatur sub titulo de rosis: ex quo probatur quòd idem est diarhodon, & de rosis. Item in eodem decimo, cap. 7. ipse Rhasis habet trochiscos

chiſcos de roſis completos,ſiue perfectos,vt in antiquo exemplari legitur. Et in nono ad eundem Almanſorem, capitulo videlicet 63.habet vnam aliam deſcriptionem trochiſcorum de roſis. Item in antidotario diuiſionũ,cap.35.duas deſcriptiones,& vna ipſarum intitulatur maior : omnes tamen in aliquibus differunt ab iſtis filij Meſuæ. A Paulo Aegineta etiam in duodecimo ſeptimi,ſcribitur paſtillus, ſcilicet trochiſcus diarhodon : ſed eſt alteriuſmodi compoſitionis. Item Actuarius libro de medicamentorum compoſitione,habet paſtillum, ſcilicet trochiſcum diarhodon:id eſt è roſis,& ſimiliter differt.

Confectio Trochiſcorum de roſis ſtoma=chum &c. CCXLI.



ER omnes ferè impreſsiones in præſenti deſcriptione eſt vnus librariorũ error tam clarus & manifeſtus quòd nõ indiget alia probatione: tamen ne intactus pertranſeat,vbi mendosè legitur: Adde ſcammoneæ ℔.iij.lege rectè ℥.iij. Nicolaus Præpoſitus habet ℥.ij.ſed putamus etiã eſſe mendã librariorũ. Sciendum præterea,quòd quando ſpeciatim petũtur trochiſci diarhodon,de ſupradictis intelligitur. Per trochiſcos de roſis autẽ abſolutè,de iſtis eſt intelligẽdũ,ſupple per opera filij Meſuæ. Quia ſequẽtes trochiſci nõ ſunt de roſis ſimpliciter,ſed de roſis & eupatorio:& vltima deſcriptio in paucìſsimis exẽplaribus habetur: ex quo poteſt dubitari,an ſit addita huic antidotario: & per conſequens non poteſt abſolutè de ipſa intelligi,ſed de præſenti &c. *Trochiſci de roſis abſolutè.*

Cõfectio Trochiſcorũ de roſis & eupatorio &c. CCXLII.



N quibuſdam impreſsionibus,preſens deſcriptio eſt in vno vitiata : videlicet quòd vbi legitur, Raued ſeni ℥.iij. Legendum eſt ℥.iiij.vt reliquæ impreſsiones, & cuncta exemplaria antiqua rectius habent.

Confectio Trochiſcorum de roſis ſicut &c. CCXLIII.



BI legitur in fine iſtius deſcriptionis, Aqua decoctionis radicum : intellige (ſecundum communem opinionem) aquam decoctionis ex quinq; radicibus communioribus, quæ ſunt, videlicet: Radices apij paluſtris, & apij domeſtici (ſcilicet vulgaris vocati petroſelini) aſparagi, bruſci, & fœniculi. Sed *Aqua decoctionis radicum quæ.*

animaduertẽdũ quòd (vt suprà diximus) hæc trochiscorũ descriptio, necnõ & aliæ plures ex sequẽtibus, nõ sunt in maiori parte exemplariũ, nec in alijs, in quibus habẽtur, sunt locatæ eo loco & ordine, vt impressiones habent. Quapropter dubitari potest in aliquibus ex ipsis an sint à proprio Authore, vel ab alio &c.

Such alharif. Et est Gallia magna, siue regalis &c. CCXLIIII.



FATEMVR enim veritatem, quòd in quinque exemplaribus tantùm reperimus præsentẽ & sequentem trochiscorum descriptiones: & non in hoc loco, vbi in impressi libris habẽtur, sed hinc inde transpositas. Nec in ipsis quidem exẽplaribus titulatur pręsens descriptio, Suchahalertif: sed in tribus est, Such alheref: & in vno Suchalherif, & in alio Such alheriffi. Vnde coniectamus verum suum vocabulum esse, Such alharif. Sicut

Such quid. etiamnum sunt suprà confectiones electuarij alharif. Such enim (vt probatur per Serapionem, & alios Authores) idẽ dicit quod gallia. Et sic, Such alharif, id est gallia alharif. Sicut etiam reperitur quandoque apud Authores, such camphoræ, vt est apud Rhasim in antidotario separato, videlicet in olei citri descriptione, non obstante quòd per impressiones mendose ibi legatur: Adde succum cãphoræ. Non enim à camphora extrahitur succus. Lege igitur rectius: adde such cãphoræ, id est galliã camphoræ &c. Et ne quis dicat, quòd per succum cãphoræ, intelligat ibi Rhasis aquã camphoræ (de qua infrà dicemus in declaratione ipsius camphoræ) quoniam hoc non potest esse: quia Author ponit ibi galliam camphoratã, causa aromatizandi ipsum oleum: & nihil necesse habet ibi ponere aquam, seu alterum liquorem post per-

Alharif quid. fectam ipsius olei decoctionem. Alharif autem vel significare dixeris quod latinè, magna, seu regalis (quia in litera legitur: Et est gallia magna, siue regalis) vel denotare bonũ saporem (tanquam si diceretur: Such alharif, id est gallia boni saporis, vt diximus in prima confectione electuarij alharif) vel aliud, nihil refert. Nec multi facimus si ignoretur.

Confectio Ramich &c. CCXLV.



ALITER vocatur ista cõfectio, Cõfectio trochiscorũ Ramich. Ex quo legitur in ipsa: fac trochiscos subtiles &c. Sed valde admirati sumus (cùm sit quòd recipitur in alijs compositionibus) hanc

confe

confectionem deesse in maiori parte exemplarium. Etenim necessariò debet adesse. Ramich autē (prout coniectare potuimus) idem significat quod res stiptica, scilicet cōpositio rerum stipticarum &c. Nam modi faciendi Ramich plures sunt, vt habentur apud Serap. & Bulchasim &c. Sed in cōpositionibus filij Mesuæ, suo ramich debemus vti. In interpretationibus Bellunēsis autē, legitur Ramech. Et similiter in secūdo cañ. Auicēnę, capitulo proprio. Sed in quinto cañ. ipsius, in pluribus cōpositionibus in quibus recipitur, legitur, ramich. Consimiliter est in libris Hali filij Abbas, scilicet ramich, & ramech. Et in nono Rhasis ad Almāsorem, cap. de casu vueæ, legitur. Et in eius expositionibus, sic habetur: Ramech confectio est de qua fit gallia. Pandectarius quoque in capitulo ramich, habet & rimich. Ergo ramech, ramich, & rimich, sunt vnum & idem, & accipitur pro confectione ista. Rimech autē, siue aricmech, siue arimec (quod rectius putamus alrimech) secundum dictum Pandectarium, herba est nascens in parietibus, habensque odorem cinnamomi, desiccatiua & consolidatiua vlcerum &c. Quam quidem herbam adhuc ignoramus.

Ramich. *Rimech.*

Confectio trochiscorum de rheubarbaro &c. CCXLVI.



PER cuncta nēpe antiqua exēplaria præsens descriptio trochiscorū de rheubarbaro, locatur ante descriptionem trochiscorum de camphora. Et sic visum est nobis in nostro libello describere. Est præterea in præsenti descriptiōe per impressos codices vnum mendū. Videlicet, vbi legitur: Amygdalarum amararū 3.iiij. legendum est verius 3.ij.s. vt habetur in omnibus ferè præfatis exēplaribus. Auicēna in quinto cañ. & Hali Abbas in decimo practicæ habent vnā descriptionem trochiscorum de rheubarbaro. Rhasis autē in antidotario diuisionū, cap. de medicinis hepatis, habet duas descriptiones. Item ipse Rhasis in nono ad Almāsorē, capitulo de dolore hepatis: sub titulo de raued, habet vnam aliam descriptionē. Et similiter filius Serap. in 7. habet suam descriptionem, sub titulo de raued. Omniū tamē præfatorum descriptiones, sunt in pluribus differētes ab ista Authoris nostri. Raued enim & Rheubarbarū idem est. Sed aliquando variatur titulus compositionū, ad maiorē declarationem differentiarum ipsarū: vt suprà etiam sunt trochisci diarhodō, & trochisci de rosis, & infrà pilulæ de raued, & pilulæ de rheubarbaro &c. De raued autem, & rheubarbaro, dicetur in pilulis de rheu-

Raued & Rheu

barbaro. Præterea sunt aliquæ cõpositiones,& trochiscorum,& pilularum &c.in quibus Author subticuit liquorẽ cum quo excipiẽdæ sunt,vt est præsens descriptio,& cõfectio trochiscorum de lacca,& cõfectio trochiscorum Hamech,& descriptio secũda pilularum alandahal,& pilulæ ad omnes morbos catarrhi,& pilulæ de Serapino &c. Iuniores autẽ,vt Luminare Maius,& cæteri,declarant quòd isti trochisci excipiendi sunt eupatorij succo. Sed nescimus an ipsi intelligant alium succum eupatorij recẽter extractũ: quia cum notato in descriptione non potest fieri: quia succus eupatorij,absynthij,liquiritiæ,& cõsimiles,quando in huiusmodi & similibus compositionibus recipiuntur,semper condensati ponendi sunt.Filius Serapionis, Auicẽna,& Rhasis similiter,vt Author noster,subticuerunt liquorẽ.Hali Abbas autẽ in sua descriptione præcipit vt cõficiantur cum simplici aqua. Vnde potest coniectari,quòd Authores dimittunt huiusmodi confectiones,ad libitum cõficientis,& parum æstimant si cum aliquo liquore(non contrario supple)vel cum aqua pura conficiantur. Veruntamen omnes compositiones debent fieri eo meliori modo quo possint,& magis expedit infirmantium curis.

Confectio Trochiscorum de camphora &c. CCXLVII.



IN præsenti descriptione per plura antiqua exemplaria, liquiritia & spodium vno concluduntur ana.Et similiter crocus,& semina communia &c. alio conclusa sunt ana. Quodquidẽ nobis visum est melius,& ita rescripsimus. Filius Serapionis in 7.habet vnam descriptionem trochiscorum de cãphora. Et Hali Abbas in decimo practicæ duas. Auicenna autem in quinto cañ. quinque ponit descriptiones. Rhasis verò in nono ad Almansorem duas habet.Vnam videlicet,capitulo de tremore cordis & alteram,capitulo de icteritia.Item in decimo ad eundem,capitulo de febre Ethica,vnam aliam. Et in antidotario diuisionum, capitulo de medicinis hepatis,vnã aliam descriptionem habet. Sed omnes differunt ab ista Authoris nostri. Per gummi autem simpliciter scriptũ quid sit intelligendum,lege in lohoc alio nostro de intentione hac.

De Camphora.

CAmphora,siue champhora,siue canfora,siue per k, kanfora,kafor,& alia plura, vnũ & idem significant. Res quidem nobis minus,quàm semi nota. Tum,quia ignoramus veram originem

ginem eius, tum etiam quia Authorum opiniones de ipsius qualitatibus contrariantur ad inuicem, scilicet quòd aliqui, vt Serapio, Auicenna & cæteri, dicunt ipsam esse gummi, seu resinā, aut pinguitudinem medullarem quarundam arborū, & infrigidare ac desiccare in tertio gradu. Alij autem, vt Auerroïs & cæteri, asserunt ipsam in mari nasci, & esse calidam & siccam in secundo. Imò etiā ipse Auerrois in quinto Colliget, dicit ambrā esse speciem camphoræ, quæ oritur in fontibus maris &c. Rhasis autem in tertio ad Almansorē scribit camphoram esse frigidam & humidā. Sed & Platearius dictus circa instans testatur illā frigidam & siccam in quarto, & quòd est succus herbæ, & non gummi arborum, neq; res marina. Item Bellunensis in suis interpretationibus ait: Aqua camphoræ, secundū Arabes, est aqua quę fluit ex arbore producente camphoram. Et talis aqua, & similiter eius arbor, sunt calida in tertio, & camphora est frigida, vt omnes affirmāt. Ecce in quo scopuloso pelago nos velitare oportet. Res etenim ipsa (si non est factitia) videtur nobis esse vnum ex nobilioribus medicinæ simplicibus. Et potius tenemus cum Serapione & Auicenna, esse arborum gummi, quàm cum alijs contrarium asserētibus. De camphora enim qua vtimur, loquimur. Si autem apud ipsos præfatos Authores erat alterhuiusmodi camphora, hoc equidem fatemur nos ignorare. Ista nempe (vt diximus) vel sit vera cāphora, vel non, res est tam nobilis, quæ si non asseruatur diligentius, euanescit, & annihilatur. Quodquidem pluries experti sumus. Sed vtrum hoc procedat à frigiditate, vel caliditate ipsius, videlicet vtrum sit ipsa frigida vel calida, est potius medici, quàm aromatarij perscrutari. Ipsa autē camphora quanto albior, clarior, purior, & odoratior est, tanto melior.

Ambra camphoræ species.

Aqua camphoræ.

Camphoræ optimæ notæ.

Confectio trochiscorum de spodio &c. CCXLVIII.

Confectio Trochiscorum de spodio, cum semine acetosæ &c. CCXLIX.



QVATVOR semina quæ sunt in prima istarum descriptionū, sunt quatuor semina cōmunia maiora frigida, scilicet melonis &c. quæ etiā speciatim in immediatè suprascripta confectione trochiscorū de camphora, sunt posita, & alibi de quibus in superioribus satis diximus. Ponitur hæc prima descriptio trochiscorū de spodio ab Actuario, in libro de medicamētorum cōpositiōe, sub titulo: Pastilli de spodio. Sed differt in aliquibus:

& loco mucilaginis psyllij, habet succũ psyllij &c. Abbas autẽ in x. practicę, habet tres huiusmodi descriptiones, & in duabus recipitur semẽ hermazi, siue (vt putamus rectius) hemazi, quod à pluribus res acetosa interpretatur. Vnde semẽ hemazi, id est semen acetosæ. Auicẽna in v. cañ. duas habet: quarũ vna est cum semine acetosæ. Filius Serapionis quidem ponit tres descriptiones, & vna ex ipsis similiter est cum semine acetosæ. Rhasis verò in nono & x. ad Almansorem, & in antidotario diuisionum, in pluribus capitulis plures habet descriptiones, & cum semine acetosæ, & sine eo, omnes tamen sunt differentes ab istis filij Mesuæ. De spodio dictum est in Diarhodon descriptione communi.

Hemazi.

Confectio Trochiscorum de berberis &c. CCL.
Confectio alia Trochiscorum de berberis &c. CCLI.



ER aliquas excusiones in prima istarum descriptionum mendosè legitur: Seminis citrulli ʒ.iiij. s. Lege rectius ʒ.iij.s. vt cuncta exẽplaria, ac etiam nonnullæ impressiones habent. In Nicolao Præposito autem legitur ʒ.iij. & similiter est nõ rectè. Actuarius quidem habet pastillum ex oxyacãtha, quod idem est quod trochiscus de berberis, sed differt in pluribus ab istis. Filius Serapionis quidem in 7. habet tres trochiscorum de berberis descriptiones. Auicenna autem in quinto cañ. septem. Hali Abbas verò in x. practicæ, vnam. Rhasis quoque in nono ad Almansorem, cap. de dolore hepatis, vnã. Et in antidotario diuisionum, cap. de hepate inflammato, similiter vnã. Omnes autem differũt inter se, & ab istis Authoris nostri. De berberis dictum est suprà.

Pastilli ex oxyacãtha.

Confectio Trochiscorum de absynthio &c. CCLII.



EGITVR in fine præsentis descriptionis, & similiter in fine duarum sequentium: Da cum succo herbarum. Et non specificatur de eis, quænam sint ipsæ herbæ. Declarant autem aliqui (quorum vnus est Christophorus de Honestis) quòd debent esse illæ herbæ quæ habentur in ipsis trochiscorum descriptionibus, scilicet eupatorium, apium, anethum &c. Quod quidem multis non placet. Nõnulli autem (& forsan melius) dicunt, illas herbas esse, è quibus excipitur succus pro syrupo bisantino conficiendo: quod nobis quidem magis consonum videtur. Et ratio hæc est, ob quam putamus Authorem intellexisse de

Succus herbarum absolutè.

de eis. Nam scripserat suprà ipse Author modum syrupi acetosi de succis herbarum, & syrupum acetosum de succis herbarum cum aromatibus, & modum infusionis de succis herbarũ, in quibus satis ipsas herbas specificauit, tanquam pro exemplis ad quæ sit postea recurrendum, pro omnibus alijs in quibus non speciatim scribuntur. Igitur hæ sunt herbæ ex quibus, vel omnibus, vel ex parte, accipiendus est succus pro huiusmodi trochiscis conficiendis. Endiuia videlicet, apium, lupulus, borago, buglossa, & fœniculum. Quæ omnes in præfatis compositionibus de succis herbarum habentur. Etiam dictus Christophorus, contra authoris intentionem, docet pro succis, sumere aquas sublimatas: quod omnino non debet fieri. Sed succi accipiendi sunt prius tamen depurati. Habet enim filius Serapionis in 7. vnam trochiscorum de absynthio descriptionem. Auicenna autem in v. cañ. duas, quarum secunda in multis conuenit cum ista Authoris nostri. Hali Abbas etiam in x. practicæ, duas ponit, in quibus recipitur absinthium græcũ: omnes enim aliqualiter differũt ab ista. Scribitur etiamnũ & ab Actuario in de medicamentorum compositione. Pastillus amarus, cuius descriptionis simplicia omnia sunt in ista descriptione filij Mesuę: non obstante quòd ipse filius Mesuæ præter illa, habeat alia plura simplicia in ipsa descriptione. Possumus ergo dicere, quòd ille est pastillus, scilicet trochiscus absynthij ipsius Actuarij. Dicitur autem amarus, ab amaritudine absynthij, & amygdalarum amararum ingredientium.


Confectio Trochiscorũ de eupatorio &c. CCLIII.



NA duntaxat excepta, omnes impressiones quas vidimus, mendose habent in præsenti descriptione: Tereniabin, succi eupatorij, ana ℨ.j. Legẽdum est autem rectius, ana ℥.j. Vt cuncta exemplaria, & Luminare Maius, & cæteri habent. Ponit nempe Actuarius suũ pastillum de eupatorio, sed lõgè differt ab ista descriptione. Auicenna etiã in quinto cañ. habet vnã descriptionem similiter differentem. Ioannes Serapionis quoq; in 7. habet suam descriptionem, cuius titulus est: Trochisci auctrion: & est eupatorium, sed non est similis huic. Hali Abbas etiã habet vnam descriptionẽ, cuius inscriptio est: Gafeti trochisci. Gafeth enim idẽ est quod eupatoriũ. Sed neq; ipsa cõuenit in omnibus cũ ista filij Mesuæ. Succus autẽ eupatorij accipiendus est ex eupatorio ab ipso Authore descripto. Lege de eo in syrupo de eupatorio. *Gafet quid.*

Con

Confectio Trochiscorum de aniso &c. CCLIIII.
Confectio alia Trochiscorum de aniso, & sunt trochisci de decem medicinis &c. CCLV.



RIMA istarum confectionũ scribitur à filio Serapionis in 7:& ab Auicenna in quinto sub hoc titulo, scilicet trochisci de aniso. Secũda autẽ ponitur ab eisdẽ sub alio titulo. Et hîc est: Trochisci de decem medicinis. Quod etiam Author noster notauit in sua, cùm dixit: Et sunt trochisci de decem medicinis. Veruntamen differũt inter se in quibusdã paucis ipsę descriptiones.

De Aniso.

NOtissimũ est Anisi semen, & ipsius herba à multis nõ ignoratur: quia pluribus Italiæ locis, sicut & in multis alijs prouincijs seritur. A Dioscoride Creticum magis commendatur. Auicenna autem Romanum laudat: vocatq; ipsum fœniculum Romanum. Hispanicum verò est deterius, secundum Serapionẽ. At Platearius refert anisum, alio nomine vocari cyminum dulce. Loco eius, secundum Auicennam, carui ponitur.

Anisi loco quid sumendum.

Confectio Trochiscorum de lacca &c. CCLVI.



IMPLICIA præsentis confectionis per nõnulla exemplaria scripta sunt cum ana ℥.ij. Et nihil refert. Quia cùm sint omnia simplicia vnico conclusa ana, per plus, vel per minus, nihil impedit posse scribi. Imò partes æquales, esset melius scribere. & sic habet filius Serapionis. Laccæ mundatæ, scilicet ablutæ. Vbi notandum quòd secundum plurimorũ opinionem, lacca medicinis non est admiscenda, nisi abluta. Et sic semper debet intelligi, cùm absolutè legitur lacca. Præterea scribũtur trochisci de lacca, à filio Serap. in 7. ab Hali Abbas in x. practicę, à Rhasi in nono ad Almansorem, cap. de dolore hepatis: & in antidotario diuisionum, cap. de medicinis hepatis: & ab Auicenna in quinto cañ. duplices. In nulla tamen ipsarum descriptionum ponitur, cum quo liquore sint excipiendi, seu informandi ipsi trochisci: quia neque Author noster (vt suprà diximus) in hac sua notauit descriptione. Ex iunioribus autẽ nonnulli dicunt conficiendos esse cum vino. Alij autem, vt Luminare Maius in Dialacca magna, & in presenti descriptione, cum decoctione aristolochię, & squinanti, scilicet cum ea decoctione cum qua abluitur ipsa lacca.

Lacca absolutè.

lacca. Et alij opinantur debere fieri cum decoctione, vel succo absynthij, seu eupatorij, vel apij, vel alterius rei inibi descriptæ. Quorum opiniones nec approbamus, nec reprobamus. Melius tamen nobis videtur, si consulatur medicus in his & similibus accidentibus. Lege etiam de hoc in trochiscis de rheubarbaro. Et de lacca, & eius ablutione, vide in Dialacca magna.

Cōfectio Trochiscorū de terra sigillata &c. CCLVII.



ARO præsens descriptio temporibus nostris habetur in vsu. Et (vt patet in litera) est de inuentione ipsius filij Mesuæ. Rhasis quidem in nono ad Almansorem, cap. de sanguinis proiectione cum sputo sine vomitu, habet vnam descriptionem, & eandem habet in antidotario diuisionum: videlicet, in fine capituli de medicinis tussis, & asthmatis &c. differt tamen ab ista. Ab Actuario etiam scribitur pastillus sphragis, id est sigillum cognominatus: quod est idem quod trochiscus de terra sigillata. Sed multùm differt ab ista descriptione. *Pastillus sphragis.*

De sanguine Draconis.

SApientissimè equidem Antonius Musa Brasaulus de sanguine Draconis pertractauit. Vnde in rei veritate, nec sanguine draconum, de quo Plinius cap. 7. libri trigesimitertij loquens, asserit esse sanguinem draconis, scilicet animalis, elephantis sanguine permistum &c. qui & cinnabaris dicitur: non obstante quòd cinnabaris de pluribus dicatur æquiuocè: neque sanguine draconis Serapionis (qui est herbæ achilleæ, scilicet millefolij succus, de qua herba Dioscorides sub nomine sideritis loquitur) vtimur, sed in sequenti vsu duæ res pro draconis sanguine, venales habentur: de quarum nulla, adhuc probum Authorem pertractantem legimus. Et vna ipsarum (quæ iudicio nostro est deterior) Venetijs & alibi factitatur, ex sorbis contusis, bolo non armeno, & caprarum siue hircorum sanguine, alijsq; diuersis rebus, & placētarum more partes formatas, furno seu clibano, aut sole desiccant: quod & tetigit Plinius in præcitato loco. Vtplurimum tamen in equorum & similium medicaminibus, his placentis vtuntur. Licet multos non pudet ad humanorū corporum vsus eas quandoque administrare. Altera res est succus, & lachryma quarūdam magnarum arborum, in insulis Lusitanorum nuper inuentis copiosè nascentium. Huiusmodi etenim plantarum surculum (mercatore quodam amico nostro mediante) Romæ

Cinnabaris. *Sideritis.* *Sanguinem draconis supplentia.* *Lachryma sanguinis draconis.*

viren

virentem habuimus, quem diligenter plantauimus, sed haud creuit. Vlysiponæ autem vidimus ingentissimas huius generis arbores. Sunt nempe tanquam columnæ, vnicæ cimaturæ, more dactylorum, seu palmarum, absque ramis. Folia sunt eis simillima spatulæ fœtidæ, crassiora tamen. Cortex verò arboris est subcinericius, & vnà cum tota arbore rubri succi plenus. Scarificataq; arbos tempore congruo emittit lachrymas sanguineas, quas more gummi condensatas abradunt è cortice incolæ, nec vilius vendunt. Multi etiam lignũ eius frustatim incisum ebullire faciunt, decoctionemq; huiusmodi igne aut sole condensant &c. Vtrunque enim sanguinem draconis appellant. Sed longe melior est lachryma, seu succus collectus, ligni decoctione. Si verò hic sanguis draconis arboreus æquipolleat sanguini draconis verò, scilicet cinnabari præfato, vel succo herbæ achilleæ sideritis (qui est sanguis draconis Serapionis) nescimus. Sed melius putamus esse, *Sideritis succus quid supleat.* vti succo dictæ sideritis (dummodo textus Serapionis non sit eo in loco deprauatus, seu malè trãslatus) vel vti succo lactucæ cum authoritate Auicennæ, quàm alia re, absque vllo Authorum testimonio. Lege Brasaulum. Auerrois autem in quinto Colliget, ponit sanguinem draconis, cap. de mineralibus, intelligẽs (vt putamus) pro sanguine draconis, cinnabarim mineralem.

De Ipoquistidos, & Ephystidos, siue heuphistidos &c.

Licet pro recto genitiuus scribatur, & proferatur, ac indeclinabiliter habeatur ipoquistidos, quod rectius hypocistis est: *Hypocistis.* tamen semper intelligitur in Arabum libris pro fungo: siue cytino nascenti ad radices plantæ barbæ hircinæ, vel pro succo ipsius fungi. Barba hircina Latinè, Græcè autem cistos dicitur. Heuphistidos autem, vel henfistides, vel similia multa, quæ suprà, scilicet in modo cõfectionis iacur notauimus, nõ est ipoquistidos, vt plurimi ex iunioribus credunt, ac decipiuntur. *Barba hircina. Hẽfistides.* En aperte probatur per præsentem confectionem, in qua vtrunque recipitur. Et non putet aliquis esse mendam in litera: quia cuncta exemplaria antiqua manuscripta (nullo penitus descrepante) similiter habent. Vnde malè fecerunt nonnulli, qui ab ista descriptione deleuerũt vnum ipsorum, scilicet henfistides, quod debet esse, & admodum conuenit huic confectioni. Igitur henfistides (siue vt mauis heiufistidas, vel alteriusmodi consimile appellare) est succus foliorum & florum dictæ plantæ barbæ hircinæ, apud Arabes: & non succus fungi præfati, qui apud ipsos ipoquistidos dicitur. Musa Brasaulus etenim super hoc non rectè dicit Auicennam non cognouisse *Brasauli malum de Auicenna iudicium.*

gnouisse quid esset: quia fecit tria capitula de eo in secundo cañ. scilicet capitulum de barba hircina, capitulum de hensistides, & capitulum de tarathit. Vbi videndum, quòd Auicenna non malè fecit, cùm de diuersis diuersa scripsit capitula. Nam in capitulo de barba hircina, loquitur de planta in generali: in capitulo autem de hensistides, tangit tantummodo succum ipsius plantæ: & in capitulo de tarathit, pertractat de fungo radicis eius. Non obstáte, quòd aliquãdo accipiatur hensistides, siue heusistides (quod idem est) pro ipsa planta. Vt apud Hali filium Abbas in secundo practicæ, cap. 34. dicenté. Lichieebat, vel Leieeltẽ, quæ Græcè Eusistides &c. Similiter & Serapio in vno met cap. de prædictis succis, scilicet de succo plantæ, & de succo fungi, distinctè loquitur. Item in synonymis Serapionis legitur heisistides, id est succus plantulæ, quæ dicitur planta hircina. Item præfatus Auicenna in quinto tractatu secundæ summæ quinti cañ. habet tres trochisco rum descriptiones conferentes ad sputum sanguinis: quarũ prima habet magnam similitudinem, & conuenientiam cum ista filij Mesuæ. Et in sexto tractatu eiusdem secundæ summæ, cap. de intestinis habet aliam descriptionem, cuius titulus est: Trochisci alfenginati. In quibus omnibus legitur speciatim: Succi barbæ hircinæ, scilicet plantæ. Vbi autem voluit succum fungi, scripsit ipoquistidos. Similiter filius Serap. in 7. habet plures trochiscorum descriptiones conferentes ad profluuium & sputum sanguinis: & aliquæ ipsarum in multis cõueniunt cum ista filij Mesuæ, in quarum pluribus est specificatè positum: Succi barbæ hircinæ. Sed clarius ibi, in descriptione trochiscorum de arsenico Albbambd: & in alia immediatè sequenti, cuius titulus est: Trochisci conferentes ad excoriationem, & solutionem &c. in quibus legũtur ambo immediatè in his verbis. In prima videlicet: Succi Altharathit: aut succi barbæ hircinæ. In secunda autem: Succi altharathit: & succi barbæ hirci. Igitur vterque succus, condensatus supple, scilicet succus plantæ, & succus fungi ponendus est in præsenti trochiscorum cõfectione. Et sic semper pro hensistides, seu pro succo barbæ hircinæ, intelligendus est succus plantæ, & non fungi. Veruntamen in defectu vnius, per alterũ est supplendum. Etiam loco ipsorum, acacia, & quædã alia succidanea, quæ notantur ab Auicenna in fine capituli tharathit, possunt substitui. Sed nota quòd fungus barbæ hircinæ, licet sub nomine fungi appelletur: tamen formam aliorum fungorum nõ sequitur. Vnde rectius nobis videtur debere dici Leoncistis: quia similibus est leoni *Leoncistis.*

leoni fabarum,& cæterorum leguminum, qui Græcè Orobanche dicitur: vulgò autē flammula,& sporchia appellatur. Quæquidem flammula, radicibus plantarum leguminum annascens, necat eas. Et in hoc differunt inter se fungus cisti & flammula, scilicet quòd ipse fungus non interficit plantam cisti: quamuis non credimus ipsam plantam sine aliqua sui læsione generare ipsum fungum. Et non in omnibus plantis sui generis reperitur. Nec attollitur ipse fungus, vt flammula, rarissimè dodrantalem transcendit altitudinem.

Flammula. *Cisti fungus in quo differt à leone leguminũ.*

De Sedenagi.

PRo Sedenagi, vel sedenegi (quod putamus rectius) intellige in præsenti descriptione semen cannabis. Lege de hoc suprà in secunda distinctione.

De Bolo Armeno,& Terra sigillata.

Lutũ Armenum.

ENimuero nostra tēpestate bolũ, siue lutũ Armenum penitus (vt verũ fateamur) ab omnibus Europæ incolis ignoratur. Quia pluribus de causis ex Armenia amplius non defertur. De vero bolo armeno loquimur. Quoniam plurimum apportatur bolum ex Apulia,& Germania, alijsq; locis, & quodlibet ipsorũ abusiuè bolum armenum ab Apothecarijs nuncupatur. Necnon & pro bolo armeno vero, talia atque alia diuersa rubricarum genera in medicis compositionibus administrant. Quæquidē nunquàm Armeniam maiorem, nec minorem viderunt. Vnde quodlibet ipsorum pseudo, siue adulterinum bolum armenum rectius vocari licet. Singulatim autem, aliud bolum Apulum, aliud verò bolum Germanicum &c. Præterea paucis ante annis Venetias deferri iam cœpit aliud bolum, quod vocant bolum armenũ finum,& bolum Orientale. Sed vt diligētius probat Brasaulus, neque ipsum est armenum. Imò (vt ipse etiam testatur) est lutũ lemnium, scilicet terra lemnia, non sigillata, id est illa de qua sumitur vt sigilletur. Quæquidem terra sigillata vera, terra lemnia est,& varijs temporibus varijs fuit munita sigillis. In præsentiarum autem turchico sigillo imprimitur. Vidimus etiã plures alias pseudo terras sigillatas: videlicet, aliam cineritiam, lutum figuli admodum imitantem, aliam rubram, ex pseudo bolo alijsq; rebus factitatam &c. Præfata tamen, quæ turcharum sigillo munita, ex Lemno insula comportatur, nihil differt à supradicto vocato bolo armeno fino, præterquàm in quadam arenula quam habet: quam arenam (vt fertur) non nisi causa retinendi sigilli impressionem, ipsi terræ admiscent: vnde & subalbior est ipso præfato bolo:

Lutum lemnium.

bolo:quod bolum nihil penitus habet arenosi, sed totũ in ore,vt butyrũ liquescit.Lege super his Brasaulum.Non obstante etiam, quòd nõnulli qui ex Constantinopolitana ciuitate venerunt his diebus,asserant contrariũ,scilicet quòd hoc bolũ armenũ finum nuncupatũ,nõ sit terra lemnia,vt vult Brasaulus,sed quòd est verum bolũ armenũ ex Armenia deuectũ:quia nos ignorãtes veritatem,nõ tenemur potius ipsis,quàm Brasauli rationibus præsta re fidem.Loco terræ sigillatæ autẽ, administrare dictũ bolum finum,putamus esse melius: quia(vt dictũ est) pro certo tenetur, quòd sit ipsamet terra, purior supple, & sine arenula illa. Etiam pro vero bolo armeno in necessitatibus,dictũ lutũ,siue bolũ lemniũ subministramus.Reliquis autem pseudo bolis & adulterinis terris non vtimur,nisi in medicinis equorũ,& asinorũ,& similiũ. Igitur in præsenti descriptione, vel duplicetur pondus dicti boli fini:vel(si magis placebit)ponatur pro parte sua, terra sigillata fina &c.Item in carentia vnius,alterum est substituendum.

Terræ sigillatæ loco quid sumendum.

De Arnoglossa.

QVod Græcè Arnoglossa,vel arnaglossa (vt aliqui scribũt) dicitur:Latinè agni lingua,aut ouis lingua:vel inuersis dictionibus,lingua agni,& lingua ouis interpretatur. Arna enim Græcè,secundum Ioannẽ Ianuensem,agna Latinè dicitur.Et arnon Græci,Latini agnũ nominãt, & glossa linguã significat.Vocatur etiãnum Latinè plãtago:cuius species secũdum Diosc.duæ sunt,scilicet maior & minor. Maior enim notissima est,& vulgò appellatur septineruia, & multineruia. Quibus appellationibus correspõdent Græcè Heptapleurõ,siue Heptaneuron,& polyneuron.Minor autẽ est illa,quæ à multis Lãceola vocatur.Non obstãte quòd à Dioscoride hoc nomẽ,scilicet lanceola,secundũ Ioãnis Ruellij & Marcelli traductiones, lõchitidi adscribatur,& nõ plantagini.Author enim noster distinguit arnoglossam in amplã & longã.Vt probatur per ipsum in emplastro arabico,& alibi.Sed per amplã, intelligit plantaginẽ maiorem: & per longã,plantaginẽ minorẽ,scilicet lanceolã dictã. Est præterea & tertiũ genus plãtaginis,quod licet à Dioscoride nõ præcisè scribatur, verũtamen passim inuenitur Et est medium inter maius & minus,cuius folia sunt plana, in quibus singulis quinq; tãtùm sunt costæ. Quæquidẽ tertia species in quibusdã locis Italię,vt in Apulia,quinqueneruia nominatur. Et Calabri adhuc ex parte græcissantes,ipsam pentaneruia appellãt.Hãc itaq; speciẽ, notat Ioãnes Agricola Ammonius in primo libro suæ herbariæ

Agni lingua.

Ouis lingua.

Septineruia.

Lanceola.

Pentaneruia.

Arnaglossa absolutè. medicinæ. Sed vbi absolutè legitur (vt in præsenti descriptione & in similibus) semper de maiori intelligitur. Quãuis nulli dubiũ sit, aliã pro alia posse substitui. Demũ aduerte ꝙ pro huiusmodi quæ in præsenti descriptione habẽtur, & similibus aquis, intelligũtur succi, vel decoctiones, seu infusiones, & nõ aquę sublimatę, vt superius iã probauimus. Et similiter vbi dicit Author in præsenti descriptione: Da cum aqua spodij &c. intelligitur aqua infusionis ipsarũ rerũ. Nõ enim distillãtur spodiũ, gummi, bolũ armenũ & spica, quod quidẽ valde fatuũ esset & cogitare. Et quòd debet esse infusio, potest probari per vnã quasi similẽ trochiscorum descriptionẽ 7. Breuiarij filij Serap. cuius titulus est: Trochisci Ioanis, ad illũ qui spuit sanguinẽ. In cuius fine describit propinationẽ ipsorũ fieri cum aqua, in qua infusa sint spodiũ, & gũmi, & bolũ armenum, & folium. Sed Author noster loco folij, habet spicam, quæ potest poni in defectu ipsius folij. Et fortasse etiam sua tempestate, folium verum, scilicet malabatrum, vel malobatrum, sicut & nunc nõ deferebatur: quamobrẽ ipse in sua descriptione permutauerit, ponens pro eo æquiualens, & bonum.

De Virga pastoris.

SCiendum quòd Pandectarius errans ipse tribuit ansam pluribus iunioribus errandi. Quia in suo cap. quod incipit, Dipseus: duo capitula Serapionis immiscuit, scilicet capitulum 106. quod est de cardo dipsaco, scilicet de labro Veneris: & capitulum 351. quod est de Virga pastoris, scilicet de sanguinaria, seu polygono. Et ad authoritatem Serap. de dipsaco, ponit capituli titulum, Harsiharbai: addens quòd Latinè dicitur Virga pastoris. Quæ quidem verba in dicto 106. cap. Serap. (quod senii corruptè incipit Dibsacos, pro Dipsacos) minimè legũtur. Vnde (vt diximus) plurimi iuniores eũ sequuti, hallucinati sunt, putãtes dipsacum esse virgam pastoris: quod est falsum. Inter quos etiã Theodoricum Dorstenium in suo Botanico, & Leonardum, siue Germanicè Leonhartum Fuchsiũ, in suo de Historia stirpiũ, hallucinatissimos his diebus legimus. Qui etiam Leonardus falsissimè in hoc reprehendit Serapionis interpretem, cùm sit potius ipse carpendus. Item dictus Pandectarius ponit aliud capitulũ, quod incipit, Harsiarbai: vbi loquitur etiam de vtroq; polygono &c. Nam si credendum est Serapioni, & Auicennæ, magis quàm Pãdectario & ipsum sequutis, Virga pastoris nõ erit dipsacus siue dipsacum: sed sanguinaria, quæ & seminalis dicitur, scilicet polygonum Dioscoridis. Vt patet legenti capitula Dioscoridis de sanguin

Labrũ Veneris. *Polygonũ.* *Dipsacum non est virga pastoris.* *Leonharti Fuchsij error.* *Seminalis herba.*

guinaria mascula,& de sangninaria fœmina,& conferēti cap.Serapionis de Virga pastoris,quod incipit:Basialrahagi,id est Virga pastoris.In quo cap.ipse Serapio describit vtrūq; capitulum Dioscoridis de sanguinaria. Auicenna autem, licet non describat in suo cap.de Virga pastoris,liniamenta plantarum : conuenit tamen cum Dioscoride & Serapione,quòd est mascula & fœmina.Quodquidem non verificatur de dipsaco:quoniam nullus est qui scribat dipsacum inueniri masculam & fœminam. Item ipse Auicenna dicit masculam virgam pastoris esse fœmina fortiorem:quod sanè testatur per Dioscoridem in fine capituli sanguinariæ fœminæ.Item Bellunēsis in dicto cap.Auicēnæ,pro Virga pastoris,rescripsit in margine,Hassā alrhai:quod cōuenit esse idem cum basialrahagi quod est in principio capituli Serap.de Virga pastoris. Ergo capitulum Auicennæ de Virga pastoris,& capitulum Serap.de eadem,sunt vnū & idem,cum capitulis Dioscoridis de polygono. Igitur nulli dubium sit, virgam pastoris Arabum,esse polygonum Dioscoridis,& non labrum Veneris. Præterea admodum erit mente captus,qui dixerit huic cōfectioni magis competere dipsacum,quàm polygonū. Nam tota principalis intētio istorum trochiscorum(vt liquet in litera) versatur circa sanguinem restringendum. Atqui sanguinariam non solùm Dioscorides,Plinius,& cæteri famosi authores scribūt profluuium sanguinis vndecūq; sistere:verumetiam & omnes iuniores illud idem testantur. Vnde & sanguinaria dicta est. Labrum Veneris autem nullus est qui dicat huiusmodi facere. Ex quo sequitur,quòd virga pastoris Serapionis & Auicennæ, & cæterorum Arabum , cuius operationes & proprietates sunt eædem, quas Dioscorides,Plinius, & cæteri polygono tribuunt, & præsertim de sistendo sanguine,nō est labrum Veneris,scilicet dipsacum.Sed vere est ipsa sanguinaria. Etiā Auerrois in quinto Colliget scribit virgam pastoris intercipere fluxū sanguinis, à quacunq; parte veniat. Ergo &c. Sed quando absolute describitur, de mascula semper intelligitur. Animaduertendum autem quòd Plinius describit quatuor polygoni genera, & non satis clarè de eis loquitur. At per quartum genus, ponit illud polygonatum, quod vulgò fraxinella dicitur. De quo & Dioscorides immediatè post sanguinariam fœminam, cap.facit. Itém nota quòd virga pastoris, præter nomenclaturas à Dioscoride positas in cap. de polygono, vocatur alijs atq; alijs nominibus. Vnde hæc sunt ipsius synonyma, Arthis, Aspaltos, Carcineros, Centinodia, Chi-

Sanguinem sistentia.

Sāguinaria absolutè.

liophyllos, Cynochala, Clema, Cnopodios, Corrigiola, Chulmulum, Chulum, siue Cuculum, Heraclea, vel Heraclia, siue Herculea, Geniculata, Genitura herois, Lingua passerina, Millefolium, Myrtopetalos, Pedalion, Polycarpos, Polygonatos, Polygonia, Polygonum, Proserpinaca, vel Proserpinata, Sanguinaria, Seminalis, Stemphis, Thephis, vel Telphis, Teuthalida, Virga pastoris, Viticula, Vngu:s muris, Zarithea, & alia plura. Virga pastoris fœmina, scilicet sanguinaria fœmina etiam, vulgo à nonnullis dicitur Cauda vulpis, siue cauda vulpina &c. Vtraq; enim sanguinaria notissima est.

Cauda vulpis.

Confectio Trochiscorum de croco &c. CCLVIII.



OC sanè in loco, scilicet immediatè post descriptionem trochiscorum de Terra sigillata, per vniuersas impresiones desunt duæ trochiscorum descriptiones. Videlicet: Confectio trochiscorum de croco præsens, & confectio trochiscorum de arsenico sequens. Quasquidem in cunctis ferè exemplaribus inuenimus, & debent esse. Igitur descriptio trochiscorum de croco hæc est: Confectio trochiscorum de croco, conferens ad internos capitis dolores, & hemicraneam difficilem, & sahara vehementem. Recipe Croci aur. vij. s. Cholcothar aur. v. Aluminis, aur. viij. Myrrhæ spicæ, ana aur. j. s. Omphacij, calchadis, ana ʒ. j. s. Gummi, aur. ij. Fiant trochisci cum vino stiptico. Et cùm necesse fuerit dissoluatur vnus, cum aceto permisto cum aqua rosacea, & liniantur frons, & tempora. Si autem insomneitatem patitur, Opij aur. iij, addes. Hucusq;. Describitur etiam hæc confectio, in paucis tamen differens, ab ipso filio Mesuæ, authoritate Alexandri, in cura de Hemicranea calida. Item vnam aliam descriptionem habet in fine capituli de synanchia gutturis. Luminare Maius quidem describens trochiscos de croco Auicennæ (qui habentur in fine capituli de cura sodæ calidæ, quod est xj. capitul. secundi tractatus, primæ fen, tertij canonis ipsius Auicennæ. qui trochisci parum differunt ab istis) dicit dubitationem suam super his. Quia cùm sit, quòd ipse filius Mesuæ, in tractatu de soda frigida, citet hos trochiscos, in his verbis. Et eodem modo trochisci de croco dicti in antidotario. Ipse autem nusquam reperit eos. At nos quidem probamus per plura exemplaria, ipsos deesse in libris impresis. Vnde modo & dubitatio ipsius soluta est, & citatio authoris probatur vera. Quia defectus librariorum

non sunt authoribus imputandi librorum. Bartholomæus Montagnana quoq; in suo antidotario habet trochiscos de croco, differentes tamen ab istis.

De Croco.

CRocus, vel crocum, vtroq; genere legitur. Attamen aliqui faciunt differentiam inter florem & herbam, asserētes quòd crocus est flos, & crocum herba. Sed nos quidem in libris non paucæ authoritatis & optimæ latinitatis, vtroq; (vt diximus) genere inuenimus, tam florem, quàm herbam scribi. Reperitur etiamnum præter Cnecum, siue Gnecum (quod à nonnullis syluestre crocum dicitur) & aliud crocum syluestre, quod in montibus nascitur, satiuo simile, sed non colligitur: quia parum lucri colligentibus præstat, ob id, quia minima sunt in eius flore illa tria fila, quæ particulariter crocum esse dicuntur. In montanis pratis plurimum nascitur &c. Crocum autem, vulgò hodie quasi omnes, Arabico vtentes vocabulo, Saphranum, siue Zaffaranum vocant. Arabicè quidem (vt in Serapione legitur) Zahafaran dicitur. Notissimum est in Italia, & pluribus seritur locis. Sed ex his satiuum, & præcipuè Sulmonense magis commēdatur. In cornea pyside (vt Plinius scribit) optimè asseruatur. Platearius verò dicit seruādum esse crocum in sacculo stricto de corio, per quinq; annos. Etiam præfatus Plinius asserit crocū non solū melle, nulloq; dulci, scilicet consimili, vt iulep, sapa &c. Quodquidem experientia docuit nos esse verum. *Saphranū.*

De Colchotar & Calchade.

LOngum foret disputare de vitrioli (vulgò cuperosæ) generibus, siue speciebus, & res sanè parui momenti. Cùm sit, quòd ex omnibus speciebus altera pro altera potest substitui. Colchotar autem, & calchadis, siue calcadis, species sunt vitrioli: sed non sunt vnum & idem, vt nonnulli falsò putant. Non obstante etiam quòd interpretes aliquando pro calcitis (quod est calcadis) falsò interpretati non sunt colchotar, accipientes speciem pro specie. Et quòd non sint vnum & idem, non solùm probatur per huiusmodi trochiscorum filij Mesuæ & Auicennæ descriptiones, in quibus ambo recipiuntur: sed & per capitula ipsius Auicennæ, necnon & Serapionis. Vnde lege in secundo can. Auicennæ capitulum de atrimento, siue atramento: & capitulum de calchanto, & capitulum de colchotar, siue colcotar. Et in Serapione capitulum de vitriolo, & de calcantho, & reperies omnes vitrioli species. Quia quamuis parum differāt *Vitrioli consideratio.*

Cuperosa. inter se, attamen diuersæ sunt species. Cuperosa autem, idem est quod vitriolum. Pro colchotar igitur intellige vitriolum citrinum: & pro calcade vitriolum album, id est calcitim: Et pro calchāto vitriolum viride. Est præterea & quarta species, quæ corru-
Sori quid. pto vocabulo apud Arabes vocatur alsurix. Sori enim rectè dicitur, pro qua intellige vitriolum rubeū. Auicenna sic distinxit. Pro qualibet istarum specierū autem, vitriolum (quod vulgò Romanū cognominatur) administra. Et vel sit e Balneo regio (oppido non longè ab Vrbe sito, vbi hodiernis temporibus in magna conficitur copia: quod verius Romanū esse putamus) vel sit e Cypro insula, vel Germanū, vel aliūde, nihil aut satis parum, & non de eo curandū refert. Item sciendum quod cuperosa, seu vi-
Cuperosa duplex. triolum reperitur duplex, scilicet minerale, & artificiale. Sed minerale est melius, quàm factitium. Vnde dicit Serapio in chalcantho, seu calchanto: Illud verò quod fit artificialiter, est bonum ad faciendum encaustū scriptorū magis, quàm ad vsum medicinæ. Sed animaduertendū quòd mendosi codices multoties sunt causa impingēdi in errorē etiam & doctiores. Legitur enim (quamuis mendosè) in quinto Breuiarij filij Serapionis, capitulo videlicet trigesimoprimo, quod est de eruptione sanguinis ex matrice: in vnius pessarij descriptione, sic: Et sanguis draconis, & calcadis, & est chalcanthum, cuius color est viridis. Nam quando antiquatur, fit calchadis colcotar, & sumach &c. Igitur secundum istam descriptionē, omnia, nempe de calchade, calchanto, & colchotar cōfundūtur. Sed reuera est mēda in litera, quam non animaduertit Luminare Maius. Sic itaque rectius in vno exemplari (quod vidimus) legitur: Et sanguinis draconis, & calchadis, & calchanti (cuius color est viridis: nam quando antiquatur, fit calchadis) & colchotar, & sumach &c. Enimuerò ipse filius Serap. eo in loco non dicit quòd calchadis sit chalcāthum viride, quod est falsum: neq; quòd calchadis sit colcotar, quod etiā est falsum, & contra Auicēnam aliosq; Authores asserentes chalcadem esse album &c. Sed volens ibi tres vitrioli species, scilicet calchadis, chalcanthi, & colchotar, scripsit primā: Et chalcadis. Hinc secundam, & chalcanthi. quam speciē declarās, subsequutus est: Cuius color est viridis. Moxq; adiunxit proprietatē ipsius, dicens: Nam quando antiquatur (supple ipsum chalcanthū) fit chalcadis. Hinc adducit cum copula, tertiam vitrioli speciem, scribēs: Et colchotar. Sequensq; suam pessarij descriptionem, dicit: Et Sumach. & cætera vsque in finem. E. sic ipse filius Serapionis non est contrarius

rias Auicennæ: imò ad literam illud idem scribit. Vnde sciẽdum quòd calchadis est vitriolum antiquatũ, quod ex temporũ diuturnitate album effectum est, quasi ad hominis similitudinẽ, qui senescens canos producit. Calchadis pro chalcitis, corruptè Arabicè scribitur. Nam chalcanthum, secundum Galenum, teste Hermolao, corollario 950. tempore in chalcitin lapidẽ mutatur. Alij autem aliter de hoc non rectè scribentes, confundunt plura & pro chalcuantos, quandoque chalcanthum intelligunt, & econtra. Cum chalcuanthos, siue chalcanthos minus rectè, aut per syncopam, fit aliud à vitriolo chalcantho. Chalcuanthos enim non vitriolum: sed flos æris est. Lege Hermolaum. *Calchadis.* *Chalcuanthos.*

De Alumine.

ALuminum scitur quòd plura sunt genera. Sed quando absolutè (vt in ista descriptiõe) reperitur, de Alumine Roche cognominato intelligitur. Quodquidem ex quibusdam quasi lapidibus, prius tamen in fornace calcinatis, deinde per ebullitionem &c. arte paratur. Et hoc notissimum est. De omnibus autem aluminum generibus, lege Brasaulum. *Alumẽ absolutè.*

Confectio Trochiscorum de arsenico &c. CCLIX.



HAEC est altera Trochiscorum cõfectio quæ non inuenitur in impreßis libris. Cuius descriptio (vt habetur in maiori exemplarium parte) sic est: Cõfectio trochiscorum de arsenico. Et sunt boni ad excoriationem, & dysenteriam, & ad herpetẽ. Accipe arsenici citrini ℥.j. calcis non extinctæ ʒ.xij. acaciæ (chartarum combustarũ) fecis aceti adustæ, aluminis, balaustij, ana ʒ.ij. colchotar, floris æris, ana ʒ.v. Terãtur cum aceto, & fient in sole per dies x. & fiãt trochisci, & reponantur in vase vitri, & stringatur os eius, & ponatur vas in vase vbi fuerit acetum. Et sunt vltimi. Et quãdo inuitat neceßitas, ponũtur in eis opij ʒ.iiij. Hucusque. Veruntamẽ ipsam descriptionẽ in dictis exemplaribus inuenimus variatã in vno, videlicet quòd aliqua habẽt, chartarũ combustarum: & aliqua eo in loco, Tartari cõbusti. Quod autẽ melius, vel rectius sit, haud diffinire audemus. Posuimus tamẽ chartarum combustarũ: tum quia maior numerus erat ipsorũ taliter habentium, tum etiã quia Ioannes Serapionis in duabus trochiscorum de arsenico descriptionibus, quarũ tituli sunt: Trochisci de arsenico Albbambd. & Trochisci cõferẽtes ad excoriationẽ, & solutionẽ &c. habet similiter chartas cõbustas, & non tartarũ.

In tertia autē descriptione, quæ post præfatas sequitur, cuius titulus est: Trochisci qui dicuntur sotira. ipse Ioānes nihil horū habet. Item Hali Abbas in decimo practicæ habet, trochiscos de arsenico, in quibus similiter recipiuntur chartæ cōbustæ. In nulla quippe prædictarū legitur penitus tartarū cōbustum. Vnde coniectauimus verius esse chartarū cōbustarum, quàm tartari combusti legendum. Sed nolentes nos in totum delere tartari combusti, quoniam est suspicandum in ipso, ob id quod sequitur post ipsum, scilicet fex aceti adusta, quæ quasi eiusdē proprietatis dici potest: ac etiam quia in descriptione huiusmodi trochiscorū in Nicolao Præposito legitur (forsan in suo exēplari sic erat) ideò nos cum signo in margine à fronte notauimus: vt si cuipiam vel melius videbitur (de perito loquimur) valeat permutare ipsa. Consulimus tamen, vt vtrunq; simul in textu non scribāt: ne fortè in futuro alicui in errorem ducantur, putantes vtrunque recipiendum esse in ipsa descriptione. Præterea habet & Auicenna in quinto canone trochiscos recipientes arsenicum, quorum inscriptio est: Trochisci Andromachi conferentes ad expulsionem sanguinis. Rhasis quoque in nono ad Almansorem, cap. de gingiuis sanguinolentis, habet vnam descriptionē. Et in antidotario diuisionum, cap. de medicinis ad fœtorem oris, habet aliam: & cap. de medicinis tussis, & asthmatis habet aliam. Omnium tamen descriptiones differunt ab ista filij Mesuæ.

De Arsenico.

ARsenicum & auripigmentum idem est, vt per omnes Authores probatur. Dioscorides quidem duo arsenici genera facit. Alterum aureum, hoc est citrinum: alterum verò pallidum, glandis figuram imitans. Scribit etiamnum & sandarachā, quæ est eiusdem materiæ, ac in eisdem fodinis colligitur. Vnde & tertium genus ipsius arsenici dici potest. Vel (si mauis) dices arsenicum, scilicet auripigmentum, esse sandarachæ speciē. Quod nihil facit ad rem. Et sic erunt tres sandarachæ species. Sandaracham autem intelligimus mineralem, de qua Dioscorides, Galenus, Paulus, Plinius, & cæteri probi Authores loquuti sunt, non autem gummi iuniperi, quod etiam Sandaracham, & vernicem vulgò appellant. Serapio nēpe illud idem (quamuis non ita clarè) vt Dioscorides scribit, & sandarachā sub nomine auripigmēti rubei pertractat. Auicenna similiter cap. de arsenico, in secūdo canō. tria genera notat, scilicet album, citrinū & rubeum. Sed putamus pro albo intellexisse quod Dioscorides asserit esse pallidum.

Sādarachæ cōsideratio.

Vernix gūmi.

dum. Et pro rubeo, sandaracham antiquorum designat. Vnde dicit: Et suo odore similatur odori sulphuris. Quam notam sandarachæ tantùm Dioscorides tribuit. Sunt præterea duo alia genera, quorum alterũ absolute arsenicum nominãt, quod est album. Alterum verò risagallum vocãt, quodquidem est venatũ, discolor, scilicet subcitrinũ, & album. Quæ duo genera putãt plurimi esse factitia, scilicet ex auripigméto, & sandaracha, per sublimationé. Musa Brasaulusauté asserés eos (qui ita putãt) hallucinari, probat ipsa mineralia esse. Legito apud ipsum, quoniam super hoc probe scripsit. Non obstante quòd (vel librariorũ errore, vel imprudentia ipsius Authoris factũ sit) legatur ibi Serapioné in suo capitulo de auripigméto, quod incipit, Narneth, tetigisse arsenicum album: quoniã illud (vt legenti patet) non probatur esse verũ. Bene auté ipse Serapio (vt putamus) videtur tãgere risagallum, cùm dicit quòd est laminosum, habés laminã super laminam. Igitur pro arsenico citrino, quod recipitur in præsenti descriptione, non est sumendũ risagallum præfatũ, vt nonnulli ex iunioribus dicunt, sed optimũ auripigmentum citrinũ: & in eius carentia vtitor sandaracha, quæ est verũ auripigmentũ rubeum, siue arsenicum rubeum, quodque inter citrinum sæpe reperitur. Et ex eo excerptam, in nostra officina sandaracham asseruamus. De Sandaracha gummi autem, in oleo de iunipero dicetur. Modus verò comburendi arsenicum, atque sandarachã, & huiusmodi similia, à Dioscoride & alijs pluribus clarè describitur.

Risagallum.

Auripigmẽtum citrinũ quid supleat.

De Calce.

EX omni lapide siliceo potest fieri calx. Et quanto durior est lapis, tanto calx fortior est. Ex lapide marmoreo mitior habetur. Veneti autem vt plurimum in suis ædificijs vtuntur calce, non ex silice, sed ex quodé gypseo lapide, quæ non est admittenda in medicinis, nisi (saluo meliori iudicio) in defectu gypsi.

De Charta.

CHarta, chartas, chartha, charthas, carathis vel sine h, vel per k, kartas, kirtas &c. (vt in varijs libris legimus) vnũ & idem significant. Sed per chartam non intelligitur in medicinæ libris, membrana pergamena cognominata, quæ fit ex pellibus animalium: neq; illa vulgò abusiuè dicta papyrus, quæ arte ex vetustissimis laceratisq; linteolis aqua maceratis conficitur. Cuius vsus non modicus hodie est in excudendis libris, atque ad scribédum &c. Huiusmodi enim papyrus in vsum medicum apud antiquos non venit: quia non multis ante annis modus faciendi ipsam re-

pertus est. Et eius tãtum inualuit vsus, quòd veram papyrum, siue (vt mauis) papyri chartam, penitus expulerunt homines. Retinentes solummodo ipsius nomen, quod & chartæ nuper inuentæ contribuerunt. Charta autem de qua Authores loquuti sunt, ex herba, seu frutice, siue iunco papyro dicta, prius tamen exiccata, parabatur. Quæ certè non solùm ad librorum veniebat vsus, verumetiam & medicinæ expetebatur. Olim quidẽ iam notissima, nunc autem haud est qui eam agnoscat, vel sciat modum faciendi ipsam. Imò (quod peius est) in ipsa papyro, quænam sit, dubitatur. Dioscorides enim libro primo scribẽs ipsam, vel ipsum papyrum (vtroque genere legitur) dicit esse notissimam rem, vnde chartæ tunc conficiebantur. Sed sanè propter chartarum vsum, necessariò ipsis papyrus erat vulgaris & nota: quamobrẽ subticuit eius liniamenta. Nobis autem vnà cum vsu ipsarum chartarum, abolita est cognitio eius. Plinius verò aliqualiter papyrum depingit: at non ita clarè vt à nobis possit dignosci. Serapio autem cap. 101. quod incipit: Burdi, quod est papyrus. & Auicenna capitulo Papyrus: vbi Bellunensis pro burdi, rescripsit berdi: similiter vt Dioscorides non declarant, sed testantur quòd ex eo fiũt chartæ. De charta huiusmodi autem, dictus Auicenna separatim facit capitulum. Iuniores verò, vt Simon Ianuẽsis, Pandectarius, Luminare Maius, & cæteri, Burdi, siue burcdhi, vel burchidhi, vel burdi (quod etiam latinè chartasilago dicitur) declarãt esse speciem iunci lati palustris, vnde Arabes faciunt sextariola, ad ferenda aromata. Bellunensis verò in suis interpretationibus, sic ait: Carthas, vel carathis, est herba iunci exiccata, ex qua constructæ sunt chartæ pro libris scribendis, sicut iam consueuerunt antiqui Aegyptij. Aut per carthas intelligitur papyrus ipsa, seu iuncus exiccatus, & antiquatus. Sicut illud quod assumitur ex stramento antiquo, quod apud vulgares Venetos appellatur stuora. Et fit ex papyro, seu iunco recenti. Hæc ille. Vbi animaduertendum quòd secundum ipsum, papyrus est iuncus ille ex cuius genere texuntur storæ, siue stuoræ vulgò dictæ, & sportæ. Qui iuncus (vt nonnulli volunt) est carax apud Virgilium Poëtam. Et est aliud à typha. Igitur si ita est, possumus loco chartarum combustarum, ponere tales iuncos siccos atque combustos. Et certè coniectamus ipsum iuncum, si non est ipsa papyrus, nõ multùm distare à papyri genere, & loco eius perquàm commodè posse substitui. Vt similiter loco præfatarum chartarũ ponitur & ipsa papyrus. Non obstante quòd Dioscorides, Plinius, Paulus, Serapio,

Charta antiquorum.

Papyrus.

rapio, Auicenna, & cæteri testentur ipsas chartas conbustas esse maioris efficaciæ in medicinis, quàm papyrũ. Præterea sciẽdum quòd Luminare Maius scribens trochiscos de charta combusta Auicennæ, demit ab ipsis trochiscis ipsam chartã, & tribuit titulo quod erat descriptionis seu cõpositionis. Inquit enim: Dicuntur autem trochisci de charta, licet eorum descriptionem charta non ingrediatur. Sed re vera, ipse bonus vir nõ benè percepit descriptionis Auicennę sensum: apud quem, videlicet in tertio canõ. fen. 16. tract. 2. cap. 7. de cura excoriationis intestinorũ & vlcerũ, post medium, sic legitur: Et trochisci de charta cõbusta. Descriptio trochiscorũ: Chartæ cõbustæ 3.x. arsenicorum adustorum, & corticum æris, & aluminis iameni. & cætera quæ sequuntur. Peritis nempe viris, sensus huius literæ est clarissimus. pro minus sciolis aute sic legẽdũ est: Descriptio trochiscorũ. Et hîc fiat pũctus. Et subintelligitur de charta cõbusta prius nominata. Hinc sequitur modũ compositionis eius, dicens: Chartæ cõbustæ 3.x. vbi licet subticuerit Accipe vel Recipe, vel simile verbũ, tamen subintelligitur. Tanquam si diceret: Descriptio trochiscorum, præfatorũ supple, hæc est: Recipe chartæ combustæ 3.x. arsenicorum adustorũ &c. ana 3.xij. Apud probos Authores enim rarò in principio compositionũ ponitur illud Recipe &c. quia semper subauditur, licet non speciatim ponatur in Litera. Luminare Maius autem illas dictiones, scilicet chartæ cõbustæ, attribuit titulo cõfectionis, & illas 3 x. consociauit arsenico. Vbi triplicem commisit errorẽ, scilicet abstulit chartã, ab ipsa confectione, & scripsit in singulari & specificatè, arsenici citrini 3.x. cuius sunt 3.xij. quia est de sequenti ana, & expunxit etiã ab ipsa descriptione duas, vel saltem vnã arsenici speciẽ. Quia Author, scilicet Auicenna, ponens in plurali, arsenicorũ adustorum: intellexit omnia tria genera ab ipso descripta, vel saltẽ duo, quæ Dioscorides & cæteri ponũt: & non citrinũ solùm, vt ipse bonus vir scripsit. Frustrà etenim dicerentur de charta combusta, si absq; ea conficerentur ipsi trochisci. Lege igitur rectè, vt est in Auicẽna: Chartæ combustæ 3.x. arsenicorum adustorum, & corticum æris &c.

De *Tartaro*.

QVamuis (vt putamus) nõ sit ponendum in præsenti confectione: tamen quia (vt diximus) in aliquibus libris legitur, noluimus intactũ præterire tartarũ. Est enim duorũ generũ. Et propriè est illud, quod vulgariter dicimus Rasina de botte: Latinè autem, Resinã doliorum significat. Abusiuè tamen, quoniam *Resina doliorum.*

quoniam verè non est resina, nec resinæ species. Dicitur autem potius per similitudinem, quàm per proprietatem: quia sicut resina in arboribus & plantis, ita hæc materia in dolijs reperitur. Quamquidem rectius putamus rasinam esse dicendam, videlicet à radendo, quoniam ex dolijs raditur. Ipsius igitur aliud est ex vino, & aliud ex aceto. Ex vtroq; autem, aliud est ex albo, & aliud ex rubro. Intelligendo etiam cum albo & pro albo, citrinum, siue aureum: & cum rubro, nigrũ, siue tinctum. Item ex vtroq;, aliud ex lento, & aliud ex acuto, seu potenti. Item ex vino, aliud è dulci & aromatico, & aliud ex austero &c. Horum autem & similium, quælibet species siue differētia per se asseruanda est. Sed quando absolutè reperitur scriptum, semper de vino albo, dulci, & aromatico, puta ex maluatico, seu phalerno, vel simili, est intelligendum. Animaduertendum verò, quòd non est sumendũ illud tartarum quod inuenitur circa fundum dolij, neq; quod est circa osculi cacumen: quoniã quod est in fundo, est feculentũ, & quod est in cacumine participat de spuma ebullitionis ipsius vini. Quod autem reperitur circa parietes laterum dolij (tãquam medium inter extrema) est optimum, & illud est accipiendum. Et quanto plus vinũ siue acetum fit vetustius, tanto magis tartarum ipsius fit melius. Competenter enim 3.vna ipsius ex iure sumpta, ac sine molestia vsq; quater aluum soluit.

Confectio Trochiscorum alandahal, qui ponuntur in Hiera Hermetis: & alijs confectionibus, loco coloquintidæ &c. CCLX.



PER omnes Latinas impresiones inuenimus in præsenti descriptione vnum mendum valde notabile. Videlicet vbi in ipsis legitur: Accipe pulpæ coloquintidæ albæ, & lenis, & mundæ à granis 3.x. Legendum est rectius, vt est in cunctis exemplaribus, & in vulgari impresione ℥.x. Nam pro x.3. dictæ coloquintidæ, esset valde superflua quantitas olei rosati, scilicet ℥.j. Nec sic potest fieri. Igitur lege ℥.x. Hæc equidem confectio paratur, non vt administretur sola, sed causa corrigendi coloquintidam, vt loco coloquintidæ ponatur (sicut textus declarat) in hiera Hermetis, & alijs confectionibus. Vnde intentio Authoris declaratur, quòd coloquintida nusquam est administranda incorrecta. Idcirco per trochiscum alandahal, nil aliud est intelligendũ, quàm coloquintida præparata, siue correcta. Et debet stare pulpa ipsius

Coloquintida nõ administranda, nisi præparata.

coloq

coloquintidæ,oleo rosato bene cõfricata, per spatium tridui ad minus,& dimittatut ad solem vt oleum dilatetur, & transeat per totum:Postea cum glutino inibi descripto fiant &c.

De Coloquintida

Colocynthis,Coloquintida,cucurbita deserti,cucurbita sylvestris,fel terrę,nex plantarum,& andal,siue andahal,idem est.Fructus enim ipsius omnibus est notus. Et pulpa tantummodo ipsius fructus administratur in medicinis. Quæ prius tamen, secundum præsentem trochiscorum descriptionem,præparanda est.Author enim noster in suo de simplicibus,de ipsa optimè scripsit:quapropter non indiget plurima declaratione. Pluries seuimus eius semen,& ex eo plantas habuimus,sed infructiferas.Cœlum enim regionis nostræ non fert ipsas fructificare. Folia ipsius simillima sunt folijs cucumeris viridis magni,potius quàm cucurbitæ,pilosiora tamen. Fructus autem ipsius quanto leuior & albior,tanto melior. Semen verò ipsius habet substantiam albam & vnctuosam,atq;,quod mirum videtur,dulcem, vt quilibet experiri potest,lauando prius quàm frangatur perquamoptimè ipsum semen,& auferendo ipsius corticis amaritudinem.

Confectio Trochiscorum de Sandalis &c. CCLXI.



DVPLICITER inuenimus per libros præsentem descriptionem variatam in vno simplici. Videlicet,quod aliquæ impressiones,& similiter aliqua exemplaria habent scriptum:berberi, aut succi eius.Aliquæ verò & aliqua:ribes,aut succi eius. Veruntamen maior pars est tam exemplarium quàm impressionum habentium berberi, quàm habentium ribes, Duas tantùm impressiones,& totidem exemplaria inuenimus habere ribes.Et est vnum ex ipsis exemplaribus, quod vtrũq; habet scriptum,sic: Ribes.& in alio,berberi &c.Nos quidem rectius putauimus stare berberi,propter librorũ multitudinẽ,quàm ribes. Tamẽ quia in fine ipsius descriptionis ab Authore dicitur: Da cum lacte acetoso &c.aut Rob de ribes:potest dubitari, an eo in loco sit ribes, & non berberi legendum.Sed saluo semper meliori iudicio,nos suspicamur quodlibet ipsorum posse poni: quoniam berberi,& ribes non multùm differunt in suis proprietatibus, siue qualitatibus &c.Ab Actuario scribitur Pastillus Diasantalon:id est trochiscus de sandalis, quæ ipse santala vocat. Cuius descriptio in multis simplicibus conuenit cum ista descriptione.

De

De *Sandalis*.

SAndalum,& ſandalus legitur,& ſantalum (vt diximus) apud Actuarium,qui eſt ex iunioribus Græcis: Vnde multa Arabũ ſimplicia,ac plurimas ipſorum cõfectiones &c.habet, quæ apud antiquiores Græcorum non leguntur. Arabes enim de ſandalis pertractant. Tria ſunt eius genera,& omnia ingrediuntur præſentem confectionem,ſcilicet rubrum,album,& citrinum.Sed citrinum (quod omnes fatentur eſſe magis aromaticum) amplius non affertur. Aromatarij hodierni autem excauant meditullium ex albo,aſſerentes illud eſſe citrinum ſandalum. Sed magnopere errant: quia citrinum,ſicut & rubrum,& album,habet ſpeciatim ſuam arborem. Vnde tres ſunt diuerſæ arbores, & non duæ. Etenim omnes teſtantur album eſſe minus bonum: igitur ſi citrinum fuiſſet pars albi,non eſſet melius rubro. Imò eſſet inferius eo,quod eſt contra omnes Authores. Reperitur quandoque ſcriptum: ſandali mahazari &c.quod accipitur pro citrino. Et de hoc ſatis dictum eſt ſuprà.

Sãdalorum tria genera.

De *Lacte acetoſo*.

LAc acidum,ſiue acetoſum,oxygala Græcè dicitur.Modũ autem faciẽdi ipſum docet nos Author noſter cap.de ptiſi. Inquit enim:Operatio lactis acetoſi,eſt ſecundũ hunc modum:Accipe lac caprinũ mundũ,habens bonitatem ex ſanitate animalis, & cõgruitate paſcui ipſius,& extrahatur ex eo butyrũ,& dimittatur vna nocte in aëre temperato. Mane autẽ agitetur vehemẽter, & excludatur ſpuma eius.Eſt autem lac huiuſmodi ſedatiuum vehementis caloris,conſtrictiuum,& conſolidatiuũ.Hæc ipſe. Hoc igitur lacte acetoſo debemus vti in ſuis cõfectionibus:quia & alij modi reperiũtur apud alios.Vt apud Plinium nono cap.28.libri. Et apud Columellã viij.cap.13.ſiue vltimi ſui libri &c.Fit etiamnũ ex acido lecte caſeus, à Græcis oxygalactinus dictus, qui ſimiliter vt lac acetoſum habet vim cõſtrictiuam,teſte Paulo Aegineta cap.37.quarti libri,vbi ſic ait: At ex acido lacte caſeus (qui oxygalactinus dicitur) vulnera quoque ampliora committit.

Oxygalactinus caſeus.

Cõfectio alia Trochiſcorũ de ſandalis &c. CCLXII.



SVPERIOR deſcriptio eſt magis vſualis,tamẽ præſens non eſt deſpicienda. Vbi autem dicit Author: fiant trochiſci,& adminiſtrentur ſicut primi. Intelligitur quòd cõficiendi ſunt iſti cũ aqua porutlacæ, & dandi cum lacte acetoſo &c.ſicut primi.

primi. Sed per dictam portulacæ aquam, intellige succum, vel saltem ipsius decoctionem, & non aquam distillatam.

Confectio trochiscorum Hamech &c. CCLXIII.



STI trochisci aliter trochisci de violis Hamech. Habet nanque Author noster quasi similem descriptionem trochiscorũ, in cap. de turbith, Hamech etiam authoritate vbi ait: Inquit Hamech: Fiunt trochisci ex eo, & duplo ponderis ex folijs violarũ &c. Item cap. de scammonea authoritate eiusdem Hamech, habet quoque trochiscos de violis huiusmodi: sed loco turbith ponit scammoneã. vbi dicit: Inquit Hamech: Accipe duplũ eius foliorum violarũ &c. Item cap. de violis, videtur tãgere præsentes trochiscos, cùm dicit: Et quidam addunt quãtitati earũ medietaté turbith, & faciũt trochiscos &c. Item cap. de Asthmate ponit vnã aliam descriptionem trochiscorum de violis, quasi similem huic in simplicibus, sed recipit scammoneã. Rhasis autem, qui (vt probauimus in confectione Hamech prima) est ipse Hamech, in antidotario diuisionum, cap. de medicinis colicæ. habet duas descriptiones differentes ab ista, quarum vna scammoneam recipit. Item filius Serap. in cap. 7. duas quoque habet descriptiones. Hali Abbas etiam in decimo practicæ ponit vnã descriptionem. Item in Antidotario Nicolai sunt trochisci diani, vel diaui. quod putamus minus corruptũ, licet imperfectum. Tanquam si diceret, trochisci Diauiolarum. Vnde interpretátur de violis albis. Omnes tamé differunt ab ista descriptione filij Mesuæ. Præterea quia ab Authore pro informatione istorũ trochiscorum non assignatur liquor: ideò sciendum quòd si humiditas violarum nõ sufficerit ad suscipiendum & incorporandum alias res, potest liquefieri tereniabin cum modico optimi vini, & cum eo informandi sunt ipsi trochisci: quia Serapionis filius cũ vino informat suos: vel liquefiat cum aqua, quia Hali Abbas aqua suscipit suos. Vel informandi sunt cum mucilagine psyllij (quod putamus melius) quoniam sic Rhasis suos informat. Vel cum aqua violarum, & propriè ex infusione earum. Et sic ipsi trochisci erũt valentiores.

De Violis.

Viola, quam vulgò mamulam cognominant, notissima est. De qua Dioscorides libro 4. capitulũ facit. Vbi dicit ipsam à Romanis violam purpuream nuncupari. Et de ista semper intelligitur, cùm absolutè describitur. Est & alia viola purpurea

apud

apud Dioſcoridem in tertio libro, cap. de viola alba, quam leucoion vocat: vbi diſtinguit ſpecies eius à florum varietate. Vnde illa quæ florem gerit purpureum, viola purpurea dicitur: & quæ album, alba &c. Ex quibus, lutea in medicina præfertur. Quas quidem violas, Arabes keiri, ſiue cheirij vocant. Vnde ſuprà nominati trochiſci de violis albis Nicolai, ex cheiri albis intelliguntur. Et licet keiri cum flore purpureo dicatur viola purpurea: tamen abſolutè deſcripta viola, vel viola purpurea, quaſi antonomaſticè, de viola purpurea mamula intelligitur, quæ etiam viola ſylueſtris, & muralis à Dioſcoride dicitur: nō obſtante quòd rariſsimè in muris reperiatur. & nō intelligitur de keiri purpureo. Viola alba autem keiri, à Dioſcoride viola matronalis, ſiue autūnalis, ac alijs nominibus vocatur. Sed ſciendum quòd licet Dioſcorides capitulo de viola purpurea, non ponat plures ſpecies: attamen nos proprijs manibus in Alpino, ſiue Apennino monte, qui vulgò dicitur Cornea, inter Italiam & Prouinciam, collegimus violas mamulas circa finem menſis Maij: non purpureas, ſed luteas, imò croceas, ſcilicet quòd habebant flores croceos, ac ſplendidos. In reliquis autem nihil videbatur ipſa planta differre à planta violæ purpureæ, præter quàm quòd folia ipſius erant magis clara. Vnde ſicut viola purpurea eſt duplex, ita & lutea. Sed per luteam abſolutè, non eſt intelligenda iſta quæ paucis eſt cognita: ſed illa keiri dicta, quæ eſt vulgaris & magis communis. Etiam audiuimus quòd in montibus prope Brixiam reperitur viola mamula alba: ſed adhuc non vidimus ipſam. Igitur ſi ita eſt, ſicut de keiri ſunt tres ſpecies, ſcilicet lutea, purpurea, & alba: ita & de mamulis eædem reperiuntur. Demum ſciendum etiam, quòd quamuis Author in præſenti deſcriptione, & alibi dicat: Recipe foliorum violarum &c. non tamen eſt intelligendum de folijs plantæ, vt nonnulli minus periti putant, ſed de floribus. Quia ſicut ſcribitur de folijs roſarum: ita & de folijs violarū eſt intelligendū, in cōfectionibus, electuarijs, trochiſcis, & ſimilibus. In enematibus autē, ſiue clyſterijs, & emplaſtris, & ſimilibus, aliquando per folia violarū intelliguntur folia plantæ, quę quidem vulgò matres violarum vocantur. Et hæc notæ ſunt.

Viola abſolutè. *Viola lutea abſolutè.*



Cōfectio trochiſc. de cyperis &c. CCLXIIII.

DELENDVM eſt per impreſsiones Latinas, à præſenti deſcriptione, gummi Arabicum. In nullo nempe exemplari legitur, neq; in vulgari æditione:

tione: neq; Luminare Maius, & Nicolaus Præpositus habent in suis descriptionibus. Quapropter non admittatur, nisi medicus præcipiat. Et vbi legitur, cinnamomi: lege rectius, cinnami. Et vbi: Et in alio, musci chiratas ij. lege verius: Et alij (supple addũt) musci chirat. ij. quia sic est in præfatis exemplaribus.

De Cypero, seu Cypiro.

CYperus, & cypirus legitur apud authores. In iuncorũ generibus, & cyperus cõnumeratur. Est enim ipse iuncus triangulus &c. Sed an verus cyperus sit quo hodiernis tẽporibus vtuntur aromatarij, hoc nempe primũ perscrutandũ diximus. Et certè cùm loquitur Dioscorides de eius planta, vsq; ad minimũ iota cõuenit plãtæ vsualis cyperi. Sed cùm de radice ipsius pertractat, multùm dissentire videtur. Etenim ipse dicit cyperũ habere radices, olearũ figura, & magnitudine, oblongas aut rotundas, inuicẽ cõmissas, obnigras, amaras, & iucundè odoratas, crassásq; &c. Radices autem cyperi, quæ cõmuniter ab omnibus accipiuntur, sunt sarmentosæ, lignosæ, longæ, nodosæ, & neruosæ, quandoq; digitalem crassitudinem excedentes, rufæq; intus, & foris subnigræ, odorem tamen bonum spirantes. Si autem sunt veri cyperi radices, vosipsi ô lectores iudicate. Præterea dicit Musa Brasaulus in suo Simplicium examine, quòd Ferrariæ sunt radices cyperi tales, quales à Dioscoride notantur: potest esse quòd sint, tamen in veritate opus suum Romæ adhuc erat in prelo, cùm nos ostendimus ei veri cyperi radices: quas videns, tanquam de re sibi noua, valde gauisus est. Vnde sciendum, quòd nos colligimus verissimi cyperi Dioscoridis radices in Romano solo, ac etiam intus Romam. Quæ radices quidem non excedunt olearum figuram & magnitudinem, & sunt connexæ ad inuicem, filo mediante, sicut radices herbæ vulgò dictæ filipendulæ. Nulla deniq; nota à Dioscoride posita, deest eis. Planta etiam similiter conuenit descriptioni ipsius Dioscoridis ad vnguem sicut altera, excepto quòd respectu alterius plantæ, scilicet cyperi vsualis, hæc planta est minima. Rarò equidem iuncus ei triquetrus supra binum palmum erigitur. Supradictam autem cyperi vsualis plantam, multoties vltra nonum palmũ vidimus protẽsam. Huius igitur dictæ paruæ plantæ cyperi radicibus vtimur, contra communem vulgarium vsum. Et indubiè tenemus hunc esse verum Dioscoridis cyperum. Et licet apud nos sit parua planta: poterat tamen apud Dioscoridem in maiorem altitudinem extolli: quoniam ipse dicit caulem eius cubitalem aut maiorem esse. Nam (vt suprà dixi-

Cyperus verus Romæ colligitur.

mus) respectu diuersitatis locorum plantæ diuersificatur &c. Attamen nõ est tam parua planta, quòd altitudo iunci eius nõ possit mensura vnius cubiti parui, ac etiam communis, demetiri. Etenim (vt diximus) pluries vidimus iuncos ipsius duobus palmis altiores. Cubitus enim, secundum Doctores, triplex est, scilicet cubitus paruus, qui continet pedem cum dimidio, scilicet duos palmos extensos. Cubitus communis, qui capit duos pedes. Et cubitus magnus, qui comprehendit nouem pedes. Quamuis etiam secundum Ecclesiasticos, aliter accipiatur cubitus, pro mensura arcæ Fœderis, & arcæ Noe &c. Quamobrem cùm Dioscorides dixit quod erigitur in cubitalem altitudinem, de communi cubito intellexit. Quia, vt ait Galenus primo de diebus creticis, cap. nono, palmus, cubitus, significant mensuram communem notã, determinatam: nisi addatur longum, aut curtum. Mensura igitur cyperi, quo nos vtimur, ad cubitum paruum, seu communem refertur, & ad mentem authoris magis appropinquat. Mensura autem cyperi vsualis aliorum, ad cubitum magnum debet referri, de quo Dioscoridem minimè intellexisse credimus. Item Auicenna in secundo cañ. cap. de cypero, laudat cyperum paruam habentem plantam, dicens: Melius est illud quod est spissum, graue, difficile ad frangendum, aromaticum, cuius herba est breuis &c. Ergo secundum ipsum inuenitur cyperus paruę siue breuis plantæ, & cyperus longioris plantæ: & ab eo magis laudatur cyperus paruæ plantæ. Ergo cyperus, quo nos vtimur, est verior & laudabilior illo communi, & vulgari. Etenim dudum cœpit agnosci. Veruntamen nõ audemus dicere illum magnũ nõ esse cyperum. Quia licet ab ipso Dioscoride & alijs authoribus nõ præcisè scribatur: habet tamen (excepta radice) omnes alias notas cypero attributas. Nec magnitudo eius facit aliquid: vt non sit cyperus. Fatemur enim ipsum esse cyperi speciẽ: sed à varietate formæ radicum ipsorum, alterum rotundum, alterum verò cyperum longum appellamus. In vsum autem medicũ rotundum magis commendamus. Porrò in calce capituli Dioscoridis de cypero, legitur aliud cyperi genus in India nasci, zinziberis effigie, quod manducatum croci vim reddit &c. Quod nonnulli putant esse illam radicem, quæ communiter in officinis habetur pro curcuma. Nam in omnibus descriptioni correspõdet. Et in rei veritate ipsa radix non est curcuma: quoniam (vt dictum est suprà) curcuma est chelidonia. Præterea ad meliorem declarationem præfatorum cubitorum, ac aliarum mensurarum, quæ frequenter contin

Cubitorum cõsideratio.

Curcuma officinarũ.

contingere poſſunt cum virorum authoritate doctorum, ſub breuitate hîc annotare nobis percommodè viſum eſt. Vt quilibet facilius dignoſcat in omnibus plantis altitudinem, latitudinem, & profunditatem, eis ab authoribus contributas. Inquit enim Victruuius libro 3.cap.primo. Menſurarum rationes, quæ in omnibus operibus videntur neceſſariæ eſſe, ex corporis membris collegerunt. Ex manibus, denarius digitorum numerus: ex digitis verò palmus: & ab palmo, pes eſt inuentus. Hæc ille. Georgius Valla libri decimi cap.109.& Orontius libri primi cap.xj. dicunt, quòd digitus eſt latitudo digiti pollicis hominis mediocris ſtaturæ, & bene formati. Palmus comprexus (qui Græcè paleſtes dicitur, vt ſcribit Hermolaus in Plinianis annotationibus) eſt latitudo palmæ, quæ capit latitudinem quatuor digitorum. Palmus extẽſus (qui & ſpitame dicitur) cõtinet tres palmos comprexos, ſcilicet duodecim digitos. Dodrãs idem eſt quod palmus extenſus. Pes continet quatuor palmos comprexos, id eſt ſexdecim digitos. Cubitus paruus cõprehendit dodrãtes duos, id eſt pedem cum dimidio. Hoc eſt, Sex palmos comprexos, ſcilicet vigintiquatuor digitos. Cubitus communis cõtinet duos pedes, id eſt octo palmos comprexos. Cubitus autẽ magnus capit nouem pedes. Vlna verò quatuor pedes habet. Seſquipes, idem eſt quod par vnus cubitus. Cætera dimiſimus, tanquam hîc non multùm neceſſaria. Hæc autem breuiter dicta ſufficiant. *Palmus cõprexus.* *Vlna.* *Seſquipes.*

De Chirat.

KIrath, ſiue chirat, vel chiratas, vel chirates &c. vt ex vltimo ſeptimi Breuiarij filij Serapionis, & ex vltimo quinti cañ. Auicennæ, atq; ex aliorum multorum interpretationibus habetur, eſt pondus quatuor granorum hordei. Et ita cõmuniter tenetur à iunioribus.

Confectio Trochiſcorũ de ligno aloës &c. CCLXV.



EST nanq; in præſenti deſcriptione per omnes impreſsiones vnus error. Videlicet vbi legitur: Heil, bauciæ. Legendum eſt rectius: Heil baugue: vel, heil bangue: ſicut antiqua habent exemplaria. Et eſt vnum tantùm ſimplex, & non duo. Non enim recipitur baucia in præſenti confectione. Nicolaus Præpoſitus quidem animaduertit errorẽ: vnde ſcripſit, heil bace. Rectius tamen (vt putamus) baugue legendum eſt.

De Heil baugue, vel bangue &c.

HEil baugue &c.(vt verum fateamur) eſt cardamomum minus Arabum. Sed aduertendum quòd aliud eſt cardamomum Græcorum,& aliud Arabum. Cardamomũ quidem Græcorũ,ſcilicet Dioſcoridis,& cæterorũ, apud Arabes vocatur Cardamenum,vel cordumenum,ſiue cardameni,vel cordumeni,magis barbarè,& non cardamomum: vt patet conferendo capitulum Dioſcoridis de cardamomo, capitulo Serapionis & Auicennæ de cordumeni, ſiue cardameni. Arabes enim, vt Serapio & Auicenna,faciunt plura cardamomi genera, vt patet in ipſorum deſcriptionibus. Attamen ipſe Auicenna confundit ſpecies ipſius in diuerſis capitulis. Vt in capitulo Cardamomum, & capitulo Cobzbague, & capitulo Elbue. Interpres etiam Serapionis,ſcilicet Simon Ianuenſis, in capitulo Sacolla: quod eſt de cardamomo(vt putamus) errauit, ac etiam aliqua de ſuo addidit,ſcilicet verba hæc,quæ à nonnullis coniectantur non eſſe authoris: videlicet, Cardamomum maius eſt heil: & minus eſt hilbane,ſiue heilbane(quod putamus minus corruptum) & eſt maſculus. Et illud idem ſcripſit in ſua claui,in litera cardamomum. Et ſimiliter errauit in capitulo 316.quod incipit, Cardamemi: quia non debuit intitulare ipſum de carui agreſti: quoniam non eſt de carui agreſti,ſed de cordumeni, vt mox patebit. Et quamuis ipſe interpres verum dicat, quòd heilbane, ſeu heilbaugue ſit cardamomum minus: tamen heil abſolutè non eſt cardamomum maius. Vt probari poteſt per plures deſcriptiones, non ſolùm ſeptimi Breuiarij filij eiuſdem Serapionis,& quinti canonis Auicennæ: verumetiam & per deſcriptiones præſentis antidotarij filij Meſuæ. Et particulariter per confectionem de xyloaloës, & per electuarium ſarboteng,& per confectionem de cinnamomo, & per electuarium Indum maius &c. in quibus ſcribuntur ambo,ſcilicet cardamomum & heil, ſimpliciter & abſolutè, vt cuilibet legenti patet. Nam vt omnes communiter tenent, quando abſolutè eſt ſcriptum cardamomum, ſemper maius eſt intelligendum. Ergo Heil non eſt cardamomum maius. Hali Abbas etiam in decimo practicæ,capitulo 16.in vno puluere, habet heil, & cacale. Quod cacale eſt cardamomũ maius. Et quòd Heil abſolutè non ſit cardamomum minus (quia neutrum eſt, ſcilicet nec maius,nec minus abſolutè deſcriptum) probatur per dictum filium Serapionis,ſcilicet in capitulo 23.ſeptimi ſui Breuiarij: videlicet in operatione ſyrupi de cytonijs,qui eſt miua. Et ſimiliter per

Cardamenum. *Cardamomum abſolutè.* *Cacale.*

per Auicennam in quinto cañ.tractatu de ſyrupis,ſcilicet in ſyrupo de cydonijs,qui ſimiliter eſt miua : vbi vterq; habet cardamomum maius & minus,& heil ſpeciatim & clarè &c. Heil baugue autem veriſsimè eſt Arabum cardamomum minus : quod quidem plures teſtantur : Et inter eos quoq; Bellunenſis in ſuis interpretationibus, ſic ait : Eilbua eſt cardamomum minus, & eſt granum apud Italos appellatum Melegete : & dicitur etiam heilbua,& tinalſil,& thairbua. Hæc ille. Quando autem Author petit cordumenum, vt in Diaomoruſia, & in Athanaſia magna, & in Diaſulphure, & in confectione alfeſceræ, & alijs pluribus: tunc non petit cardamomum Arabum,ſed cardamomum Græcorum, quod quidem ipſi Arabes ſub nomine cordumeni, ſiue cardameni deſcribunt. Vnde ſciendum quòd cardamomi ſunt quatuor genera, videlicet : Cardamomũ maius & minus, & heil, & cordumenum. Et omnia quatuor genera tangit Plinius 13. capitul.libri duodecimi. Non obſtante quòd hodie haud eſt (vt ſciamus) qui cognoſcat ea omnia. Heil autem (vt coniectamus) deſcribitur ab Auicenna,ſub titulo cobzbague,in proprio capitulo. Et ſic in quatuor capitulis,quatuor cardamomi genera habet. Quia licet capitulo de cardamomo tangat maius & minus: tamen quo ad virtutes loquitur tantũmodo de maiori,quod Arabicè etiamnum per k,vel per c,cacule,vel cacale, ſiue chacolla,& ſacolla dicitur. Et in capitulo Elbue, deſcribit virtutes minoris. Vbi nempe dicit,quòd eſt ſubtilius quàm kacule, ſcilicet maius. Quodquidem etiã teſtatur à Serapione. Vnde apud ipſum Auicennã capitulũ de cardamomo, eſt de kacule, ſcilicet de maiori. Et capitulũ de elbue,eſt de minori. Et capitulũ de cobzbague,eſt de heil. Et capitulũ de cordumeni, ſiue cardameni, eſt de cardamomo Græcorum. Sed nonnulli iuniorum, vt Simon Ianuenſis, Pandectarius,Luminare Maius,& cæteri, ita & taliter cõfundũt cordumeni Arabũ (quodquidem caruiagreſte falsò interpretatum legimus) quòd vix erit lector qui ſciat ab ipſorũ laqueis immunis abire. Nam plura ſimplicia atq; diuerſa,pro vno & eodem intelligunt, de quorum ſingulis & apud Dioſcoridem, & apud alios plures ſunt diuerſa capitula: per quæ clarè percipitur aliud ab alio eſſe diuerſum &c. At nos quidẽ breuitatis cauſa,tot ipſorum confuſas de huiuſmodi lectiones, curioſis lectoribus dimiſimus perquirẽdas &c. Hoc autẽ dicimus,quòd fatemur nos neſcire quid ſit Arabum cardamomum maius, & heil penitus ignoramus,& cordumeni Arabũ,ſcilicet Dioſcoridis cardamomum, *Melegeta.*

Cardamomum minus Arabum. quid certè sit, adhuc non bene percepimus. Minus autem cardamomum, quod aliter heilbaugue &c. appellatur authoritate Bellunensis &c. tenemus pro certo esse melegetam, siue meleghetam vsualem, quam omnes aromatarij cognoscũt. Et hæc poneda est in præsenti confectione. Cordumeni autẽ, siue cardameni (quod est cardamomũ Dioscoridis, quodq; interpres Serapionis declarauit esse carui agreste, & malè: quam interpretationẽ, teste Hermolao Barbaro, significare syluestre caron, nõ ambigimus) quòd non sit carui syluestre siue agreste, patet expressè. Quoniã si cardamomum Dioscoridis, quod est cordumeni Arabum, erit syluestre caros, staphyllinos agrios igitur (de quo Dioscorides 3. libro facit capitulum) quid erit? Nam secundum veritatem, staphyllinos agrios, syluestre caros, baucia, & carui agreste, idem sunt. Etenim res ipsa est tam clara, quòd nõ indiget probatione. Et in superioribus de huiusmodi satis dictum est. Vnde non ita malum erat, si posuisset simpliciter titulum præfati capituli Serapionis, De cordumeni. *Cordumeni loco quid sumendum.* Dummodo autẽ ignorauerimus, quid sit cordumenum, possumus (authoritate Pauli scribentis pro cardamomo) ponere cyperũ, aut myrtum. Vel authoritate Auicennæ possumus vti harmel, id est ruta agresti, & squinanto. *Cardamomi maioris Arabum loco quid sumendum.* Et loco cardamoni maioris Arabum, ac etiam loco heil, licet nobis vti minori cardamomo, scilicet melegeta quod minus vocatum, est maius in bonitate: quia legitur quod est nobilius maiori. Melegeta autem, siue melegete, vel meleghete, vel melegheta, secũdum diuersos Authores etiam tot hæc synonyma habet: Chairbua, cacolla, siue cacalla minor (vt in electuario de ambra filij Serapionis, & in seminum puluere Hali Abbas, capitulo 16. decimi practicæ legitur) Cardamomum minus, Ealbua, Heilbagne, Heilbague, Heilbane, Heilbangue, Heilbaugue, Eilbua, vel Heilbua, Elbue, Grana paradisi, Hilbane, Mela Aegyptia, Meliketa, Nux Aegyptia, Nux sarta, Sacolla minor, Thaybua, Tinalfil, Vimbue, siue vizbue, & alia plura. Insuper magnopere errant ex iuniioribus nonnulli, asserentes cordumeni, & keisim esse vnum & idem. Lege in oxymelle squillitico descriptione Democriti, vbi vtrunque recipitur. Vbi & luminare Maius etiam plura confundit. Breuitati nempe studentes, multa dimisimus quæ congruebant ad declarationem errorum quorundam iuniiorum, qui *Cordumeni non est peucedanũ, nec seseli.* non solùm asserunt cordumeni esse cheisim: sed & seseli, & peucedanum, & alia plura.

Confectio trochiscorũ de capparibus &c. CCLXVI.


IOANNES Serapionis in septimo habet vnam descriptionẽ trochiscorum de capparibus. Auicenna similiter in quinto cañ. vnam. Hali Abbas autem in decimo practicæ duas. Et Rhasis quoq; duas, vnam videlicet in nono ad Almansorẽ cap. de dolore splenis, & alteram in antidotario diuisionum, cap. de medicinis splenis. Actuarius etiam habet pastillum de capparibus. Omnes tamẽ sunt differẽtes ab ista descriptione filij Mesuæ.

De Cappare.

CAppar, seu capparis, quæ manditur sale macerata aut aceto condita, non est fructus ipsius, sed flos immaturus, scilicet qui nondũ floruit. Romæ in muris seu parietibus vetustis absque spinis nascuntur. In quibusdã autẽ locis Apuliæ cappares ita campos replent, quòd & sata multoties lædunt. Res notissima in Italia. Et teste Plinio, laudabiliores sunt Cappares Italicæ omnibus alijs cuiuscunque regionis. Folia etiam sale aut aceto præparata manduntur. Cortices radicum maximè expetuntur medicinæ: rarò semen vel folia &c. Spleneticis mirè prodest capparis. Et cocta incolumior existit: Dioscorides Author est.

De Agno casto.

VItex, scilicet Agnus castus, vulgaris notitiæ est, Folia, flores, & semina, in medicinis recipiuntur. Dicitur autem Græcè agnus, Latinè verò castus: quoniam ad castitatem cõseruandam, seu ad libidinẽ reprimendã magnopere iuuat. Vnde & à quibusdam piper eunuchorũ vocatur. Dicitur etiamnũ & piper agreste, & salix marina, seu amerina, & ligos, siue ligusticum, & alijs atque alijs nominibus vocitatur. *Piper eunuchorum.*

Confectio trochiscorum de Charabe &c. CCLXVII.


LEGITVR mendosè in præsenti descriptione per omnes impresſiones latinas, post cornu cerui adusti, gummi adusti. Quodquidẽ gummi in exẽplaribus vetustis non legitur, neq; in vulgari æditione: vnde putamus non esse admittendum. Item eædem impresſiones omnes habent in hac descriptione ipoquistidos, sed putamus non rectè: quia in cunctis præfatis exemplaribus, henfistides legitur. Quod quid sit, in superioribus est declaratum. Item aliquæ impresſiones ex magis deprauatis, pro papaueris nigri asſati habent mendosè, papaueris nigri, asſari. Et con

ſimilis error paſsim in huiuſmdi libris excuſis reperitur. Quiquidem error in nonnullis cõfectionibus eſt non parui momenti. Rhaſis enim in nono ad almanſorem, cap. de mictu ſanguinis, & puris, habet vnam deſcriptionem. Et in antidotario diuiſionum, cap. de medicinis menſtruorum, & hæmorrhoidarum, alteram. Sed vtraq; differt ab iſta. Hali Abbas etiam in decimo practicæ habet vnam deſcriptionem ſimiliter differentẽ. Auicenna autẽ in quinto cañ. videlicet in quinto tractatu ſecundæ ſummæ habet nonnullas trochiſcorũ deſcriptiones, in quibus recipitur charabe. Quę licet nõ intitulẽtur de charabe, attamẽ habẽt multam cõſimilitudinẽ cum iſta deſcriptione. Vnde (vt putamus) poſſunt aliqui ipſorũ dici trochiſci de charabe. Et ſpecialiter ille, cuius initiũ eſt: Trochiſcus alius: Recipe charabe, coralli. &c.

De Charabe, ſiue karabe.

DIſceptatio non minima eſt inter Doctores de hoc ſimplici, & confuſio magna in ipſorũ deſcriptionibus reperitur, ita quòd nobis videtur impoſsibile, & ſupra vires noſtras cõcordare ipſorum dicta, ad dandã veram & abſolutam de hoc charabe diffinitionem, ſeu declarationẽ. Melius enim eſt quandoq; tacere, quàm male loqui. Nam Auicenna in ſecundo cañ. habet quatuor capitula ad hoc ſimplex pertinentia: quorũ tria de arboris qualitate loquũtur: reliquum verò de ipſius arboris gummi tantummodo pertractat, quod dicit eſſe hoc karabe. Capitula autem hæc ſunt, videlicet, De hauro Romano, De hauro, De karabe, & De nuce Romana. Aduertendum autem quòd primum & quartũ eſt idem bis deſcriptum, vt legentem non latet. Braſaulus quidem omniũ ferè Authorum collegit opiniones. Legito apud ipſum. Nos autem perlectis omnibus, tam Græcis, quàm Latinis, quàm etiam Arabibus, tam antiquis, quàm iunioribus, nihil reſolutũ accepimus, præterquàm quòd ſecundũ ipſorũ ſcripta, in multis vocabulis plura cõfundũt, & quaſi de vno & eodem videtur loqui. Hæc enim quæ ſequuntur ſecundũ ipſos, & barbara, & non barbara vocabula, ſunt ad charabe pertinẽtia, ſecundũ omnes variationes quas inuenimus, videlicet Acchiros, Achiros, Achiroſa, Achiruſes, Achirus, Acruches, Acrufex, Acrufos, Actufex, Agiros, vel Agyros, Alapton, Ambra, Ambrũ, Ambar, Ampar caninum, Archiroſa, Argyra, Arſopodon, Haur, Haurcuma, Haur romanũ, Haur romi, Haur romij, Haur romu, Haur rum, Haur rumi, Haurum romanum, kakabre, Caraba, karaba, charaba, vel per e, in fine horum trium. Item, Carba, Kekabre, Chryſopho

ſophoron, Aegiros, Electrũ, Gagates, Gelber, Giauzi rumi, Gleſſum, Gummi funeris, Gũmi populi albæ, & nigræ, Ieum, Lachryma populi albæ, & nigræ, Laurcuma, Leum romi, Nux gallica, nux Romana, Rapiens paleas, Sandaracha, vel ſandaraca, ſuccinum, & ſuccinum oriẽtale: & alia plura magis barbara quæ non ponimus. Et ſunt qui ex populi arboribus, & ſunt qui expini generibus, & qui in Oceani ſeptẽtrionalis, inſulis, & qui in Eridano, & qui in Rhodano, & qui in Gange, & qui in Nilo, & qui in Pado fluminibus, & alijs lacubus ac locis fabulantur huiuſmodi ſimplex gigni, & cætera multa quæ dimittimus ne amplius lectoribus faſtidium inferamus. Quibus omnibus bene perlectis & examinatis, veritas rei adhuc ita in tenebroſiori loco occultata iacet, quòd lector tanquam excitatus à ſomno phãtaſiari non deſinit, ex tot varijs vocibus ac opinionibus, cui debeat potius adhærere. O vtinam in hoc ſolo ſimplici fuiſſet dubietas, certè pro nihilo reputaſſemus. Demum ne longius in his fabuloſis contentionibus protrahamur, dicimus quòd licet ignoretur veritas originis huius charabe, ſiue (vt mauis) ſuccini, aut electri: tamen res ipſa, qua pro charabe vtimur, quaſi in omnibus videtur conuenire cum deſcriptionibus Authorum de karabe, ſiue ſuccino, ſiue electro. Ex quo tãquam verum charabe, vel ſuccinum, ſiue electrum, ſiue gummi populi albæ, vel nigræ, vel quomodocunque, & qualitercunque alteriuſmodi tibi placuerit ipſum vocare, vbicunque opus fuerit, confectionibus admiſcendum non deſpicimus. Et quòd charabe Arabum ſit electrum, & populi albæ gummi, ſiue lachryma, probatur conferendo Serapionẽ cum Paulo: qui Serapio capitulo de charabe, authoritate ipſius Pauli, ſic ait: Karabe eſt gummi arboris haur romi: emanat ab haur romi, & coagulatur, & eſt coloris auri: & quãdo ipſum bibitur, retinet fluxum ventris, & ſtomachi, & abſcindit fluxum ſanguinis. Illud idem Paulus lib. 7. ſcribens, dicit: Electrum populi albæ lachrymam dicunt, quæ iuxta amnem Eridanum deſtillat, & inſpiſsitudinem coit, aureo colore: quod ſi læuigatum bibatur, ſtomachi & alui fluxiones, & ſanguinem cõpeſcit. Hæc Paulus, vt quilibet legere valet. Non obſtãte quòd Braſaulus ſcribat Paulum de gummi albæ populi pertractare, ſed non dicere eſſe electrum: quia in ſupradictis patet cõtrarium. Forſan quòd textus Pauli (ob diuerſas traductiões) apud ipſum aliter ſe habebat. Itẽ quòd etiam Karabe ſit gummi populi nigræ, probatur per dictum Serapionem, ſcilicet quòd in eodem capitulo authoritate

Succinum, vel ſuccinũ orientale.

Dioscoridis, illud idem dicit quod Discorides in capitulo de populo nigra: vt legēti ad inuicem conferenti, non est dubium. Cætera verò quæ huic essent tanquam necessaria adducenda, & ob breuitatem omissa, studiosis committimus perquirenda.

Confectio trochiscorum alchechengi &c. CCLXVIII.



ST etiamnū & in præsenti vltima trochiscorum descriptione, per quasdam magis mendosas excusiones, vna menda, videlicet vbi in ipsis legitur: seminis citrulli &c. ana ʒ.j.s. Legendum est rectius: ana ʒ.iij.s. Vt reliqui libri tam impresi, quàm manuscripti habent. Auicēna quidem in quinto cañ. tractatu de trochiscis, habet duas descriptiones trochiscorū alkekengi, differentes ab ista. Et secūda ipsarum ponitur iterum ab ipso Auicenna in eodem tractatu, sub titulo: Trochisci disulidis, siue dissulidis. Rhasis quoque in antidotario diuisionum, capitulo de medicinis vrinæ, habet duas descriptiones. Sed titulo primæ est: Confectio ad vlcera renum, & vesicæ &c. Sundæ autem: Confectio trochiscorum vltimorum &c. Vbi infrà dicit: Et nominantur alkekengi. Et similiter differunt ab ista. Hali Abbas etiam in decimo practicæ, habet vnam descriptionem, sub titulo: Trochiscorum apsolidis assignatio, qui sunt trochisci alchechengi. Sed pro alchechengi, legitur ibi caquenegi: & similiter est differens ab ista. Ioannes Serap. quoque in septimo habet descriptionem trochiscorum alchechengi: sed intitulatur, Trochisci alesculidus. Deprauationes enim barbarorum sunt. Rectius physalida est legendum, & non Dissulidis, Apsolidis & Alesculidus vt mox patebit. Bartholomæus Montagnana etiam in suo antidotario, habet vnam descriptionem consimiliter differentem ab ista. habet etiamnum in de medicamētorum cōpositione Actuarius Pastillum diaphysalidon, id est è vesicaria. Paulus Aegineta consimiliter in septimo cap. 12. habet pastillum ex vesicarijs, Diaphysalidon dictum, qui pastilli differunt ab istis trochiscis. Item ipse Paulus habet vnam aliam descriptionem quæ intitulatur: Pastillus diaalicacabu: sed intelligitur fortasse de alia solani specie, sic dicta.

De *Alchechengi, siue* Kekengi, *& omni solano.*

Solani, siue Solatri consideratio. SOlani, siue (vt mauis) solatri, scilicet strychni, plura sunt genera & differenriæ. Vnde sciendum, quòd Alchechengi est vnū solani genus, quod Dioscorides peculiari nomine Halicacabum,

bum, id est vesicariam, aut physalida, vel physsalida nominat: & hoc genus non ignoratur. Imò vulgares hodie in Italia propriè alchachengi ipsum appellant. Non estur solùm, sed semen eius in pharmacis receptum, vesicæ infirmitatibus mirè prodest. Aliud solani genus (quod absque apparenti nocumento manditur, quodq; à Dioscoride solanum hortense nũcupatur) notissimum est. Vulgò absolutè solatrum, & à nonnullis corrupto vocabulo, cacabascium siue cacauascium, quasi cacabalum dicitur. Est & aliud genus apud nos vulgaris notitiæ, quod omnes solatrum maius vocant: quid autẽ sit in Dioscoride, adhuc non bene percepimus. Facit enim Dioscorides plura huiusmodi generum capitula, cùm nullo tamen ipsorum videtur hoc solatrũ maius conuenire. Enimuero ipsa capitula sunt valdè confusa: & capitulum de Halicacabo quod est in calce primi libri, est illud idem quod in quarto libro, de solano somnifero: quodquidem autumant nonnulli redundare in ipso primo libro: non enim describi conuenit inter arborum genera. Hali Abbas autem in secundo practicæ, capitulo 34. vocat solanum, caquenegum. A Serapione verò Hameb athaleb: vel ameb alchahaich, & vua vulpis legitur appellatum. Et pro alkekengi scribitur ab ipso Serapione, Kekengi, Kakemb, & Keleb &c. Reliqua solani genera à Dioscoride posita ignoramus. *Solatrũ absolutè.*

De Albateca, seu Albatecha &c.

Albatecha idem est quod batecha. Batecha autem, siue bateka (si credendum est Bellunensi in suis interpretationibus, videlicet in literis B, & M) est nomen æquiuocum ad omne genus melonum, siue peponum, cucumerum, & citrullorum. Et similiter melo, cucumer, siue cucumis, & anguria, sunt nomina æquiuoca, ad eadem omnia & singula præfata. Sed quando absolutè scribuntur, vnumquodque ipsorum antonomasticè habet suum significatũ. Vnde betecha absolutè non intelligitur (vt ferè omnes iuniores exponunt) melo magnus viridis, quem Serapio capitulo proprio, scilicet 244. Dullaha vocat. Sed intelligitur melo, siue pepo cõmunis: vt probari potest per dictum Serapioné, cap. 243. quod est de melone, cucumere, & citrullo. Vbi vocat melonem batecha, & cucumerem chathe, & citrullum kura. Et patet quòd pro batecha intelligit meloné, si confers cap. Dioscoridis de melone siue pepone, cum authoritate ipsius Dioscoridis, quam ipse Serapio adducit in declarationem batachæ. Et similiter capitulo Auicennæ de batecha, est cap. de melone, vt legenti *Batecha.* *Batecha absolutè.*

genti non eſt abſconditum. Etiam probatur per filium ipſius Serapionis in ſexto ſui Breuiarij,cap.xj.videlicet in vna deſcriptione trochiſcorum cõferentium febri ethicæ,quæ incipit: Recipe arnogloſſæ ℥.iij.&c. Vbi diſtinctè recipiuntur quatuor ſemina communia frigida maiora,ſcilicet cucurbitę,citrulli,melonis,& cucumeris. Sed loco ſeminis melonis legitur ſemẽ bateke. Igitur bateka ſiue batheca ſimpliciter ſcripta,eſt melo cõmunis.

Melo, cucumer, anguria & citrullus absolutè.

Et melo etiam abſolutè,intelligitur ipſe pepo.Et cucumer abſolutè,eſt melo magnus viridis. Et anguria abſolutè, eſt cucumer lõgus anguinus. Et citrullus ſimpliciter eſt ipſemet citrullus.Nõ obſtante quòd alterum pro altero liberè poteſt ſubſtitui:quia(vt communiter tenetur) nihil,aut parum inter ſe differunt virtute. Et hæc omnia,& ſingula,notiora ſunt,quàm vt declarari debeãt. Sed ex eorum generibus ſunt aliqua,quæ dicuntur hyemalia:pro quibus vide ſuprà,ſcilicet in modo ſyrupi acetoſi de pomis deſcriptione noſtra.

De Bolo non Armeno.

Habet Author in præſenti deſcriptione bolum Armenũ,& poſtea aliud bolum ſimpliciter & abſolutè deſcriptũ: pro quo eſt intelligendum alterius generis nõ armeni. Quoniam ad bolum,non additur armenum,niſi ad differentiam aliorum quæ non ſunt armena. Qua in re ſciendum quòd ſub nomine boli quælibet rubrica poteſt intelligi,ſed particulariter illa quam vulgus macram,aut ſynopiam vocat. Et Dioſcorides minium ſynopicum,& milton ſynopicam nominat. Auerrois in quinto Colliget,cap.de medicinis quæ ex mineris ſunt: dicit, quòd bolũ cum quo tinguntur parietes,eſt Almogra. Vbi rectius putamus legendum,Almagra: quaſi almacra,ſcilicet macra: qua carpentarij, ſcilicet fabri lignarij vtuntur in ſignandis lignis,filo videlicet in ipſa intincto. Et hæc à pluribus non ignoratur. Vnde ſi nos nolumus pro ipſo bolo ſubſtituere armenum (quod fore optimum non dubitamus,ſcilicet multiplicare quãtitatem boli armeni,vt fungatur alterius boli vice) ponere ipſam macram pro dicto bolo,putamus non eſſe malum.Dummodo ſit ipſa(de qua loquuntur Authores) iſta quæ habetur in vſu.Quoniam Auicenna in 2. cañ.cap.de luto macra,ſiue (vt mauis) magra,authoritate Pauli, dicit quòd ipſum eſt in operationibus ſtipticitatis & exiccationis,melius quàm ſigillatum. Eſtq; in Paulo libro ſeptimo in his verbis: Synopis rubrica vehementior,quàm lemnia, emplaſticis miſcetur medicinis. Item Serapio etiam capitulo de ſynopida,

Boli nõ Armeni loco quid melius ſumatur.

autho

authoritate dicti Pauli ait: Magra, id est synopida, est fortior bolo Romano, luto sigillato, & ideò intrat in cōfectionibus vnguētorum. Suspicamur enim hîc, scilicet in ista authoritate, apud Serapionem mendosè pro bolo Armeno, legatur bolo Romano. Vel loco præfati boli, cui non placuerit synopida, macra nuncupata, poterit ponere ex optimo bolo Apulo (quod fortasse est illud Romanum Serapionis) seu ex bolo Theutonico, siue ex altera quauis rubrica. Præterea nonnunquam dubitauimus aliquo modo fuisse additum istud bolum ad præsentem descriptionem: quoniam apud nullum Authorum scribentium huiusmodi trochiscos, legitur. Sed quia in cunctis exemplaribus, & impressis libris, nulloq; discrepante, inuenimus: putamus non esse amouendum ab ipsa descriptione. De bolo armeno autem, dictum fuit in trochiscis de terra sigillata. Vide ibi. *Bolum Romanum.*

NONA DISTINCTIO.

De Suffufet, id est Pulueribus. CCLXIX.

De Suffuf in generali.



SVFFVF Arabicè, & suffufet, idē est quod Latinè puluis, & pulueres. Vnde sciendū quod titulus huius distinctionis ab imperitis librarijs (vt putamus) deprauatus est. Quia ibi legitur: De suffuf & pulueribus. rectius legendum est: De suffufet, id est pulueribus. Nam illud, &, non debet separari à suffuf, nec stare pro copula. De suffuf autem idem dicit quod latinè de puluere. Igitur vanū est dicere de puluere & pulueribus: tanquàm si non intelligeretur puluis in pulueribus. Sed reuera interpres filij Mesuæ dimittens stare titulum (vt coniectamus) Arabico vocabulo: hoc est, De suffufet: immediatè subiunxit interpretationem, scribens, id est de pulueribus. Corruptores autē potius quàm scriptores postea (vt credimus) intelligentes disiunctim illud, &, à suffuf, & videntes non bene sonare, De suffufet, id est pulueribus. deleuerunt illud id est. Et quàm malè nunc sonat, De suffuf, & pulueribus, intelligentes iudicent. Tanquam si suffuf non esset puluis. Sed pro certo scitote quòd adhuc extant plura exemplaria antiqua, in quibus legitur apertè & clarè sic: videlicet, Distinctio ix. De suffufet, id est pulueribus. Et nōnulla cū abbreuiationibus sic: Distinctio ix. de suffufet, id est pulueribus. Et his igitur modis, est secūdū veritatē.

Suffuf

Suffuf de Ligno aloës &c. CCLXX.

Suffuf de Ligno aloës aliud &c. CCLXXI.



ET QVAMVIS nõ vtuntur medici nostri temporis his pulueribus, descriptiones tamen ipsorũ emendabimus: vt si cuipiam placuerit eis vti, habeat vnde rectè componat. Igitur in secunda istarum descriptionum, vbi per impressiones mẽdosè legitur: Cardamomi &c. ana ℥.ij. lege rectius, ana aur.ij. quia sic est in vetustis exemplaribus.



Suffuf Diarhodon &c. CCLXXII.

NON ignorandum enim quòd trochisci ingredientes istud suffuf, ex ipsomet Authore accipiendi sunt, & nõ ex Nicolao, aut alio quouis Authore.

Suffuf Aromaticum &c. CCLXXIII.



SVNT in præsenti descriptione per omnes impressiones duæ mendæ. Prima videlicet, vbi legitur: seminis fœniculi aur.iij. Lege, aur.vj. Secunda est, vbi legitur: Galliæ muscatæ aur.ij. Lege verius, aur.j. vt in antiquis exemplaribus inuenimus. Et ita similiter habent Nicolaus Præpositus, Luminare Maius, & Thesaurus aromatariorum.

Suffuf bonum impinguatiuum &c. CCLXXIIII.

De *Riso.*



Oriza. RISVM, siue Rizum, siue Rizi, scilicet Oriza, est genus fruméti albi quod in aquosis nascitur. Vulgò risum aut granum risum vocant. Notissimum est. Comeditur in cibarijs & ptisanarijs multùm: sed panis ex eo non fit in Italia.

De *Tritico.*

TRiticum quid secundum Isidorum 17. Etymologiarum libro, à tritura dictum, idem est quod frumentum. Sed frumentorum plura sunt genera. Vnde & in genere frumenti oriza præfata, & far, & adoreum, & siligo, & alia plura. De meliori igitur frumento, siue tritico, semper est intelligendum, cùm absolutè legitur. Et quamuis sit quasi proprium frumenti habere aristas: tamen est in ora Italiæ (quæ olim Magna Græcia dicebatur: nùnc verò Apulia) vnum optimi frumenti genus quod

quod non producit ariſtas, vulgoq; caruſellam vocăt: Eſt etiamnum & frumentum, vulgò Indianum dictum, nuper in Italiã aduectum, quod ſaginæ modo fruticat, ferens ſpicas magnas, teretes, longas, atq; cuſpidatas, granis rotundis modò albis, ſiue ſubflauis, modò rubris, piſorum magnitudine, miro ordine plenas. Neque hoc genus in ſuis ſpicis ariſtas gerit. Sed trahentes ad granorum colorem, floccos quoſdam capillaceos, molles, longos atque tenues. Serunt itaque nonnulli ex noſtris hoc frumenti genus in viridarijs ad decorẽ, nõ autem ad vitæ ſuſtẽtamentum. Et de hoc genere non debet intelligi, cùm triticum ſeu frumentum non ſpeciatim legitur.

De Hordeo.

HOrdei nanq; tria facit Iſidorus genera. Quæquidẽ tria ſub vno poſſunt intelligi, tanquam vnius generis, ſiue ſpeciei differentiæ indiuiduales. Quoniam Dioſcorides hordeum non diuidit in ſpecies. Hordeum enim notius eſt quàm vt repræſentari debeat. Sed hodiernis temporibus ſeritur alterum hordei genus, quodq; hordeum mundũ vocatur, ex eo quòd ſpoliatur folliculis ſuis ſicut triticum. Quodquidem aliquando ſuſpicati ſumus eſſe ſiliginem. Quia licet aliqui connumerent ſiliginem in triticeis generibus: veruntamen Auicenna capitulo de hordeo, aſſerit ſiliginem eſſe ſpeciem hordei ſine cortice. Et Dioſcorides cap. de zea: de qua duo genera facit (quorum alterum olyram, quæ & ſiligo dicitur, intelligit: vt in cap. de olyra, ſcilicet de ſiligine, aperte declarat) dicit, quòd zea nutrit magis quàm hordeũ, & minus quàm triticum. Vnde ſiligo, quod genus zeæ probatur eſſe, eſt inter hordeum & triticum. Et quia medium participat de vtroque extremorum, rectè ſiligo connumeratur inter tritici & hordei genera. At ſi hoc hordeum mũdum præfatum erit ſiligo: quid ergo erit illa, quam vulgò ſecalam vocant, quæ & ab omnibus communiter pro ſiligine habetur? Hactenus autẽ ſuper hoc quid veri tradamus, non habemus: ſed determinationi hæc & cætera libenter committimus. Hoc verũ ſane fatemur, ſcilicet quòd hoc hordeum mundum, iudicio noſtro & aliorum plurium, non eſt inferius communi & vſuali. Vnde liberè poſſumus eo vti in omnibus in quibus hordeum eſt neceſſarium.

Zea duorũ generum.

De Tortellis de Scemi.

TOrtella eſt panis biſcoctus de ſimila, ſeu de meliori farina frumenti quæ fieri poteſt. Et debet eſſe ipſe panis fermentatus. Nonnulli ex iunioribus ſcribunt, quòd faciendus eſt ipſe panis

Panis biſcoctus.

panis cum aqua masticis,& vua passa. Et in rei veritate somniāt: quia (vt mox patebit) non est nisi simplex panis biscoctus. Accipe igitur optimum panem biscoctum, seu taliter coctum quòd possit perquamoptimè puluerizari: non autem sit crematus & niger, vt Luminare Maius dixit. De Scemi autem, & non de Seni, scilicet de illa patria, quæ (vt aliqui exponunt) est Syria: quamuis & Seni etiā sit nomen patriæ, nihil obstat: tamen in multis exemplaribus legitur Scemi. Sed tu nihil cures de syriaco pane: cùm Romæ & per totam Italiam optimum habeas panem. Imò filius Serapionis in septimo capitulo 27. in vno medicamine quod incipit: Dimadh, quod fit cum extremitatibus myrti &c. dicit panem Romanum biscoctum esse tortellam. Hæc enim sunt verba apud ipsum: Recipe panis Romani: & est tortella, id est biscoctus &c. Et nihil ibi loquitur de aqua masticis, vel de vua passa &c. quæ iuniores fabulantur. Aduerte tamen quòd pro simila, non intelligimus furfurem frumentaceæ farinæ, quem vulgares Romæ semulam vocant. Sed intelligimus meliorē frumenti partem, quam etiam in regno Neapolitano, semicorrupro vocabulo, semulam, & semulellam dicunt. Ex qua fiunt panes biscotelli albissimi, quos in Apulia frisellas nominant. Quæ frisellæ sunt albiores & pulchriores, quàm Romanæ zambellæ. Sic enim appellitant Romæ panes, digitali grossitudine, longos atq; retortos, varijsq; modis conformatos. Veneti autem bucellada dicūt.

Panis Romanus biscoctus.

Zambellæ Romanis quid.

Suffuf de granis myrti &c. CCLXXV.

De Coriandro.



CORIANDRVM, & Corianum dicitur. Petit itaque Author in præsenti suffuf coriandrum siccum, ad differentiam virentis forsan: quia cùm est virens pessimè olet: cùm autem siccatur, malus odor in bonum cōuertitur. Sed melius (vt putamus) est diffinire, quòd petit siccum, id est non recens: quoniā recens est magis malignum. Nam cùm coriandrum sit hîc necessariò puluerizandum, non erat necesse scribere siccum. Virens enim nō potest puluerizari. Idcirco necesse est ad alium sensum reducere illud siccum, scilicet quòd posuit siccum, pro non recenti. Sed reuera coniectamus, quòd Author considerata coriandri malignitate, præcepit sumi vetus, tanquam minus malignum. Et fortasse quòd etiam scripserit, sed interpres pro non recenti verterit siccum. Vnde saluo semper meliori iudicio, credimus semen corian

coriandri ante annum nõ esse administrandũ. Et de semine semper intelligitur, cùm absolutè coriandrum legitur. Quod semen est lignosum, siue paleaceũ, rotundum, siccum, bene odoratum, omnibus notum &c. Præparatur, siue corrigitur in aceto, & zuccharo vestitũ manditur libentius ab Italis, scilicet à prandio, vel post cœnã. Non tamen large sumunt. A nonnullis vulgò pitartima vocatur. Herbã sanè ipsius coriandri, quãuis sit cimicibus fœtentior, tamen Hispani abundantius comedunt: & non solùm in iuribus coctã vt apium, verumetiã & crudam acetarijs largè immiscent. Quam ob causam, putamus esse, quòd per totam Hispaniam sit maxima fatuorum copia, quod & coriandrum facere, non solùm Dioscorides lib.6. sed & omnes ferè authores apertè testantur. Plura nempe hospitalia in ipsis Hispanijs vidimus, quę scimus erecta esse tantummodo ad dictorum fatuorum sustentationem, in quibus diligens habetur de eis cura. *Coriandrũ absolutè.*

De Sauich, & Nabach.

DIuersi de sauich, diuersa dicũt. Et sunt qui hoc, & sunt qui illud esse affirmant. Sed perlectis omniũ opinionibus, quas ne tædio lectores afficeremus, libẽter dimisimus: quod autem verius compertũ habemus, afferimus. Igitur sciendũ quòd nil aliud est sauich apud Arabes, quàm quod polẽta apud Latinos. Vt probatur cõcordando plura capitula Dioscoridis, cum capitulis Serapionis & Auicenæ, scilicet quòd eo in loco vbi Dioscorides habet polentã, Arabes sauich habẽt. Vt exempli gratia, Dioscorides cap. de coriãdro ait: Illitũ (scilicet coriandrũ) cum pane, aut polenta, ignibus, & vlceribus quæ serpũt, medetur. Serapio autẽ in eodẽ capite. Quãdo fit emplastrũ cum eo, & pane, aut cũ sauich, curat erysipilã, & formicam. Item Diosc. cap. de hordeo: Ptisana plus alimenti præbet. quàm polenta ex hordeo facta. Serapio autem ibidem: Aqua hordei est pluris nutrimenti, quàm sauich. Et Auicenna in eodẽ cap. Aqua hordei est nutribilior sauich ipsius. Et cætera cõsimilia multa. Sed sciendũ quòd polenta propriè est subtilis farina, siue per se sicca, siue in pultis modo redacta. Sed in hoc suffuf & similibus locis, polẽta, scilicet ipsum sauich, debet esse puluis: quia tota cõpositio hæc ex pulueribus cõstat. Alioqui non esset suffuf, quod puluis interpretatur. Et non solùm intelligitur ex tritico, hordeo, & huiusmodi similibus: sed ex fabis, ciceribus, fœnugræco, & cæteris leguminum ac seminum generibus. Etiam fit ex thure, & alijs atq; alijs rebus. Vnde legitur apud Auicennam in quinto cañ. tractatu de suffufet: videlicet in descri *Polenta.*

ptione Kamiati melonis lõgi, Sauich de nabach, & sauich de bdellio. Et apud filium Serapionis in sexto Breuiarij, cap. xj. vbi ait: Et detur in potu sauich de mespilis, aut de nabach, & sauich de granis granatorum, & sauich de malis absq; zuccharo. Sed quan- *Sauich absolutè.* do simpliciter & absolutè legitur sauich: siue polenta: semper de hordeo, aut tritico intelligitur. Et quasi antonomasticè, polenta, seu sauich, intelligitur ex hordeo. Farina autem, ex frumento. Vnde in capitulo de coriandro Auicennæ, cùm legitur: Et cum farina fabarum, aut sauich, aut farina ciceris &c. pro sauich absolutè (quod est polenta) intelligitur farina hordei. Polenta qui- *Polen.* dem (vt nonnullis placet) à poline deriuari videtur. Polen autem est puluis farinæ subtilissimus, qui circa molendinum colligitur. Vnde polenta, quasi farina subtilis, ad polinis similitudinem. Igitur sauic alnabach, siue anabach, siue de nabach, est polenta, scilicet farina de nabach &c. Nabach autem, siue anabach &c. non est nomen patriæ, vt nonnulli falsò putauerunt: sed secundum veritatem (vt probatur conferendo ad inuicem capitulum 120. Serapionis, quod est de Sadar, & nabach, cum capitulo Dioscoridis de loto arbore, quam in primo libro posuit) est fructus ipsius loti. Lotus enim apud Arabes (vt legitur apud præfatum Serapionem, Auicennam, & Rhasim &c.) Sadar, seu sedar vocatur. Fructus autem ipsius sadar, apud ipsos dicitur nabach. Vnde Serapionis sadar, est arbor, & fructus eius est nabach. De quo fructu, consueuerunt ipsi Arabes facere sauich. Vt legitur in præsenti suffuf, & in præfato kamiato Auicennæ, ac etiam in proprio capitulo de nabach ipsius Auicennæ dicentis: Est stiptica, & propriè eius sauich. Et infrà: Confert &c. & propriè eius sauich. Et similiter in præfata authoritate filij Serapionis & alibi. Ex quo patet, quòd nabach non est Nabathi, vt quidam exposuerunt &c. Ponit etiam Auicenna aliud capitulum, quod intitulatur de grano anescen, siue (vt Bellunensis traduxit) de hab almensem: in quo videtur describi fructus loti, scilicet nabach, si confers capitulum Dioscoridis de loto arbore, cum ipso capitu- *Simonis Ianuensis error.* lo de grano anescem. Sed animaduertendum etiam, quòd Simon Ianuensis Serap. interpres, in cap. 186. errauit, inscribens ipsum cap. nabach. Quodquidem cap. est propriè, & quasi ad literam, capitulum Dioscoridis de narcaptpho, siue nascaphtho. Cuius minus recta traductio pluribus ex iunioribus ansam similiter errandi tribuit. Et ibi rectius (vt putamus) scibere debuisset lahasaten: vel Latinè aliquid significans illud, quàm nabach. Et probatur

batur quòd est suus & non librariorum error: quoniam eundem errorẽ in sua claui pluribus in locis commisit. Lotus autem, siue lotos arbor (quæ & faba græca, siue secũdum Seruiũ, faba Syriaca dicitur) si nõ est illa arbor, quæ vulgò Romæ pulsaraca nũcupatur, à nobis penitus ignoratur. Sed inclinatur animus ad illã: tum quia Dioscorides dicit lotum esse arborẽ vastæ magnitudinis (quod quidem Plinius 20. capite libri sextidecimi melius declarauit, addẽs, quòd in Italia cerasorum modo fructificat: quod etiamnum 17. cap. lib. 13. dixerat) tum quoq;, quia Hermolaus coralliorum libro, cap. de loto arbore, tradit accolas Padi ipsam arborem baccam syriacam appellare, & quòd vulgò Romæ puls syriaca vocatur. Vnde cõiectamus quòd corrupto vocabulo, pulsaraca, quasi puls syriaca, à vulgaribus Romanis hodie dicatur. Preterea quidẽ frater minor Siculus, cùm ostendissemus ei ipsam arborem pulsaracam vocatam, dixit nobis quòd in Sicilia vocabatur faba inuersa. Sed arbitramur ipsum errasse, & quòd pro faba græca, faba inuersam protulisset. Quoniã faba inuersa secundum iuniores, aliud atq; aliud est. Et scias quòd sub eisdem vocabulis, scilicet faba græca, faba Aegyptiaca, faba alexandrina, faba basiria &c. etiam quædam pondera denotantur. Ex suprà dictis igitur colligitur, quòd fructus huius arboris pulsaracæ, siue puls syriacæ, est nabach, cuius sauich quærit Author in præsenti suo suffuf. Vnde colligendus est ipse fructus, & præsiccandus, & postea molendus &c. Demum nõ ignorandum quòd loti diuersa sunt genera: vnde aliud arboreũ, aliud herbaceum &c. De quibus scribit Dioscorides lib. iiij. Item ex arboreo, aliud spinosum, & aliud lene, vt in cap. Sadar, authoritate Haboanifæ, Serap. scribit. Item diuersum ab istis genus pingit Theophrastus cap. x. lib. quarti de historia plantarum. Item ex præfato arboreo genere, aliud magnæ ramorum proceritatis, aliud paruum. Item, aliud multi fructus, aliud pauci. Et aliud corolatius, odoratius, saporosius, siue dulcius altero. Quamuis hæc & similia accidentia, seu differentiæ, teste Plinio atq; Hermolao, ex regionum diuersitate eis adueniant. Item alterius fructus, absq; interiori nucleo (qui bonitate præfertur cæteris) alterius verò osseus, vt est fructus nostræ pulsaracæ. Et licet in loto arbore omnes præfatæ, alieq; notæ & differentiæ reperiantur: attamen non legitur alicuius authoritate, lotos per hyemem non amittere folia. Hoc nempe dicimus: quia ferè omnes iuniores allucinãtur, asserẽtes loton esse arborem agrifolium, siue acrifolium vulgò nuncupatam. Nam

Lotus arbor, vel lotos.

Bacca syriaca.

Agrifolium nō est lotos. ipsam arborem agrifolium dictam, oculata fide, toto hyemali tempore, videmus seruare folia, nec bruma illis vtcunq; frigidissima nocet. Et quòd lotus arbor abijciat folia, ait Plinius 30. cap. libri sextidecimi. Nec aufert solem hyeme decidentibus folijs. Multas & alias notas omittimus, quibus probare possumus, agrifolium non esse lotum arborem: Et quòd agrifolium non extendit ramos in longum &c. Ergo lotus, quamuis reperiatur spinosa, non potest esse agrifolium dictum. Quod putamus rectius dicendum aquifolium, seu aquifolia, quodquidem est ilicis genus. Quodq; Theophrastus primo de historia plātarum inter ea genera, quæ per hyemem seruant folia, connumerauit, xv. cap. dicens: Buxus, ilex, aquifolia, celastrus &c.

De Charub, seu Carnub de spinis.

NOnnulli quidem sunt (quamuis errent) tenentes nabach charub de spinis, ad vnum & idem referri debere. Pro nabach (vt suprà iam diximus) intelligētes Nabathi, scilicet regionem quandam sic dictam. Cuius & meminit Auicenna capit. de Charnub. Ob quam causam magis (vt credimus) fuit inclinatus eorum animus ad tenendum fuisse secundum suam æstimationem, scilicet quòd pro nabach, sit intelligendum Nabathi. Et sensus erit: Charub de arbore spinosa, de illa regione Nabathia dicta. Sed reuera falsa est ipsorum opinio. Nec bene quadrat dicere, vel credere, authorem primum scripsisse regionem, & postea simplex. Sed Author vult vtrūq;, scilicet sauich de fructu nabach dicto, & vult etiā Charub de spinis. Quoniā vtrunq; cōpetit huic suo medicamini. Carnub autē, siue charub, declarat Bellunēsis in sua Arabicorū nominū interpretatione, esse xylocaractā spinæ, videlicet in litera Aliembut, dicēs: Aliembut est nomē commune ad arborē ex qua fit pix, & ad plantā in qua producitur carnub seuchi, id est xylocaracta spinæ, Et Ebenesis, & omnes alij Arabes in libris simpliciū dicunt, quòd est carnub Nabathi, seu carnub spinæ, cuius planta à terra eleuatur per cubitum, & est spinosa, & eius fructus est longus, & grossus, ad magnitudinem dactyli magni: sed tēdit ad obliquū, & nominatur siliqua, seu carnub spinæ. Et licet tendat ad rotundū sicut dactylus, tamen secundum colorem, & semina intrinseca, similatur siliquis, seu carubijs domesticis, & cōmuniter vsitatis in cibo. Et Damasci reperitur huiusmodi fructus. Hæc Bellunensis. Verūtamen quia talis fructus de facili non potest haberi, quia in partibus nostris nō reperitur, putamus loco illius fructus, vti nostris siliquis, siue charubijs, siue va-

ginulis,vel vaginellis nuncupatis,non esse malum:quas vaginulas Apuli vt Iuuenatienses,& cæteri Pistaczas vocant:quarum arbores in folijs,& fructificatione maximè æmulantur casiæ fistulæ arbores.In caudice,& quasi per totam arborem, vt ficus Aegyptia,fructum producunt.Et quamuis semel in anno fructũ ferat huiusmodi arbor:tamẽ nunquam est absq; fructu. Etenim ante vnius maturationẽ,alterũ,scilicet sequẽtis anni formatum ostendit.In Campania autem circa Gaietam, sunt huiusmodi arbores admodum paruæ: neq; fructus ipsarum sunt ita boni: syluestres enim sunt,Apulienses autem sunt domesticæ,& meliores.

De *Glandibus*.

NOn vna tantùm arbor glãdes gerit. Etenim plures sunt,vt quercus,robur, ilex, suber, & arbustum generis aquifolij, quod etiã fert coccũ.Et aliæ plures,quas Plinius ponit.Sed cũ ab solutè legũtur(vt hîc)ex ilice,vel è quercu sumi debẽt. Quanquã in inuicẽ,omnes & singulæ,scilicet altera pro altera commutari possunt.Iliceæ tamẽ,& quernæ, sunt cæteris meliores. Illud idem dicendum de cupulis,siue copulis glandium absolutè descriptis. *Glandium altera pro altera sumi potest.*

De *Curt & Tarathit*.

SVnt per omnes impressiones Latinas,& pauca quædam duntaxat exemplaria, in fine præsentis descriptionis duo simplicia,quæ in maxima exemplariorum parte nõ leguntur.Neq; sunt in vulgari æditione.Vnde contigit à nobis dubitari:an sint addita isti descriptioni, an verè ab ipso authore posita. Sed quia non videntur esse contraria,nobis visum est describere ea,signata tamen. Et hac de causa etiam non abstulimus: quoniam filius Serapionis in sexto Breuiarij,cap.xj.quasi consimile suffuf habet,in quo vtrunque recipitur. Sed pro Curt, ibi legitur corth. Inquit enim:Et si cogeris, da suffuf de granis granatorum, cum corth, & tarathit, & granis myrti. Hæc ille. Curt autem, vel curthi,vel corth,vel curthcuri &c.plura sunt barbara atq; corrupta vocabula.Rectius tamen putamus legendum Chard, vel Charad,vel Karad, vt Bellunensis in suis interpretationibus scripsit, quæ est arbor acaciæ.Et intelligitur hîc pro ipsa acacia:& non pro gummi Arabico, vt nonnulli falsò putauêre. Pandectarius autem,& recentiorum plurimi,in his & cõsimilibus vocabulis multa confundunt. De acacia quidem dictum fuit in modo confectionis iacur.De tarathit autem,quod est ipoquistidos, vide in cõfectione trochiscorum de terra sigillata. Ibi etiam diximus,quòd hæc duo possunt ad inuicem commutari.

Suffuf ad tußim antiquam CCLXXVI.


EGITVR mendosè in præsenti descriptione per omnes impressiones, supple latinas, seminis fœniculi ℥.j. legendum est rectius ℥.s. vt est in cūctis exemplaribus antiquis, necnon & in æditione vulgari.

DISTINCTIO DECIMA.

Pilulæ Alephanginæ, & eius interpretatio est, de aromatibus &c. CCLXXVII.


ILVLAE Alephanginæ, seu alefanginæ, idem est quod pilulæ de speciebus, siue de aromatibus, vt textus declarat. Pilulæ autem diminutiuè, à pila, quasi paruæ pilæ dicuntur. Coccia, & catapotia etiam vocantur, à verbo græco, quod significat deuorare. Quoniam id genus, non estur, nec lingitur, sed deuoratur. Hæ quidem pilulæ (vt habetur in litera) sunt ex inuentione ipsius filij Mesuæ. Verumtamen nobis videtur, quòd ipse Author noster in ista sua descriptione inclusit tres filij Serapionis descriptiones pilularū de speciebus, quæ habentur in septimo Breuiarij. Quarū tituli sunt: Pilulæ de aloë, cum speciebus multis. Pilulæ de specibus, diminuto aloë, & Pilulæ de speciebus, cum myrobalanis. Has igitur descriptiones variauit Author, vt sibi visum est. Vnde huiusmodi variationes forsan intelligit esse, ex inuentione sua. Hali Abbas quoq; in decimo practicæ, habet pilulas aromaticas, quæ in multis conueniunt cum istis, sed magis cum prima descriptione filij Serapionis. Et in septimo dictæ practicæ, capitulo quinto, habet vnam aliam descriptionem magis differentem. Bartholomæus Montagnana etiā in suo antidotario, habet pilulas de aloë præparato, quæ sunt multùm consimiles istis. Præterea ferè omnes impressiones habent mendosè in præsenti descriprione: Absynthij sicci, rosarū, ana ℥.v. Lege verius ʒ.v. Item, vbi legitur in cunctis impressionibus, ac etiam & in nōnullis exemplaribus, in præsenti descriptione: Et quandoque exigit dispositio vt minuatur ex eis virtus aloës: videtur esse minus recta circunloquutio. Non enim vult Author, vt minuatur virtus aloës, tāquam si voluisset aloën minus bonam (quod absit) sed vult vt minuatur pondus, siue

Coccia.

ſiue quantitas ipſius bonę,imò optimæ aloës.Quod poſtea in ſequentibus probatur,cùm dicit.Et tũc ponimus ex eo ℥.iiij. Nam virtus aloës(teſte Galeno octauo Miamyr , cum alijs pluribus) minuitur in ipſius lotione. Vnde ſi Author voluiſſet minuere virtutem eius,non dixiſſet:Et ponimus ex eo &c.Sed dixiſſet: Et lauamus ipſum &c. Igitur rectius,& clarius lege,vt eſt in multis de antiquioribus exemplaribus: Et quandoq; exigit diſpoſitio, vt minuatur pondus aloës &c. Aliàs quoque literæ deprauationes inuenimus in præſenti deſcriptione,quas in receptario correximus,vt legenti & cum alijs conferenti liquidò patebit.

De *Aloë*.

PEr varios Authores,variè legitur aloë,ſcilicet maſculino,fœminino,& neutro genere. Optimæ latinitatis amatores (vt ſcimus) fœminino,vt plurimũ vtuntur,& more Græcorum declinant:videlicet,aloë,aloës &c.& tam pro herba,quàm pro eius ſucco.Barbari autem,ſimili modo vt ireos,chamædryos,hypociſtidos &c.genitiuo tantùm,more inflexibilium vtuntur, aloës quaſi ſemper ſcribentes. Herba quidem aloës cognoſcitur,& ſuccus ipſius non ignoratur,cùm ſit vbique in frequenti vſu.Cognominatur autem hepatica,à calore quem cum hepate communem habet:vel quia in operatione ſua,cùm ſumitur,non tranſcendit hepar:vt Galenus,& cæteri teſtantur. Author enim noſter in ſuo de ſimplicibus faciens capitulum de aloë,Succotrĕſem magis laudat.Dioſcorides autem,licet numeret multa loca in quibus aloë naſcitur: tamen non commendat magis vnam, quàm aliam regionem. Excepit autem illam duntaxat,quæ naſcitur in Andro inſula,quæ non eſt apta ad ſuccum extrahendum:ſed ad agglutinanda vulnera emplaſtri modo appoſita. Vnde ſi non poteſt haberi ſuccotrina, ex qualibet regione poteſt ſumi dummodo nõ ſit arenoſa,vel nigra ſeu adulterata cum alijs extraneis liquoribus:quoniam huiuſmodi aloen omnino Authores deſpiciunt. De aloë autem caballina,ſiue alterius generis, non eſt opus pertractare,quoniam non exportãtur ad nos amplius. Aloë autem abſolutè,ſuccus intelligitur. *Aloë abſolutè.*

De *Aloës ablutione*.

NOn eſt minima inter Phyſicos & aromatarios iurgatio,de lauanda aloë.Et ſunt qui volunt vt abijciatur aqua eius:& ſunt qui non,ſed fiat per modũ imbibitionis ſeu nutritionis: & ſunt qui aliter,& aliter tenent. Nos autem dictis omnium bene conſideratis, reſpondemus abſolutè, quòd valde errant qui de

aloë,& maximè optima atq; electa,cùm lauant abijciunt aquam lotionis eius. Imò(quod peius est) scimus nonnullos ita obcæcatos,& à quadam ignorantia crassa circunuentos, qui lauantes aloen cum aqua specierũ, proijciunt & ipsam aquam,quam nos potius eligeremus tanquam partem meliorem ipsius aloës. Sed qua authoritate muniantur,vt aqua aloës ablutæ sit abijcienda, nescimus. At nullus est ex fide dignis Authoribus,qui hoc dicat. Author enim noster,cap.de aloë,cùm loquitur de qualitatibus optimæ aloës,nihil dicit de eius ablutione:cùm autẽ pertractat de aloë non bona,tunc declarat ipsam esse lauandam lotione, per quam fiat absterſio,id est separatio partium immundarũ.Inquit enim. In aloë autem quod elongatum est,& declinat à proprietatibus bonis, magnificantur hæc tria quæ diximus, supple suprà in rectificatione, scilicet quòd est ex tardè soluentibus,& quòd non extenditur in corpore,& quòd aperit orificia venarũ quæ malignitates, in aloë minus bona sunt maiores, quàm in aloë bona.Vnde sequitur corollarium,quòd quanto aloë sit minus bona,tanto maiores illas tres malitias habet. Et vltra dicit Author,quòd adhuc etiam est conturbatiuum faciens dolorem ventris, & nocet stomacho & hepati,& cætera quæ sequuntur. Quæquidem in optima aloë minimè sunt. Vnde consequenter de rectificatione malignæ aloës,sequitur Author,dicens: Et nos rectificamus huiusmodi lauando lotione,qua partium immundarum fiat absterſio &c.Quasi dicat:in aloë bona non erat opus huiusmodi lotionis:& ideò hucusque distulimus eam annotare. Similiter & Dioscorides faciens duo aloës genera,scilicet vnum purum,bonum, iocineris habens colorem &c. alterum malum, sabulosum,siue arenosum,quod est tanquam purgamentum boni:& loquẽs in fine capituli,de aloës ablutione,clarè patet quòd de maligno genere intelligit,cùm dicit: Lauatur,vt quod sit arenosissimum tanquam inutile subsidat:& leue ac pinguissimum assumatur. Idem dicit Serapio, authoritate ipsius Dioscoridis. Igitur in aloën puram non cadit ista ablutio. Sciendum etiam, quòd ex supradictis intelligens lector & aduertens,potest percipere quòd non solùm ex bona aloë non est abijcienda aqua lotionis eius,sed neque ex mala. Quæ si arenositatis,vel alteriusmodi causa sit mala,seu non pura,lauenda atque purificanda est his seu alijs consimilibus modis, videlicet post congruam triturationem liquefiat perquamoptimè in competenti aqua pura,& clara. Hinc coletur per stamineam raram,vt si quid in ea pilosi aut

Aloën malã abluẽdi modus.

aut paleacei, seu (vt barbarè loquamur) scofosi fuerit, vnà cum calculis maiusculis in ipsa staminea remaneat, & proijciatur. Deinde quod colatũ est, post modicam quietẽ (ad hoc vt si quid arenosi habuerit, fundum petat) transmittatur in aliud vas diligenter. Et quod in fundo repertum fuerit sabulosum abijciatur. Quod autem purum transmissum est, in sole siccetur. Sed si prima vice non benè purgabitur ex arena, transfundatur in aliud vas &c. donec habeas aloën mundissimam atque purissimam. Et sic lauatur optimè & propriè, ad proborum virorum mentem. Et omninò non est abijcienda aqua ipsius lotionis. Præterea ad obiectionem aliquorum) quam possent afferre dicentium: Cùm sit quòd teste Galeno, ac etiam ipso filio Mesuæ in suis canonibus &c. aloë lota minus soluat, hoc non posse euenire ei, nisi per abiectionem aquæ lotionis eius credendũ est. Respondemus: Quòd cùm aloë lota siccatur in ipsa euaporatione aquæ & humiditatis eius: euaporat consimiliter & pars virtutis ipsius solutiuæ. Et sic efficitur minus solutiua, & magis confortatiua. Et ideò non est necesse vt abijciatur ipsa ablutionis aqua. Et ne dicat aliquis, quòd per viã nutritionis (sicut declarauimus) non est lotio: quia probatur quòd sic. Et primò per præsentem descriptionem, in qua Author dicit: Et quandoq; exigit dispositio vt lauetur aloës prius cum aqua myrobalanorum &c. Et inferius: Et laua vltimò cum aqua de speciebus. Et illud idẽ dicit filius Serapionis in sua descriptione pilularum de speciebus, cum myrobalanis. Non enim proijciuntur aquæ myrobalanorum & specierum. Item in canone de modis lauationum ipse Author noster dicit: Et lauamus aloën: non lotus enim &c. vbi intelligitur per modum enutritionis, & cum aqua simplici, quia postea sequitur præcisè de ablutione per viam absterfionis, ad differẽtiam enutritionis. Vbi ait: Et quandoq; lauamus vbi oportet abstergere partes immundas. Hinc sequitur de lotione enutritionis aquæ specierum, ad differentiam aquæ simplicis præfatæ. Vnde dicit: Et quandoque lauamus aliquid vt magnificetur virtus eius, sicut lauamus aloën cum aqua specierum aromaticarum, vt magis confortet: & cætera quæ inibi leguntur. Ergo lauatio seu ablutio intelligitur etiã per viam nutritionis. Similiter probatur in libro Bulchasis, qui dicitur Seruitor: videlicet in 2. tract. vbi de ablutione aloès loquitur, quam postea per viam enutritionis fieri docet. Vbi etiãnum præcipit aloën semper elotam, siue præparatã in aqua specierum, esse administrandam in omnibus confectionibus & ele-

ctuarijs, in quibus aloë expetitur. Quodquidem laudamus. Tamen ſemper intelligitur, ſicut ipſe in fine ſecundi modi ablutionis aloës ſcribit. Videlicet, quòd tua interſit vt addas & minuas, ac permutes ex medicinis iſtis ſecundum opportunitatem ægritudinis. Quia non omnes ſpecies indifferenter vni ac omni competunt infirmitati: ſed hoc potius eſt medici, quàm aromatarij ſcire. Igitur cùm dicit Author. Et accipe aloës ſuccotrini ℔.j. & lauetur in ſcutella lapidea vitreata, cum aqua pluuiali, lauationibus pluribus, deinde exiccetur &c. Intelligit quòd tu accipias aloen, & laues illam per viam abſterſionis partium immundarum, modo ſupradicto, ſi eſt neceſſe, donec iudicaueris ipſam purisſimam atque mundisſimam. Et idcirco Author non determinauit vices ablutionis eius: ſed indicio noſtro illud dimiſit, ſcilicet quòd ſi non ſufficerit ſemel, aut bis: lauetur ter, & quater, & quinquies, & centies, ſi opus fuerit. Et nullo pacto abijciatur aqua, ſed permittio ſiccari ſemper. Poſtea (vt præcipitur) laua cum aqua ſpecierum, & deſicca, & vtere, vel ſerua.

De Decoctione ſpecierum alephanginarum.

ET licet clarum quòd Author dicat in canone decoctionum, quòd tibi ſupereſt ſcire medicinas quæ debilem coctionem ſuſcipiunt, & quæ fortem, ac poſtea doceat te cognoſcere ipſas, dicens: Omnia enim quorum virtus facilè reſoluitur, aut ſunt debilis texturæ, aut virtutem habent poſitam in ſuperficie, debili coctione indigent &c. Et infrà dicit: Et quando permiſcentur medicinæ diuerſarum intentionum &c. Hinc addit: Et ſi ſit vna ex eis debilior quàm altera, oportet vt graditio in decoctione earum fiat plus vel minus &c. Tamen in præſenti deſcriptione, videtur ſibijpſi contradicere, cum ſcribit ſpecies alephanginas, ſine aliqua gradatione, bulliendas eſſe in duodecim libris aquæ, vſque ad duarum partium conſumptionem. Nam cùm pręcipit, vt primum infundantur, certum eſt quòd ipſe Author non vult in ipſarum decoctione gradationem. Et generaliter omnes ſpecies aromaticæ paruam ſuſtinent decoctionem. Igitur quid eſt hoc quod dicit in præſenti deſcriptione? Et certè ſi apud filium Serapionis, & Hali filium abbas, & apud Bulchaſim ſimiliter non inueniſſemus, iudicaremus eſſe mendam in codice. Sed filius Serapionis, & Hali Abbas dicunt, vt bulliant vſque ad medietatem. quod parum differt. Bulchaſis autem in primo modo conuenit cum iſtis, vt bulliant vſque ad medietatem: in ſecundo autem modo, ſicut Author noſter ſcripſit. Vnde probatur quòd non

non errore, sed omni diligentia, & bono modo quodebuit, hoc esse. Qua factum in re sciendum quòd non est regula generalis tam absoluta, quòd aliquam non patiatur exceptionem. Igitur à generali regula decoquendi gradatim medicinas, excipitur decoctio specierum alephanginæ pro lauanda aloë: quæ aliter est facienda, vt textus declarat. Et hac de causa (vt arbitramur) authores permittunt diu bullire has species: vt si fortè in eis sit aliqua pars non confortantis virtutis, remoueatur ab ipsis: & sic postea sint magis confortatiuæ. Vt exempli gratia: suprà diximus de myrobalanis, qui magis bulliti, sunt minus solutiui, & plus confortatiui, & econtrà. Vnde authores volentes confortare aloë, necessario habuerunt perdere alteram ipsarum specierum partem, scilicet non confortantem. Et hac intentione non contradicit sibijpsi Author & debet fieri, vt ipse præcipit. Species autem alephanginæ quæ sint, suprà scilicet in prima miua, declaratæ fuerunt.

Regula quælibet patitur exceptiones.

Pilulæ stomachiscæ &c. CCLXXVIII.



EST in præsenti descriptione per omnes impressiones vnus error, videlicet vbi legitur, Absynthij, Scammoneæ, ana ℥.iij. Lege rectius ℥.iij.s. vt in cunctis exemplaribus inuenimus. Sciendũ etiã, quod vniformiter in omnibus codicibus, tam impressis, quàm manuscriptis, legitur in præsenti descriptione, hieræ picræ ℥.vij. Luminare Maius autem habet ℥.viij. quod vel librariorum vitio (vt putamus) vel quomodocunque factum sit, non rectè manet. Itẽ, lege epithymi Cretensis: vt habetur per omnes ferè codices tam manuscriptos, quàm excusos: non autẽ hortensis, vt Christophorus de Honestis allucinãter scripsit, ac declarauit. Præterea nescimus quam ob causam Author noster posuerit pilulas stomachicas, & similiter alandahal, & de rheubarbaro, siue de raued, & de Serapino, hincinde dispersas per præsentẽ distinctionem, & non iunctim omnes vnius tituli in vnũ, vt de alijs fecit. Nam infrà habet quinq; alias pilularũ stomachicarũ, siue (vt mauis) stomaticarũ descriptiones: de quibus locis suis. Etiam capitulo de cura sodæ à permistione choleræ nigræ, & flegmatis, habet vnam aliam descriptionem: omnes tamen sunt differentes. Ioannes Serapionis in 7. vnam tantùm habet descriptionẽ, authoritate Gabrielis, sub hoc titulo: sed supra & infra ipsam habet plures alias descriptiones, quæ faciũt ad diuersas stomachi

infir

infirmitates. Auicenna autem in quinto cañ. authoritate Alkindi, habet vnã descriptionẽ valdè differẽtem. Item Petrus Apponus, siue de Ebano, capitulo de medicinis materiã à stomacho repellentibus, ponit plures pilulas faciẽtes ad stomachum, inter quas etiam & præsentem descriptionem habet, diuersam tamen in aliquibus paucis, & sub diuerso titulo. Hic est: Pilulæ purgantes stomachum ab omni superfluitate &c. Pro tribus myrobalanis autem, intellige citrinos, chebulos, & Indos. Quiquidem vnico capitulo tantùm ab Authore nostro describũtur. Lege de ipsis in confectione Hamech secunda.

Pilulæ aggregatiuæ ex inuentione nostra &c. CCLXXIX.



VM dicit Author: Ex inuentione nostra. declarat ipsas apud alios non esse quærendas. Sunt etenim & in ista descriptione aliqua emẽdanda. Et primum, videlicet vbi per impresiones legitur: Recipe myrobalanorum citrinorum, raued seni, ana ℥.iij. rectius lege, ana ℥.iiij. Secundum, vbi per nõnullas impresiones legitur: Succi eupatorij, succi absynthij, ana ℥.ij. Lege verius, ana ℥.iij. vt cuncta exemplaria habent. Tertium, sciendũ quòd cuncta excusa volumina habent in præsenti descriptione: turbith boni, aloës, ana ℥.vj. Lege melius, ana ℥.vij. vt in maiori parte exemplarium inuenimus. Et certè si Author posuisset ℥.vj. fecisset vnum ana, cum scammonea, cuius similiter ℥.vj. recipiuntur. Item sciendum quòd electuarium rosatum cum quo conficiendæ sunt istæ pilulæ, ex descriptione ipsius Authoris, & nõ alterius sumendum est. Cuius titulus est: Modus electuarij rosati &c. De quo quære suprà. Præposuit Author hanc suam confectionem, tanquam alijs nobiliorem, & meliorem, quæ vbique habetur in vsu. Quanquam & sequentes etiam, à nonnullis quandoque parantur.

Pilulæ aggregatiuæ maiores &c. CCLXXX.



VNT & in ista descriptione per impressos codices quatuor mendæ. Prima videlicet, desunt in primo ana myrobalani bellerici. Sic enim legendum est: Recipe bdellij, myrobalanorum nigrorum, bellericorum, & emblicorum &c. vti cũcta exemplaria habent: necnon & vulgaris æditio, & Luminare Maius, & Nicolaus Præpositus. Secunda, ante cinnamomũ, deest zinziber.

Lege

Lege rectius sic: Zinziberis, cinnamomi, cardamomi &c. Tertia est, quòd vbi legitur: penidiarum albarum ʒ.iiij. legendum est ʒ.x. vt exemplaria ipsa testantur. Quarta autem est, quòd in fine huius descriptionis, per omnes impressiones legitur: Et vnge manus tuas cum oleo sambacino. quod oleum apud nullum Authorũ legitur. Nec illud quod falsò legitur in vltima distinctione huius antidotarij, per omnes eosdẽ impressos libros, est oleũ sambucinum: sed est oleum sambacinum, siue saubacinũ. Quodquidem petit Author in præsenti descriptione: vt probari potest per multa exemplaria, in quibus tam hîc, quàm ibi legitur apertè & clarè, oleum sambacinum. Et in nonnullis (quod putamus minus rectè) saubacinum, & non sambucinum. Plures nempe in affinitate vocabulorum sæpe decipiuntur. Sambac autem siue zambac, siue saubac, est illud quod & scribitur, & vulgo profertur iesminum, seu iasminum, siue magis barbarè iesemin, vel iasmin: vel secundum Rhasim, tertio cap. antidotarij separati, iecemінum. Cuius planta, secundum Serapionem & Auicennã, triũ generum est, scilicet quòd quædam fert flores albos, quædam citrinos, & quædam purpureos siue lazulinos. Apud nos autẽ non nisi album iasminum cognoscitur, quodquidem in viridarijs, opere topiario, ad decorem à multis colitur. Sed aduerte quòd apud Auicennam in quinto cañ. non ponitur capitulum de sambuco: & illud quod falsò inscribitur de sambuco, est capitulũ de iasmino. Vnde legendum est ibi de sambaco, siue de iasmino, vt Bellunensis emendauit: & legenti, & conferenti ipsum capitulũ cum capitulo de iasmino Serapionis, non est dubium. Oleum autem sambacinum: hoc est de iasmino, à multis commemoratur: vt præter Authorẽ nostrũ, à Dioscoride in primo libro, de quo facit capitulũ. Et petitur in præsenti descriptione, & in vnguento de bdellio, vbi similiter impressiones deprauatæ sunt, vt ibi dicemus. Et legitur etiam in capitulo Serapionis de iesemin. Et ponitur quoq; à filio Serap. in pluribus descriptionibus sui antidotarij. Et habetur in secũdo cañ. Auicẽnæ, capitulo de sambaco, quod falsò (vt diximus) inscribitur de sambuco. Ac etiã notatur ab ipso Auicẽna, cap. de nefrin, vel nesrin, siue neserin: quod est de rosa parua, syluestri, alba, vulgò dicta Damascena, seu damaschina & à nonnullis rosa muscatella dicitur. Vbi asserit nesrin esse in virtute sambaci, debilius tamen: & oleũ eius est proximum virtuti olei sambacini, quãuis debilius: quodquidem etiam dicit Serapio, authoritate Mesarugie, in cap. de nesrin, scilicet

Sambac. *Iasminum.* *Oleum sambacinum.* *Rosa damascena.* *Rosa muscatella.*

quòd

quòd est simile virtute sua in ieusemin. Vnde sciendum, quòd in defectu olei sambacini, possumus vti oleo de nesrin, id est de rosis damascenis, siue muscatellis præfatis. Item notatur in eodẽ secundo cañ. Auicennæ capitulo de oleis, & in quinto cañ. ipsius, scilicet in descriptione olei de euphorbio. Et alibi. Itẽ apud Rhasim in antidotario separato, scilicet in compositione olei citri, recipitur oleum zambac, quod idem est quod oleum sambacinũ &c. Oleum autem sambucinum (vt diximus) adhuc nusquam legimus, nisi errore positum pro sambacino, vt hîc &c. Lege igitur rectius: Et vnge manus tuas cum oleo sambacino.

Pilulæ aggregatiuæ minores &c. CCLXXXI.



HENDOSE legitur per omnes impressiones in præsenti descriptione: Recipe myrobalanorum &c. ana ʒ.iij. Cùm rectius sit legendum, ana ʒ.iiij. Vt habetur in antiquis exemplaribus. Et similiter habet Petrus Apponus, qui ponit præsentem confectionem authoritate Iudæi, in cap. de medicinis materiã à stomacho repellentibus. Cuius titulus est, Iudæus. Pilulæ confortantes stomachum &c. Sed absque raued seni, & additis succi rosarũ ʒ.iij. Ponitur & ab Auicenna in quinto cañ. præsens descriptio authoritate filij Hilgeben: sed differt in ponderibus, nec habet raued seni. Præterea legitur in fine huius descriptionis: Confice cum succo apij, & da ʒ.ij. cum aqua calida. Illud cum aqua calida, in maiori parte exemplariũ nõ legitur. Vnde putamus, quòd vel est additio librariorũ, vel est mẽda in codice, vt similiter est in sequentibus pilulis de eupatorio. Et sic forsan intelligat Author ipsas pilulas cõficiendas esse cum succo apij, vel cũ aqua calida. Nam & Auic. cum simplici aqua suas informat. Et tunc sic esset legendũ: Confice cum succo apij, vel cum aqua calida. & da ʒ.ij. Nos autẽ tanquam superfluum deleuimus ab ipsa descriptione.

Pilulæ de Eupatorio maiores &c. CCLXXXII.



HAEC quidem pilularum descriptio ponitur à filio Serapionis in 7. in principio capituli decimiseptimi, quod est de pilulis: sed in his tantùm discordat ab ista. Videlicet, quòd habet aloës ʒ.iij. Author noster ʒ.v. Itẽ Raued seni ʒ.ij. Author autẽ noster ʒ.iij.s. Præterea peruersè legitur in fine præsentis descriptionis: Cõfice cũ succo endiuiæ: dosis eius est ʒ.ij. cũ aqua casei. In exẽplarib⁹ antiquis autẽ, sic rectius legitur: Cõfice cũ succo endiuiæ

diuiæ,vel cũ aqua casei.dosis est ʒ.ij.Et sic(vt credimus)est secundũ veritatẽ.Filius Serap.autẽ habet simpliciter cũ aqua endiuiæ.

Pilulæ de Eupatorio minore &c. CCLXXXIII.



ONSIMILITER vt in præfata,& in fine præsentis descriptionis: imò peruersissimè legitur: Confice cum aqua apij.da ʒ.ij.& in alio cum aqua endiuiæ. In maiori parte exemplariũ antiquorũ sic inuenimus: videlicet, Cõfice cum aqua apij vel cum aqua endiuiæ,& da ʒ.ij.Et in nõnullis sic, Cõfice cum aqua apij,vel cum aqua casei,aut cum aqua endiuiæ,& da ʒ.ij.Et huiusmodi lectionem credimus esse veriorem.In tribus verò ex ipsis exemplaribus,nec aqua casei, nec aqua endiuiæ legitur. Sed simpliciter sic: Confice cum aqua apij,& da ʒ.ij.Filius Serapionis quidẽ,& Auicenna,ille in septimo,& iste in quinto habẽt istammet descriptionem,sed absque raued seni: & absolutè conficiũt cum aqua apij. Hali Abbas autem in x.practicæ,sub titulo Pilularum gafeti,habet vnam descriptionẽ, diuersam tamen ab istis.

Pilulæ de Rheubarbaro &c. CCLXXXIIII.



D DIVERSAS intentiones diuersas Author noster pilularum de rheubarbaro posuit descriptiones. Et vt ne quis decipiatur in eis,alteram descriptionẽ accipiendo pro altera, variauit etiã & ipsarum inscriptiones. Et has præsentes pilulas de rheubarbaro: illas autem quæ sunt infrà,de raued titulauit. Etenim bene sciens ipse quòd rheubarbarum & raued sunt idem,ne quispiam suspicaretur ipsum imprudenter seu ignoranter hoc fecisse: titulans istas de rheubarbaro, scripsit postea:Recipe raued &c. Vnde sciendum,quòd pro pilulis de rheubarbaro absolutè (supple ipsius) semper istæ debent intelligi, & non illæ quæ dicuntur de raued. Et econtrà,illæ semper de raued, & non istæ. Petrus Apponus,nempe Author libri filij Mesuæ in fine capituli de ægritudinibus & oppilationibus hepatis, habet vnam descriptionem pilularum de rheubarbaro, differẽtem tamen ab ista. Rhasis quoque in antidotario diuisionum,capitulo de medicinis hepatis,habet vnam similiter differentem. Et in nono ad Almansorem, capitulo de hydropisi, habet pilulas de raued quæ similiter differunt ab infrascriptis & ab istis. Sed filius Serapionis in septimo habet eandem præfatam & infrascriptam descriptionem pilularum de raued,in quibusdam tamen paucis differentem

Pilulæ de rheubarbaro absolutè.

rentem: & in eodem capitulo, habet etiam istammet descriptionem pilularum de rheubarbaro, in aliquibus similiter differenté. Sed non inscribitur de rheubarbaro. Et proprie est secunda descriptio, in ordine ipsius capituli de pilulis. Bartholomæus à Mõtagnana in suo antidotario, cap. de pilulis, habet pilulas rheupõtici, quæ (vt putamus) non intelligendæ sunt de rheubarbaro: quoniam ipse forsan vulgares sequutus, non tenebat rheuponticum esse rheubarbarũ. Quod probatur in eodem suo antidotario, capitulo de electuarijs, scilicet quòd in electuario ad cholerã prasinam, vtrunque descripsit, scilicet rheubarbarum, & rheuponticum: quod nusquam ab alio priorum legitur esse factum. Vnde dictas pilulas potius suspicamur esse de maiori centaurio, quàm de rheupontico. De quibus mox dicemus. Præterea aliquæ impressiones habent mendosè in præsenti descriptione: Myrobalanorum citrinorum ℥.iij.s. Verius est ℥.ij.s. Vt in cæteris impressionibus, & cunctis exemplaribus legitur.

De Rheubarbaro, Rheupontico, & Raued.

SVpra vires nostras equidem labor est de rheubarbaro pertractare. Sed neq; fas erit ipsum absq; declaratione pertransire. Et quamuis rhaponticum, siue rheuponticum non nominetur in ista descriptione: tamen & de ipso necessariũ est aliqua cõscribere, ob meliorẽ rheubarbari declarationẽ. Rheubarbarum igitur, siue (vt mauis) rhabarbarũ, si veritati volumus adhærere, idẽ est quod Rhaponticũ, id est rheuponticũ. Differentia enim quæ est inter ipsa, est diuersitas locorũ. Vnde pro rheu, siue rha, siue raued, vel rauet, semper intelligitur genus radicis illius, quod vulgò rheubarbarũ nominamus. Quod quidẽ, si nascitur in Põto: dicitur rheu, vel rha Ponticũ. Si autẽ in Barbaria habet ortum suum: dicitur rheu, vel rha, vel raued, vel rauet barbarũ. Si verò in Turchia, nominatur rheu &c. turchium, vel turchicum. Et si in seni, vel sini, seu sceni: vocatur rheu, seu raued seni, vel sini &c. Quod & testatur ab Authore nostro, capitulo de rheubarbaro, dicente, Ex speciebus rauet, aliud est quod nascitur in India; & est rauet sceni: & aliud est rauet barbarum, & aliud est rauet turkium. Et similiter à Simone Ianuensi, & Pandectario in litera raued. Isidorus quoq; capitulo nono libri decimiseptimi Etymologiarum, ait: Rheubarbarum, siue rheupõticum, illud quod trans Danubium in solo barbarico: istud quod circa pontum colligitur nominatum est. Rheu autem radix dicitur. Rheubarbarum ergo, quasi radix barbara: rheu ponticum, quasi radix pontica. Hæc Isidorus,

Rhabarbarũ, & Rhaponticũ idẽ.

Rheu.

Isidorus. Celso enim absolutè radix põtica dicitur. Differt etiam rha ponticum, à rha barbaro, in hoc, scilicet quòd ponticum (vt Diosc. & Plin. tradũt) est inodorũ, & valde leue: barbarũ autem, est odoratissimũ & ponderosius. Et hoc nõ magni facimus, quia plurima sunt, Theophrasto teste, quę recẽtia minimũ aut nullum habent odorẽ: sicca autẽ sunt odoratissima, & ecõtrà. Vt exempli gratia: Radicẽ gentianæ omnes scribũt inodoram esse: sed de recenti, scilicet virenti intelligunt: quæ certe (vt pluries experti sumus) cùm est recens, quasi nullum habet odorẽ: sicca autem maximum, & non ingratũ spirat odorẽ. Et similiter est iris, & alia plura. Vnde potest esse forsan, quòd rheu barbarũ recens sit inodorum: etenim ad nos nunquã exportatur virẽs. Non obstãte quòd Manardus dicat in suis Epistolis, se habuisse verũ rheuponticum inodorum: forsan si habuisset & rheubarbarum ita recens, sicut & ponticũ habuit, probasset etiã ipsum nõ ita odoratũ esse. Rauet autẽ seni, est vt barbarũ, sed melius & electius, teste ipso Authore nostro, quod ad nos amplius non defertur. Raued barbarũ tantùm cõuehitur, & hoc aliquãdo vitiatũ. Per rheu Turchiũ verò, putamus authorẽ nostrũ intellexisse rheuponticũ: quoniã aliter rheuponticum nõ descripsit. A Plinio rhacoma, siue rhecoma scribitur. Igitur pro rheupõtico, & rheusini, optimè substituitur hoc rheubarbarũ quo vtimur. Præterea quia doctorũ super his, & præsertim iuniorũ, variæ sunt opiniones, eas studiosis legẽdas dimittimus. Concordant tamen nobiscum Ruellius, & Gulielmus Putaneus (qui aduersus Manardum & Leonardũ Fuchsium, longa disputatione cõprobauit rheubarbarũ, à rhapontico non differre, nisi natali solo) & alij plures. Animaduertẽdum autem quòd pro rheupontico non intelligimus hoc quod falsò sic nominant hodie vulgares, quod quidem non ẽ Ponto, sed ex Monte gargano Apuliæ, & alijs locis affertur, quod certissimẽ est centuarium maius. Quamuis Brasaulus aliter sentiat. Sed rheuponticum dicimus illam speciem rheubarbari (vt ita dicamus) quæ in Ponto nascitur. Apud Aëtium autem, & Actuarium, & nonnullos Græcorum, legitur aliquando in suis compositis rhabarbarum, radix pontica, rheu indicum &c.

Recẽtia plura inodora, quæ sicca sunt odorata.

Rhecoma.

Rheupõtici loco quid sumendum.



Pilulæ de Alchechengi. CCLXXXV.

ISTARVM pilularum descriptio (vt putamus) nõ est ex propria authoris nostris inuẽtione: quia licet legatur in textu, ex inuentione nostra (quæ

possunt esse addita ab alijs ad ipsum textũ) ponitur tamen à filio Serapionis in septimo quasi ad literã: & locatur tertio loco in capitulo pilularũ, cuius titulus est: Pilulæ, quæ conferunt ad febres antiquas &c. Item ponitur ab Auic. in quinto cañ. & titulus eius est: Pilulæ conferẽtes ad febrẽ cronicã &c. Præterea intitulantur hæ pilulæ de Alchechengi, quarũ inscriptio vel est mẽdosa (quoniam postea nõ legitur alchechengi in tota descriptione, & neq; in filio Serapionis, neq; in Auicenna est huiusmodi titulus) vel Author per aquam solatri (cum qua conficiuntur ipsæ pilulæ) intellexit succum alchechengi, quod est species solatri. Et sic per ipsam aquam solatri, qui est succus, vt in Auicenna clarè patet, intelligendus esset succus alchechengi, quodquidem nobis non displicet. Veruntamen sic dimisimus: quia sic inuenimus in exemplaribus antiquis etiam. Item sciendum quòd præter vnam, quæ est de modernioribus, omnes excusiones quas vidimus, habent in ista descriptione mendosè excusum: Casiæ fistulæ. In præfatis cunctis exemplaribus autem legitur absolutè, Casiæ: & stat pro casia lignea, vel eius specie: quoniam filius Serapionis loco casiæ, habet Seitaragi: quo nomine (vt superius diximus) quædam species casiæ ligneæ etiam nuncupatur. Auicenna autem nihil eo in loco habet. Et licet pro casia fistula quandoq; intelligenda sit casia lignea: tamen pro simplicioribus, qui facillimè in æquiuocis peccant, non est bonum vt scribatur cum additione fistulæ. Per venas liquiritiæ, intellige radices illius. Filius Serapionis autem & Auicenna in tali loco, succũ liquiritiæ habent, quod putamus melius.

Aqua solatri.

Pilulæ ad febres antiquas: inuentione Philagrij &c. CCLXXXVI.



PONVNTVR hæ pilulæ ab Authore nostro, inuẽtione Philagrij. Habentur autem in septimo filij Serapionis sub eosdem titulo, sed nõ ex inuentione Philagrij. Differũt tamen in quibusdã ponderibus: nec recipiũt trochiscos de rheubarbaro. Præterea sciendum quòd in presenti descriptione per omnes impresiones desunt myrobalanorum chebulorum ʒ.iij. In cunctis, enim exemplaribus inuenimus, & similiter sunt in descriptione filij Serapionis, quapropter rescribendæ sunt in ipsis impresionibus. Et debent locari post trochiscos de rheubarbaro, sic videlicet: Recipe trochiscorum diarhodõ, trochiscorum de rheubarbaro,

baro, ana ʒ.iiij. myrobalanorum chebulorum ʒ.iij. ſucci eupatorij &c. Item, vbi legitur in ipſis impreſsis libris: ſalis indi ʒ.j.s. Lege rectius ʒ.j. quia ſic eſt ſecundum veritatem in præfatis exemplaribus: & ſic etiam habet filius Serapionis.

Pilulæ Indæ quas ſcripſit Hali *&c.* CCLXXXVII.



BI Hali Abbas deſcribat has pilulas, adhuc nõ valuimus inuenire. Vel forſan eſt alter Hali, cuius operibus caremus. Et quòd fuerit alter huius nominis, præter filiũ Abbas, poteſt coniectari ex verbis ipſius Authoris noſtri, in cap. de ſarcocolla, dicentis: Confectio pilularũ ex ſarcocolla, quas fecit Hali ſenex. Senem forſan poſuit, ad differentiam alterius iunioris. Et ſimiliter Hali filius Abbas, forſan ſic cognominatur ad differentiam alterius Hali non filij Abbas. Ponit quoq; Author præſentem deſcriptionem, capitulo de helleboro. Vnde rationabiliter poſſunt etiam dici, pilulæ de helleboro. Non obſtante quòd ipſæ deſcriptiones varient in quibuſdam inter ſe. Etiam quaſi conſimilem deſcriptionem, authoritate Sabor heben Girges, habet ipſe Author in capitulo de ſoda frigida ab humore melancholico. In quinto canõ. Auicennæ autem ſunt pilulæ indæ factæ cum muſco. Et in ſeptimo filij Serapionis ſunt duæ deſcriptiones pilularum indarum, & vna ipſarum fit cum muſco. Quæ omnes ſunt valde differentes ab iſta filij Meſuæ. Sunt præterea in præſenti deſcriptione aliqua emendanda. Et primo vbi legitur per omnes impreſſos codices: Agarici &c. ana ʒ.iiij. Legendum eſt, ana ʒ.iij. Item in nonnullis ex ipſis impreſsis codicibus, in quibus legitur: Epithymi, ſticados. ana ʒ.v. legendum eſt, ana ʒ.vj. quia ſic inuenimus eſſe ſecundum veritatem. Nicolaus Præpoſitus autem in iſta deſcriptione, præter epithymum, habet & thymũ, qui apud nullum aliorum legitur: deleatur ergo.

Pilulæ Alandahal *Hermetis &c.* CCLXXXVIII.



PER impreſſos libros præſens deſcriptio in quibuſdam clauſulis ita cõfusè legitur, quòd vix aromatarij vtcunq; periti poſſunt capere verum ſenſum ipſius, & rectam authoris intentioné, de modo conficiendi ipſas pilulas. Etenim exemplaria antiqua ſic rectius & clarè habent. Omnia, præter laudanum, & maſtichem, terantur, & cribrellentur, & in vnum miſceãtur. Maſtix verò diſſoluatur cum pauco oleo nucum, & liniantur cum

eo ſpecies cribrellatæ:Deinde cum laudano conficiantur in mortario, terendo ea cum piſtillo calido, & fiant pilulæ groſſæ &c. Infrà Author ponit aliam quaſi ſimilem deſcriptionẽ, ſed abſq; hiera & maſtiche. Et inferius habet aliam diuerſam deſcriptionem, ſub cognomine de coloquintida.

De *Laudano.*

QVa planta Ladanũ, ſiue laudanũ colligatur, à Dioſcoride clarè deſcribitur. Ex ciſti enim, ſcilicet barbæ hircinæ genere cõſtat, longioribus ac ſtrictioribus folijs. Quod quidẽ (ni fallimur) ſæpe vidimus in Italia. Sed tam paruã pinguitudinẽ generat, quòd nõ colligitur ex eo laudanũ. E Cypro inſula optimũ habetur: ſed ad nos rarò nõ adulteratum conuehitur. Qui emũt igitur animaduertãt, vt purũ emãt: quod eſt, vt ſit ſubuiride, molle, pingue, reſinoſum, odoratum, nihil habens arenæ, ſeu alterius immunditiæ. Reperitur quandoq; ſcriptum ſub nomine conſitæ: vt eſt infrà, ſcilicet in emplaſtro Oribaſij. Lege ibi.

Pilulæ de Sarcocolla, & ſunt pilulæ Hali &c. CCLXXXIX.



HAS pilulas ad literam ponit Author in capitulo de Sarcocolla, ex authoritate Hali ſenis, vbi dicit: Confectio pilularum ex ſarcocolla, quas fecit Hali ſenex &c. Vnde probatur titulus præſentis deſcriptionis per impreſſos libros eſſe deprauatus: & pro Hali, impreſſum eſt albæ. Plura etenim adhuc extant exemplaria, quæ habent clarè per literas Hali; & nonnulla abbreuiatè, Hal. vel ſic: al. ex quibus error originem ſumpſit.

De *Sarcocolla.*

SArcocolla gummi eſt arboris in Perſide naſcentis, vt inquit Dioſcorides. Sed à noſtro Authore in proprio capitulo additur, quòd eſt ſpinoſa, & non admodum magna, ſed tanquam frutex: & quòd eſt duûm generum, ſcilicet alterum album, & alterum ſubcitrinũ, & quòd potentius eſt albo ſubcitrinum. Subcitrinum putamus poſuiſſe, pro rufo; quoniã Dioſcorides ſarcocollam rufam eſſe dixit. Auicenna quidem vt Author noſter loquutus eſt. Plinius autem capitulo 14. libri 24. dicit: Vetuſtate ſarcocollam maximè nigreſcere: addensq; candidiorem eſſe meliorem. Et libri 13. cap. xj. ſcripſit: Sarcocollæ gummi candidum eſſe melius, quàm rufum. Et idem dicit Serapio, authoritate Abix, ſcilicet quòd albior eſt melior. Ex quo, ſi vetuſtate nigreſcit, ergo quanto

quanto albior, tanto recentior: & si albior est melior, ergo quanto recentior, tanto melior. Item concordat Author noster cum Dioscoride, de amaritudine, amarioremq; commẽdans. Et illud idem dicit Serapio, authoritate Dioscoridis & Galeni. Plinius verò asserit ipsam cum quadam acrimonia esse dulcem. Nos autem in hoc simplici, potius credimus Dioscoridi, & Galeno, & per consequens Authori nostro, quàm Plinio. De huiusmodi verò & cæteris simplicibus externis, malam possumus habere cognitionem: ex quo velimus nolimus, oportet nos de eis negotiatoribus præstare fidem. Adulteratam vtplurimùm nobis vendunt: quoniam vt ipsi de se testimonium perhibent, ab infidelibus puram nequaquam emere valent.

Pilulæ fœtidæ maiores &c. CCXC.
Pilulæ fœtidæ minores &c. CCXCI.



ERE per omnes impresiones est vna menda in prima istarũ descriptionũ: videlicet vbi in ipsis legitur, Scãmoneæ ℥.iiij. legendũ est rectius ℥.iij. vt per cũcta exẽplaria habetur, & per descriptiones filij Serap. & Auic. probatur: qui duplicato põdere scribẽtes, habent scammoneę ℥.vj. Author enim noster in summa quarta de ægritudinibus neruorũ, habet quatuor pilularum fœtidarũ descriptiones: binas videlicet, & binas, scilicet maiores & minores, quæ in aliquibus cum istis nõ conueniunt. Filius Serapionis in septimo habet maiorũ descriptionẽ similẽ huic, præter quàm quòd non habet hæc quatuor simplicia, scilicet hermodactylũ, alscebram, turbith & zinziber: & recipit minorẽ euphorbij portionẽ, si ipsa descriptio non est aliquo modo deprauata. Habet quoq; duas minorum descriptiones: quarum prima ad literam conuenit cum ista minori. Auicẽna autem in quinto cañ. habet quatuor descriptiones, quarum tituli sunt: Pilulæ fœtidæ magnæ, fœtidæ maiores, fœtidæ minores, & fœtidæ Alkindi. Maiores autem & minores, ad vnguem vt filius Serapionis posuit: dempto quòd minores non habent myrrham. Rhasis verò in nono ad Almansorem, cap. de Paralysi, habet pilulas fœtidas: & in antidotario diuisionum, cap. de medicinis ad torturam, easdem posuit, sed cum additione maioritatis: & differunt ab istis in multis. Hali Abbas quoq; in x. Practicæ, ponit duas descriptiones similiter differentes. Etiam Arnaldus à Villanoua in suo antidotario habet duas descriptiones, istis dissimiles.

De Ammoniaco, siue (vt mauis) Armoniaco

Quod ad armoniam non pertinet, barbarè quidem armoniacum dicitur. Rectius autem dicendũ est Ammoniacum ab Ammone, iuxta cuius oraculũ in Aphrica, seu in Lybia, secundum Marcellum, plurimũ gignitur. Gummi modo concretus succus est, è ferulacea planta eiusdẽ nominis, qua nos caremus, Dioscorides Author est. Vnde cõsimiliter, vt de sarcocolla, & de hoc, & alijs pluribus, mercatoribus creditur. Sed nota quòd hoc nomẽ, scilicet ammoniacũ, est commune ad plura. Vnde etiam quoddam sal, ammoniacum dicitur, de quo aliàs. Et licet ammoniaci succus à Romanis, scilicet Latinis (vt Diosc. scribit) gutta dicatur: tamen pro gutta simpliciter scripta) quæ certè res aromatica est: vnde in Psalmo: Myrrha, gutta, & casia legitur) à doctis, non ammoniacũ, quod malè olet: sed stacte, siue styrax liquida intelligitur. Et nõ per hoc quia ipse Diosc. dicit ꝙ ex ammoniaco fit thymiama, intelligatur quòd ammoniacũ suauè oleat: quoniã antiqui in thymiamatis cõpositionibus multa olfactu horrida immiscebant. En ipsemet Author declarauit suũ malum odorem, dans castorei similitudinem. Et res ipsa olfacientibus maximum veritatis rei præbet testimonium: ex quo igitur non dubitamus ipsum esse verũ quo vtimur, adulteratũ supple.

Ammoniacum plura significat.

De Harmel.

Hvcusque distulimus de Harmel pertractare, ex eo quòd in præsenti descriptione nonnulli pessimè declararunt Harmel (quod est genus siue species rutæ syluestris & montanæ) esse cicutam. Non enim sciunt quid loquuntur. O vtinam in compositionibus, quæ ore sumuntur, non fuisset expressè contrarium, cicutam pro harmel substituere. Nescimus quippe qua authoritate Pandectarius, Lumẽ apothecariorum, & Thesaurus aromatariorum, & cæteri dicant cicutã vocari harmel, vel cum aspiratione, vel sine ea. Atqui non legitur hoc in Diosc. non in Galeno, non in Paulo, non in Serapione: & quod maius est, neq. in Auicenna, cuius authoritate malè intellecta forsan aliqui ex ipsis muniuntur, vt mox videmus. Sed neq; est in aliquo ex iunioribus nõ spernẽdis, vt sunt, Ruellius, Brasaulus, Manardus, & cæteri. Nam quid Dioscorides lib. 3. cap. de ruta syluestri, de huiusmodi re dicat, audiamus. Pertractans enim de syluestri Galatica, & Cappadoca ruta, ait: Sunt qui eam armalam vocẽt, Syri Besasam: qui Capadociam incolunt, moly: quoniã quandã cum moly seruet similiudinem &c. Armala, pro armel, siue armela ponitur. Non obstante

Cicuta non est harmel.

Cicuta non est ore sumẽda.

Armala.

ſtante quòd armala, ſiue armel, & beſaſa etiam vocetur ruta ſatiua, & hortẽſis, vt apud ipſum Dioſcoridem legitur: quoniã abſolutè, & quaſi per antonomaſiam (vt ab omnibus fide dignis receptum eſt) ruta ſylueſtris, & montana intelligitur. Et ſecundũ traditiones Ruellij, & Marcelli, ſine aſpiratione in principio, ſcribitur. Hermolaus autẽ aſpiratè traduxit harmala. Quid autem Galenus lib. 6. Miamyr, ſcilicet in Diabeſaſa deſcriptione, aſpiratè ponat, afferatur: Beſaſa, (inquit) quod nonnulli harmala vocãt: eſt autẽ vna ruta ſylueſtris. Et Paulus lib. 7. fine h, ſic ſcribit: Moly, quod nonnulli rutam ſylueſtrẽ, alij armalam dicunt, Syrij Beſaſam. Serapio autem 285. cap. (quod eſt de harmel) nónne illud idem, quod Dioſcorides, de ruta ſylueſtri Galatica ſcribit? Et Auicenna in ſecũdo cañ. cap. de harmel, quid aliud quàm eandem rutam ſylueſtrem intellexit? En probatur, per authoritatẽ Dioſcoridis, quam in dicto ſuo capitulo adduxit. Ait enim: Membra oculi. Dioſcorides dixit quod ipſa trita cum melle, & vino, & felle alcubuli, & gallinarum, & aqua fœniculi, conueniens eſt debilitati viſus. Deeſt quidem in iſta authoritate crocus, & fortaſsè librariorum incuria. Dioſcorides autem in præfacto cap. eadem ſententia, de ſemine ipſius rutæ pertractãs, ſic ſcribit. Quod cum melle, vino, croco, & fœniculi ſucco, ac gallinaceo felle teritur, contra retuſam oculorum aciem. Etiam quòd minimè intellexerit cicutam, manifeſtè patet: quoniam infrà in eodẽ ſecũdo cañ. habet cap. de ſuccaram, quod eſt de cicuta. Illud autẽ quod poſitum eſt ab ipſo Auicẽna in quarto cañ. fen. vj. tract. iij. cap. 33. de cura morſus viperarum, non cõtradicit ſibijpſi, vt plurimi falsò arbitrati ſunt. Vnde non benè percipientes ſenſum illius circunloquutionis, nõ ſolùm errauerũt ipſi, ſed & alijs plurimis anſam errandi cõtribuerũt. Hæc nanque ſunt Auicennæ verba: Ruta ſylueſtris: & non eſt alharmel, ſecundũ quòd exiſtimauerũt quidã, imò eſt ſpecies rutæ ipſius. Non enim aſſerit alharmel nõ eſſe rutam ſylueſtrem: imò cõfirmans quòd eſt, & declarans dicit, quòd ipſe non intelligit in illo loco, illam rutã ſylueſtrẽ, quæ ſpeciali vocabulo vocatur harmel: ſed vult aliã ſpeciem ipſius rutæ ſylueſtris. Et quòd ſint plures ſpecies rutę ſylueſtris, nõ ſolùm per Dioſcoridem, verumetiã & per alios plures Authores apertè deſcribitur. Interpres operum Auerrois etiam magnopere errauit in quinto Colliget, declarãs alharmel eſſe cicutã: vbi debebat dicere eſſe rutam agreſtem, armalam nuncupatã: quia infrà declarauit aliam ſpeciẽ rutæ ſylueſtris, ſub nomine Alſedep. Et manifeſta-

Beſaſa. *Ruta ſylueſtris abſolutè.* *Moly.*

ſtauit ibi errorem ſuum ſcribens contra omnes Doctores, cicutam eſſe calidam & ſiccam in tertio gradu, quæ eſt frigidiſsima &c. Ex quo probatur, quòd non Auerrois, ſed ipſe interpres errauit: quia Auerrois pro alharmel intellexit rutam ſylueſtrem: vnde notauit ipſam calidam. Authoritates verò iuniorũ aſſerentium harmel eſſe rutam agreſtem, & non cicutam, ne ſimus prolixiores, non ſcribimus, ſtudioſi quidem facillimè omnia percurrunt. Hanc itaq; rutam ſylueſtrem harmalam, ſiue hermel vocatam, Venetijs primũ vidimus, & exinde Romam detulimus, & in & in noſtro Aræceli hortulo ſeuimus: ſed bellis ſuperuenientibus in Clementem ſeptimum tunc pontificantem, ob ſubſequutam Vrbis captionem, &(vt ita dicamus) deueſtationẽ, ad alia maioris momẽti animũ vertentes, minimè de ipſa nobis cura fuit. Ac ſic periјt. Tota deniq; ipſius planta deſcriptioni Dioſcoridis ad vnguẽ correſpondebat: vt in folijs longis, flore albo, ſemine triquetro &c. Sed quia hæc de facili non reperitur, poſſumus in eius vice vti herba, quæ androſemõ, ſiue hypericon vocatur: & vulgò perforata dicitur, quæ paſsim habetur, quæquidem eſt peganon agrion, ſcilicet alia ruta ſylueſtris ipſius Dioſcoridis. Quoniam (vt patet legentibus) vnum & idem capitulum eſt, bis nempe deſcriptum in Dioſcoride. Sed aduerte quòd per harmel abſolutè, ſemen ipſius rutæ ſylueſtris intelligitur: cuius tantùm in medicina eſt vſus, vt Dioſcorides & cæteri tradunt. Et in defectu ipſius, ſubſtitue ſemen hypericonis. Etiam & ſemen hortenſis rutæ (vt multis placet) poteſt ſubminiſtrari. Nec omninò cicutam nomines, in his & ſimilibus confectionibus, quod eſt venenum peſsimum, & mortiferum, per os propinare.

Rutæ ſylueſtris loco quid accipiatur.

Harmel abſolutè.

Harmel ſupplentia.

De Scebram.

IN modo nanque confectionis alſcebram, quid ſit ipſum Scebram, ſatis declaratum eſt. Hîc autem ſatisfaciemus mentibus legentium, ex quadam dubitatione quæ poſſet oriri ex mala declaratione cuiuſdã mendæ, in libro noſtri Authoris. Vnde ſciendum quòd Ioannes Iacobus de Manlijs allucinatus ab ipſa menda, quæ eſt in capitulo de cura maniæ, & melancoliæ ſanguineæ libri filij Meſuæ, multa confundit, declarando ſcebram in pilulis fœtidis, & in Dianaſturtio. Nam ille bonus vir legens in dicto cap. ſcebram, ſiue (vt ipſe ſcribit) ſceſcebram, id eſt ozimũ maius, & neſciens mendam in codice, fecit differẽtiam inter ſcebram, & ſceſcebram. Cùm in rei veritate ſcebram, ſceſcebram, ſebram, alſcebram, ſeu alſcebrem &c. conſimilia barbara yocabula (quæ quidem

quidem omnia sunt scriptorum deprauationes) vnum & idem significent. Etenim vltra quadraginta variationes, per diuersa volumina de huiusmodi vocabulo inuenimus. Ergo secundum ipsum, quadraginta simplicia diuersa denotãt illæ quadraginta variationes: quas si scripsissemus, ridicula fore nõ dubitauimus. Et præsertim eo in loco (vbi diximus quod per impresiones mẽdosè declaratur esse ozimũ maius) quot sunt exẽplaria, tot sunt voces: videlicet vbi per additionem vnius literæ vel plurium, & vbi per diminutionem, & vbi per transpositionem literarũ, vel syllabarum &c. Impresiones tamen vniformiter habent, in illo loco scebram. & nõ scescebram. Et in vulgari æditione declaratur quòd est esula &c. Vnde sciendum quòd vera litera præfati capituli in eo loco (vt per plura exẽplaria apertè probatur) hæc est: Filius Zachariæ. Modus confectionis conferentis melancholiæ, & timori. Recipe myrobalanorum nigrorum 3.xx. harmel, polypodij, scebram, ana 3.j. ozimi maioris, marrubij albi, ana 3.v. &c. Ergo non est scebram siue scescebram, ozimum maius &c. Sed huiusmodi mendam, vnde coniectamus ortum habuisse, longum esset declarare: qualiter omissis è medio illud ana, & illa 3. dimisso illo, j, significante vnam drachmam, & postea acceptum est illud, j, pro id est, breuitatis causa, solerti ingenio prædictis, dimittimus considerandum.

De Porro.

PORRUM enim notissimum est. A Dioscoride prason cephaloton, hoc est, porrum capitatũ, dicitur. Qualiter porri magni fiant, & de ipsorum satione, cultu, ac medela, à Constantino Cæsare 12. suæ agriculturæ libro diffusè scribitur. Duo eius genere faciunt Authores, sed sæpe alterum in alterum transit.

Pilulæ de Serapino &c. CCXCII.



DISSIMILEM huic, quo ad modum, habet infrà Author vnam aliam descriptionẽ pilularum de Serapino: sed quod ad effectus multũ similẽ. Filius Serap. in septimo habet quatuor descriptiones. Auicẽna autẽ in quinto canone vnã tantùm. Et Hali Abbas in decimo practicæ vnam. Omnes tamẽ differũt.

De Serapino.

SAgapenum, siue Sagapeniũ, à Doctoribus scribitur. In libris Arabum autem latinitati donatis, interpretes Serapinũ, pro sagapeno verterunt. Arabicè verò, sechbinegi, siue sachabenigi

dicitur. Et ſuper hoc etiam negotiatoribus datur fides. quoniam è Media defertur nobis. Quanquam Plinius teſtetur in Italia naſci: & Braſaulus ſignet locum, ſcilicet in Apulia: tamē nos adhuc non vidimus plantam illam ferulaceam, ex qua ſagapenum excipitur. imò deſideramus ipſam. Auicenna quidem in duas diuiſit ſpecies. Et quam dicit meliorē eſſe, contrarijs Dioſcoridi depingit notis. Videlicet, vt exterius ſit alba, & intus rubra. Econtrà Dioſcorides, ſagapenum ab extra ſubrubrum, intus verò album eſſe aſſerit: quodque in vſuali ſagapeno, probatur verum. Vnde eo in loco Auicennæ textum vel à malo interprete, vel à librarijs deprauatum eſſe putamus. Author enim noſter facit capitulum de Serapino, & dicit quòd eſt gummi alhaſce hundeg, & quòd eſt arbor ſimilis oleādro mōtano. Sed quid ſint alhaſce hundeg, & oleandrum montanum, ignoramus. Dicit etiam quòd melius eſt illud quod habet odorem porrorum, & quod non multùm olet aſſàm, nec habet Galbani odorem. Econtrà Dioſcorides laudat illud quod habet odorem inter galbanum, & laſer, ſcilicet aſam. Vnde vel interpres non rectè interpretatus eſt, vel ipſe Author noſter neſciuit quod ſcripſit.

Gummi alhaſce hundeg.

Pilulæ de Euphorbio &c. CCXCIII.



IN ſumma de Aegritudinibus neruorū, authoritate Humaim, Author noſter habet vnam aliam quaſi ſimilem deſcriptionem, in qua recipitur & maſtix. Ponitur etiā præſens deſcriptio & à filio Serap. in 7. & ab Auicenna in v. ſed in hoc differt Auicenna ab iſtis, ſcilicet quòd conficit cum aqua caulis, iſti autem cum aqua porri. Differunt etiam filius Serap. & Auicenna, ab Authore noſtro, in hoc, videlicet quòd Author noſter habet, aloës ℥. v. ipſi autem ſcribentes pro medietate, habent aloës ℥. ij. Dubitamus de menda in iſta deſcriptione Authoris noſtri: an fortè rectius ſit legendū, aloës ℥. iiij. vt cōueniat cum deſcriptionibus præfatorū. Tamē in cūctis exēplaribus, nulloq; diſcrepante, inuenimus, ſicut in impreſsis libris, aloës ℥. v. Et ſic dimiſimus. Forſam quòd ipſe Author auxerit vnam drachmā præfatæ aloës ad ſuam deſcriptionē, cōiectandū eſt, ex quo non eſt admouēda.

De *Euphorbio*.

GVmmi Euphorbium dictum quo cōmuuiter vtimur, iuxta noſtrum & aliorum plurium iudicium, eſt ipſum. Veruntamen nos deſideramus videre plantā eius. Author enim noſter

ster ponit cap. de Euphorbio in quo testatur euphorbi excedere omnia alia gummi genera in calefaciendo, & subtiliando, quapropter ante ipsius administrationem est bene rectificandũ. Vnde & ipse ibidem plures posuit ipsum rectificandi, siue corrigendi modos. Lege ibi. Dioscorides enim duo succi ipsius genera notauit, dixitque translucens eligendum esse. Adulteratur sæpe sarcocollæ gummi admisto &c. Lege Dioscoridem.

Pilulæ de Raued &c. CCXCIIII.



LEGITVR in præsenti descriptione per omnes impressiones: Opopanacis ℨ.iiij. mezereon, gũmi (scilicet arabici) ana ℨ.iiij. Lege, vt est in exẽplaribus antiquis, & rectius, opopanacis, mezereon, gummi, ana ℨ.iiij. Vide etiam de istis pilulis, in pilulis de Rheubarbaro,

Pilulæ de Mezereon &c. CCXCV.



AD LITERAM ponit Author præsentẽ descriptionem in cap. de mezereon. Sed aduerte quòd in præsenti antidotario, per omnes impressiones, in ista descriptione mẽdosè legitur: Confice cum tereniabin, & tamarindis dissolutis in aqua endiuiæ. Antiquorũ exemplariũ autem pars absolutè sic habet: Confice cum tereniabin dissoluto in aqua endiuiæ. Et similiter nõ rectè. Et pars habet, sicut etiã est in descriptione capituli, per omnes codices, quod iudicamus verius. Videlicet, quòd loco copulatiuæ est disiunctiua. Vnde lege rectius: Confice cum tereniabin, vel tamarindis dissolutis in aqua endiuiæ. Hinc in omnibus exẽplaribus præfatis sequitur. Dosis est ℨ.j.s. Quæ deest in cũctis impressionibus. Petrus Apponus quidẽ cap. de cura hydropicorũ, habet pilulas maiores de mezereon. Filius Serapionis in 7. habet duas descriptiones. Rhasis quoq; in antidotario diuisionũ, cap. de medicinis hepatis, habet quatuor descriptiones pilularum recipientium mezereõ, sed vna ipsarum tantùm intitulatur de mezereon. Omnes tamen differunt ab ista filij Mesuæ.

Pilulæ Lucis maiores &c. CCXCVI.

Pilulæ Lucis minores &c. CCXCVII.



PILVLAE lucis dicũtur, quoniã ad lucẽ & aciem oculorum, & restaurationẽ visus maximè cõferũt. In maiorũ descriptione autẽ per omnes impressiones

nes est vna menda. Videlicet, vbi legitur: Eufragiæ ℨ.vj. Legendum est rectius ℨ.vij. vt vniformiter cuncta exemplaria habent.

De *Euphragia, seu Eufragia.*

NOn scribi à Dioscoride & veteribus euphragiam, ferè omnes iuniores testantur. Sed temporibus filij Mesuæ iam cognosci cœperat, quia & in suis compositis commiscuit. Et præsertim medicaminibus illis, quæ ad visus & oculorum corroboratione faciunt. Etenim quotquot de ipsa scribũt, omnes in hoc vnum conueniunt, scilicet quòd euphragia est bona oculis, quocunque modo exhibita. Secũdum Ruellium euphrasia rectius dicitur: tamen generaliter euphragiam, siue per f, eufragiam ferè omnes scribunt, & vulgò nominant. Plantula ipsa, herbarijs non est incognita. Vt plurimùm vnico, rufo, exiguoq;, videlicet dodrantali caule, folio paruo, per ambitum serrato, galliculi cristæ persimili, pusilloq; flore, quandoque luteo, aut subrubro, quandoque subalbido constat. Macro gaudet solo, atque à ventis perflato. Semen est ei longum, & subnigrum &c. syluestris enim herba est. Et vbi citius, & vbi tardius secundum loca, inter Cal. Maij, & Non. Iulij, non amplius reperitur virens. Cùm floret, colligitur, & in vmbra siccatur, atque vsui asseruatur.

De *Lycio.*

NVlli dubium est quòd hodiernis temporibus caremus veris lycijs: quoniam neq; ex Cappadocia, neque è Lycia (quod lycium est ex pixiacãta) & minimè ex India (quod est ex lonchite secundum Dioscoridem, siue etiam ex pixiachantha, secũdum Plinium) ad nos amplius defertur. Et cùm Dioscorides dicat, lycium pixiacanthum non solùm in Cappadocia & Lycia (quæ loca ob maximam illius exuberantiam nominauit) sed & alijs pluribus locis nasci: potest igitur esse quòd in aliqua parte Italiæ (quæ nulli inferior est ad procreandum herbas & arbores) nascatur. Tamen non tantùm à iunioribus ignoratur, sed neq; (quod valde mirandum est) à nemine seniorum memoriæ traditum est. Brasaulus solus dicit se equitasse per innumeras pixiacanthas supra Liguriæ montes. Nullum enim arbustum spinosum, habens folia buxi, & semen nigrum, piperis magnitudine, adhuc nos vidisse meminimus. Neque quænam sit illa planta arbusta Indica, lonchitis dicta, vel quo nomine apud nostrates vocetur, valemus coniectare. Et cum hoc nomen, scilicet lonchitis, apud Dioscoridem ad plura sit cõmune, vt ad herbas Asplenon, & lamiolam, & longinam, quæ est lonchitis trachea &c. tamen ipse Dioscorides

Lonchitis Indica.

Lõgina herba.

des de his herbis, non tradit fieri lycium. Auicenna quidem in fine capituli de lycio ſcribit, quòd loco lycij poteſt poni feluzaharagi. Sed feluzaharagi, ſiue feluzeharagi, vel (vt Bellunenſis traduxit) felizherengi, idem eſt quod ipſa lycij arbor, vt per ipſum in proprio cap. declaratur. Sed hoc nobis eſt tãquam nihil, quoniam caremus & ipſa arbore. O vtinam haberemus talem arborem, quia & lycium haberemus. Item dixit ipſe Auicenna, quòd loco lycij ponitur æquale pondus ex aggregatis inſimul fauſel, & ſandalo. Fauſel autem (vt in ſuperioribus diximus) eſt quoddam genus auellanæ Indicæ, habens virtutẽ propinquam ſandalo rubro. Sed quia neque de iſto genere apud nos eſt aliquod veſtigiũ, poſſumus in lycij vice, ſandalum rubrũ abſolutè ſubſtituere. Iuniorum autem nonnulli, vt Guillelmus Placentinus, Luminare Maius, & cæteri ſcribunt fieri lycium: ex varijs rebus: vt ex alcanna, ſcilicet cypro (quod eſt verũ liguſtrũ) & ex caprifolij baccis, & ex granatis ſylueſtribus, ſcilicet berberis, & ex pruneolis ſylueſtribus atramineis vocatis: & alijs, atq; alijs rebus. Quodquidẽ vnde approbemus aut reprobemus: adhuc nõ habemus. Verũ Braſaulus ex omnibus huiuſmodi, & ſimilibus generibus factitatũ commendat. Tamen indiſcriminatim, in oculorũ medicamentis (vt in iſtis pilulis &c.) quolibet ipſorũ vti nõ poſſe credimus. Quoniam Dioſcorides: & cæteri antiqui nõ tradunt ipſum lyciũ totũ ſimpliciter, & abſolutè prodeſſe oculis: ſed ſpumam ipſius tantùm. De qua intellexiſſe Authorem non dubitamus: cùm ſcripſit lycium in præſenti compoſitione. Vnde cõſulimus aromatarijs: necnon (& cum ſupportatione) minus peritis medicis: pro meliori parte, minus malum ſumere, ſcilicet quòd minus malũ eſt: (ſi quo modo non erit bonum) demere ab iſta, & ſimili cõfectione, ipſum lycium: quàm loco eius ſubſtituere aliquod cõtrarium effectui ipſius confectionis. Præterea ſcribunt opinanter nonnulli lyciũ, à Lycia dici: hac de cauſa: quia à Dioſc. deſcribitur Lycia abundare eo: tamen ſecundũ veritatẽ alia cauſa eſt: per quam lyciũ dicatur. Nam ſi à prouincia propter exuberantiã nomẽ ſibi acquiſiuit: quare nõ potius Cappadociũ à Cappadodocia: quæ ab ipſo Dioſcoride præſcribitur tanquam melior: quàm lycium, à Lycia? Nec à bonitate loci: vt alij exiſtimauerunt: quia ſi à bonitate: quare non potius Indicum nuncupatur; quod Dioſcorides, Galenus, Paulus, Plinius, Serapio, & (vt paucis concludamus) ferè omnes Authores melius eſſe teſtantur? Sed verius coniectandum eſt, ſcilicet in Lycia fuiſſe primum inuentũ: vnde ſemper

Fauſel.

Lyciũ quare ſic dictũ.

per postea nomen retinuit. Qualiter autem fiat ipsum Lyciũ medicamen, à Dioscoride & cæteris clarè notatur.

De Celidonia,

CHelidonium, siue chelidonia, siue (vt mauis) celidonia, quæ & hirundinaria interpretatur, est curcuma, de qua dictum est suprà. Duplex enim describitur, scilicet maior & minor. Maior quidem vulgaris notitiæ herba est, ita quòd mulieres & pueri eam agnoscunt. Minor etiam pluribus non est incognita: vulgò testiculus sacerdotis dicitur. Et de ipsa quoq; dictum est. Præterea decipiuntur non pauci, credentes memithe Arabum (quod est glaucium Dioscoridis) esse succũ chelidonij maioris, ob id, quia asserit ipse Dioscorides chelidonium ab aliquibus glaucium dici. Sed hi non aduertunt quòd chelidoniam omnes testãtur esse calidam, & glaucium (quod barbarè memith, siue memithe dicitur) est succus frigidus cuiusdam hærbæ quæ habet folia corniculato papaueri similia, vt Dioscorides scribit. Et nec est ipsum pauer corniculatum, vt similiter nonnulli falsò putant. Vocatur & ipsa herba memithe, siue glaucium, vt Serapio scribit: sed non est illa herba glaux, seu glauca dicta, quam Dioscorides libro quarto tradit iuxta mare nasci: quia hanc, nõ corniculati papaueris, vt glaucium, sed cytisi, aut lenticulæ dicit habere folia. At reuera alia herba est ex qua glaucium exprimitur, quæ apud nos non cognoscitur. Igitur animaduertant medici, quãdo pro oculorum infirmitatibus ordinant memithe, vt aromatarij pro memithe, non mittant succum celidoniæ: quia licet celidonia medicinis oculorum competat, tamen non omnibus, & similiter memithe. Nam valẽt ambo, sed ad diuersas oculorum infirmitates: quoniã celidonia calida est, & glauciũ, siue memithe frigidũ. Et quidem calidũ & frigidum sunt cũtraria ad inuicem, quæ in vno & eodem subiecto pari ratione non possunt conuenire.

Memithe. Glaucium. Glaux, siue glauca.

Pilulæ stomachicæ, stomachum &c. CCXCVIII.



QVASI omnes impressiones Latinæ, in præsenti descriptione mendosè habent: Trium myrobalanorum, absynthij, ana ℥.ij. Legendum est rectius, ana ℥.iij. vt cuncta exemplaria quæ vidimus, necnon & vulgaris editio habent. Per præsenté nanque descriptioné patet expressè, quòd per tres myrobalanos absolutè, intelligũtur citrini, chebuli, & Indi, qui cognominantur nigri. Qui tres ab Authoribus vno tantùm capite describuntur.

Quo

Quoniam postea speciatim describũtur in istamet descriptione, bellerici, & emblici. Et de his omnibus satis dictum est in secũda confectione Hamech: propterea vide ibi.

Pilulæ stomachicæ, & sunt &c. CCXCIX.



ST & in præsenti descriptione per omnes præfatas impressiones vna menda, scilicet vbi legitur: Cardamomi &c. ana ℥.ij. Lege rectius, ana ℥.j. vt præfata exemplaria, & vulgaris editio vniformiter habent.

Pilulæ stomachicæ aliæ, stomachum &c. CCC.

Pilulæ stomachicæ nostræ &c. CCCI.

Pilulæ Alandahal &c. CCCII.

Pilulæ stomachicæ aliæ nostræ &c. CCCIII.



ON est in istis descriptionibus quid declarandum, præter quàm quòd duæ priores in impressionibus erant transpositæ: in cunctis enim exemplaribus, & in vulgari æditione, tali ordine manent vt nos posuimus.

Pilulæ de Agarico &c. CCCIIII.



ABET ipse Author noster præsentẽ descriptionem in cap. de asthmate: sed ibi scribit ipsam duplicatis ponderibus. Animaduertendum autem, quòd incuria librariorum (vt putamus) ibi mendose legitur per omnes impressiones: Turbith ℥. viij. cùm sit verius legendum ℥.x. quod probatur non solùm per istam antidotarij descriptionem, & per descriptionem Auicenæ, in quibus omnibus tam in exemplaribus quàm in excusionibus, pro medietate legitur, turbith ℥.v. sed per præfata exemplaria, quæ ibi habent clarè & apertè, turbith ℥.x. Et ita est secundum veritatem. Auicenna autem habet ipsam descriptionem quasi ad literam, in tertio cañ. fen. x. tract. j. cap. de cura asthmatis: non obstante quòd ibi legatur absque myrrha, quæ certè deficit. Et patet quidem, quia Bellunensis reintegrauit. Veruntamen dimisit ibi ipse Bellunensis alium errorem, scilicet quòd vbi legitur: Coloquintidæ, sarcocollæ, ana ℥.j. legendum est rectius: ana partes ij. Etiam minus rectè posuit: myrrhæ ℥.j. Melius erat, & verius, myrrhæ partẽ j. Quia scribens Auicenna per partes reliqua, non

bene

bene semper possunt cōuenire illę drachmę cum supradictis partibus, tam maioribus, quàm minoribus. Et quòd dictæ coloquintidæ & sarcocollæ habent esse partes ij. probatur per istas descriptiones filij Mesuæ, per omnes impressiones, & per cuncta exemplaria, tam in antidotario, quàm in dicto cap. de asthmate: in quibus omnibus (intelligendo 3. pro parte) legitur: coloquintidæ, sarcocollæ, ana 3. ij. Et certè Auicenna fecisset vnum ana, ex coloquintida, sarcocolla, & myrrha, si partes non fuissent dispares. Putamus enim quòd è medio, vna cum myrrha, sublatæ fuerunt illæ partes duæ, postea pars myrrhæ adhæsit ana prædicto &c. Ingeniosi bene percipient verba nostra. Præterea sciendū quòd Luminare Maius, Lumen Apothecariorum, Thesaurus aromatariorum, & Nicolaus Præpositus habent masstichen in præsenti descriptione, quæ saluò meliori iudicio, nisi medicus specificatè præcipiat, non est admittenda. In duobus exemplaribus, & in vulgari æditione inuenimus, in descriptione antidotarij tantùm. Reliqua autem, vt vniuersæ impressiones, vnà cum Auicenna non habent. Sed tam in descriptione antidotarij, quàm in descriptione præfati capituli de asthmate, absolutè habent: Recipe agarici 3. iij. &c. Rhasis enim in antidotario diuisionum, cap. de medicinis hepatis, habet vnam descriptionē huic dissimilem. Filius quoque Serapionis in 7. habet vnam, similiter differētem.

De Agarico.

IN agarico nō est dubium quin sit ipsum quo vtimur. Author enim noster in suo de Simplicibus, de eo capitulū perpulchrū facit. Dioscorides autem tertio libro scribens, declarat se nesciuisse veram agarici originem. Igitur potius quàm Dioscoridi, credendum est Plinio, & Authori nostro, & cæteris qui absolutè dicunt esse fungum in arboribus. Et ita est, vt vnusquisque facillime scire potest: quia etiam & in Italia, scilicet in Alpinis, atque Apenninis montibus, non modicum colligitur. Omnes distingunt in masculinum, & fœmininum: sed fœmininum magis commendatur. Plinius etiam scripsit agaricum esse odoratum. potest esse, quòd loquatur de recenti, quod aliquo modo putamus habere odorem: quoniā in sicco nullus sentitur odor. Caueant omnino aromatarij ab nigro agarico, siue masculino, siue fœminino: quoniam (vt Dioscorides libro 6. testatur) strangulationes facit. Præterea sunt nonnulli malè declarantes quædam verba Authoris nostri, in dicto cap. de agarico. Hæc videlicet. Et melior pars totius corporis eius, est superior pars ipsius. dicentes quòd

Agaricū nigrū, malū.

quòd illa intelligitur superior pars agarici, quæ nascitur in superiori parte ipsius arboris, & nō prope radices. Quodquidem non solùm Author nō dicit, sed nunquam excogitauit. Author enim pro superiori agarici parte, intelligit illā quæ protēditur, & elongatur ab ipsa arbore: quia illa quæ tāgit arborē, est tanquam radix ipsius agarici. Et sicut radix intelligitur inferior pars cuiuscūq; plātæ: ita & in agarico, musco, & similibus etiā dependentibus. Pars verò quæ arbori cōiungitur, semper inferior iudicatur. Vnde & in sequentibus verbis, ipse Author declarat, cùm dicit: Et stipes eius non est bonus, habent quasi semitas ligni putrefacti: Stipitē enim vocauit inferiorem partem arbori annascētem. Sciēdum etiam quòd licet in hoc antidotario Author nō scribat trochiscos de agarico: vtimur tamē suis, quos in cap. posuit.

De Lilio cœlesti.

Lilium cœleste quidem non est aliud, quàm iris, siue (vt aromatarij dicunt) ireos. Et probatur per descriptionem capituli de asthmate: vbi loco radicis lilij cœlestis legitur, ireos. Lege de hoc in Lohoc de pino.

Pilulæ quæ cōferūt ad febres cholericas &c. CCCV.



PVRGANDA est præsens descriptio, ex nōnullis confusionibus & mēdis quæ in ipsa per impressiones reperiūtur. Legitur enim & malè: foliorum rosarum, seminis citrulli, raued seni, ana ℥.iij. & in alio, raued ℥.vj. Tollatur igitur à dicto ana, Raued seni. Et similiter quòd sequitur (Hoc est, Et in alio) deleatur, & rectius legatur sic: Foliorū rosarum, seminis citrulli, ana ℥.iij. raued ℥.vj. Item, vbi legitur: Scammoneæ coctæ in cytonio ℥.j.s. in alio ℥.ij.s. Deleatur hoc totum: videlicet, in alio ℥.ij.s. & legatur simpliciter: Scāmoneæ coctæ in cytonio ℥.j.s. succi eupatorij &c. Sic enim legitur ferè in omnibus exēplaribus antiquis, & similiter in vulgari æditione. Sic & Nicolaus Præpositus habet. Inuenimus tamē aliqua pauca duntaxat exemplaria, quæ minus rectè habebant sic: Foliorum rosarum, seminis citrulli, raued, ana ℥.iij. Scāmoneæ coctæ in cytonio ℥.ij.s. Vnde putamus, quòd librarij nescientes in varijs lectionibus veriorem literam, vtrāq; impresserunt. Filius Serapionis in 7. habet vnam descriptionem, cuius titulus est: Pilulæ quæ conferunt ad ægritudines choleræ citrinæ & sanguinis, quæ in multis conuenit cum ista. Item ibidem habet aliam descriptionē, cuius inscriptio est: Pilulæ valentes ad omnes

febres cholericas &c.quæ etiam habet aliquam similitudiné cum ista.Præterea cùm legatur in fine huius descriptionis: Mellis aggregationis cafiæ fistulæ,& tamarindorũ,& ſucci endiuiæ, quantùm ſufficit: paucissimi enim ſunt aromatariorũ qui verum huiuſce lectionis percipiũt ſenſum. Quoniã nõ vult Author in præſenti deſcriptione mel apum in quo ſit aggregata pars caſiæ fiſtulæ,& tamarindorũ, & ſucci endiuiæ, vt nõnulli falsò opinantur. Sed dicit vt caſiæ fiſtulæ,& tamarindorũ partes æquales immitantur in aliqua ſucci endiuiæ quantitate,& poſt aliquod ſpatiũ per ſtamineam exprimantur,ita quòd expreſsio ipſa non ſit multùm liquida,ſed tanquam mel. Quodquidem vocat mel aggregationis caſiæ fiſtulæ &c.cum quo melle conficiendæ ſunt iſtæ pilulæ, ſcilicet cum ipſius quantitate ſufficienti. Et omnino mel apum, ſeu alterius rei,non intelligitur in ipſa præfata aggregatione. Et de conſimili vbi neceſſe fuerit, poteſt fieri mel ex aggregatione aliarũ plurimarũ atq; variarũ rerũ,quarũ expreſsio vocatur mel: quoniam ad ſpiſsitudiné mellis expreſſa ſit ex rebus ipſis inſimul aggregatis. Et nõ eſt apponendũ mel apũ,niſi ſpeciatim legatur.

Pilulæ Diarhodon &c. CCCVI.

Pilulæ de Turbith, & dicũtur pilulæ aureæ &c. CCCVII.



N pilulis diarhodon non eſt aliquid declarandum.in iſtis autem de turbith ſciendum quòd aliquando ſcribuntur à medicis ſub hoc titulo,videlicet: Pilulæ aureæ turbithatæ. Filius Serapionis in 7.habet vnam pilularum deſcriptionem, cuius titulus eſt:Pilulæ allebeé:quæ dicuntur pilulæ abri.Quæquidem in ſimplicibus nõ diſcordat ab iſta.In põderibus auté aliqualiter eſt diuerſa.Et forſan,quòd vbi ibi legitur abri:rectius legendum ſit auri.Sæpius enim b,& v,cõfunduntur ab interpretibus,& minus peritis peregrinarum linguarum.Vnde pilulæ auri, & pilulę aureæ(ſicut Author noſter poſuit)idem ſignificant.

Pilulæ de Turbith aliæ &c. CCCVIII.



CIENDVM quippe quòd præſens deſcriptio pilularũ de turbith,& deſcriptio ſuprà notata,cuius initium eſt:Pilulæ ſtomachicæ aliæ noſtræ, eſt vna & eadem cõpoſitio,ſub diuerſo titulo,bis ab Authore noſtro poſita,vt intuenti non eſt dubiũ. Quod auté malè legitur,per cũctas excuſiones in calce præſentis deſcrip

deſcriptionis,ſcilicet Et in alio ſalis indi ʒ.ij.caſſetur:& ſic (vt eſt in libris correctis,& ſimiliter in præfata pilularum ſtomachicarum deſcriptione) rectius ſcribatur: Croci & ſalis indi, ana ʒ.j. Fiãt pilulæ ſicut diximus.Supple in immediatè præſcripta deſcriptione pilularum aurearũ,ſiue de turbith. Scilicet quòd iſtæ conficiendæ ſunt cum ſucco abſynthij,ſicut & illæ,Et cõſimiliter ſtomachicæ prædictæ,ſucco abſynthij excipiuntur.

Pilulæ de Lapide lazuli &c. CCCIX.



ILIVS Serapionis in ſeptimo ponit præſentem deſcriptionem,quæ in quibuſdam paucis differt, & conficitur cum aqua apij: ſed intelligitur cum ſucco:quod probatur per authorem noſtrum,qui ſpeciatim poſuit,cum ſucco apij.

Pilulæ de Lapide Armeno &c. CCCX.



VTHOR noſter in cura de ſoda frigida,ab humore melancholico,ex Alexandri authoritate,habet vnam quaſi ſimilem deſcriptionem.Actuarius etiã ponit catapotia, ſcilicet pilulas ex armeniaco lapide, quarum deſcriptio in multis conuenit cum iſta.Animaduertendum autem quòd per impreſsiones ſunt aliquæ mendæ in præſenti deſcriptione. Vnde vbi legitur: Epithymi,polypodij, ana ʒ.viij. Lege verius: Epithymi, polypodij, agarici, ana ʒ.viij.Probatur enim per multa exemplaria quòd debet eſſe agaricum in præſenti deſcriptione.Etiã in deſcriptione præfatæ curæ, & apud Actuarium legitur. Et lege (vt eſt)ana ʒ.viij.non autem ʒ.iiij.vt Nicolaus Præpoſitus mendosè habet. Item lege ſcammoneæ coctæ in cytonio ʒ.ij.s.Impreſsiones quidem mendosè habent ʒ.iij.

De Lapide Armeno.

ET quanquam omnes lapides vtriuſq; Armeniæ, rectè lapides Armeni ſint vocandi:tamen quo ad medicinæ vſum,vbi petitur lapis armenus,nõ quilibet ipſorũ indifferẽter eſt admittendus.Sed eſt apud Armenos vnum genus lapilli, qui alibi eiuſmodi non inuenitur, qui peculiari nomine abſolutè & antonomaſticè,Lapis Armenus ab omnibus dicitur. De quo ſemper intelligitur,cum lapis armenus legitur.At verò ad nos amplius nõ defertur. Nec putamus hodie reperiri hominẽ in tota Italia, qui eũ,ſupple verũ,aliquãdo viderit.Neq; ſi in maiori, aut in minori

Armenia sit huiusmodi lapidis minera, à quoquam scire potuimus. Quamobrẽ nõ facillimè haberi potest. Vnde cũ sit, quòd pilulæ de lapide lazuli non differant ab istis in suis proprietatibus, siue operationibus, loco istarũ possumus illis vti. Quoniam & lapis lazuli, & lapis armenus (vt per authorem nostrũ probatur in proprijs capitulis) nõ differunt virtutibus. Et quãuis lapis lazuli sit debilior armeno, possumus tamen alterũ pro altero substituere. Ex quo igitur in istis pilulis, si quis voluerit eas parare, nõ habens Armenum lapidem, ponat loco eius optimi lapidis lazuli portionẽ. De his lapillis autem, qualiter sint, & de ipsorum ablutionibus, perquàm optimè & ab Authore nostro in suis capitulis, & ab alijs pluribus describitur. Sed aduerte ne decipiaris cum aliquibus ex iunioribus asserentibus lapidem Armenũ, & lutum Armenum, vnum & idem esse. Quod vel cogitare nefas est.

Lapis lazuli Armenũ supplet.

Pilulæ ad omnes morbos catarrhi &c. CCCXI.



A NONNVLLIS præsentes pilulæ vocãtur pilulæ de cynoglossa. Ponit etiã Author præsentẽ descriptionẽ in fine capituli de cura catarrhi, authoritate Alexandri, sed absq; croco, quod putamus esse additionẽ ad præsentẽ descriptionẽ. Tamen nõ deleuimus: quia in exemplaribus antiquis inuenimus. Signauimus autẽ ipsum, vt non sine bonorũ medicorũ examinatione admittatur. Etiã ipse Author loquitur de ipsis pilulis inter medicinas tussis catarrhalis frigidæ. Vbi sic ait: Alexãder. Confectio pilularũ ad tussim catarrhalem: & est ex medicinis benedictis, & est ex secretis, & cõfert ad omnes ægritudines catarrhales: & vocãtur pilulæ alchabei, & dictæ sunt in cap. de catarrho. Hæc ille. Tamen in dicto cap. de catarrho, non legitur alchabei: sed alcalcachar, & & alchazaber, secundum impressiones: quia secundũ exemplaria tot sunt variationes quot sunt descriptiones. Quamquam hæc omnia barbarisma, coniectamus vnũ & idẽ significare. Et nil aliud propriè quàm cynoglossam, scilicet linguã canis, herbã videlicet sic appellatã, vt per concordationem descriptionũ ipsarum percipi potest. Ponitur etiã per impressos libros in antidotario Nicolai, & similiter sine croco: sed in fine ipsius adduntur tria simplicia, quæ sunt, garyophylus, cinnamomum, & corcubrum, siuè cozumbrum, cum ana ʒ.ij. Diximus enim per impressos libros: quia in multis exemplaribus Nicolai è manu, quæ vidimus, non habetur huiusmodi pilularum descriptio. Et in prima Nicolai impress

impreſsione legitur ipſa deſcriptio, ſed abſq; illis tribus ſimplicibus,& abſq; croco. Sed addito rhodoſtomate, cum quo conficiuntur cætera ad literam, vt in iſto antidotario poſita ſunt. Ex quibus dubitamus ipſam deſcriptionem eſſe forſan aliquorum additionem in ipſo Nicolai antidotario. Item aduerte quòd radicum linguæ canis non recipiuntur in iſta deſcriptione, niſi 3. iiij.& locantur in ana,cum opio & hyoſcyamo: quoniam ſic eſt in exemplaribus. Poſtea legitur: croci 3.j.s. Impreſsiones autem mendosè habent: radicem linguæ canis 3.iiij. s. Præterea cùm Author non ſpecificet in iſta deſcriptione rem, cum qua ſunt conficiendæ ipſæ pilulæ: putamus melius eſſe ſi conficiantur cum ſucco cynogloſſæ (quem credimus ſignificare, cum ſucco alchazaber, quod legitur in præfato cap. de catarrho) quàm cum rodoſtomate, ſicut Nicolaus præcipit. Quod rhodoſtoma tradunt iuniores ſignificare aquam roſaceam. Demũ ſciendum quòd hæ pilulæ maximè commendantur in paſsione catarrhali à Hieronymo Accorombono de Eugubio in ſuo tractatu de catarrho: videlicet in quinto remedio curæ catarrhi calidi: vbi probat illas eſſe Alexandri Tralliani,& non Nicolai. Vide ibi. *Rhodoſtoma.*

De Cynogloſſa, ſcilicet Canis lingua.

CYnogloſſa idem dicit quod canis lingua: ſiue dictionibus inuerſis, lingua canis, ſeu lingua canina. A Dioſcoride nempe ſcribitur ipſa, ſed ſine caule creſcens. Illa autem qua vtimur, apud nos aliquoties caulẽ profert. Et hoc excepto, in omnibus alijs notis ad vnguem conuenit deſcriptioni Dioſcoridis. Poteſt enim eſſe quòd in aliquibus locis nõ producat caulem,& præſertim vbi Dioſcorides conſiderauit ipſam plantam. Quia (vt aliàs diximus) teſte Theophraſto, ſæpe ſecundum loca diuerſificantur plantę,& in qualitatibus,& proprietatibus &c. Vnde habere caulem, non facit vt non ſit lingua canis ipſa planta qua vtimur. Etiam poſſumus dicere quòd ſunt plures ſpecies: quia vt Plinius 25, lib. cap. 8. Eſt alia ſimilis ei, & quæ ferat lappas minutas. Et iſta eſt noſtra vſualis, quæquidem notiſsima eſt. *Lingua canis.*

Pilulæ de Serapino &c. CCCXII.



IN iſta ſecunda deſcriptione pilularum de Serapino, per impreſſos codices duæ mendæ cognoſcuntur. Prima videlicet, vbi legitur: Recipe Serapini &c. ana 3.ij.s. Lege rectius, ana 3.ij. Secũda vbi legitur: calamenti, folij centaureæ &c. lege verius:

calamenti fluuialis, centaureæ &c. quoniam ita eſt in cunctis exemplaribus quæ vidimus. Per Seitaragi indi, intellige ſpeciem Caſiæ ligneæ, & non lepidium, vt Manardus declarauit. Lege de eo ſuprà.

Pilulæ de Bdellio maiores &c. CCCXIII.

Pilulæ de Bdellio minores &c. CCCXIIII.

Pilulæ de Bdellio ex inuentione noſtra &c. CCCXV.



HAE tres præſentes deſcriptiones, excepto in aliquibus barbaris vocabulis, nõ indigent declaratione. Filius ſerapionis in 7. habet quatuor deſcriptiones pilularum de bdellio: quarũ vltima non intitulatur de bdellio, ſed titulus eius eſt. Pilulæ quæ conueniũt ad hæmorrhoides, quæ fiunt in anno &c. Secunda autem ipſarum quaſi ad literam, conuenit cum præſenti maiori. Rhaſis verò in nono ad Almanſorẽ, cap. de hæmorrhoidibus, habet vnam diuerſam deſcriptionem. Et ferè eandẽ habet in antidotario diuiſionum, cap. de medicinis menſtruorum & hęmorrhoidum. Hali Abbas quoque in x. practicæ, habet vnam deſcriptionem ſimiliter differentem. Bartholomæus Mõtagnana quoque in ſuo antidotario habet duas deſcriptiones, quæ etiam differunt. Animaduertant autem vtentes vulgari æditione, quòd deſcriptio minor iſtarum pilularũ, eſt in eius impreſsionibus multùm deprauata. Legant potius impreſsiones latinas.

De B*dellio*

SVprà etenim vbi de myrrha pertractauimus, diximus quòd hæc, qua vtimur, potius eſt ſpecies bdellij, quàm myrrha. Nã & in bdellio vſuali hæſitare cogimur, cùm nõ videmus ipſum eas habere notas quas illi attribuunt Authores. Vnde non eſt amarum, nec habet bonum odorem &c. Et ſi non eſt illud quod Dioſcorides dicit ex India aduehi nigrum & malum, proculdubio tenemus non eſſe bdellium, nec ſpeciem eius. Ex quo minus malum putamus eſſe ponere ipſam myrrham vſualem, quæ (vt diximus) non myrrha, ſed ſpecies bdellij iudicatur, quàm hoc falſum bdellium. Quod quid ſit, cùm apud nos non naſcatur, non de facili poſſumus coniectare. Etiam negotiatores qui vendunt, minimè ſciunt: quia ipſi non colligunt, ſed à Saracenis & infidelibus barbaris, vt ſarcocollam, ammoniacum, atque his ſimilia, & hoc pſeudo bdellium emunt.


Myrrha vſualis bdelliũ ſupplet.

De

De Venerus, vel Venereis.

PEr varios codices varias inuenimus descriptiones vnius simplicis, quod recipitur in maiori istarum descriptionum. Et vbi legitur venarum adustarum, & vbi venenarum, vel venerarum, vel veneriarum, vel venerearum, vel auellanarum, & cætera ferè innumera barbara vocabula. Vnde & iuniores prout varia inuenerunt, sunt qui vnum, & sunt qui aliud variaque interpretati sunt. Nos autem ex ipsis dictionibus barbaris, veriores putamus esse, veneriarũ, & venerearum: quoniam sic legitur in secunda & quarta descriptione filij Serapionis. Venerea autẽ, siue veneria, vt apud Dioscoridem probatur, est nomen commune ad plura, vt ad radicẽ acori, & ad sisymbrium, & ad Lonchitim &c. Pandectarius autem, & nonnulli ex ipsis iunioribus dicũt etiam significari per huiusmodi nomen, quoddam genus ostraciorum, siue conchularum maris. Quodquidem hîc nobis satis cõsonum videtur, cùm in tertia istarum, scilicet in pilulis ex bdellio, ex inuentione nostra, speciatim & clarè legitur, conchulæ adustæ. Et ita tenent ex non ignaris plurimi. Igitur conchulæ adustæ apponendæ sunt. Sed quia (vt supradictum fuit) conchularum & ostraciorum plura sunt genera, ex nobilioribus autem sunt conchilium purpuræ, & illa vulgò dicta matriperna, & sic quodlibet istorum potest poni. Quod autem aliqui declarant esse illas conchulas, quas peregrini in pileis portant à sancto Iacobo Galitiæ, ridiculum est. Lege de hoc in confectione electuarij ex inuentione nostra.

Pilulæ de Coloquintida &c. CCCXVI.



POSVIT Author suprà duas alias descriptiones, sub titulo pilularũ alandahal. Præsentem autem vocauit de coloquintida, ad differẽtiam ipsarum, necnon & ad differentiam pilularum de bdellio: quoniam & in istam confectionem ingreditur bdellium. Et licet intituletur hæc descriptio de coloquintida: nõ tamen (vt nõnulli falsò opinati sunt) ponenda est ipsa coloquintida incorrecta. Quodquidem erroneum est, & contra Authoris intentionem. Trochisci alandahal, enim semper ponendi sunt vbi coloquintida petitur, præterquàm in aliquibus decoctionibus. Præterea animaduertendum, quod in præsenti descriptione per diuersos libros, tripliciter inuenimus positum vnũ simplex. Videlicet aliqui libri, & communiter impressi, & Nicolaus Præ-

positus habent, absynthij Romani. Aliqui autem manuscripti, & Luminare Maius: visci Romani Alij similiter è manu & vulgaris æditio, musci Romani habet. Duobus dũtaxat dēptis, in quibus absolutè legitur musci. Veruntamen quales ipsorũ sint veriores non facilè potest cognosci: quia in vnũ quodlibet ipsorũ trium plures conueniunt. Etenim viscum romanũ non nisi apud recē-

Viscum Romanũ quid. tiores legimus, quod & masticem esse declarant. Quodquidem minimè credi potest: quoniam mastix Romæ non oritur. Huiusmodi enim pilularum descriptionem apud quenquam aliorum Authorum adhuc non inuenimus. Iudicio enim nostro potius legendum esse absynthij, quàm visci, aut musci credimus: quia romanum quod sequitur, potius competit absynthio, quàm visco, aut musco. Veruntamen si alicui melius videbitur, fiat. Nos quidem hæc; & omnia, semper meliori iudicio committenda relinquimus.

De Nasturtio albo.

ALiqua de nasturtio, in Triphera minori ex arte Fenonis descripsimus. Sed quia in præsenti descriptione speciatim legitur, nasturtij albi: ideò sciendum quòd nasturtij satiui Plinius duo facit genera, scilicet album & nigrum. Sed per ipsius verba, non possumus percipere, an hoc domesticum notum, sit album, vel nigrum: quoniam vnum tantùm genus satiuum scitur

Allegrettũ. hodie apud nos, quod vulgò Romæ, allegrettum nominat. Sed ipsum quale sit videlicet album, vel nigrum, à nemine declaratur. Neque si ex semine vel flore, aut planta, siue ex radice dicatur album, seu nigrum, memoriæ traditum est à quoquam. Constat enim hoc notum habere semen luteum, & non album, vel nigrum. Igitur ex semine neutrum erit. Si autem ex floribus, seu è planta, aut ex radice ipsum considerabimus, album erit: quoniam florem lacteum habet. Et folia maximè albicantia sunt. Imò stipites, & thecæ seminis albissima conspiciuntur. Radix quoque est illi alba, vt quilibet non cæcus videre potest. Ex quibusquidem notis, rectè nos possumus dicere hoc esse nasturtiũ album. Etiam dato quòd sit nigrum, possumus eo liberè & pro albo vti: quoniam ferè cuncti testantur eandem vim in omnibus esse. Syluestris etiam nasturtij plura sunt genera, & hæc vtplurimum apud herbarios nota sunt. Ab Authoribus nempe magis commendatur Babylonicum nasturtium: sed quia illud non facilius haberi potest, licet nobis nostrate vti.

Pilu

Pilulæ de Opopanace &c. CCCXVII.



X Ioannitio Author noster in capitulo de paralysi ponit vnam aliam descriptionē in multis differentem ab ista. Auicenna autem in quinto cañ. habet istammet descriptionem: sed in quibusdam paucis differt. Bartholomeus quoq; à Montagnana, in suo antidotario habet vnam descriptionem, sed non est similis huic.

De Opopanace.

REctius dicitur Opopanax, quàm oppoponax: & opopanacium, quàm oppoponacum, quod est succus panacis, ab opo & panace &c. Author enim noster de huiusmodi plāta non syncerè scripsit. Vnde potius Dioscoridi, quàm ipsi credendum est. Nam Dioscorides tria panacis genera facit, scilicet. Heracleum: siue, vt mauis, Herculeum dicere: Asclepiū, & Chironium. Sed de Heracleo tantùm tradit succum opopanacium colligi, Quod Heracleum, folia vt ficus habet &c. Author enim noster potius Asclepium, quàm heracleū pingit, cùm de folijs eius pertractat. De quo non dicūt Authores succum excipi. Et sic in suo cap. confundit plura Dioscoridis capitula. Panax autem heraclea habetur in Italia, sed ignauia incolarum non colligitur opopanax. Hoc opopanacium quo vtimur, sępe adulteratum venditur. Nos pluries vidimus plantam opopanacis, sed commoditatis penuria non collegimus succum eius.

Pilulæ de Hermodactylis maiores &c. CCCXVIII.

Pilulæ de Hermodactylis minores &c. CCCXIX.

Pilulæ de Hermodactylis descriptione nostra &c. CCCXX.



HASIS quidem in nono ad Almanforem, cap. de podagra, habet vnam descriptionē pilularum maiorum de hermodactylis. Et filius Serapionis in septimo habet etiam pilulas de hermodactylis: omnes tamen differunt ab istis.

De Hermodactylis.

HErmodactylorū nō minima copia reperitur apud nos in montanis pratis, & alijs locis, & grossi pulchrique sunt taliter quòd si nesciuissemus eos esse malignos, aliquādo cōmedissemus ipsos. Quoniā (vt Diosc. refert) recentes magnā volupta-

tem afferunt aſpicientibus,& præcipuè incautis de illorũ malignitate,eo maximè quòd dulces guſtatu ſentiũtur. Sed neſcimus deſiccare eos ſicut orientales faciũt. Pluribus enim modis tentantes experiri ipſorũ deſiccationem,nunquam effectũ deſiderij noſtri conſequuti ſumus. Etenim multos de hoc interrogauimus,à quibus varios accepimus modos. Veruntamẽ ſemper omni modo efficiũtur duri vt lapides,rugoſi,& vti carbones nigri,forſan quia alio ſolo & cœlo naſcuntur. Colchicon Græcè idẽ eſt quod hermodactylus.Latinè etiã bulbus agreſtis dicitur. Author enim noſter,in proprio capitulo duo genera facit. Vnũ quod eſt longũ, vt digitus,& aliud rotũdũ. Rotundũ quippe eſt colchicõ. Pro longo autem putamus intellexiſſe ephemeron,de quo Dioſcorides ſeparatim capitulum fecit. In quo dixit ephemerõ habere radicem vnam longuã,digitali craſsitudine &c. Non obſtãte quòd dicat colchicõ etiam ab aliquibus ephemeron vocitari. Similiter Serapio in vno ſuo capitulo de Hermodactylis, duo capitula Dioſcoridis cõſtrinxit,ſcilicet capitulũ de colchico,& capitulũ de ephemero. Vbi per ephemeron, barbarè achimeron legitur. De rotundo autẽ,quòd eſt colchicũ, Author noſter ſimiliter, vt Serapio,poſuit tres differentias,ſcilicet q hermodactylorũ alius eſt albus,& alius rubeus,& alius niger. Et quòd albus eſt eligendus,rubeus verò & niger ſunt mali. Hermodactyli quidẽ aromatarijs & herbarijs noti ſunt. Sciendũ tamen quòd recẽtes nõ ſunt adminiſtrandi. Teſte ipſo filio Meſuæ, qui ſic ait: Et meliores ſunt,in quibus iam præterijt medius annus,poſt bonã eorũ exſiccationem. Auicenna autẽ dicit,quòd eſt radix plantæ habẽtis roſas albas,& citrinas: in quibus verbis manifeſtatur vel ipſius, vel interpretis eius mala intelligẽtia,ſcilicet quòd pro flore croci albicante (vt in Dioſcoride legitur) intellexit florem croceũ, ſcilicet citrinum,& album. Vnde dixit: roſas albas & citrinas.

Colchicon.

De Cathartico.

CAtharticum,ſiue per k, katarticum, omnes teſtantur idem ſignificare quod purgatiuum,ſeu ſolutiuum,aut ſimile. Vnde apud Galenum quinto de ſimplicium medicamentorum facultatibus,cap.19.cathartica declaratur facultas purgans. Addit autem roſatum,ad differentiam aliorum ſolutiuorum,ſeu purgatiuorum,quæ à roſis non denominãtur. Vnde quia in hoc ſuo antidotario non habet aliud purgatiuum roſatum, quàm electuarium roſatum,de ipſo haud dubiè eſt intelligẽdum. Et probatur per illud quod ſequitur,ſcilicet quòd in pilulis de hermodacty

dactylis de ſua deſcriptione poſuit apertè & clarè: videlicet, fac pilulas cum electuario roſato. Non autẽ cum electuario de ſucco roſarum, quod eſt in antidotario Nicolai, vt Chriſtophorus de Honeſtis declarauit.

Pilulæ Sebelliæ &c. CCCXXI.




EBELLIAE, id eſt aromaticæ. Dicuntur ſic, ob varias ſpecies aromaticas quas recipiũt. Vnde rectius erat ſcribere ipſas immediatè poſt pilulas elephanginas: tamen non eſt noſtrum peruertere Authoris ordinem. Per libros impreſſos enim generaliter in præſenti deſcriptione eſt vna menda: videlicet, vbi legitur: Raued, agarici, epithymi, ana ℥.iij. Legẽdum eſt rectius: ana ℥.iiij. Quoniam ſic inuenimus in cunctis exemplaribus, necnon & in vulgari æditione.

DISTINCTIO VNDECIMA.

De Vnguentis & Emplaſtris.

CCCXXII.

De Emplaſtris, & Vnguentis in generali.



NTEQVAM ad alia tranſeamus, primùm videndum eſt, quid intereſt inter emplaſtrum & vnguentum, & ceratum vel cerotum &c. Certum nanq; eſt quòd vnguentum & emplaſtrum poteſt largo modo alterum pro altero nuncupari. Vnde pręſentem diſtinctionem indifferenter & quaſi communiter fecit, De vnguentis, & emplaſtris. Sed magis ſtrictè conſiderantes (vt Sypontinus ſcribit in Cornucopia) quæ hodie vnguenta, ſupple falsò vocamus, ſunt illa propriè, quæ à doctis Græco vocabulo emplaſtra dicuntur. Quæ autem emplaſtra, ſupple etiam falsò vulgò nominamus, à peritis cataplaſmata, ſiue malagmata vocitantur. Vnde ſequitur, q̃ vnguẽta propiè ſunt alteriuſmodi. Sed ſecundũ cõmunẽ modum loquendi, omnia, ſcilicet & illa & iſta, poſſunt ad vnum & idem vocabulum, ſcilicet vnguentum deduci. Diuerſa tamen vnguentorum genera reperiuntur. Et illorum, quæ proprie vnguenta dicũtur, alia ſunt ex ſuccis, & hæc Stagmata Græcè appellantur. Alia conſtant ex corporeis rebus, quæ Hedyſmata Græcè.

Vnguẽtum ab emplaſtro & cerotũ in quo differt.

Et

Et alia ex pluribus odoriferis, quæquidem Diapaſmata Græci nominant. Et propriè illi paſtilli poſſunt ſic vocari: quos myropolę, ſiue ſeplaſiarij fingentes vendunt, atque vulgò profumos appellitant. Feces autem vnguentorum, Magmata vocantur. Ex quo crocomagma, fex crocini vnguenti interpretatur. Generaliter verò omne ex quo aliquid poteſt vngi, vnguen, ſiue vnguentum dicitur. Vnctio autem, ab vngo deducitur. Vnde vnguentũ, quaſi vngimentum dici poteſt. Ceratum verò, ſiue cerotum propriè, non eſt emplaſtrum, nec paſtillus, neque vnguẽtum, quamuis & aliquando veniat ſub nomine emplaſtri & vnguenti &c. Vt exempli gratia: Author noſter Iſopi cerotum deſcriptione Philagrij vocat vnguentum, cùm dicit inibi: Et cum cæteris fiat vnguentum. Et apud Auicennam in quinto cañ. idem cerotum vocatur Emplaſtrum Philagrius &c. Conſtat enim cerotum vtplurimum ex paſtillis, & rebus duris quæ igne molleſcunt. Denominatur autem ceratum ſiue cerotum, à cera, quæ in omnibus ceratis recipitur. Vnde ſequitur corollarium, quòd aliquod huiuſmodi generis non recipiens ceram, rectè non poſſe ceratum dici, niſi aliquo modo per ſimilitudinem. Linimentum autem, & vnctio, non differunt. Manardus etiam in exordio huius diſtinctionis teſtatur ſimiliter, quòd iuniores non conueniunt cum antiquis, in nominibus huiuſmodi confectionum. Ait enim: Vnguenti, & emplaſtri nomine, ſed & ceroti, aliter antiqui, aliter neoterici vſi ſunt. Illi enim vnguenta ea duntaxat vocabant, quæ ex odoratis rebus conficiebantur: emplaſtra, quæ ex metallicis: cerota, quæ ex oleo & cera. Neotericis vnguenti nomen, ad antiquorum emplaſtra & cerota extenditur, cerota ea ſolùm vocantes, quæ ita cuti hærẽt vt vix auelli poſsint: quæ ab hærẽdi vi, à Galeno ἰχεκόλλα dicta ſunt. Emplaſtra verò neoterici, quæ antiqui cataplaſmata nominant. Hæc ille. Nicolaus autem in ſuo antidotario, ſcilicet in emplaſtro quod dicitur apoſtolicon, definiuit, quòd emplaſtrũ eſt dura cõfectio. Nonnulli autẽ dicunt, quòd triplex eſt emplaſtrũ, ſcilicet durũ, mediocre, & molle. Et confundunt ſub nomine emplaſtri & vnguẽta & cerota &c. Sed hæc dicta ſufficiãt.

Vnguen. *Vngimẽtũ.* *Cerotum.*

Iſopi cerotũ deſcriptione Galeni &c. CCCXXIII.



DENOMINANTVR Iſopi cerota iſtæ compoſitiones, ab Iſopo humida, ſcilicet ſorde lanarũ ouium, de qua magnam recipiunt quantitatem. Luminare Maius enim & vulgaris æditio, & pauca quædam exẽplaria (vt in duobus legimus) non

rectè habent in præsenti descriptione, cerā in vno ana cum oleis: etenim rectius impressiones latinæ, & Nicolaus Præpositus, & fe rècuncta exemplaria sic habent: Recipe ceræ citrinæ ℥.iij.olei chamæmilli, olei irini, ana ℥.vj.&c Item falsò apud ipsum Luminare legitur: Croci ʒ.j.& falsissimè, Isopi humidæ ʒ.x.cùm cæteri libri tam antiqui quàm impressi, vniuersaliter habeant: croci ʒ.j.s.& isopi humidæ ʒ.lxxx. Et sic est verum.

De Cera.

VEre ex tam exigui animalis (scilicet apis) industria, magna nobis Deus noster maximus & benedictus contulit bona, vt sunt mel, & cera. Non enim mortalium quispiam (vt putamus) suo valeret ingenio, minimā vtcunque particulam horum colligere. Igitur, Non nobis Domine, nō nobis: sed nomini sancto tuo omnis laus detur & gloria. Cera itaque notissima est, atque frequenter varijs adhibetur vsibus. Reperitur nanque citrina, siue fulua, siue mellea, quæ & mellis colorem, & odorē habet. Et hæc est illa, quæ expresso melle, remanet in prelis. Et hæc petitur ab Authore in præsenti ceroto, & vbique, vbi cera citrina, vel cera absolute legitur. Reperitur etiamnū & cera alba, quæ & duplex est, scilicet naturalis & artificialis. Sed naturalis est illa, quæ in aluearijs absq; melle inuenitur, quæquidem à Dioscoride propolis vocatur, & vulgò cera virgo nominatur. Est enim alba, sed non in superlatiuo gradu. Alia autem alba artificialis dicta (ex eo quòd arte dealbatur) albissima est, quæ hodiernis temporibus Venetijs, & alibi, aqua marina &c. sicut Dioscorides docet, in magna paratur copia. Alijq; diuersi modi ceram dealbandi habentur, quos breuitatis causa pertransimus. Vetustate quoq; efficitur alba, quæ prius erat citrina. Tingitur quandoq; cera varijs coloribus, ex quibus postea varia sortitur cognomina, vt à cinnabari, minio, cera rubra: & à viridi æris cera viridis dicatur &c. *Cera absolutè.*

De Mastice, & Lentisco.

REsina lentisci, mastix, & lentiscina vocatur. Nam quasi per totam Italiam, magna reperitur lentiscorum copia: tamen cœli qualitas non dat eis copiose resinam producere, vt in Chio insula, & alibi. Rarò in Italia scimus lentiscum ferre resinam. Etenim post resinam terebinthi, id est terebinthinam, secudū Dioscoridem, mastix obtinet bonitatis locum. A nonnullis gluten Romanum, & viscum Romanum vocatur, quamuis putamus nō rectè. Res quidem nō ignota. Sed in trituratione ipsius animaduertant aromatarij, vt madefaciāt prius mortariolū, & pistillum aqua *Viscum Romanum.*

aqua pura,& sic nihil adhærebit ipsis. Similiter etiam potest fieri in trituratione vernicis,thuris,& similium. Lentiscum autẽ Græci schinon,scilicet schinum vocant. Sed non est idem cum schœno. A terebintho parum differt lentiscus, vires quoque consimiles habet. Et(vt Dioscorides tradit)ipsa,aut succus foliorũ eius, in vicem acaciæ,& hypocistidis peroptimè cõpensatur.Fit etiam ex eius granis oleum,quod oleũ lentiscinum,siue de lentisco,vocatur,ad multa vtile.Ipsa quoq; grana matura per se simpliciter, aut muria macerata,à pluribus nõ sine voluptate comedũtur. In præsentiarum etiamnum,vt Dioscoridis tempore,ex lẽtisci surculis dentiscalpia fiunt. Vnde Romæ plures sunt,qui quotidie ex industria & lucro horum dentiscalpiorum,victus ac vitæ necessaria sibi non parcè acquirunt.

Oleum lentiscinum.

De Terebinthina,& Terebintho.

TErebinthina,à terebintho: vel terminthina, à termintho dicitur. Græci enim terminthum,quod Latini terebinthũ, vocant.Nonnunquam minus rectè,& quasi barbarè, per varios libros,terbentina,seu terebintina,vel trebentina, siue tremẽtina, aut termentina legitur. Omnibus alijs resinis à Dioscoride ista præfertur. Nam & ipsa (vt diximus) non solùm numeratur inter resinas,sed principatum omnium resinarũ habet:post ipsam verò,mastix locum tenet, quæquidem (vt ipse Dioscorides Author est) in omnibus terebinthinæ correspondet. Quamobrem, quia vera terebinthina rarissimè habetur: tutius est in eius carentia ponere masticem,quàm aliud.Hæc autem,qua vtimur sub terebinthinæ nomine,pro certò compertum habemus,quòd ex laricis arbore excipitur: & verissimè suum proprium nomen Laricina est. Vnde & à nonnullis hodie larga,quasi larica dicitur. Tamen Aetij authoritate,ad omnia quæ terebinthina valet,& hæc accomodari potest. Habuimus aliquando Venetijs ex vera terebinthi resina,è Cypro insula aduecta. Quæ licet non sit in ea bonitate in qua est illa,quæ ex Cycladibus insulis sumpta,à Dioscoride magis commẽdatur: attamen est melior quàm laricina. Terebinthi quidem arbores,in nonnullis Italiæ locis,ac etiam intus Vrbem nascuntur: sed experti sumus ipsas rarissimè producere resinam: sicut & plures aliæ arbores sunt in Italia,quæ vel raro vel nunquam producũt gummi,seu resinas: cùm alibi extra Italiam id abundantius faciant. Vt est arbor storacis,& lentiscus,de quo mox suprà,& cypressus,& oliua,& ficus, & hedera,& arangiorum,& citrorum arbores &c. Inuenimus tamen aliquando in huiusm

huiuſmodi arboribus,& reſinas,& gũmi,reſpectiuè ſupple. Vulgò Romæ, terebinthum, cornucapræ vocant. Et ab Arabibus helcalimbat, albotin, ſiue botin, vel boton, aut baton appellatur. A Rhaſi autem haelchalimbit ſcribitur. Non elongatur à lentiſci ſimilitudine. Nam ſecundum Serapionem, ſpecies vnius generis ſunt terebinthus,& lentiſcus: ſed terebinthus folia maiora quàm lentiſcus habet. Fructum fert duplicem, & quandoque triplicem. Primus non maturatur. Secundus verò tempore vindemiarum racematim, maior quàm fructus lentiſci, rubeus primitus conſpicitur, poſtea ſubuiridis, ad nigredinem tendens. Vnde eſt, quòd granum viride ab Auicenna, & alijs pluribus nominatur. Tertius (ſi fructus dici poteſt) varijs coloribus & formis, in modum veſicarum vlmi prouenit. Huiuſmodi enim tertij aliqui ſunt longi, depreſsiq;, parum curui, cornibus caprarũ ſimillimi: vnde cornucapræ nomen ſibi arbor vendicauit. Alij ſunt rotundi,& ex eis magni & parui, vt mala: alij oblongi, vt pruna &c. Ex quibus omnibus, alij ſunt ex parte colorati, albi videlicet & rubri, alij ſubcitrini & albi, alij per totum albi,& alij ſubuirides &c. Ita pulchriores omnes, quòd magnã afferunt aſpicientibus voluptatem. Intus verò cuncti, cùm ſunt maturi, culicibus ſeu muſcis paruis pleni ſunt. Nonnulli etiam ex ipſis intus habẽt quendam humorem, ſicut eſt in veſicis vlmi &c. quos fructus, imò pſeudofructus, pluries manibus proprijs ex terebinthi arbore collegimus. Et quòd terebinthus producat huiuſmodi fructus, lege Theophraſtum in capitulo xv. libri tertij de hiſtoria plantarum, vbi terebinthorum genera optimè ſcribit. Et etiam quòd reperitur terebinthus maſcula,& terebinthus fœmina: ſed maſculam dicit eſſe ſterilem,& infructiferam.

De omni Reſina, & Gummi.

INter arborum, ſiue arbuſtorum,& plantarum, ſeu herbarum genera, aliqua reſinam, aliqua gũmi, aliqua verò neutrũ producunt. Quandoque tamen ab Authoribus confunduntur,& alterum pro altero capitur. Ex his autem arboribus, quæ reſinam fundunt: ſunt Terebinthus, Lentiſcus, Populus, Larix, Abies, Pinus, Picea, Cypreſſus, arbor Thuris, Iuniperus &c. Ex arbuſtis verò, vt eſt in Hiſpanijs quoddam arbuſtum: quod vulgari eorum lingua Sciara dicitur &c. Ex herbis, ſeu plantis autem colligitur: vt ex Condrilla, Chamæleone albo,& ſimilibus. Gummi conſimiliter ex arboribus: vt ſunt arbor Acaciæ, Ceraſus, Prunus, Amygdalus,& aliæ multæ. Ex fructicibus autem, ſeu arbuſtis, vt ſunt

Hede

Hedera, Cyprus, Pruneolus &c. Ex herbis quoque, ſeu plantis, vt ex Tragacantha, & varijs herbis ferulaceis &c. Quæ verò neutrũ producũt, vt Taxus, & ſimilia, penè innumera ſunt. Sed (vt optimè Braſaulus ſcripſit) in his differentijs principaliter cognoſcũtur ab inuicem reſina & gummi, ſcilicet quòd reſina naturã oleaginam, gummi verò aqueam habet. Quodq; triplici experientia probatur. Videlicet quòd reſina ad ignem faciliter accenditur: gummi verò crepitat. Item difficilius eſt reſinas & aquam miſcere: facilius autem gummi & aquam. Item econtrà, faciliter reſinas & oleum commiſcere: difficulter autem gummi & oleum. Et ſcias quòd omnis pix eſt reſinæ ſpecies. Abuſiuè quidem illud quod adhæret parietibus doliorum vini & aceti, à nonnullis vocatur reſina: longè enim differt ab iſtis. Et rectius (vt in ſuperioribus iam diximus) raſina dici debet: non obſtante quòd iſtæ etiam ſimiliter abuſiuè à quibuſdam raſinæ dicantur. Vnde paſſim in aliquibus libris legitur raſina abſolutè, & raſina pini &c. Et vulgò raſa pini vocitatur. Reſinarum autem, aliæ ſunt liquidæ, & aliæ duræ, ita quòd poſſunt puluerizari: aliæ verò inter liquidum & durum mediantur. Omnibus enim reſinis (vt ſuprà diximus) à Dioſcoride, Paulo, & alijs pluribus, præfertur terebinthina. Reliquis verò poſt ipſam, lentiſcina, ſcilicet maſtix. Serapio autem primum authoritate Galeni dicit, gluten Romanum (quod declarat eſſe maſticem) eſſe melius omnibus glutinibus: infrà poſtea authoritate Dioſcoridis, dicit aliter, ſcilicet quòd terebinthina eſt melior, & poſt ipſam maſtix. Vnde poteſt coniectari quòd ambæ ſint æquali virtute & bonitate munitæ, vel ſaltem quòd parum differant inter ſe. Igitur cùm ſint multæ reſinarum ſpecies, de qua autem ſit intelligendum, cùm abſolutè (vt in præſenti deſcriptione) legitur, variæ ſunt iuniorum opiniones. Nam ſunt qui volunt, vt intelligatur terebinthina, alij autem maſtix, ex eo quòd altera ipſarum cæteris præferatur. Quorũ opiniones per præſentis ceroti deſcriptionem (in qua recipitur terebinthina & maſtix, & per ſe reſina) refelluntur atque confutantur. Alij autem & melius, tradunt illam abſolutè eſſe intelligendum, quæ ex pini arbore tantùm ſumitur. Quoniam licet terebinthina & maſtix, in genere reſinarum ſint præſtantiores: tamen ſemper ſpeciali nomine deſcribuntur, & nõ generali. Vnde antonomaſticè per hoc nomen, ſcilicet reſina abſolutè, neutra ipſarum poteſt intelligi. Sed reuera, per antonomaſiam, reſina è pinu intelligitur. Non quia melior, ſed quia copioſior habetur.

Reſinæ & gũmi differentiæ ad inuicem.

Reſina abſolutè.

Vnde Plinius 3.cap.trigesimiseptimi libri, dicit resinam propriè pineis inesse. Et vulgaris vsus vocandi adhuc extat. Omnes enim resinam pini, siue rasam pini vocant. Et sic est secundum veram authoris intentionem, & ita debet intelligi.

Operatio Isopi humidæ &c. CCCXXIIII.


STIVS operationis descriptio satis est clara. Sed sciendum quòd alius modus diuersus ab isto colligendi hanc lanarum sordem, Isopum humidam dictam, ponitur à Dioscoride 2.libro. Quilibet nempe est bonus. De isopo humida, quæ œsypus græce dicitur, quære in syrupo de hysopo.

Isopi cerotum descriptione Philagrij &c. CCCXXV.


EROTVM præsens sub nomine emplastri ponitur ab Auicenna in quinto cañ. cuius titulus est: Emplastrum Philagrius. Differt tamen in aliquibus paucis. Ponitur etiam & à filio Serapionis in septimo cap.27. sub titulo, Dhimadh, filagrij: tamen in pluribus est differens. Animaduertendum autem quòd præsens descriptio est multùm deprauata, & confusio non minima est in ipsa per impressos codices. Vnde primò sciẽdum, quòd vbi legitur: Bdellij &c. ana 3.vij. Legendum est rectius: ana 3.viij. Quia sic habent cuncta exemplaria antiqua, & vulgaris æditio, & Luminare Maius. Et similiter filius Serapionis, & Auicenna. Item, vbi legis in ipsis impresionibus, terebinthinæ ℥.j.s. Lege verius ℥.ij.s. quoniam sic est secũdum veritatem in præfatis exemplaribus. Item quod habetur in fine descriptionis: videlicet. Et in alio ceræ ℔.j. minus quarta. Dele ex libro totum: & lege simpliciter, Sepi vitulini 3.xv. & est conuenientius. Quia illa est additio imperitorum impressorum: nec est in exemplaribus antiquis, neq; in Nicolao Præposito. Et cum hoc patet, quòd est confusa loquutio. Quia cùm sit suprà: ceræ citrinæ ℔.j. nescitur modo per hanc superadditionem, an de ipsa cera suprapositasit minuenda pars quarta, vel cum alijs additionibus sit superaddẽda alia ceræ libra minus quarta. Vnde si superadditur: certum est quòd non erit quod sequitur. Hoc est: Et est conuenientius. Imò disconuenientius erit: quoniam tanta quantitas ceræ non competit huic ceroto, vt bene fiat. Igitur nõ est admittenda, neq; est minuenda quarta pars libræ superius positæ.

De Medullis.

EX duobus tantùm generibus ossium medulla colligitur, scilicet ex spina dorsi, & ex cruribus animaliũ, quamuis etiã & in mandibula reperiatur, quæ posset colligi. Vnde ad differentiam illius quæ spinæ dorsi est, Author specificauit cruris. Et posuit vaccæ, ad differentiã aliorum animalium: quoniam ex varijs animalibus sumitur. Vnde secundũ Dioscoridem medulla ceruina est omniũ laudatissima, & post ipsam vitulina, deinde taurina, cum qua intelligitur etiã & vaccina, siue (vt melius dicamus) bouina. quoniã bos communis generis est. In cuius vice, etiam & bubalina potest substitui. Post bouinam autẽ, caprinam & ouillam ipse Dioscorides numerauit. Postea subintellige ex cæteris animalibus, quæ ferè innumera sunt. Et ex quolibet cùm potest haberi, colligenda est atq; seruanda, vt ex hœdo, agno, equo, asino, chamelo, cane, lupo &c. Et seorsum altera ab altera: nec simul asseruari debet quæ est ex cruribus cum spinali. Etiam & humana medulla habenda est, quam (saluo meliori iudicio) nos putamus omniũ optimã. Et nota quòd quãdo petitur medulla ex altero vnius speciei animalium, puta ex masculo, si nõ potest haberi, sumatur ex fœmina eiusdem speciei, & econtrà. Ex cruribus autem, siue ex alijs volatiliũ, nusquam legimus admissas esse medullas. Nec enim putamus ipsas omnino virtute carere. Vt sunt medullæ crurum, & alarum anseris, anatis, gruis, ciconiæ, struthionis, siue struthio, chameli &c. tamen nos (ni fallimur) credimus ipsas eiusdem virtutis esse cum alia ipsorum pinguedine, & optimè pro ea possunt substitui. Non obstante quòd talium medullæ sint generaliter liquidæ plus, quàm medullæ quadrupedum.

Medulla humana omnium optima.

De Adipibus.

ADeps, & pinguedo, siue pinguitudo, & quod vulgò grassum dicitur, vnũ & idem significant. Et sunt nomina generalia, seu communia ad omne oleosum: nõ solùm in materia carnis, cuius sunt propria, verumetiam & ad alia referuntur. Vnde Psalmographus: Cibauit eos ex adipe frumenti. & Geneseos 27. de pinguedine: & in pinguedine terræ &c. Galenus autem xj. de medicamentorũ facultatibus, facit differentiã inter adipẽ & pinguedinem. Et pro adipe intelligit tantùm seuum, & pro pinguedine axungiã: tamen postea scribit quòd omnis adeps in animali potest dici pinguedo: & econtrà, omnis pinguedo potest adeps denominari. Attamẽ differt adeps ab adipe, siue pinguedo à pinguedine, vt mox dicemus. Adipis igitur, siue pinguedinis plures

sunt

ſpecies ſeu differentiæ, ſcilicet ſeuum (quod & ſebum, & ſepum etiam dicitur) axungia, ſiue axungnia, ſiue minus rectè aſſungia, laridũ (quod quaſi per ſyncopã, lardum vulgus vocat) vnctum, medulla &c. Sed ſepum, ſiue ſeuum, reperitur in animalibus cornigeris vna tãtùm parte dentatis. Axungia verò, & laridum ſunt in animalibus non cornigeris, quorum quatuor dentes vtplurimum prominent: Vt ſunt porcus, ſiue ſus, aper, porcus ſpinoſus, ericius ſylueſtris, mus, gliris, felis, canis, vrſus, elephas, & his ſimilia. Inter quæ & homo etiamnum poteſt connumerari. Vnde ad differentiam aliarum axungiarum, multoties ſpecificatur de porcina. Vnctum tamen ſpecialiter dicitur de pinguedine quæ eſt in dorſo porci. Medulla autem in innumeris animalibus ferè eſt. In auibus verò, non ſeuum, nec axungia, nec laridum dici libet: ſed tantummodo adeps, ſeu pinguedo, quæ & pinguitudo dicitur. Author enim noſter in hoc ceroto ſpecificauit de adipe anſerina, ad differentiam aliarum. Anſer quippe auis aquatilis eſt, & notiſsima. Vulgò autem Ocha, & Paparum, ſiue paparus appellatur. Et omnis adeps, ſi non ſpeciatim legitur de veteri aut ſalita, ſemper intelligitur recens, & abſq; ſale. Quomodo autem purgandus ſit, atq; aſſeruandus omnis adeps, à Dioſcoride optimo ſermone declaratur. Sed nota quòd quandocunq; legitur ſimpliciter, & abſolutè, alicuius animalis adeps, ſeu pinguedo, ſemper intelligitur illa quæ circa renunculos, & iecinora ipſius animalis reperitur. Sed in eius carentia, ex alijs quoq; eiuſdem animalis partibus adipem ſubſtitue. *Adeps cuiuſlibet animalis abſolutè.*

De Fœnu Græco.

QVare dicatur fœnu græcum, ignoramus. Non enim è Græcia apportatur: nec magis græcum, quàm Italicum laudatur. Nam & in Italia, & præcipuè circa Orthas, in magna ſeritur copia. Herba quidem nota, ſemenq; notiſsimum eſt. A nonnullis fœnu græcum domeſticum, ſiue ſatiuum nominatur, ad differẽtiam alterius plantæ, quod fœnu græcum ſylueſtre vocant. Quodq; ab aliquibus ruta capraria, ſiue capragina nuncupatur. Vulgò autem, ſunt qui taurinam, & ſunt qui martanicam, & ſunt qui herbam neſam appellant. Tota perſimillima eſt fœnu græco ſatiuo, ex quo fœnu græcũ ſylueſtre dicitur. Non ſeritur in Italia, ſed locis pinguibus, humectiſq; copioſè prouenit. Apud antiquos quippe huiuſmodi plantam adhuc non legimus: tamen à pluribus ſcimus expertam eſſe, in morbos peſtilentes, & contra venenata maximam vim habere. *Ruta capraria.*

Isopi cerotum descriptione Pauli *&c.* CCCXXVI.



PAVLVS in septimo cap.17. habet vnum isopi liquidi medicamentum, quodquidem longe differt ab isto ceroto. Aduertendum auté quòd per impressiones latinas, mẽdosè legitur in præsenti descriptione: Ceræ ʒ.iij. lege verius: ℥.iij.s. Vt est in cunctis exemplaribus, necnon & in vulgari æditione. Nicolaus Præpositus verò habet ℥.ij.s. Et Luminare Maius ℥.iij.s. Vterq; similiter mendosè. Putamus enim quòd librariorum incuria, in Nicolao sit diminuta illa vncia, & in Luminari posita ʒ.pro℥. Item quædam impressiones de recẽtioribus, mendosissimè etiam habẽt. Sepi, & medullæ vituli, ana ʒ.ij. Lege ℥.ij. vt est in omnibus alijs libris tam manuscriptis quàm impressis. Pro Sigia auté, intellige storacem liquidam: & de ipsa quære in superioribus. Et pro ireleo, siue irileon, intellige oleum irinum. Et de ipso dicetur in distinctione de oleis. Aliud isopi cerotum descriptione Democriti, habetur infrà, de quo loco suo dicetur. Item aliud diuersum ab istis habet Author, authoritate Aboali, in capitulo de bothor, & apostemate aurium. Item, quasi similem compositionem ceroti ex isopo humida habet circa finem capituli, de asthmate, quod inscripsit: Cerotum ex inuentione nostra.

Vnguentum Diaphinicon *conferens &c.* CCCXXVII.



ANIMADVERTENDVM quòd circa finem huius distinctionis sunt duæ vnguenti palmei descriptiones, quæ satis parum differunt ab istis, scilicet præsenti & sequenti descriptionibus vnguentorũ diaphinicon. Quæquidẽ descriptiones finales, cum duobus alijs, scilicet antè & retrò sibi adhærentibus, in multis antiquis exẽplaribus non sunt. Et in aliquibus prima tantùm vnguẽti palmei descriptio legitur, secunda minimè. Ita ꝙ pauca sunt exẽplaria, quæ vtrãq; habẽt descriptionẽ. Vnde dubitamus, ne fortè sint additiones ad præsentẽ distinctionem: tum propter hoc quod diximus, scilicet quòd in paucis habentur exẽplaribus: tum etiã quia seorsum locatæ sunt ab istis in ipsa distinctione: quoniã clarũ est, quòd hoc primum vnguentũ diaphinicon, & illud primũ palmeũ, est idẽtidem bis descriptũ. Nõ obstãte quòd sint in eis aliquæ paruæ differẽtiæ, quæquidẽ nõ faciũt vt vtrunq; non sit idem vnguentũ. Sed quia (vt diximus) quòd in quibusdã paucis dũtaxat exemplaribus legũtur, nõ visum est nobis

bis delere ipsas descriptiones à libro, neq; à loco suo mouere. Sciẽdum tamen quod illud primũ vnguentũ palmeũ, ex primo Galeni librorũ secundũ locos, quasi ad literã sumptũ fuisse probatur. Quod quidem à filio Serapionis authoritate ipsius Galeni, ferè de verbo ad verbũ in septimo sui Breuiarij, sub titulo vnguẽti de calcadis ponitur. Et sub eodem titulo, & eadem authoritate, magis tamen succinctè, ponitur ab Auicena in quinto cañ. ab Hali filio Abbas quoq;, cum inscriptione, colcotarij vnguenti: similiter ex Galeno scribitur in decimo suę practicę. Galenus autẽ libro prę-allegato dicit vocari ipsum, Emplastrũ diachalciteos: sed à palma Emplastrũ diaphinicon, siue phinichinõ appellat. Vnde Emplastrũ chalciteos, siue chalcitis, idem est quod emplastrũ, siue (vt mauis) vnguentũ de calcadis filij Serapionis, & Auicennæ. Et ex eo quòd vocatur de palma, siue diaphinicon: idem dicit quòd vnguentũ palmeum, & vnguentum diaphinicon filij Mesuæ. Infrà etiam sunt alia duo emplastra, diaphinicon cognominata, quorum secundũ authoritate Alexandri ponitur. Sed vtrunq; ipsorum alteriusmodi cõpositionis est. In Hali autẽ à malo interprete (vt putamus) pro chalciti, siue chalcade, quod idem est, versum fuit colcotar, quod est alia vitrioli species: vt suprà, scilicet in trochiscis de croco, latius declarauimus. Similiter interpres filij Mesuæ in huiusmodi vnguentis hoc simplex non rectè interpretatus est. Quoniam in hoc vnguento diaphinicon primo, non colcothar, sed chalcitis, seu (vt mauis) chalcadis vertere debuisset: vt in secundo (quod descriptione Arabica inscribitur) fecit. Et sic nos tanquam melius, nõ colcothar, sed chalcadis rescripsimus. Etiam in illis vnguenti palmei descriptionibus minus rectè ipse interpres, vitrioli, non specificatè vertit. Et alijs in locis consimiles errores passim leguntur. Ex quo lectores semper animaduertãt, ne cum ipsis in eorum errorem incidant. Diaphinicon autẽ dicitur huiusmodi vnguentum, seu palmeũ, aut de palma, à ramis dactylorum, seu palmarũ cum quibus conficitur. Phenichia enim, dactyli sunt. Et sub eodem nomine palma etiam intelligitur: quoniam dactyli & palmæ sunt vnius generis species. Et indiscriminatim possumus altero pro altero vti: respectiuè tamen de arbore, vel de fructu. Veruntamen in defectu ramorum dactylorum, seu palmarum: (vt in vnguento palmeo secundo legitur) radices cannarum substituuntur. Manardus autem dicit, se aliquando cum ramo quercus parari fecisse, & inuenit ipsum vtile. Et hoc (vt putamus) à Guilelmo Placentino accepit, qui in quin-

to suę practicę, cap.21. videlicet in suo vnguento de palma, dicit: Vt agitetur ipsum vnguẽtum cum spatula palmæ, vel ligni glandium &c. Igitur authoritate istorum & huiusmodi ramis pro palmarum, & dactylorum ramis in necessitate possumus vti in confectione talium & similium vnguentorum.

De Zirbo,

Zirbus nempe (vt iuniores cõcorditer tenent) idem est quod reticulum, seu panniculus inuoluens intestina. Et propriè est illud quod vulgò Italicè rata, & ab alijs raticella, seu reticella dicitur. A nonnullis etiam absolutè rete vocatur, quoniam retis similitudinem habet. Quodquidem reticulum in omnibus quadrupedibus non reptantibus reperitur. Sed in vno animali magis pingue, quàm in alio. Et quandoq; pro toto animalis adipe, largo modo intelligitur. Strictè autẽ pro dicto reticulo, aut pro axungia tantùm. Quando autẽ non specifficatur de quo animali, vt in ista descriptione, semper de suillo, scilicet porcino reticulo, tanquam de pinguiori intelligẽdum est. Generaliter enim omnes libri tam antiqui quàm impressi, quos vidimus in ista descriptione habẽt zirbi absolutè, præter vnam de vltimis impressionibus, & Nicolaum Præpositum in quibus speciatim legitur, zirbi cerui: & vnum exemplar quod habet scriptum zirbi hirci. Veruntamen vtrunque est falsum: quoniam apertè probatur esse zirbum porci. Nam Galenus sic clarè scribit: Vetusti adipis, quẽ institores axungiam appellant. Certũ nanque est quòd axungia absolutè, semper de porco intelligitur. Item Hali Abbas clarius posuit in his verbis: Sume zirbi porci, aut adipis, sine sale &c. Itẽ in vnguentis palmeis: videlicet in primo, sic legitur. Axungiæ veteris depuratæ à sale &c. Et in secũdo latinè sic: Pinguedinis porcinæ depuratæ à sale &c. Ergo prædictum zirbum non est cerui, nec hirci: sed porci. Lege etiã Galenũ, & videbis quòd magis cõpetit huiusmodi vnguento adeps porcinus, quàm alterius cuiusque animalis. Vnde Author tanquam exellentiorem præposuit ipsum adipi vitulino, in præsenti descriptione. Et sic est verum.

Reticella. Zirbũ absolutè.

Vnguentum Diaphinicon descriptione Arabica, & est unguentũ Arabicũ &c. CCCXXVIII.



[H]OC præsens vnguẽtum non negatur ab Authore esse idẽ cum supradicto: tamen dicit quòd est ipsum, sed secundum descriptionem Arabicam. Tan

Tanquam si diceret: Arabes variauerunt ipsius descriptionem in hunc modum &c. Dans intelligi, quòd suprascriptum est secũdum puram Græcorum descriptionem &c. Sunt autem in ista descriptione per impressos codices aliquæ librariorum mendæ. Et primò. Ferè in omnibus dictis codicibus legitur: foliorum cheiri, saluiæ, triaphyllon, allesa, acori &c. Super quibus verbis variæ sunt iuniorum opiniones. Vnde aliqui per triaphyllon, intelligunt speciem satyrionis, scilicet testiculũ vulpis, ex eo quòd tria folia, nec plus, nec minus habet. Alij intelligunt trifolium acetosum, alleluia nuncupatum, & sic diuersimode ipsi scribunt. *Alleluia.* Vnde apud aliquos legitur: triaphyllon acetosi. & apud alios: triaphyllon, id est alleluia: & nihil de allesa tangunt. Alij autem dicunt triaphlylon per se, & alleluia per se debere intelligi. Alij Alij autem volunt vt per triaphyllon intelligatur lotus domestica: & pro allesa, siue allisa, intelligatur alysson, vel alisma Dioscoridis. Et alij aliter somniãt. Nos autem his omnibus visis, atq; cunctis (quæ habuimus) exẽplaribus perlectis, dicimus breuiter, quòd veritas literæ talis est: Recipe foliorum cheiri, saluiæ, triaphyllõ, alleuia, acori &c Quoniã sic inuenimus in decẽ & octo ex ipsis exẽplaribus antiquis. Et in quinq; alijs, legitur triaphyllon acetosi, quod idẽ significat. Et in duobus legitur sic: Triaphyllõ, id est alleluia: quod similiter est idẽ. In nonnullis alijs etiã est simpliciter, alleluia. Et in alijs paucis, triaphyllõ absolutè. In nullo enim penitus legitur alesa, quod quidẽ, si in impressionibus legitur, est librariorũ depranatio posita pro alleluia, de qua mox dicetur. Sed Author sciẽs plurimas esse trifolij species, ad maiorem cautelã, ne cõmitteretur error, noluit absolutè scribere illud. Et ideò cùm scripsit triaphyllõ, mox declarauit, addens alleluia. Videlicet significãs ꝙ ex tot sit accipiẽdũ. Secũdò vbi legitur: Ex foliis earũdẽ herbarũ, ana ℥.iij. quia sic est in omnibus exẽplarib. & ita similiter habẽt Luminare Maius, Nicolaus Præpos. & vulgaris æditio. Tertiò, vbi legitur: Litargyri mũdi & triti contritione vltima, ℔.iij. Et in alio, ℔.iij.s. Cassetur hoc, videlicet: Et in alio ℔.iij.s. quoniã est additio librariorũ superflua, qui forsan ex varijs codicibus trãssumẽtes, & ita inuenientes vtrunq; posuerũt. Etenim non legitur in dictis exẽplaribus, neq; in Nicolao Præposito. Vnde legatur absolutè lithargiri &c. ℔.iij. Et sic est verũ.

De omni Trifolio.

TRiaphyllon, siue triphyllon Græcè: Latinè trifoliũ significat. Plura etenim sunt genera, species, & differẽtię trifolio-

rum. Vnde in generibus triphylli, scilicet trifolij veniunt, Trifolium asphaltitium, siue acutũ, aut odoratum: Medion, quod etiã trifoliũ odoratum dicitur. Melilotum, Lotum vrbanum, seu (vt magis placet) lotus vrbana, & lotum syluestre, quod trifoliũ minus cognominatur. Cytissus, quod est trifolium maius. Testiculus vulpis, Fragaria, Sampsuchum, Staphisagria, Andocacha, Alleluia, de qua nobis est sermo. Et alia plura, quæ licet à nobis visu cognoscantur: tamen ea scripta apud Authores hucusque non inuenimus. Vt est trifolium satiuũ, quod communiter non ignoratur: quoniam pluribus seritur locis pro iumentorum pabulo.

Tribulum odoratum. Et aliud trifoliũ maxime odoratum, quod vulgò Romæ tribulum (quasi trifoliũ) appellatur, quodq; largè mulieribus & alijs venditur: quoniã distillant ipsum pro suffumigijs & alijs varijs odoramentorũ lasciuijs faciendis. Aliter adhuc in vsu medico nõ recipitur. Item sunt quædam alia trifolij genera, quæ passim nascuntur, & quoddam ex ipsis habet in folijs maculas albas, ad lunæ non plenæ similitudinẽ, quod trifolium lunatũ appellamus: *Trifoliũ lunatum.* & aliud habet maculas nigras, in pupillæ oculi figura, quod trifolium oculatũ, seu maculatum nominare non displicet. Et alia plura, quæ superfluũ est scribere, cùm apud Authores nesciamus ea capitulare &c. Alleluia autẽ, quæ rectius (vt putamus) Luila dici debet, à nõnullis trifoliũ acetosum, siue panis cuculi nũcupatur. Et ab alijs vulgò acetosella, & salsarola dicitur. *Salsarolla* Ex eo quòd in salsis, scilicet in condimentis libenter commisceri solet. Folia enim fert ad corculi effigiem, in quolibet pediculo tria. Potius reptat, quàm eleuatur: semen habet in siliquis minimis rectis, triquetris, quæ prope maturationem, cùm tanguntur (quasi celantes semina ne accipiantur) continuò crepitant. & semina hincinde diffunduntur. Quæquidem semina, tanquam si viua essent, vt pulices saltando, se capi non permittunt. Ac sic in terram descendunt. Nascitur freqnentius circa sepes & inter saxa. A pluribus quoque in hortis colitur, vnde non ignoratur.

Emplastrum Arabicum &c CCCXXIX.



RAESENTIS emplastri Arabici descriptio, ab immediatè precedenti vnguento Arabico depẽdet: vnde absq; illo stare non potest. Quia cùm legitur hîc: Recipe ex folijs herbarum earũdem, & dissoluãtur in vino, aut succo herbarum, sicut hîc proximè diximus: declarat apertè de superiori vnguẽto Arabico

bico esse intelligendum. Sed nota quòd cùm dicit,dissoluantur &c.non intelliguntur omnia supradicta,sed myrrha,aloë,& sarcocolla tantùm.Est autem in præsenti descriptione per impressos libros vnum mendum. Videlicet vbi legitur vitrioli,aur.iij. legendum est,vitrioli aur.iiij.vt cuncta exemplaria antiqua nec nō & Nicolaus Præpositus,& vulgares impressiones habēt.Non obstante quòd in ipsis vulgaribus impressionibus mendosè impressum sit:Myrrhæ,aloes,ana ℥.xij.ʒ.xij.

Vnguentū mirabile relatū ad Nicodemū &c. CCCXXX.

Vnguentum Nicodemi aliud &c. CCCXXXI.



ISTORVM Nicodemi vnguentorum descriptiones melius atque rectius scribendæ sunt sine determinato medicinarū pondere,vt in exēplaribus vetustis legūtur.Prima,videlicet sic: Recipe myrrhæ.aloēs,sarcocollæ,ana partes æquales &c. Secunda autem sic rectius legitur: Recipe myrrhæ,aloēs,quantumlibet &c.Illæ nouē drachmæ,quæ in impressionibus sequuntur,ab imperitis librarijs positæ sunt. Qui forsan legentes,ana, absolutè,absq; quantūlibet,vel absq; partes æquales,ac sine pondere,illud quod sequebatur immediate,scilicet vini (vt putamus)intellexerūt viiij.videlicet v.pro quinq;:& iiij,pro quatuor: tanquam si essent quatuor sic,iiij. Et interponētes ʒ.fecerunt,vt legeretur,ana ʒ.viiij.vt in vno mendoso exēplari inuenimus. In quo ad maiorem mendi declarationē,sequebatur simpliciter sic: albi quantū sufficit. Nec erat ante vel post illud adiectiuū (scilicet albi) vini,aut alterius rei signū,pro substantiuo ipsius adiectiui. Vnde postea alij vtrūq; posuerūt,scilicet ʒ.viiij. & vini &c. Sed multùm differt,& non est parui momēti inter partes æquales,& ʒ.ix.pro eo quod sequitur.Hoc est: Et sunt qui addunt vitrioli partis vnius quartam . Nam si legitur, ana ʒ.ix.necessariò quælibet drachma erit pars:& sic nō adderetur vitrioli,nisi quarta pars vnius drachmæ,quod est tāquam nihil. Si autem stat,ana scilicet quantūlibet,vel partes æquales:& (exēpli gratia) puta intelligis de quolibet simplici, pro parte vna,etiam ʒ.ix. vitrioli quidem nō quarta pars vnius drachmæ,sed quarta pars vnius integri simplicis recipitur. Et sic tūc nouem drachmarum quarta, quæ sunt duæ ʒ.& quarta alterius erit quantitas vitrioli recipienda in ipsum vnguentū. Et ita est verum,& secundum veram authoris literam atque intentionem.Etiam vulgares excusiones ha

bent clarè & rectè ana quãto tu vuoi.fine ʒ.viiij. Nota etiã,quòd vbi dicitur in istis vnguentis:vini albi boni quantum sufficit.intellige ad dissoluendum ea,scilicet myrrham & similia,quæ necessariò sunt dissoluenda.

Vnguentum Cæsareos magnum &c. CCCXXXII.

Vnguentum Cæsareos paruum &c. CCCXXXIII.



T E N I M hæc duo vnguenta in cunctis ferè exemplaribus,& in vulgari æditione, non cerasceos (vt per impressiones latinas legitur) sed Cæsareos intitulantur. Tãquam à Cæsare, quod putamus rectius. Non enim recipiunt cerasia, vt ex ipsis denominari credantur. In magno istorũ vnguẽtorum per nonnullas impressiones mendosè legitur, floris æris ʒ.ij. Lege rectius ʒ.iij. vt est in cæteris libris. Item sciendum, quòd omnes impressiones, ac etiam quædam pauca minus correcta exemplaria in hoc vnguẽto magno habent duas literarum deprauationes: videlicet vbi legitur, Ammoniacum,& bdellium dissoluantur in aceto &c. Et infrà. Et proijce super ipsum ammoniacum,& bdellium dissoluta in aceto &c. tanquam si consimilia gummi, vt galbanum, opopanacium &c. non essent dissoluenda: quod est falsum,& omninò contra Authoris intentionem. Imò non solùm ammoniacum, bdellium, galbanum,& similia, quæ non possunt conteri, sunt dissoluenda, sed & myrrha,& aloe,& alia plura, quæ aliquo modo conteruntur,& puluerizantur, quandoque præcipit Author vt dissoluantur. Et huiusmodi passim legitur. Vt exempli gratia: In Isopi ceroto descriptione Philagrij,& in vnguento Arabico,& in Emplastro Arabico,& in vnguento mirabili Nicodemi &c. Et in vnguento arthanitæ magno dicit: Quæ sunt terenda tere. Ex quo necessariò sequitur corollariũ, scilicet. Et quę sunt infundenda seu dissoluenda, infunde,& dissolue, vt ibi inferius clarius patet, cùm dicit: Et proijce super colaturam Serapini aur. v. myrrhæ aur.ij. ita quòd resoluantur prius in aceto vini &c. Ergò præter ammoniacum & bdellium, dissoluenda sunt & galbanum,& opopanacium,& myrrha,& similia. Vera etenim litera, vt in multis vetustissimis exemplaribus legitur, sic se habet: Ammoniacum, bdellium, & similia dissoluantur in aceto &c. Et infrà: Et proijce super ipsum, ammoniacum, & cætera dissoluta in aceto. Et in vno sic inuenimus: Et proijce super ipsum ammoniacum, & omne quod dissolutum est

ace

in aceto. Vnde in hoc vnguento dissoluenda sunt, ammoniacum, bdellium, sarcocolla, myrrha, galbanum, aloë, & opopanaciam. Similiterq; in consimilibus est faciendum. Aduertendum etiam quòd in vtraq; istarũ descriptionum, per vulgares impressiones, sunt plures mendæ. Item sciendum quod hæc vnguenta à nonnullis, vnguenta apostolorum, & vnguenta gratia Dei vocantur. *Vnguenta Apostolorũ.* *Vnguenta gratia Dei.*

Vnguentum Arthanitæ magnum &c. CCCXXXIIII.



PRAESENS magnum, & sequens paruum vnguenta de arthanita, scilicet de pane porcino, scribuntur etiam ab ipso authore in capitulo de arthanita. Sed ipsæ descriptiones differunt in quibusdã paucis inter se, vt mox patebit. Igitur præsens vnguentum magnum descriptum in antidotario, vniuersaliter per omnes codices tam impressos quàm manuscriptos, habet myrrhæ aur.ij. Descriptio autem capituli etiam vniuersaliter per omnes & singulos eosdem libros, habet myrrhæ aur.iij. At si vel hîc imminutus, vel illic sit auctus vnus aureus, minimè coniectare valuimus. Item, in vltimo.ana, per omnes præfatos libros, in ista antidotarij descriptione, non legitur cinnamomũ, quodquidem in cũctis eisdem libris in descriptione capituli habetur. Sed animahuertendum quòd per impressiones, ipsa capituli descriptio in vno est vitiata: videlicet vbi legitur euphorbij ℥.j. rectius legendum est, ℥.s. Vt est in exemplaribus antiquis, in ipso capitulo, & in cunctis libris in descriptione antidotarij. Non obstante quòd illæ paruæ impressiones etiam mendosè habeant in ista antidotarij descriptione, euphorbij ʒ.s. in quibus, impressorum incuria, posita est ʒ. pro ℥. Non parua differentia est inter ℥.j. & ʒ.s. quamuis vtrunque non rectè. Lege igitur ℥.s. Aduerte etiam, quòd quædã de vltimis impressionibus, similiter mendosè habent, pulpæ coloquintidæ ℥.iiij. Verius lege ℥, iij. vt est in cæteris libris. Vulgares quoque impressiones in vtraque vnguenti arthanithæ descriptione, multa menda habent. Item, Luminare Maius, Lumen Apothecariorum, ac Thesaurus aromatariorum, non rectè habent. Fellis vacini aur.vj. Lege, aur.v. vt est in cæteris libris tam impressis quàm manuscriptis. Hæc igitur in hoc magno vnguento annotanda reperimus.

De Arthanita.

SCribens itaq; Author noster in suo de Simplicibus, capitulũ de arthanita, declarat esse cyclamẽ. Et dicit, ꝙ ex eo reperitur mag

magnũ,& paruũ: ex quo conuenit cum Dioscoride & cæteris qui cyclaminis duo genera ponunt. Plinius autem tertium genus addidit, quod & se vidisse fatetur. Apud nos quidem radix maioris cyclaminis tantùm habetur in frequenti vsu. Minoris autem radix, teste Dioscoride atque Galeno, nullius iuuamenti est. Non obstante quòd in quibusdam de nouis impressionibus, ad capitulum Authoris nostri sit additum à librarijs: vtrunque bonum est, & cõpetit vsui medicinæ. Quod sanè non legitur in alijs impressionibus, neque in aliquo exemplari inuenimus. Et licet minoris semen (vt præfati Dioscorides & Galenus tradunt) valeat ad lienem &c. per quod verificari possit prædicta librariorũ additio: videlicet quòd vtrunque bonum sit, & competat vsui medicinæ: tamen ibi non intelligitur secundum diuersas partes: quia Author noster de radice tantùm pertractat, & intelligit. Et ideò illa additio est mala. Cyclamen verò, ferè apud omnes vulgaris notitiæ est, & vsitatiori vocabulo, Panis porcinus dicitur, quoniam plurima sunt eius synonyma: vt Arthanita, siue Hartanitha: Cyclamen, & cyclaminum neutri generis, & cyclaminus fœminini generis: Bochormarien, vel Buchormarien, siue Bothormarien, vel Buthormarien, vel Bothomarien, vel Buthomarien, & similia plura. Item, Panis alcurit, panis fauni, panis porcinus, Cassamum, vel cassanum, siue quassamus, rapum terræ, malum terræ, tuber terræ, vmbilicus terræ, & alia plura nomina & cognomina, quæ apud Dioscoridem, Pandectarium, & cæteros Authores leguntur. Qui Pandectarius, sub nomine arthanitæ, etiam & peucedanum intelligit: vt in suo 355. cap. quod est de peucedano, legitur. Sed nota quòd quandocunque legitur absolutè arthanita, siue cyclamen &c. semper de radice maioris intelligitur. Præterea ne quispiam in aliquibus supradictorum synonymorum (Rhasim, Serapionem, Auicennam, Pandectarium, & nonnullos alios ex recentioribus legens) confundatur, aduertat quòd hæc nomina barbara, scilicet bochormariem, & similia, siue à malis interpretibus, siue à minus peritis librarijs factum sit, sunt ita confusa & intricata, quòd summopere cõfundunt legentis mentem. Ita & taliter quòd in ipsis lectionibus tot sunt pedicæ, quot sunt verba. Quasi impossibile nobis videtur ab ipsis nõ illaqueari, & irretiri. Conabimur tamen pro posse, si non in totum, saltem ex parte, aliqua enodare. Nam sæpe mali interpretes, aut addendo, aut minuendo, aut permutando, aut (vt paucis cõcludamus) peruerse interpretando, multa confundunt. Et præcipuè

Panis porcinus.

Arthanitha absolutè.

Cyclamen absolutè.

cipuè in æquiuocis peccant. Igitur si legis apud Serapionẽ,cap. de cyclamine: Buchormarien,id est cyclamen. Et in secũdo cañ. Auicennæ,capitulo de arthanitha,illud idem, scilicet. Et est buchormarien. Et cap. Facailesus ipse Auicenna dicit. Facailesus quid est? dicitur quòd est species buchormarien,& est genus arthanitæ. Et apud Pandectarium: Buchormarien,id est Buthoma rien. Et in additionibus nouis: Buchormarien,id est malum terræ: nonne clare & apertè intelligis buchormarien esse cyclaminum? Item si legis apud eundem Pandectarium: Bothormariæ, id est panis porcinus. Item bothomarien,quid est: lege buthoma rien. Quasi dicat,quòd idem est siue per o,siue per v,legatur. Et capitulo 114. Buthomariẽ,vel alcharincha, vel arthanita Arabice:Latinè verò panis porcinus. Et in litera A,Arthanita,id est bu thormariẽ:nonne indubiè percipis buthormariẽ,siue bothormia rien siue buthomariẽ &c.illud idẽ, scilicet panẽ porcinũ,scilicet cyclaminũ significare? Præterea si legis in tertio cañ. Auicennæ, fen 16.tractatu quarto cap. 4.in vno clystere,simul & immediate: buchormarien, & arthanita. Et capitulo de cholica,in nono Rhasis ad Almansorẽ,etiam in vno clystere immediatè:buchormarien,arthanithæ:amborum ana &c. Et in synonymis libri Serapionis. Arthanita,id est cyclamẽ:tamen nõ est buchormarien. Et apud Simonẽ Ianuẽsem in litera Arthanita: Buchormarien: quod est dictũ fumigiũ: nonne planè cognoscis buchormarien, siue bochormariẽ nõ esse arthanitã? Similiter legẽs in eodẽ Rhasis libro, cap. de apoplexia, in vno alio clystere:mediatè tamen, sic: Bothormarien,cẽtaureæ minoris,arthanithæ &c. Sine dubio vides bothormarien esse aliud ab arthanitha. Quid ergo dicendum ad hæc? Quoniam siue per c,siue per t,scribantur,sunt,& non sunt,secundum dicta. Amplius lege apud Auicennam in secundo canone,capitulo de Arbore Mariæ dicentẽ: Arbor Mariæ quid est? est Buchormarien. Quod cap.est de rosmarino, vt patet conferendo cum capitulis aliorum Authorum. Et quamuis in ipso capitulo Auicennæ legatur: Et iam dictum est de ea, non reperitur tamen aliter,sub quouis vocabulo,capitulum de rosmarino,in toto illo secundo canone. Vnde nescitur vbi dixerit de ea. Consimiliter passim apud ipsum Auicennam legitur: Iam diximus. Iam dictum est: Dicetur: & huiusmodi simile,quæ nusquam postea reperiuntur. Bellunensis autem,pro arbore mariæ,rescripsit: Segiar marien. Hinc lege apud Serapionem,cap. 327. Xaieralmarien,id est arbor Mariæ: vel rosmarinus. Et secundum

Arbor Mariæ

cundum Pandectarium, cap.386. Laieralmarien, est arbor Mariæ:Græcè libanotida:Latinè rosmarinus. Ex quibus patet quòd buchormarien(quod est arbor Mariæ)est rosmarinus:quoniam arbor Mariæ apud Serapionem,est rosmarinus. Quod cōfirmat Pandectarius,ponens falsitatem in Auicénam,in litera A, dicés: Arbor Mariæ secundum Auicennam,est buthomarien:sed falsò: quoniam buthomariæ,est herba,non arbor: sicut patet in litera buthomarien. Sed arbor Mariæ est rosmarinus, pro qua lege laieralmarien. Hæc Pandectarius. Et in synonymis libri Serapionis,Buchormarien,id est incensum.Vltrà.Lege in Bellunensis interpretationibus: Segiarmarien,seu arbor Mariæ,vel planta Mariæ,sicut scribit Ebenbitar,est herba quæ dicitur alachuen,quæ est matricaria: & apud Italos vulgares nominatur herba sanctæ Mariæ. Et Segiarmarien,dicitur etiam de arbore, cuius folia similantur folijs arboris cytoniorum, & ex ea colliguntur grana algul in Aegypto. Et in Græcia colligitur storax sicca, gūmosa, aromatica,& odorifera,quæ ab Auicenna secundo cā.dicitur Astarach,& apud vulgares Arabes bachurmarien.Hoc est,Suffumigium Mariæ. Hæc Bellunensis. Franciscus de Pedemontiū autem,cap.de dolore intestinorum,in vno collyrio,scripsit sic:Burchormarien: & est radix pyrethri,vel mali terræ. De qua re,à Luminari Maiori arguitur. Et certè à propinquitate vocabuli deceptus errauit. Quia vt legitur in præfatis synonymis Serapionis,Bochormasen est radix pyrethri,& nō burchor, siue buchormarien. Ex quibus ergo prædictis Bellunensis verbis,non te latet cognoscere buchormarien,& similia non esse arthanitam,neque rosmarinum. Igitur hoc magnum Chaos quis euadet? Nam supradicta collegimus, quia non placuit nobis distinctio, quam facit Luminare Maius, scilicet quòd per c,buchormarien scriptum, sit rosmarinus: & per t,buthormarien,sit cyclamen. Et vel ipse bonus vir falsò inducit authoritatem capituli Serapionis de cyclamine,vel codex Serapionis apud ipsum erat in illo loco mendosus. Non enim in dicto cap.Serapionis de cyclamine legitur buthormarié,vt Luminare testatur, sed buchormarié. Quod etiam probatur sic esse per Simonem Ianuensem, qui in fine literæ buchormarien,ait: Apud Serapionem verò buchormarien est cyclamen. Cæterùm,vt præfati Simon Ianuensis & Pandectarius exponūt,buchor, siue bochor,vaporem etiam & fumigium significat. Aiunt enim Buchor Arabicè vapor,fumigium Buchor marien,est dictum vapor vel fumigiū Mariæ.Item Pandectarius: Buchur

Herba sancta Mariæ.

Buchur sudel,id est fumigatio nigra. Etiam per bothor,interpretatur pustula,seu tumor in carne &c.Vnde pro conclusione,omnibus bene pensitatis,melius est coniectandum.Hoc est,quòd bochormarien,buchormarien,buthormarien &c.idem significant, & sunt nomina communia,seu æquiuoca ad cyclamen, rosmarinum,matricariam,storacem,vaporem,seu suffumigiũ, & ad alia plura. Et sic in præfatis locis,Rhasis & Auicennæ,in quibus legitur buchormarien,vel simile,& arthanita,non est falsitas neq; error: sed pro ipso barbaro vocabulo,intelligi debet vel rosmarinum,siue rosmarinus,vel matricaria,vel storax,scilicet illud ex eis quod ad ipsum pharmacum,seu clysterium conuenientius iudicatur.Quapropter animaduertãt aromatarij, & nouitij medici,in huiusmodi vocabulis,cùm inuenerint,vt nõ differẽter semper ponant arthanitam,neque rosmarinum &c. Sed prius diligenter examinent cõpositionem,& illud postea substituãt quod magis competierit. Demum non ignorandum,quòd in secundo cañ. Auicennæ,sunt duo capitula dearthanita: vnum videlicet, quod propriè inscribitur de arthanita: alterum verò Facailesus titulatur. Capitulum autem de arbore Mariæ(vt diximus)est de rosmarino. Sed non intelligitur de isto vulgari,quem rosmarinũ coronarium Dioscorides nominat. Nam sunt apud Dioscoridem,& similiter apud Serapionem quinque rosmarini genera. De tribus prioribus est istud capitulum Auicẽnæ.Quæ tria,cum quarto etiam quod Theophrasto inscribitur,à raris cognoscuntur. Quintum verò genus,quod coronarium cognominatur,est istud vulgare.Item sciendũ quòd ipse Auicẽna capitulo de Arthanita commiscuit capitulum Dioscoridis de Struthio, scilicet de radicula,quæ & lanaria herba,& herba fullonum dicitur. Et hoc (vt putamus) à falso codice Dioscoridis, quem habebat. Quoniam in Dioscoride primũ est capitulum de radicula, quod immediatè sequitur capitulum de cyclamino. Arabici autem interpretes,seu scriptores,de duobus fecerunt vnicum capitulũ, quod inscripserunt,De cyclamino,scilicet Arabicè,de arthanita.Vnde fuit quòd ipse Auicenna intellexit herbam lanariam esse arthanitæ speciem. De qua herba lanaria,in oleo de Euphorbio loquemur. Quære ibi.

De Cucumere asinino.

CVcumer asininus, & cucumis syluestris,idẽ est. A Dioscoride etiam elaterium dicitur: quanquam & elaterium quoq; peculiariter nominet medicamentum factum è succo fructuum ipsius

ipsius cucumeris syluestris, de quo & distinctum capitulum posuit. Plãta ipsa, cucumer asininus dicta, notissima est, & tam ipsa, quàm fructus eius ita nominatur. Macris atque incultis sponte nascitur locis &c. Secundum Dioscoridem & alios plures, seorsum tam de fructu quàm de radice, quàm etiam ex folijs colligitur succus, pro varijs medicaminibus asseruandus. Author enim noster in proprio capitulo, ex folijs non scribit assumendũ esse succum: de fructu & radice tantùm pertractat. Vnde apud ipsum quocunque non specificatè ponitur, semper de fructu intelligitur: qui si non haberi contigerit, ex radice cõpensari oportet. Etiam secundum Dioscoridem, à bimatu ipsius expressionis vsque ad decennium vires habet. Plinius autẽ libro 20. ex Theophrasto dicit, vsque ad ducentos annos asseruari, & quòd non sit medicamentum quod eo diutius duret. A trimatu incipit, & vsq; ad quinquagesimum annum lucernas extinguit, si eis approximetur: quodq; ex eo vetustius est, illud est melius &c. Vnde ante bienniũ huiusmodi succus nõ est administrãdus. Imò tutius erit, si secundum Plinium, transacto triennio administretur. Sed hoc intelligitur de illo qui per os sumitur. In vnguẽtis autem, vt hîc, & in consimilibus, de recenti Author intelligit. Quod probatur, cùm dicit: Et submerge in succis &c. in succo enim condensato non possunt resillæ submergi. Nec potest intelligi de solo arthanitæ succo, cùm dicit in succis: & nullus alius, præter istos duos, in hoc vnguentum succus ingreditur: ergo recens est intelligendus. Qualis autem sit huiusmodi succum extrahendi modus, & ab Authore nostro, & à Dioscoride in proprijs capitulis, necnon & ab Bulchasi, & alijs pluribus, satis clarè describitur. Nec omittatur quin scribatur in cuiuslibet vase annus suæ collectionis. Vt ipsi non obliuiscantur, & etiam posteri sciant tempus quo fuit extractus & asseruatus ipse succus, & cognoscant si est administrandus, vel non.

Cucumeris asinini succus absolutè.

De Felle.

Fel etenim est pars animalis nota. Et ex omnibus animantibus (ex quibus haberi potest) accipiendũ est, atq; asseruandum à bono aromatorio: quoniam nõ semper quodlibet animal ad votum reperitur. Author enim noster speciatim posuit hîc de vaccino, sed cuius cognomine intelligitur & taurinum, quod est melius: tamẽ potest poni alterũ pro altero. Modus autẽ cõseruandi fel, duplex ponitur à Diosc. secundo libro, videlicet aliter pro medicamentis oculorũ, & aliter pro alijs medicamẽtis. Lege ibi.

Fellis conseruandi modus.

Vnguen

Vnguentum Arthanitæ paruum &c. CCCXXXV.



VPRA nempe diximus quòd hoc vnguentum ſcribitur etiam ab Authore in capitulo de Arthanita: ſed differunt in quibuſdam paucis ipſorum deſcriptiones. Animaduertẽdum autem quòd per impreſsiones, in præſenti deſcriptione, ſunt plures mendæ. Vnde per cunctas impreſsiones vbi legitur: Iſopi humidæ ℥.v. lege verius ʒ.xv. Item vbi legitur: Ammoniaci, bdellij, ana ℥.j.s. Lege rectius: ana ʒ.j.s. Quia ſic eſt in cunctis exemplaribus antiquis, & ſimiliter in deſcriptione capituli. Item plurimæ excuſiones ſunt, in quibus mendoſè legitur: ſpicæ ℥.iiij. lege ℥.iij. Item in nonnullis alijs etiam minus rectè legitur: ſucci extremitatum tamaricis ℥.ij. lege ʒ.ij. vt in cæteris libris tam excuſis qua manuſcriptis probatur eſſe ſecundum veritatem. Vulgares autem impreſsiones in huiuſmodi vnguentis etiam ſunt multùm deprauatæ.

De *Filice.*

DVplex eſt filix, ſcilicet maſcula & fœmina. Serapio autẽ in albam & nigram diuidit. Et maſculam dicit eſſe nigrã, fœminam verò albam. Filix igitur fœmina, ſcilicet alba, notior eſt maſcula: quoniam vbiq; paſsim reperitur, & ita campos replet, quòd vix poteſt quis tranſire per ipſos. Maſcula autem filix, quæ & nigra dicitur, non ita in campeſtribus inuenitur, neque tam copioſè prouenit. Naſcitur enim in petroſis atque vmbroſis locis. Vulgò quidem à nonnullis, os mundi, ſiue os munda vocatur. *Os mundi.* Neutra florem aut ſemen fert. Irridendi ſunt enim nonnulli ſuperſtitioſi, qui in nocte diui Ioannis Baptiſtæ pergunt ad colligendum Filicis ſemen. Qui licet fruſtrà pergant, tamen cum hoc grauiter peccant, & ipſi, & qui ipſis credunt, participantes cum ſuis ſuperſtitionibus. Sed hæc tranſeant: quoniam non eſt hîc locus de conſcientiæ caſibus pertractare. Filicum igitur radices tantùm in vſu medico recipiuntur, ſecundum authores. Non obſtante quòd aſparagi, ſiue cauliculi nouiter è terra prodeuntes elixi mandantur ad aluum emolliendam, vt Dioſcorides ſcribit. Quando autem ſimpliciter filix legitur, vt in præſenti vnguento, ſemper de maſcula, ſcilicet nigra eſt intelligendum, quam Dioſcorides & cæteri authores, alteri, ſcilicet fœminæ preponunt. Et probatur quòd hîc magis conuenit maſcula quàm fœmina: quoniam principalis intentio huius vnguenti eſt curare

ſpleneticos, vt in exordio ipſius deſcriptionis apparet. Dioſcorides de maſcula loquens (ſcilicet de illa quæ oſmunda dicitur) aſſerit lienoſis maxime prodeſſe. In capitulo verò de filici fœmina, nihil de liene meminit. Ergo maſcula competit huic vnguento, & non fœmina. Attamen ſecundum veritatem poſſumus altera pro altera vti. Quia Galenus dicit vtranq; eandem habere vim. Et Serapio authoritate ipſius Galeni illud idem teſtatur, in fine capituli de filice, quod incipit, Sarax. Sic enim Arabicè nuncupatur De alba loquens. Virtus eius (inquit) eſt ſicut virtus ſarax ſupradictæ, nec plus, nec minus. Sed nota quòd licet filicula, quod eſt polypodium, intelligatur ſub filicis nomine: tamē cum legitur filix abſolute, non intelligitur polypodium, vt quidam falsò declarauerunt, ſed ipſa filix, Pteris Græcè dicta, quæ & maſcula eſt. Vel alia, quæ à Græcis Ptelypteris dicitur, quæ filix fœmina eſt, debet intelligi.

Filix abſolutè.

De Caueni Zich, ſeu Cauen Zigh &c.

Est in præſenti deſcriptione vnū ſimplex. Videlicet in primo ana ita barbarizatum quod nos oportet potius diuinare, quàm interpretari quid ſit. Tam ex impreſsis, quàm ex manuſcriptis, quaſi ſinguli ſingula, videlicet quaſi quilibet liber habet diuerſam ab alijs ſuā barbarā dictionē. Vnde ſunt qui cauenizich, & ſunt qui cauēzigh, & qui kamenelis, & qui thetineatis, & qui cameatis, quāuis ſemibarbarè, & qui aliter & aliter habent. Vſq; ad trigintaſeptē variationes, per varios legimus codices. Ex quibus barbarſmis, nulla dictio eſt quæ poſsit auribus noſtris aliquid intelligibile, Græcè, vel Latinè ſignificare, niſi cameattis: quæ dictio in duobus tantùm exemplaribus vetuſtiſsimis, & in Nicolao Præpoſito, per nos reperta eſt. Ex quo coniectamus verā eſſe aliquorum iuniorū interpretationē, qui videlicet interpretati ſunt eſſe chamæacten. Et certè pluribus doctis viris nō diſplicet talis interpretatio. Ex eo maximē quòd in dictis exēplaribus legitur. Putamus enim ipſas barbaras dictiones, cūctas eſſe librariorum deprauationes ex chamæacte proceſſas. Vnde ſi ita eſt, vera litera chamæactes, ſiue (vt mauis) chamæactis ſtare debet. Et ſignificat paruā ſambucum, quā Latini ebulū nominăt, & vulgò Romę nebio dicitur. Nam acte ſambucus eſt. Vtraq; enim notiſsima eſt. Sed animaduertendū quòd Author addens ad hoc vnguentū radicis ebuli ſuccum, minorauit pondus aliorum duorum ſimplicium, quæ in eius ana comprehenduntur. Vnde in deſcriptione capituli de Arthanita, dictorū duorū ſimplicium, ana ℔.j. recipitur:

Ebulus. Acte.

tur: hic autem ex tribus, ana ℥.ix. posuit. Et addidit insuper radices capparorum, & spicam, quæ non sunt in dicta capituli de arthanita descriptione.

Vnguentum de Lino &c. CCCXXXVI.



HOC præsens vnguentum intitulatur de lino, ob id quia recipit rasuram panni linei antiqui.

De Lino.

LInum equidem herba est. Et sicut est notissima, ita & vtilissima. Vnde non solùm pannos, siue telas lineas habemus, sed ex ipsa ac ex suo semine multas suscipimus medicinas. Quodquidem semen, cum fœnu græci semine, eandem vim obtinuit, vt Dioscorides memoriæ tradidit. Ex quo altero pro altero possumus vti.

Vnguentum Alariel &c. CCCXXXVII.



IN præsenti descriptione, præter vnum barbarizatum vocabulum (de quo mox dicetur) est ferè per omnes impressiones vnum notabile mẽdum. Videlicet vbi legitur: Axungiæ porcinæ 3.x. vel v. rectius legendum est 3.xlv. scilicet quadragintaquinque: vt in cũctis exemplaribus, & in vna de nouis impressionibus legitur, & Luminare Maius habet. Error enim huiusmodi (vt coniectauimus) sicut & alij plures, ex imperitis librarijs traxit originem, qui separauerunt ab inuicem x, l, & v. vnde illud l, posteri intellexerunt pro disiunctiua, scilicet vel. Quoniam plurimi ex pristinis scriptoribus vtebantur l. absolutè, aut sic ɼ, pro disiunctiua, scilicet intelligentes pro vel, vt passim in libris manuscriptis legitur. Et ex hoc postea impressores intelligentes dictum l, pro vel, impresserũt distinctè per literas, tanquã clarius 3.x. vel v. Sed reuera quadragintaquinq; drachmæ sunt. Etiam media libra, non esset multùm. Decem autem drachmæ nõ sufficiunt, & à fortiori minus possunt quinq; sufficere. Præterea sciendum, quòd hoc vnguẽtum potius est cauterismus, quàm vnguentum, tamen sub nomine vnguenti habetur.

De Alariel, siue Altaranhel &c.

EST (vt diximus) in præsenti descriptione vnum simplex, ex quo ipsum vnguentum accepit denominationem, sed ita barbarè ac variè positum, quòd vix audemus de ipso loqui. Et quemadmodum suprà diximus de cauenizich: ita & de isto dicendum, scilicet quòd oportet nos diuinare quid sit. Etenim vi-

gintinouem variationes descriptionum pro huiusmodi simplici, reperimus per varios codices tam impressos, quàm calamo exaratos. Vnde sunt qui alariel, & sunt qui alkariel, & qui tharariel, & qui alcharel, & qui taranhel, & qui altaranhel, & qui aliter & aliter habent. Luminare Maius, & nonnulli ex iunioribus, declarant significare cantharides. At ob id, quia in exordio huius vnguenti legitur quòd est efficiens operationem cauterizationis, & facit vesicationes &c. nobis non displicet ipsorum declaratio. Tamen quia & aliæ res sunt quæ faciunt consimiles operationes, non possumus certitudinaliter affirmare, an sit hoc, an aliud. Manardus etiam dubitauit quidnam esset. Vnde scripsit: Pro taranhel, intellige vel cantharides, vel campas, vel pityocampas, vel buprestes. Sit autem quid sibi velit, vnum est, scilicet quòd cantharides conueniunt, & non agitur expresè contra authoris intentionem. Ex quo quidem potest hoc vnguentum dici, vnguentum de cantharidibus. Sed aduerte quòd ipse cantharides, sint recenter collectæ atq; correctæ, & terantur cum axungia, & dimittantur marcescere &c. vt in litera habetur. Tamen vbi non possunt haberi recentes, fiat vnguentum cum non recentibus: sed dimittẽdæ sunt per plures dies cum axungia, antequam bulliant. Cantharides ipsæ autem, notæ sunt apud aromatarios, & non solùm in segetibus, sed etiam & in oliuetis & alibi inueniuntur. Aceto melius quàm oleo præparantur. Et propriè vt Dioscorides docet, scilicet quòd ponantur viuæ in vno vase, puta in olla, & cooperiatur atq; ligetur os eius cum linteolo mundo & raro, & ponatur vas inuersum vt os eius sit super os alterius vasis in quo sit acetum acerrimum. Bulliatq; acetum, vt sic vapore ipsius necentur cãtharides. Post verò ipsarum enecationem, continuò cum axungia pistentur, pro huiusmodi vnguenti cõfectione, vel siccentur, & alijs reseruentur vsibus.

Cãtharides pro vnguento quales.

Vnguentum Rosatum &c. CCCXXXVIII.
Vnguentum Violatum &c. CCCXXXIX.
Vnguentum de Papauere &c. CCCXL.



IOLATVM, & de papauere vnguenta hæc, licet non parentur (quoniam vsus ipsorũ, ob quam causam nescimus, cessauit) tamen possunt parari, & in necessitatibus administrari, sicut & rosatum &c. Et similiter ad violatum, potest addi opium.

opium. Ad vnguentum autem de papauere, non est necesse: quoniam satis in se, ipsa papauerum capita habent opium. Veruntamen cum recentibus capitibus debet fieri. Sciendum autem quòd in descriptione vnguenti rosacei per omnes impressiones: ac etiam in Luminari Maiori, & in Nicolao Præposito, est vna menda valde notabilis, scilicet vbi legitur: Olei amygdalini partes vj. Lege verius, vt est in omnibus exemplaribus antiquis: Olei amygdalini, partis sexta. Non enim recipit sex partes olei amygdalini, sed sextam partem vnius partis, scilicet sextam partem quantitatis axungiæ: & medietatem ipsius quantitatis axungiæ, ex succo rosarum. Opium autem ponendum est, si medicus præcipit, aliter non. Nec quantitas eius sit ad libitum aromatarij, sed ad libitum seu arbitrium præcipientis medici. Ex quo igitur aromatarius seorsum debet seruare apud se vnguentum rosatum opiatum, à non opiato.

Vnguentum Basilicon maius &c. CCCXLI.

Vnguentum Basilicon minus &c. CCCXLII.



STORVM vnguentorum titulus, non à basilico, id est ozimo (quod non recipitur in ipsis) basilicon dicitur: sed regale interpretatur. In nonnullis exemplaribus autem non basilicon, sed basilionense legitur. Sciendum præterea quòd per omnes impressiones, in prima istarum descriptionum, nòn sine menda legitur: Glutinis, olibani. Etenim in exemplaribus antiquis, nõ olibani: sed olimbath, siue (vt in alijs) alimbath est scriptum. Et adhæret glutini, quia est vnum tantùm simplex. Nicolaus Præpositus autem vtrunq; posuit, & duo simplicia constituit scribens sic: glutinis alumbath, & olibani. Quodquidem olibanum in nullo præfatorũ exemplarium legitur, ex quo superfluum esse existimamus. Luminare Maius quidem declarauit esse legendum: glutinis olibani, & intelligendum pro vna solare, id est pro thure. quod omninò non placet. Quia non solùm in dictis exemplaribus non legitur olibanum, sed neque filius Serapionis, neq; Auicenna, neq; Hali Abbas, in huiusmodi suis compositionibus vnguentorum habent olibanum. Imò Auicenna clarè posuit, glutinis alimbath. Quamobrem expresse patet librariorum error, qui pro alimbath, siue olimbath, posuerunt

olibani.Item in cunctis libris tam impressis, quàm manu exaratis,nulloq; discrepante, inuenimus in fine præsentis maioris descriptionis quod sequitur:videlicet,In alio ceræ ℥.ij.picis ℥.iij.& aliorum,ana ℥.j.s. Si autem sit ipsius Authoris positio, vel scriptorum additio,haud scimus. Tamen nobis videtur incongrua circumlocutio. Habet etiam & Bartholomæus de Montagnana vnguentum basiliconis in suo antidotario. Sed male per basilicon posuit basiliconis. Paulus Aegineta quidẽ in septimo habet, emplastrum basilicon tetrapharmacum,id est de quatuor medicinis:& non scribit oleũ. Sic enim legitur: Ceræ,resinæ colophoniæ, picis,seui taurini,pares portiones.Filius Serapionis autem in suo vnguento basilicon maiori,dicit quòd nominatur tetrapharmacum,id est medicamen ex quatuor medicinis.Sed si apud ipsum numeretur oleum,sunt quinq;,& non quatuor medicinę. Ait enim: Recipe ceræ,& resinæ,& picis,& sepi vaccini, & olei quantum necesse est.Et quidam ponunt loco sepi vaccini,butyrum vaccinum.Hæc filius Serapionis. Vnde cõiectandum quòd Paulus in suo tetrapharmaco, subticuit oleum tãquam necessarium: & sic præter oleum intelligendæ sunt quatuor medicinæ: sicut etiã exẽpli gratia dicitur hiera ex octo rebus,scilicet quòd præter mel sunt octo res &c. Igitur in descriptione Pauli,intelligendum est & oleum.

De Glutine alimbath,siue olimbath &c.

Terebinthinæ cõsideratio. GLuten alimbath, siue alimbac,siue alũbath, seu olimbath, seu albotim,vel albothin: vt ferè omnes iuniores declarãt, idem significat quod terebinthina, scilicet resina ex terebintho, de qua suprà dictum est. Auicẽna autem in cap.de terebinthina, nihil dicit:sed mittit lectorem ad cap.de grano viridi,veruntamen Bellunensis in dicto cap.de terebinthina,pro terebinthina, rescripsit alchalambat,vel albothin.Item Auicẽna in cap.de glutine(quod Bellunensis inscripsit alch.)dicit:Gluten quid est:iam loquuti fuimus de glutine alimbat,& resina pini,& reliquis in loco suo.Veruntamen ibidem sequens declarat naturam & operationes atque proprietates ipsius glutinis alimbat.In capitulo autem de grano viridi,huius vocabuli,scilicet alimbath nihil meminit interpres.Item dictus Bellunẽsis in suis interpretationibus, in litera Aliembut,dicit quòd aliembut est nomen commune ad arborem,ex qua fit pix,& ad plãtam in qua producitur carnub &c.vnde suspicamur alimbat, & aliembut non multùm differe

ab inuicem, ſicut pinus à picea &c. Nam affinitas vocabulorum, multoties etiam & rei propinquitatem oſtendit. Sit autem quid ſibi velit, ponẽdo terebinthinam, credimus quòd non malè agitur. Quandoque etiam inuenitur (& ſpecialiter apud filium Serapionis) helcalimbat: & idẽ eſt, quod alchalimbat, id eſt glutem alimbat. Halc enim ſiue helc arabice, glutẽ interpretatur latinè.

Cerotum de Sandalis &c. CCCXLIII.



VARE dicatur de Sandalis hoc cerotum, nulli dubium eſt. Quaſi idem ſub nomine Dimadh de ſandalis ponitur à filio Serap. in ſeptimo. Rhaſis autem in antidotario diuiſionum, habet emplaſtrũ de ſandalis, quod differt ab hoc ceroto in pluribus. Aduerte quòd in præſenti deſcriptione apud Nicolaum Prępoſitum mendosè legitur: Sandali albi & citrini, ana ℥.vj. Lege rectius ʒ.vj.

Cerotum Galeni ultimum in infrigidatione &c. CCCXLIIII.



ONITVR cerotum iſtud, (ſed non ex Galeno à filio Serap. in ſeptimo, cuius titulus eſt: Cerotũ infrigidatiuum &c. Sciendum etiam quòd vbi Author dicit: Et ſit radix olei, oleum omphacinum: non intelligitur pro radice illa, fex olei omphacini, vt aliqui falsò declarant. Sed dicit vt radix, ſcilicet fundamentum, ſiue baſis iſtius olei roſati, ſit oleum omphacinũ. Hoc eſt, fiat oleum roſatum pro conficiendis huiuſmodi vnguẽtis, cum oleo omphacino, id eſt cum oleo de oliuis immaturis: & non cum cõmuni oleo, quod generaliter fit ex oliuis maturis. Et hæc notauimus quidem, quia aliqui ſuper huiuſmodi nobiſcum contentiosè egerunt. Imò & roſæ ipſę, etiam ſecundum prudentiorũ iudicium, cum quibus faciẽdum eſt ipſum oleum roſatum, debent eſſe incompletæ: quoniam dicit Author capitulo de roſis, apertè & clarè, quòd eſt maioris infrigidationis. Ait enim: Oleum quoque factum ex roſis nõdum completis, eſt maioris infrigidationis & ſtipticitatis. Cuius melius fundamẽtum eſt oleũ ſumptum ex oliuis nondum perfectis. Hæc ille. Illud idem dicit infrà, ſcilicet in deſcriptione olei roſati. Vbi oleum omphacinum, vocat oleum rude. Lege ibi. Nicolaus Præpoſitus non rectè habet hîc: ceræ albæ ℥.ij. cum reliqui omnes habeant ℥.j.

Vnguentum de Bdellio &c. CCCXLV.


SVNT in præsenti descriptione per omnes impressiones plura menda. Primum videlicet, vbi legitur: Euphorbij ℥.iiij. lege ℥.j. Secundum, vbi legitur, ceræ ℥.xxv. lege ℥.xv. Tertium, vbi legitur, olei sambucini: lege rectius, olei sambacini, siue saubacini. Et vide de hoc oleo in pilulis aggregatiuis maioribus. Christophorus de Honestis quidem (vt putamus) benè dixit in sua præsentis vnguenti expositione, scilicet olei sambacini, id est olei de iessemino: sed librarius malè impressit sambucini. Nã multùm differt iesminum à sambuco: & per consequens est pessima expositio illa ibi, vbi legitur: Olei sambucini, id est olei de iessemino. Quartum mendum est, vbi sequitur: Aut olei de cheiri ℥.x. lege emendatius ℥.x. quoniam ita se habent omnia hæc in cunctis exemplaribus: & sic est secundum veritatem.

De Ruta agresti.

Ruta absolutè. RVtæ agrestis, id est syluestris & mõtanæ, plures sunt species. Sed quando absolutè scribitur, semper de prima specie intelligitur. Quamquidem Dioscorides peganon agrion, & hyppericon, atq; androsemon, & alijs nominibus appellat. A Latinis *Inguinalis.* autem inguinalis dicitur. Et vulgò perforata vocatur. Quando scribitur harmel, seu armala &c. est alia rutæ agrestis species. Le- *Aqua Rutæ agrestis.* ge de ipsis in pilulis fœtidis. Pro aqua verò rutæ agrestis, quæ hîc legitur, intellige succum, vt est in sequentium vnguentorum descriptionibus.

Vnguentum ualens similiter &c. CCCXLVI.


CVM dicit Author Vnguentum valens similiter, subintellige ad omnia quæ supradictum vnguentum de bdellio. Est enim per aliquas impressiones in præsenti descriptione vnus error, videlicet vbi legitur in illis: Succi asphodillorum succi rutæ agrestis ana ℥.iiij. lege, ana ℥.iiij. Nicolaus Præpositus (si non est librariorum error) peius habet: quia legitur apud ipsum, pyrethri &c. ana ℥.iij. Vbi verius legendum est, ana ℥.iiij. Hinc succi affodillorum &c. ℥.iij. vbi rectius (vt diximus) ana ℥. iiij. legendum est.

De Staphide agria.

STaphis agria, quæ & triphyllum à Dioscoride vocatur, à Latinis pedicularia dicitur. Valet enim mirè ad pediculos effugan

gandos atq; necandos. Vnde à Serapione granū capitis appella- *Brāchaleo-*
tur. In quibúsdam locis etiam vulgò brancha leonina nuncupa- *lina.*
tur. Et alij (quamuis falsò branchani vrsinam nominant. Vbiq; *Staphia a-*
cognoscitur. Si autem absolutè scribitur, semen intelligitur. *gria abso-*
De *affodillis seu asphodillis, scilicet asphodelis.* *lutè.*

Rectius asphodelus, quàm affodillus, vel asphodillus dicitur. Vocatur etiam hastula regia: & albucus, siue albucius. *Hastulare-* Italis nempe notissimus est. Vnde à nonnullis (vt ab Apulis) vul- *gia.* gò corrupto vocabulo, quasi albucus, siue albucius, auuczus nūcupatur. Et ab alijs porraciū dicitur, ob id quia folia habet porro similia &c. Platearius enim & nonnulli ex iunioribus ipsum imitantibus, magnoperè errauerunt, tenentes affodillum & centum capita idem esse: cùm in rei veritate longè differat alterū ab altero. Nam cētum capita, nomen Hispanum est, & vt probatur *Centum ca-* per Dioscoridem, Plinium, & alios plures, nō asphodelo, scilicet *pita.* affodillo tribuitur: sed eryngio, quod semibarbarè apud Arabes iringum, seu iringus, vel iringi scribitur. Et licet Serapio hoc nomen, scilicet centum capita, tam sterattico, id est bubonio, quàm iringi, scilicet eryngio adscribat: tamen non per hoc probatur asteratticum esse asphodelum, qui similiter maximè ab asphodelo distat: vt per omnes fide dignos Authores expressè patet &c. etenim res ipsæ apud nos sunt notiores, quàm vt declarari debeant. Quandocunque autem absolutè asphodelus, siue affodil- *Asphodelus* lus legitur, semper de radice, tanquam de meliori ipsius plantæ *absolutè.* parte, intelligitur. Vnde hìc ex radicibus assumendus est succus, & non è folijs, vt etiam nonnulli falsò opinati sunt.

Vnguentum Philagrij &c. CCCXLVII.


HILAGRII, vel per f, Filagrij, vt est in exemplaribus antiquis, & non Filagrios legēdum est. Ab Authore ipsius sic dicitur. Ponitur simile à filio Serap. in 7. sub titulo Dimadh, quod cōfert ad spasmū, & mollificationē. Estq; per impressiones in præsenti descriptione vnus error, videlicet quòd vbi legitur, olibani, verius legendū est olei balsami. Ab imperitis librarijs factum esse putamus, qui forsan aliquo modo abbreuiatè legētes, olibani intellexerunt. Etenim non solùm antiqua exēplaria hūc detegunt errorē, sed probatur etiam per descriptionē filij Serap. & per Luminare Maius, & Nicolaū Præpositum: qui omnes concorditer habent, olei balsami: & non olibani. Sciendū tamē quòd

dictus Nicolaus habet in sua descriptione, cinnamomum: quod non legitur in nullo filij Mesuæ volumine, supple in præsenti descriptione: neque in descriptione filij Serapionis &c. quapropter putamus non esse admittẽdum. Loco glutinis alimbat, filius Serapionis habet, helc alimbat. Et loco sigiæ, storacis. quæquidem eadem sunt.

Vnguentum aureum &c. CCCXLVIII.



LEGITVR ferè nempe per omnes impressiones in præsenti descriptione: Resinæ, colophoniæ, ana ℥.j.s. aliàs ℥.ij.s. Sed istud aliàs ℥.ij.s. in nullo penitus exemplarium antiquorũ, neq; in vulgari æditione, neq. in vna de vltimis impressionibus, neq; in Luminari Maiori, & Nicolao Præposito legitur. Cassetur igitur, quoniam confundit lectionem. Habetur, enim in antidotario Nicolai aliud vnguẽtum aureum diuersum ab isto. Præterea sunt nõnulli asserentes super hac descriptione, quòd vbi legitur: Resinæ, colophoniæ: non sint duæ: sed vna tãtùm res, scilicet pix colophonia, quæ aliter dicitur resina colophonia, & vulgò pix

Pix græca. græca nominatur. Et quòd illud ana, ab imperitis librarijs sit additum &c. Alij autem contrà dicunt quòd sunt duæ res: & pro resina absolute, intelligitur resina pini: & pro colophonia, intelligi debet pix supradicta, ex quo illud ana est necessariũ. Nos autem visis tot exemplaribus & varijs excusionibus, nullum inuenimus librum carentem ana illo. Imò, quod maius est, omnes & singuli habent illas dictiones separatas ab inuicem, mediante cõmate, seu virgula. Quamobrem non vnum, sed duo iudicauimus esse simplicia, scilicet resinam pini, & picem græcã præfatam. Et vtraque ponenda est. Quandoq; etiam ambo sunt vnũ, (vt exempli gratia) est in emplastro tetrapharmaco basilico Pauli, cuius suprà iam meminimus. Vnde lectores in huiusmodi & similibus, sint semper animaduertentes.

Vnguentum de Cerusa &c. CCCXLIX.



AVICENNA in quinto cañ. habet tria vnguẽta de Cerusa, & Ioannes Serapionis in septimo duo. Similiter Hali Abbas in decimo practicæ duo, sub titulo vnguenti albi. Item Arnaldus de Villa noua in suo antidotario habet vnguentum de cerusa, sub eodem vnguẽti albi titulo. Etiam est in antidotario Nicolai vnguentum album, quod est vnguentum de cerusa.

Ex

Ex quo ſciendum quòd à multis hoc vnguentum de ceruſa, vocatur vnguentum album. Rhaſis quoque in 7. ad Almanſorem, capitulo de aduſtione ignis, & aquæ, & olei: habet vnum vnguẽtum de ceruſa. Omnia tamen differunt aliquo modo ab iſto filij Meſuæ. Sciẽdum etiam quòd vulgaris æditio, Luminare Maius, & Nicolaus Præpoſitus non rectè habent: ceruſæ, & merdaſengi, ana ℥.vj. Lege ℥.vj. vt eſt in alijs libris, tam antiquis, quàm excuſis. Præterea ſunt nonnulli qui parant vnguentum de ceruſa ſimplex, quod conſtat ex ceruſa, & oleo roſato tantùm, vocantque ipſum vnguẽtum album. Et alij addunt alia non hîc notata. Sed eiuſmodi apud Authorem authenticum non inuenimus. *Vnguentũ album.*

De *Ceruſa.*

CEruſa, ſiue (vt alijs placet) ceruſſa, notiſsima eſt, & diuerſimodè fit, ſecundũ diuerſas gentiũ nationes. Ex plumbo, ſcilicet & acerrimo aceto, & quandoq; cum ſale: vt Auicenna ſcribit &c. Quantò ceruſa eſt albior, tantò melior. A pluribus vulgari vocabulo biacca dicitur. Vnde non deſunt, qui vocant præſens vnguentum, vnguentũ de biacca. Ab Auicenna autẽ cinis plumbi vocatur ceruſa. De eius autem factione, aduſtione, & ablutione &c. ſatis clarè plures ſcribunt Authores. Apud ipſos legito. *Cinis plũbi.*

De *Mardaſengi.*

MErdaſengi quippe lithargyrũ eſt, & de ipſo dicetur infrà, ſcilicet in vnguento tripharmaco.

De *Plumbo.*

PLumbum etenim eſt metallum tam notius quòd repræſentari non indiget. Sed qualiter vritur atque lauatur, & à Dioſcoride, & ab alijs pluribus non dubiè ſcribitur.

De *Scoria argenti*

SPeciatim poſuit Author de argentea ſcoria, ad differentiam aliarum: quoniam ex omni metallo ſcoria ſumitur. Argenti ſcoria enim, vt Dioſcorides & Galenus memoriæ tradiderunt, Græce helcynia appellatur. Lege de ipſa & cæteris ſuprà, ſcilicet in triphera muſcata. *Argenti ſcoria.*

De *Zimar, ſiue Ziniar.*

IN calce præſentis deſcriptionis legitur per omnes excuſiones: Et quandoque apud neceſsitatem, adde Ziniar ʒ.ij. In exemplaribus antiquis autem, partim Ziniar, partim verò Zimar legitur. Et idem putamus eſſe, ſignificatq; æris æruginem. Nonnulli autẽ faciunt differentiam inter æruginem æris, & illud quod dicitur flos æris. Nos autẽ paſsim inuenimus indifferenter

alter

alterum pro altero positum. Et sub nomine viridis æris, omne eiusmodi potest intelligi. Et rectius vocabulũ putamus Zimar, quàm Ziniar esse. Errore nempè librariorum suspicamur versam esse,m,in ni,vt pro zimar,legatur ziniar. Zimar enim siue
Zimarium. zimarium,quasi zyma æreum dicitur. Zyma quidem Græcè,fermentum significat Latinè. Vnde azymus,azyma,azymum,id est sine fermento. Et quia scimus quandoq; ex fermento lita intrinsecus & extrinsecus vasa ærea,& fimo supposita,fieri hoc æs viride nominatum : ideò putamus eiusmodi zimarium dici. quasi dicatur fermentũ æreũ. Tamen sit quomodocunq;,nihil præstat ad rem,si zimar,aut ziniar dicatur,dummodo ipsa res non ignoretur. In libro Seruitoris etiam zimar , non ziniar legitur. Apud quem quasi ad literam ex Dioscoride,plures sunt modi faciendi zimar &c. Aduerte etiam quòd differt ziniar,à ziniam,de quo diximus in syrupo de Sticados.

Vnguentum Syricinum &c. CCCL.



RAESENS descriptio potius est ad superiorẽ additio,quàm vnguẽti cõpositio. Sed quia ipsum vnguentum de cerusa, propter hanc additionem amittit priorem nomenclaturam:ideò ipsa additio per se,& nomen,& cõpositionis effectum retinuit. Vnde à syrico ipsum ingrediente,vnguentum syricinum dicitur. Aduertendum tamen quòd aliquæ impressiones,ac etiam nonnulla pauca exemplaria,non rectè habent in hac descriptione,ipsius syrici ʒ.j.s. Lege emendatius ℥.j.s.vt reliqua librorum multitudo habet. Nec enim credendum est, pro tam pauco syrico mutasse Authorem priori compositioni titulum. Secundum veritatem autem ℥.j.s.posuit.Et sic stare debet.

De Syrico.

SYricum,non sericum (vt aliqui putauerunt) & scribendum & pronuntiandum est. Sic enim & rectè,est in maiori parte impressionum : sic etiam in cunctis ferè exemplaribus vetustis legitur. Et non est sericum,scilicet arborum lana, seu bombicium
Seta. opus,quæ seta vulgò dicitur,vt plurimi affinitate vocabuli decepti credidère.Inter quos,etiam & Manardum prudentem virum allucinatum legimus. Quiquidem sicut & credidit, ita & scriptũ reliquit : necnõ & declarauit quòd validius esset ipsum vnguentum,si sericum vreretur.Non enim conuenit huiusmodi vnguento sericum,sed syricum. Syricum autem qui Galenum, Paulum,

Plin

Plinium,& alios plures benè perlegunt,quid ſit,non ignorant. Etiam Simon Ianuenſis & Pandectarius non multùm elongātur à veritate. Aiunt enim Syricum de plumbo,id eſt cinis plumbi, vel adustum eius. Cinis plumbi autem ſecundum Auicenam,ceruſa eſt: & poſuerunt aduſtum eius: quaſi dicerent, quòd ſyricū idem eſt quod ceruſa aduſta, Item dicunt: Suricon eſt fex plumbi,poſt exitū ceruſæ,& eſt ceruſa vſta,& eſt rubea. Suricon enim idem eſt quod ſyricon. Pluries enim Græca interpretantes,verterunt,y,in v.Item additiones in Pandectas, ex Galeno ad Paternianum,ſic habent: Syricum fit de ceruſa plurimùm ſiccata &c. Ergo quod eſt ex ceruſa, non poteſt eſſe ſericum. Paulus autem lib.7.quaſi idem eſſe cum ſandice ſcripſit. Inquit enim: Sandix aut ſyricum,extenuat,& ſiccat,non tamen calefacit. Si autem ſyricum non calefacit,clarum eſt quòd nō poteſt eſſe ſericū. Quoniam Serapio,& Auicenna in de viribus cordis &c.ſcribunt ſericum eſſe calidum.Plinius autem melior omnibus,declarat nobis aperte quid ſit ſyricum,cap.vj.lib.xxxv.de factitijs coloribus loquens: Inter factitios (inquit) eſt & ſyricum, quo minium ſublimi diximus. Fit autem ſinopide, & ſandice miſtis. Hæc Plinius. At ſuprà nempe tractauerat de ſandice, quæ fit ex ceruſa vſta,& rubrica,æquali portione admiſta. Vnde ſandix ex ceruſa vſta, & rubrica conſtat. Syricum autem ex ſinopide & ſandice. Hoc eſt, ex ſinopide pro medietate: ex rubrica pro quarta parte, & ex ceruſa vſta pro reliqua quarta parte. Et hoc ſyricum ponendū eſt in hoc vnguento,quia maximè conuenit. Sed cùm plures ſint rubricæ,quoniam omnis rubra terra ſub rubricæ nomine intelligi poteſt. Et eadē largo modo ſub alio, ſcilicet boli nomine etiā venire,ſuprà teſtati ſumus. Quæ autem abſolutè, & antonomaſticè rubrica dicatur,cum qua ceruſa aduſta pro ſandice facienda,vniri debet,haud facilius indagari poteſt.Cōfusè nempe Doctores de rubrica loquuti ſunt. Vnde ſecundum aliquos, videtur eſſe minij genus: ſecundum alios,ſinopidis ſpecies: & ſecundum alios,nihil differre videtur à terra ſigillata. Nam & ipſa rubrica, vt plurimi aſſeuerant,in Ponto (vnde pontica cognominatur) & & in Lemno eſt,& nō niſi munita ſigillo vendebatur. Alij autem tradunt in Lemno eſſe tres diuerſas notabiles terras. Vna videlicet quæ in collis cacumine eſt. Et hæc ſacra,ſiue ſphragis dicitur: hancq; veram terram ſigillatam eſſe affirmant,id eſt terram,que ſpeciali prærogatiua ſigillo muniri ſolet. Alia autem terra,quam & rubricam dicunt,ſed fabrilem cognominant: quamq;,ſcilicet fabri

Suricon.

fabrilem, Dioſcorides ad omnia ſinopide inferiorem ſcribit: nec laudat Lemniam, ſed optimam dicit eſſe Aegyptiam, & Carthaginenſem. Imò de lenino in ipſo capitulo nihil meminit. Tertia eſt qua (vt fertur) incolæ loci, vice ſaponis vtuntur. Et ſic ſecundum iſtos, differt terra lemnia, à rubrica lemnia. Alij autem dicunt eſſe rubricam ſinopidam, ſcilicet minium ſinopidum. Alij autem, ipſum minium volunt eſſe verã & ſingularem rubricam. Et alij alia dicunt. Nos autem arbitramur (quamuis ignoretur vera rubrica) quòd ſi pro rubrica vtamur minio, in hoc vnguento, non malè agemus: vel terra ſigillata, & erit melius. Et fortaſſe ipſa terra ſigillata lemnia eſt vera rubrica. Et hoc abſolutè tenet Sipontinus in Cornucopia. Sic enim ait: Rubrica quam Græci milton vocant, naſcitur per ſe rubra minio proxima, præſertim in inſula Lemno: nec niſi ſignata venundari olim ſolebat, propter quod ſphragidem appellabant: hac minium adulteram, & à Ponto (vbi naſcitur) dicitur pontica. Hæc Sipontinus. Sinopida autem ſiue ſinopis, vulgaris notitiæ eſt & apud vulgares quaſi per idem nomen, minus tamen rectè, ſinopia dicitur. Non enim differt à macra niſi nomine. Et ſcias quòd vnguentum de ceruſa cùm receperit ſyricum: nõ amplius erit album, ſed rubeum: nec deinceps dicetur vnguentũ album, ſiue de ceruſa: ſed ab ipſo ſyrico, vnguentũ vocabitur ſyricinum.

Terra lẽnia an differat à rubrica lemnia.

Rubricæ loco quid ſumendum.

Vnguentum Aegyptiacum magnum &c. CCCLI.



DICITVR Aegyptiacũ hoc vnguentũ, vel quia ab Aegyptijs inuentũ, vel quia forſan apud ipſos vſitatius habebatur. Magnum autem cognominatur, non ad differentiam parui, quod non reperitur: ſed à magna ipſius operatione & effectu. Et ſi non additur ei olibanum, poteſt etiam dici vnguentũ tripharmacum. Non enim amplius quàm tres recipit medicinas. Cum olibano autem, tetrapharmacum erit. Nonnulli etiam, vnguentum de melle vocant. Ponit hoc vnguentum Rhaſis in calce antidotarij diuiſionum: variat tamen in ponderibus. Bartholomæus à Montagnana etiam in ſuo antidotario, habet vnguentum Aegyptiacum: ſed loco ſimplicis mellis, habet mel roſaceũ: & differt etiam in ponderibus. Luminare Maius, & Nicolaus Præpoſitus, nõ rectè habent in hac deſcriptione: mellis aur. xiij. cùm cæteri libri habeant xiiij. & ſic eſt verum.

Vnguen

Vnguentum tripharmacum faciens &c. CCCLII.
Vnguentum tripharmacum aliud &c. CCCLIII.



TRVNQVE istorum vnguentorum dicitur tripharmacum, ob id, quia tres duntaxat medicinas recipit: quæ sunt lithargyrum, oleum, & acetum. Vocaturq; à nonnullis vnguentum de lithargyrio. Et sub hoc titulo Bartholomæus à Montagnana in suo antidotario habet vnam descriptionem: sed loco olei simplicis, posuit oleum rosatum. Filius Serapionis autem in 7. similiter habet vnam huiusmodi vnguenti discriptionem: sed inscribitur, vnguentum de merdasengi, & aceto. Auicenna verò in quinto cañ. habet consimile vnguentum, quod ab eo, vnguentum rubeum intitulatur. Od id quia addit ad ipsum ex venis tinctorum, scilicet ex rubea tinctorum, libram. Nicolaus Præpositus quidem ponit vnguentum tripharmacum authoritate filij Mesuæ. Sed si à librarijs non est vitiatus codex, neutrius istorũ prosequitur ordinem. Imò male ordinatum est: quia lithargyrum per partes, acetum verò per ℥. legitur. Non bene potest conuenire semper vncia media, quæ ibi legitur, cum partibus: quoniam partes ipsæ possunt fieri & maximæ & minimæ, secundum voluntatem conficientis: vncia verò semper manet in suo pondere, ex quo non bene.

De Lithargyro

Lithargyros Græcè, siue lithargyrum, siue lithargyrium: Latinè autẽ argenti spuma, & etiam lithargyriũ dicitur. Trium generum communiter lithargyrum scribunt Doctores. Nõnulli verò duûm tantùm, Nostra tempestate quidem, non nisi duo genera cognoscuntur. Quorum vnum vocatur lithargyrum argenteum, alterum verò aureum. Non tanquam ex auro, ex quo non fit, sed quia in colore aliqualiter æmulatur aurũ, idcircò aureum cognominatur. Plurimi nanque allucinati sunt, falsò putantes lithargyrum aureum, ex auro fieri: vt in libro Seruitoris, scilicet Bulchasis, & in Plateario legitur. Et solus ipse Platearius scripsit quatuor lithargyri genera. Etenim præter ipsum, apud neminẽ legitur lithargyrum stanneum. Et quomodo (vt ipse refert) est spuma auri, vel fit ex auro lithargyrum aureum, cùm inter ipsius materiam plurimum purum reperiatur plumbum? Sed reuera tria genera sunt, & sub vnico nomine. Hoc est, Argenti spuma. Tanquam à meliori metallo, à Latinis cõcluduntur, scilicet quòd

quodlibet ipsorum trium dicitur argenti spuma. Quamuis non ex argento omnia: quoniam vnum genus tantùm fit ex argenti materia. Quam argenti spumam, Græci calabritin, siue calauritin cognominant: Latini autem lithargyrum argenteum. Aliud genus fit è plumbo. Et quia hæc argenti spuma est quasi similis supradictæ: ideò argyritis cognominatur à Græcis. Non autem absolutè argentea, sed quasi ex argento. Plinius autem absolutè dicit argyritin ex argento. Vnde patet quòd supradictam, scilicet calabritin, sub hoc vocabulo intellexit. Aliud autem lithargyri genus fit ex plumbari arena, & huiusmodi spumā ipsi Græci molybditin appellant. Sed quia (vt diximus) colore æmulatur aurum, chrysitin cognominant. A nostris autem lithargyrium aureum dicitur. Plinius verò hanc, chrysitin tantùm nominat. Molybditin autem appellat supradictam, quæ fit ex plumbo. Omnes enim testantur lithargyrum aureum esse aliorum optimum. Et de hoc est semper intelligēdum, cùm simpliciter legitur. Ab Arabibus autem & barbaris, Merdasengi, & martech, siue marechet nuncupatur. De eius operatione, adustione, lotioneve, non est opus scribere, cùm Dioscorides, Plinius, Serapio, Bulchasis, & alij plures de hisce rebus diffusè, atque satis clarè pertractauerint. Et certè apud aromatarios vtrunque lithargyrum, est res valdè nota. Tertium autem non ita distinctè cognoscitur: quia cùm sit simile argenteo, putamus mistum cum eo venundari, & alterum à negotiatoribus cum altero confundi. Præterea hoc animaduersione dignum, quòd legitur quandoque in quibusdam compositionibus quorundam Doctorum: Lithargyrum spumificatū, siue despumatum. Et hoc passim apud Bartholomæum Montagnanam: tunc pro lithargyro spumificato, intellige vnguentum tripharmacum iamdudum declaratū. Et nequis dubitet in hoc, ipsummet Bartholomæum citamus in testimonium, qui in vno medicamine, docens modum spumificādi lithargyrum, apertè ostendit ordinem siue modum compositionis præfati tripharmaci vnguenti. Ait enim in septima intentione secundi capituli secundæ sectionis 301. consilij. Recipe lithargyri subtilissimè triti ℔.ij. olei rosati ℥.iij. agitentur simul in mortario, deinde superponantur eidem, aceti albi satis acuti ℥.iij. & iterum concutiātur simul longo tēpore in mortario plumbeo cum pistillo suo. Post illud autē, superaddatur iterū quātitas olei, intermistū conquassando: deinde superaddatur acetū, & sic fiat decies vsquequo spumificetur & augmētetur: crescit enim vsq; ad quātitatē mirabilē in spa

Argyritis.

Molybditis quid Græcis, & quid Plinio.

Lithargyrium absolutè.

in spatio duorum dierum. Hæc ille. In vnguento autem lithargyri apud ipsum, quod etiam est hoc vnguentum tripharmacũ, vbi legitur: Recipe lithargyri spumificati: putamus esse mendam in codice: & rectius vel legendum est spumificandi, vel sine eo absolutè legatur lithargyri: quia aliter eo in loco non potest stare. Quoniam si accipitur lithargyrum spumificatum, ad quid necesse est ipsum iterũ spumificare? Nam descriptio ipsius vnguenti lithargyri, est eadem cum supradicta, in qua docet spumificare lithargyrum ipsum. Igitur non rectè.

Vnguentum Alpsoricon &c. CCCLIIII.



PRAESENTIS vnguenti, & sequentis confectionis titulus, vel à malo interprete, vel à minus peritis librarijs maximè corruptus probatur. Vbi pro psoricon, phisiricon, & alfesiricon, seu alfesericon, vel alferisicon legitur. Vera etenim litera talis est: Vnguentum alpsoricon. Et infrà: Recipe cerusæ, lithargyri, psoricon &c. Et est propriè psoricon, confectio immediate sequens, quæ sic à Græcis appellatur, vt mox dicetur. Et non est fescera, scilicet brionia, vt nonnulli iuniores allucinati peruersè declararunt. Et vocatur hoc vnguentum, alpsoricon, id est de psorico, ab ipsa confectione psoricon dicta, quam recipit. Præterea animaduertito quòd aliquæ impressiones in hac descriptione non habent crocum, quod debet esse: Luminare Maius autem habet crocum, sed non climiam argenti. Nicolaus Præpositus verò, neutrum habet. Sed reuera vtrunq; ponẽdum est, quia in omnibus antiquis exemplaribus legitur. *Psoricon.*

De Climia.

CLimia idem est quod Cadmia. Sed vt Dioscorides, Galenus, Plinius, Serapio, Auicenna, & cæteri scribunt, sunt plura cadmiæ, seu (vt mauis) climiæ genera. Et ideo Author noster ad differentiam aliarum cadmiarum, specificauit de argentea. Est igitur cadmia principaliter duplex, scilicet Cypria, quæ & mineralis, siue lapidea dici potest: quæ in Cypro insula, in montibus, & in fluentis reperitur aquarum. Alia est, quæ in fornacibus metallorum sit. Et hæc in plurimas diuiditur species, prout sunt diuersa metallorum genera è quibus assumitur. Vt ex auro, argento, ære, & similibus. Ab Auicenna autem, auri climia magis laudatur. Plinius verò, ærariam alijs præfert, & absolutè lapidem (ex quo fit æs) cadmiam vocat, fusurisq; necessariam: sed *Cadmia.*

medicinæ inutilem ipsum lapidem esse asserit. Ponit etiam sicut & Dioscorides, multas differentias de cadmia quæ fit in fornacibus. secundum fornacis loca. Quilibet per se ipsum apud illos videre potest. Sciendum tamen quòd cadmia parum differt à thutia, id est pompholyge, & possumus in necessitatibus alterum pro altero compensare. In libro Seruitoris autem pro cadmia, barbare legitur cathimia: & confusè ipse Bulchasis per cathimiam, nunc thutiam, nunc climiam intelligit. Imò non latet legentem, quòd illud quod ex lapide, ibi thutia dicitur esse, est sine dubio climia, scilicet cadmia. Nam ex lapide fit; qui lapis præcisè à Plinio (vt diximus) vocatur cadmia, ex quo fit æs. Thutia autem, quæ pompholyx est, non est lapis ipse ignitus, vt ille Author scripsit: sed e tecto fornacis accipitur. in qua dictus lapis concoquitur ad metalla fundenda. Vnde sub nomine cathimiæ, & cadmiam, & thutiam cõfundit. Demum de adustione cadmiæ, deq; eius ablutione, omnes præfati authores, & alij plures, satis abundè scripserunt. Igitur apud ipsos quærito.

Thutia parũ differt à Cadmia, & pro ea poni=

De Argento viuo.

ARgentum viuum res est vbiq; notissima. Nonnulli inter metalla computant, & à pluribus mercurius vocatur. Inter venena communiter annumeratur. Et quamuis Dioscorides, & alij plures, prohibeant ipsum per os administrari: tamen Auicenna in quarto cañ. fen. 6. tractatu primo, scilicet in prima summa de venenis congelatorum ex mineris, ait, quòd plurimi ex his qui bibunt ipsum, non læduntur eo: egreditur enim cum dispositione sua per inferiorem regionem. Hæc Auicenna. Et nos scimus physicum vtentem in cura infirmorum pilulis, in quibus argentum viuum (prius tamen mortificatum) recipitur. Et infirmis semper (vt sciamus) bene successit, & à varijs infirmitatibus liberati sunt. Veruntamen non nisi in magnis causis, & cum maxima cautela ipsum propinandum est. De extinctione eius autem, imò de eius mortificatione (non enim omninò moritur, sed tantùm mortificatur, quia cum tempore semper iterum resuiuiscit) plurimi sunt modi. Author enim noster non specificauit de eo: quoniam quilibet modus est bonus, siue cum saliua, vel cum succo citrij, arancij, & similium, vel cum aliqua pinguedine, vel quomodocunq; aliter mortificetur, nihil refert, & maximè in his quæ non sunt ore administranda, vt in vnguentis, & similibus.

Mercurius quid.

De

De *Oleandro*.

MVltis Italiæ locis oleandrum non eſt incognitum, tamen circa Romam ſponte non naſcitur: quamobrem à paucis Romæ cognoſcitur. In noſtro Aræcelli horticello paucis antè annis ſeuimus plantam, & viret adhuc, quæ cauſat vt in dies à pluribus Romanorum non ignoretur. Nerion à Dioſcoride vocatur. Nonnulli Rhodendron, ſiue Rhododendron, ſiue Rododaphnen, alijsq; nominibus appellitant. Vnicum tantùm genus Dioſcorides poſuit. Auicenna autem duo, ſcilicet ſylueſtre, & fluuiale: ſed fluuiale vere eſt Nerion Dioſcoridis. Sylueſtre autem (quod dicit eſſe ſpinoſum, habens folia portulacæ &c.) à raris videtur. Dictum eſt nobis quòd in montibus ſupra Baſsianas, longe ab vrbe fere per quadraginta miliaria naſcitur. Oleandrum etenim, id eſt nerium, eſſe venenoſum atq; mortiferum, & beſtijs & hominibus, ferè omnes fatentur. Veruntamen (vt Dioſcorides & Auicenna teſtantur) hominibus contra ſerpentium morſus, cum vino rutaq; potum, maximum eſt præſidium. Flos eius ſimillimus videtur roſæ ſubrubræ, quæ vulgò incarnata cognominatur. Vltra quatuor menſes continuè & ſucceſsiuè floreſcit &c. Ponitur autem à noſtro Authore in iſta compoſitione oleum de oleandro: ſed qualiter ſit faciendum tale oleum, ab ipſo non declaratur. Nec apud aliquem antiquorum legimus, præter quàm apud Rhaſim, in antidotario ſeparato. Igitur ſecũdum Rhaſim debet fieri. Cuius deſcriptio talis eſt: Recipe ſucci oleandri ℔.j. roſarum ℔.s. olei omphacini ℔.ij. coque donec conſumatur ſuccus. Cola & reſerua: Hæc Rhaſis. Sed contigit dubitari ſuper iſta deſcriptione, an pro roſis intelligendæ ſint roſæ communes & notæ, an flores ipſius oleandri, quiquidem roſei ſunt. Et à ſimilitudine quam cum roſis notis habent, vocantur & ipſi roſæ, oleandri ſupple. Vnde & rhododaphne, & rhododendrum, ipſum oleandrum dicitur. Quaſi diceret. Recipe ſucci oleandri, ſupple foliorum arboris: & roſarum, ſupple ipſius oleandri &c. Veruntamen an ſit melius vel peius cum vno, quàm cum altero, hoc non eſt noſtrum definire: ſed ipſi medici conſulendi ſunt. Hoc autem diximus, quòd vel ſint flores oleandri, vel flores roſarum communium, pro huiuſmodi oleo parando, putamus recentiores ſiccis eſſe meliores. Nos autem credimus Rhaſim loquutum fuiſſe de floribus ipſius oleandri potius, quàm de roſis communibus.

Nerion.

Confectio Psoricon &c. CCCLV.



ON alfesiricō, vel alteriusmodi barbarè: sed Psoricon est proprium nomen præsentis cōfectionis. Nec dicēda est cōfectio alpsoricon, vt præfatū vnguentū quod significat de psorico. Sed propriè & absolutè, psoricon: quoniā talis cōfectio sic vocatur. Et dicitur psoricon à psora, quod est quoddam malū, significans asperitatē cutis, seu impetiginē, vel scabiem siccā, vel huiusmodi simile. Vnde cōfectio, seu vnguentū psoricon, id est ad psoras, supple sanādas, scilicet præfata cutis mala, rectè interpretari libet. Sicut etiā & ipsemet Author noster exponit, cùm dicit ꝙ est medicamentū ad fistulas, & cancrū &c. quę sequūtur. Præterea legitur ipsamet cōfectio, sub eodē titulo, scilicet psoricō, apud Dioscoridē v. lib. post cap. de chalcite: & apud Galenum in calce noni lib. de simpliciū medicamentorū facultatibus. Sed in hoc differūt inter se Diosc. & Galenus, scilicet ꝙ Dioscorides habet cadmiā: Galenus verò loco eius habet lithargyrū. Author noster autē posuit lithargyrū, sicut Galenus: & posuit florem æris, pro cadmia Dioscoridis. Sed pro chalcite, chalcantū eius interpres, vt putamus) vertit. Sic enim scribit Dioscorides, Ruellio interprete: Fit ex ea (scilicet chalcite) medicamentū, quod psoricon vocāt, duabus chalcitis partibus cum vna cadmiæ additis, & ex aceto tritis. Oportet autē in fictili obruere fimo diebus quadraginta per Caniculæ ardores. Sic enim fit acrius. Hæc Dioscorides. Galenus autem, Psoricū (inquit) conficitur hoc medicamen, dupla chalcite admista lithargyro: antè tamen vtrisq; aceto acerrimo solutis. Sicq; in ollam nouam coniectis, quam fimo æstate media, diebus quadraginta obrutā sepelies. Hæc Galenus. Igitur non est dubiū, quòd de vna & eadem confectione omnes tres, quāuis parum variè, loquuntur. Auicenna quoq; habet hanc eandem confectionem, de qua videlicet facit cap. propriū, in secundo cañ. sub barbarizato vocabulo. Hoc est, Fasuricon, siue Fesurichun: & quasi ad literam, vt Galenus scribit. Inquit enim: Fasuricō quid est. Est medicamē ad scabiem, factū ex merdasengi, & duplo ipsius de calcadis, tritis cum aceto vehementer forti, & ponitur in vase nouo, linito ex luto, & sepelitur in fimo quadraginta diebus, in tēpore æstiuo. Hæc Auic. magis nempe credendum est, Auicennā & filium Mesuæ sumpsisse ipsam confectionē à Græcis, puta à Dioscoride, siue Galeno, quàm Græci ab Arabibus, siue Barbaris. Et

ex

ex consequenti, Psoricon rectè nuncupari debet, sicut Græcè nuncupatur. Nicolaus præpositus quidem (vt patet) non intellexit ipsam confectionem: quoniam sub nomine vnguenti, eam descripsit, vocauitq;, Vnguẽtum alfessericum aliud. Qui autem postea in ipsius librum fecit additiones, minimè hoc animaduertit. Vnde iterum posuit eandem confectionem inter confectiones in litera C. Ex quo bis est in ipsius Nicolai dispensario.

Confectio unguenti sanantis uulnera &c. CCCLVI.



NON legitur in presenti descriptione per antiqua exẽplaria, nec in vulgari æditione, succus celidoniæ: neq; in Nicolao Præposito, scilicet in litera V. vbi sub nomine vnguenti ad vulnera antiqua, habet præsentẽ cõfectionẽ: quoniã ex imprudẽtia authoris additionũ, in litera C, inter cõfectiones, similiter, vt supradictam, frustrà posuit & istã. Et scripsit in ea succum celidoniæ, sicut à mendosis impressionibus sumpsit. Qui succus non debet esse. Quoniam iudicio quorundam non spernendorum, minimè huic compositioni conuenit. Igitur cassetur, & legatur simpliciter, cum succo absynthij, & succo plantaginis, donec &c.

Isopi cerotum Diatessaron *descriptione* Democriti *&c.* CCCLVII.



DICITVR Diatessaron, id est de quatuor, supple medicinis. Quodquidẽ similiter potest vocari. Isopi cerotũ tetrapharmacũ. Sed est computandũ & oleũ, alioqui essèt tripharmacum. Cõsimiliter & in ceroto diapẽte, est connumerandũ oleũ. Est autem in præsenti descriptione per omnes excusiones vnũ mendum: videlicet, vbi legitur: Isopi humidæ ℥.ij. lege ℥.ij.s. Sic enim habent cuncta exemplaria, & Luminare Maius. Vulgares impressiones autẽ habent ʒ.ij. Vbi similiter librarij malè posuerunt per drachmas, quæ erant ponenda per vncias. Quia etiam & oleum irinum est ibi per ʒ. quod rectè debet stare per ℥.

Cerotum Galeni stomachum cõfortans &c. CCCLVIII.



CVNCTA nempe exẽplaria, nulloq; discrepãte, & similiter Nicolaus Præpositus, habent Galenũ in titulo præsentis descriptionis. Luminare Maius autẽ dicit se hoc nõ reperisse apud Galenum. Quapropter potest dubitari de ipsius authore.

M 3

Sed hoc parũ facit ad rem. Veruntamen apud ipsum Luminare non rectè legitur: mastis ℥.xv. cùm cæteri concorditer habeant ℥. xx. Vulgares quoque excusiones multa menda habent in ista descriptione. Pro aqna rosata, intellige infusionem rosarum.

Cerotum Diapente *&c.* CCCLIX.



NTITVLATVR Diapente, id est de quinq; supple medicinis. Potest etiã Cerotũ pentapharmacum dici. Vulgaris nanq; æditio omnia habet in præsenti descriptione per ℥. quæ cũcta volumina latina habẽt per ℥. Et nõ multùm refert: quoniã stante eadẽ proportiõe, potest fieri per plus & per minus. Veruntamen melius est vt hoc & cætera fiãt semper secũdũ ordinatã ab authoribus quãtitatẽ. De glutine Zanahã, vel alzanac, vel zanahac &c. quære infrà, scilicet in emplastro diachylõ magno.

Cerotum Alexandrinum &c. CCCLX.



ON ab Alexandrina ciuitate, sed ab Alexandro Authore, præsens Cerotũ Alexãdrinum titulatur. Sed sciendum quòd vbi per impressiones legitur in præsenti descriptione: Olibanum & ammoniacum in vino &c. Verius legendũ est: Ammoniacũ, & storacẽ in vino &c. quoniã sic inuenimus in maiori parte antiquorum exemplariũ. Et certè meliori modo potest puluerizari olibanum, quàm storax. Igitur storax debet infundi &c.

Cerotum aliud eiusdem &c. CCCLXI.



VM legis eiusdem: subintellige Alexandri præfati. In quibusdam tamen paucis dũntaxat exemplaribus, non eiusdem: sed nostrum legitur, sic videlicet: Cerotum aliud nostrum fortissimum &c. Vnde secundum huiusmodi, non Alexandri, sed ipsius Authoris intelligitur. Attamen putamus esse mendosum istiusmodi: & rectius eiusdẽ, esse legendum. De oleo de naphtha, lege infrà, scilicet in descriptione olei philosophorum.

Cerotum Andromachi factum ex nouem medicinis &c. CCCLXII.



INVS rectè per cunctas ferè impressiones, legitur in præsenti descriptione, Olei de been. Lege de ben. Vulgares libri etiam hìc plures habent deprauationes.

Emplastrum Diachylon &c. CCCLXIII.



OCANTVR diachylon, siue (vt mauis barbarè) diaquilō hæc emplastra, ab succis, siue mucilaginibus quæ recipiuntur in ipsis. Chylon vel chylum, declarant nonnulli significare succū, vel mucilaginē, vel simile: vnde syrupus de bisantijs, dicitur etiam Syrupus diachylon, à diuersis succis quos recipit. Et generaliter omnes compositiones recipientes succos vel mucilagines potest diachylon cognominari. Consimile emplastrum habet filius Serap. in 7. sub titulo Vnguenti de mucilaginibus: vbi immediatè declarans dicit, Et est diakilon. Similiter & Auicena habent eandem descriptionem, cum inscriptione, vnguenti diaquilon. Hali Abbas etiam in x. Practicæ habet istam compositionem, quam semibarbarè nuncupat, vnguentum diachylon. Vbi loco fœnugræci habet helbe: quod idē est, vt plures exponunt: & facit mucilagines (quas vocat spumas) in vrina chameli. Rhasis quoque in 7. ad Almansorem, cap. de scrofulis, habet simile emplastrum. Item ipse Rhasis in lib. de ægritudinibus iuncturarum. cap. 26. habet aliud diaquilō, dissimile omnibus istis. Paulus etiānum in 7. ponit emplastrum diachylon, quod similiter differt. Aëtius quoq; 14. cap. lib. 15. habet duas descriptiōes aliquomodo differentes, & vna est ex Oribasio. Præterea sciendū quòd in præsenti descriptione, pro omnibus cōsimilibus, dat Author noster regulam siue modum conficiendi muciagines cum lithargyro, scilicet quòd non sunt miscendæ mucillagines in bullienti lithargyro: sed post bullitionem eius, permittendum est infrigidari. Non tamen in totum: sed cum est quasi tepidum, immittantur mucilagines, prius tamen aliquantulum bullitæ: & cùm facta fuerit ipsorum ad inuicem permistio bona, reducatur totum ad ignem, & perficiatur decoctio &c.

Emplastrum Diachylon magnū &c. CCCLXIIII.



D differentiam sequentis parui, cognominatur magnum præsens emplastrum: ac etiam à magna sui operatione &c. Supradictum autem potest dici Diachylon descriptione cōmuni, scilicet quòd cōmuniter illud à Doctoribus scribitur: siue emplastrum de succis &c A nōnullis etiā vocatur hoc emplastrum, Emplastrū, siue Cerotū de mucilaginibus. At ab alijs addūtur ad istam descriptionē plura gūmi, vt bdellium, sagapenum, ammo-

niacum &c. Ex quo postea nuncupant, Emplastrum, siue Cerotum, siue Diachylon gummatum. Aduertendum tamen quòd per omnes impressiones, deest in præsenti descriptione mucilago radicum altheæ, quæ locanda est post mucilaginem seminis lini. In omnibus etenim exemplaribus inuenimus, ex quo iudicauimus ipsam esse admittendam.

De Glutine Alzanac, siue Zanahan, siue alteriusmodi barbarè.

Est nanq; in præsenti descrsptione, & similiter suprà in Ceroto diapente, & infrà in Emplastro filij Zachariæ &c. vnũ simplex ita barbarũ atq; corruptũ, quòd ex iunioribus haud est qui audeat ipsum absolutè, ac sine trepidatiõe declarare. Enimuero sexagintaquatuor variationes, per varios libros legimus de huiusmodi barbarismo. Et sunt qui habent zanahan, & sunt qui alzanahan, & sunt qui zanahac, & qui alzanaac, & qui zanahana, & qui alzanahanari &c. quæ si omnia scriberentur, ridicula fore non dubitauimus. Vnde nõnulli ex iunioribus suspicãtur esse viscum quernũ, alij collam piscium, alij pisciũ viscositaté quæ manibus piscatorum adhæret, alij gũmi arboris assæ fœtidæ, & alij (qui forsan melius) putãt esse gũmi hederæ: ad quorũ opinioné & nos libenter aures inclinamus, scilicet credẽtes esse gũmmi hederæ potius, quàm aliud ex supradictis. Tum quia in Pãdectario legimus consimilia plura vocabula, pro hedera vel gummi hederæ interpretata: vt in litera A, Alzachanam, id est hedera: Alzanarari, id est gummi hederæ. & in litera Z, Zanahanen, id est hedera &c. Tum etiam, quia excellentissimus vir Ioannes Manardus fuit cõsimilis opinionis. Ait enim ipse in ceroto diapẽte: Glutinis zanaham. fortè gummi hederæ. Veruntamen non intantum approbamus istã, vt reprobemus aliorũ opiniones. Igitur quod melius iudicatum fuerit, illud facito. Nos auté interim dum veritas exquiratur, gummi heredæ semper, pro eo substituemus, ac substituendum alijs consulimus.

Gũmi hederæ quid suppleat.

Diachylon paruum &c. CCCLXV.



Cvm legis hîc Diachylon, præaudi Emplastrum. Paruum cognominatur, ad differentiam supradicti magni, cuius operationem sequitur, vt in litera habetur. Sed quia magnum conficitur sicut primũ: igitur tam pro magni quàm pro parui operatione, ad primi regulam recurrendum est.

Empla

Emplastrum de granis lauri &c. CCCLXVI.



BI legitur in præsenti descriptione per omnes excusiones: Mellis colati: legendũ est rectius: Mellis calidi. quia sic inuenimus ferè in cunctis exemplaribus. Habet nãq; filius Serap. in 7. duas emplastrorũ descriptiones, sub titulo dimadh, quæ recipiunt grana lauri: sed valdè ab ista differunt. Initium vnius est, Dimadh ad hepar &c. Alteri⁹ verò: Dimadh ad gibbositatẽ &c.

De Lauro, & granis eius.

PLura nempe Plinius enumerat lauri genera: veruntamẽ principaliora (vt Dioscoridi & alijs pluribus placet) duo tantùm sunt. Vnum videlicet, quod tenui cõstat folio, sterile, quodq; masculum à quibusdam appellatur. Floret enim maximè, sed nunquam baccas alit. Alterũ verò genus, quod & fœmininum à nõnullis vocatur, latiori folio atq; maiori probatur, baccasque fert innumeras, oleis similes, sed rotundiores, ab extrà nigras, ab intus verò albas, vel subcitrinas, absq; nucleo osseo &c. Et hę quidẽ maturæ colligendæ sunt, quæ nunc grana, nunc baccæ dicuntur. Græcè enim daphnides vocantur: quia & daphnis ipsa laurus est græcis. Vtrunque lauri notæ genus crebrum est in Italia. De alijs autem generibus apud ipsum Plinium quærito.

Emplastrum stomachum & hepar confortans &c. CCCLXVII.



EGITVR mendosè in præsenti descriptione, ferè per omnes impresśiões, immediatè post Galliæ muscatæ: separatim, ana &c. Cassetur illud separatim: & loco ipsius scribatur, squinãti. Deest enim squinantum, in illis mendosis lectionibus. Sic nempe habent omnia antiqua exemplaria, ac etiã vna ex nouis impresśionibus. Garyofilorum, macis, cinnamomi, spicæ, nucis muscatæ, galliæ muscatæ, squinanti, ana ʒ.j.s. &c. Quasi idem emplastrum, & sub eodem titulo, ponit Guillelmus Placentinus, in quinto suæ Practicæ, cap. 22. A nonnullis autem hæc compositio: Emplastrum de ligno aloès nominatur.

De Emplastrorum suffumigatione.

IN calce quarundam emplastrorum descriptionum præcipitur ab Authore, vt suffumigetur illud emplastrum cum ligno aloës; scilicet cùm fumo ipsius ligni. Et hoc intelligitur faciendum statim, cùm ponendũ sit ipsum emplastrũ super locum, sci-

licet quòd immediate ante immiſsionem debet ſuffumigari. Modus autem ab eo non aſsignatur, ſed hic eſt valdè bonus. Videlicet: Extendatur & complanetur emplaſtrum quantũ neceſſe eſt, & ponatur aliquãtulũ ligni aloës minutatim inciſi ſuper ignitos carbones, tanquam incenſum in thuribibulum, & ſuperponatur igni fumiganti ſetacium rarum cum emplaſtro, vel agiliter manibus teneatur emplaſtrum ipſum, ita quòd totus fumus cremantis ligni directè ad ipſum aſcendat. Completa autem ſuffumigatione, continuò ipſum emplaſtrum competenter calidum ponatur ſuper locum &c. Et licèt aliqui aliter ſuffumigent: modo tamen dicto expeditius & vbique fieri poteſt.

Emplaſtrum de Gallia &c. CCCLXVIII.



APVD filiũ Serap. in 7. cap. 27. habet tres quaſi ſimiles cõpoſitiones. Quarũ initia ſunt, Dimadh ad diariam, & debilitatẽ ſtomachi. Dimadh quod fit cum extremitatibus myrti: & Dimadh quod confert ad diariam antiquam. Præterea ſciẽdum quòd per varios codices variè legitur in quibuſdam locis præſens deſcriptio. Vnde vbi legitur in aliquibus libris: Recipe galliæ muſcatæ, ſquinanti, ana ℨ. j. s. Et in alijs peius, videlicet ana grañ. j. s. Maior pars exemplariũ, nec ſic, nec ſic: ſed omiſſo ſquinanto cum ſuo ana, habẽt galliam in vno met ana cum ſequentibus ſimplicibus: ſic videlicet, Recipe galliæ muſcatæ, ramich, ſumach, acaciæ &c. ana ℨ. ij. & ita iudicauimus verius eſſe. Ex quo non eſt ponendũ ſquinantum in iſta compoſitione, nec habetur in deſcriptionibus filij Serap. neq; in ſequẽti emplaſtro legitur. Item, nõnulli libri habent: Deinde accipe ſucci foliorũ myrrhæ humidæ. Alij autẽ loco myrrhæ humidæ, habent mentæ humidæ. Alij rutæ humidæ. Et alij myrtæ humidæ. Vbi ſic rectius legendũ iudicauimus: Deinde accipe ſucci foliorũ myrti humidæ, ſcilicet teneræ. Et ſimiliter eſt intelligendũ in ſequenti deſcriptione, in qua ſimili modo eadẽ clauſula per diuerſas excuſiones diuerſimodè legitur. Et hoc non ſolùm probatur per antiqua exẽplaria ſic eſſe ſecundum veritatem, verumetiam & per ſupradictas filij Serapionis deſcriptiones. Item vbi mendoſè per quaſdam impreſſiones legitur: Gummi, aſſari &c. Lege rectius: Gummi aſsi, ſiue aſſati. Etenim error ipſe eſt manifeſtus, cùm abſque ana ſequitur ℨ. vij. Similis quoque error reperitur per quoſdam libros in ſequẽti deſcriptione: Itẽ vbi in aliquibus mendoſis impreſsionibus legi

legitur : Deinde terantur,& fiant ficut puluis &c. Lege: Et fiant ficut puls &c. Aduerte etiam,quòd vbi Author dicit : foliorũ lauri,fubintelligitur ibi,fucci. Tanquam fi diceret : Accipe fucci foliorum myrti humidæ,fucci foliorum lauri,fupple humidæ,feu teneræ:quia in eodem fenfu intelliguntur hîc folia lauri,in quo folia myrti. Sed fi quis nõ poterit habere extremitates teneras de lauro,fiue de myrto vnde fuccũ exprimat,poteft facere ex alijs folijs durioribus,recentibus fupple, bonam decoctionem : qua,loco fuccorum,vti cõmode valebit. Sed melius erit,fi fuccum acceperit. Per vinum ponticum,intellige vinum aufterum, & non de Ponto infula,ficut rheuponticũ. Et propriè intellige illud quod à vulgaribus vinum brufcum nuncupatur. *Vinum austerum, vel bruscum.*

Emplastrum de Gallia &c. CCCLXIX.



SVNT & in præfenti defcriptione per recẽtiores codices plura mẽda. Et primò defunt in ipfa gallæ,quæ locãdæ funt inter balauftij & hypoquiftidos,fic videlicet, Charabæ, balauftij,gallarũ, hypoquiftidos,acaciæ &c. Itẽ vbi legitur : Succi extremitatũ myrrhæ,feu mẽtæ,feu rutæ humidæ,& aceti,ana ℥.j. Lege rectius:fucci extremitatũ myrti humidę,& aceti,ana ℥.j.s. Item vbi eft:Gũmi arabici,affari ʒ.iiij. lege emendatius:Gũmi arabici afsi,fiue affati ʒ.vij. Itẽ vbi eft impreffum. Miuæ acetofæ ʒ.ij. vel iij. Lege ℥.ij. vel iij. Quoniã ita certe eft,fecundũ veritatẽ, in cunctis ferè exẽplaribus antiquis. Ex quibus etiã erroribus aliqui declarati funt in fuprafcripta cõfimili cõpofitione. Præterea fciendum quòd vbi Author dicit: Accipe fucci capreolorũ vitiũ: fubintellige domefticarũ. Vuarum agreftiũ: fubintellige etiam fucci capreolorũ vitium agreftium,fcilicet labrufcarum. Tanquam fi diceret: Accipe fucci capreolorũ vitium domefticarum ℥.ij. fucci capreolorum labrufcæ ℥.j. &c. Et nota quòd non potuit abfolutè vitium agreftium: quoniam vitis agreftis eft nomẽ commune ad plura. Vnde addidit vuarum ad differentiam aliarum. De Sauich autem, Alchohol &c. in fuperioribus require.

De Capreolis.

CApreolus quidẽ in his & fimilibus locis intelligitur propriè ille coliculus intortus,vt cincinnus,fiue illa clauicula,qua fefe vitis in proximas arbores & fimilia lingans,fuftẽtatur. Etiã pro capreolo largè fumpto poteft intelligi totus pampinus,fiue coliculus tener,fcilicet palmes,feu extremitas illa tenella atq; fuc

cosa sarmentorũ vitis. Cuius succo nõnulli verno tempore, loco acrestæ in obsonijs vtuntur. Et clarius habetur in emplastro de fermento. Veruntamen cùm commodè fieri potest, pro huiusmo di & similibus compositionibus, melius est si ex illis clauiculis, seu cincinnis excipiatur succus.

Emplastrum relatũ ad Andromachũ &c. CCCLXX.



HABET & Auicenna in quinto cañ. hoc emplastrũ, sed in quibusdã paucis differt. Habet quoq; aliud mirabile relatum ad Andromachum, quod etiam non conuenit cum aliquo istorum. Aduertendum tamen quòd præsens descriptio ferè per omnes impressiones est in pluribus vitiata. Nam deest in ipsa Gummi pini, scilicet resina pini: cuius pondus est ℥.viij. & locari debet ante auripigmentum. Etenim in omnibus exemplaribus habetur, & similiter in vna ex vltimis impressionibus. Etiam & in descriptione Auicennæ legitur. Vnde debet poni. Item ana, quod sequitur post calcem non extinctam, per easdem impressio nes variè legitur. Quædam enim habent: ana ℥.xv. & quædam, ana ʒ.xv. & quædam, ana ℥.x. & quædam, ana ℥.iij. & quædã aliæ, ana ʒ.iij. At reuera in exemplaribus antiquis pro maiori parte, ana ʒ.xv. scriptũ inuenimus: & sic iudicauimus verius esse. Auicenna autem, ana ℥.ij. habet. Quod satis parum differt ab ana ʒ. xv. Ergo ʒ.xv, ponendæ sunt. Lege igitur rectè sic: Recipe sepi anatis, picis, ana ʒ.xviij. gummi pini ℥.viij. auripigmenti rubei, & citrini, aluminis iameni, calcis non extinctæ, ana ʒ.xv. ammo-
Auripigmẽtũ rubeum. niaci ℥,ij. & non ʒ.ij. vt vulgares impressiones habent &c. Pro auripigmento rubeo autem, sandaracham intellige: & pro citrino, vsuale notum: de quibus suprà dictum est. Et alumen iamenum idem est quod alumen scissile, quod aliter alumen plumæ, alumen schiston, & flos petræ, siue flos lapidis dicitur. Lege Antonium Musam Brasaulum.

Emplastrum aliud Andromachi &c. CCCLXXI.



Canterium Andromachi. POTEST hoc emplastrum, absque dubio, vocari cauterium Andromachi: quoniam vt patet in litera, nil aliud est quàm efficacissimum cauteriũ. Filius Serap. quidem in 7. cap. 28. & Hali Abbas in decimo Practicæ, cap. 25. sub nomine vnguenti, habent quasi consimilem compositionem, & in vtroque est antepenultima capituli descriptio. Sed pro granis risi & frumenti, vter

vterque ipsorum habet viscum: quamuis filius Serapionis habeat sub barbaro vocabulo, hoc est dabach, quod idem est quod viscum, vt Pandectarius & alij plures interpretati sunt.

De Aqua ardenti, scilicet Aqua vitæ, & Aqua saponis.

QVoniam sub nomine aquæ ardentis, tam aqua saponis, scilicet aqua ex qua, oleo admista, fit sapo, quàm aqua vini sublimata (quæ aliter etiam aqua vitæ dicitur) intelligitur. Ideò Author specificans de ea, dixit: Et est aqua saponis, Dicitur autem aqua ardens aqua vitæ: quia si approximatur ei flamma ignis, accenditur ac inflammatur, & ardet. Et hoc signo cognoscitur bona à mala. Videlicet quòd illa est optima, quæ tota in flammis consumitur. Aqua saponis autem dicitur etiam ardens, non per modum patientis, vt præfata aqua vitæ: sed per modum agentis, scilicet quòd vrit carnes &c. quibus approximatur, faciens ampullas, & vesicationes, tribuensque dolorem vt ignis vrens. Et est propriè aqua saponis, lixiuium factum ex duabus seu tribus cineris, & vna calcis partibus. Et illa est fortior, in qua ouum immersum magis supernatat extra aquam. Quia quantò magis est mitis ipsa aqua, tantò magis ouum submergitur in ea. Primum igitur lixiuium est fortius secundarijs: & illud est sumẽdum, si vis potius facere cauterium, siue emplastrũ istud &c. Sed aduerte quòd differt aqua vitæ ab aqua vitis. Nam aqua vitis à vite ipsa excipitur. Videlicet tempore veris cùm putantur vites, loca incisa per aliquot dies semper lachrymãt aquam clarissimã. Et illa propriè est aqua vitis. Quæquidẽ vitis aqua, vnà cum melle per ignem sublimata, oculorum lippidines maximè curat. *Aquæ vitis ab aqua vitæ differentia.* *Aquæ vitis medicina.*

Emplastrum Sinapismum &c. CCCLXXII.



PONITVR hoc emplastrum in libro diuisionũ Rhasis, cap. de sciatica (scilicet de ischia) & dolore iũcturæ anchæ. Et à Guillelmo Placẽtino quinto practicæ, cap 22. quasi idem describitur. Cuius initium est: Emplastrum eradicans sciaticam &c. Sed sciendum quòd per impressiones non sine mendis, habetur præsens descriptio. Nam vbi in ipsis legitur: Si autẽ minus (supple vehemens facere volueris ipsum emplastrum) ex ficubus partes tres, & ex sinapi duas, supple pone. Rectius legendum est: Si autem minus, ex ficubus partes duas, & ex sinapi partem vnam &c. Sic enim in cunctis exemplaribus vniformiter inuenimus.

De

De Sinapi.

SInapis hortenſis, ſiue (vt mauis) ſinape, vel ſinapi, herba eſt vbique notiſsima. Ex ſemine eius, quod etiam ſinapi dicitur, vnà cum muſto coꝺ̃o & alijs rebus, paratur intinꝺ̃us durabilis, à pluribus exquiſitus. Quæ vulgares à muſto, muſtardam: & alij ab ipſo ſinapi, ſinapatam, quaſi ſinapium vocant. Tria eius genera Plinius 8. cap. 19. libri poſuit. Dioſcoridem autem volunt aliqui, non niſi de vnico hortenſi pertraꝺ̃aſſe. Tamen ipſi errāt: quoniam in fine capituli de eruca, ipſe Dioſcorides meminit ſyluestris erucæ Iberiæ, ſcilicet Hiſpaniæ. Cuius ſemine (inquit) pro ſinapi vtuntur incolæ. Et hæc eruca Hiſpanica, eſt tertium genus à Plinio deſcriptū. Etenim & in cap. de ſinapi ipſe Dioſcorides, ad quid ſpecificauit hortenſe, niſi ad differentiam ſinapis ſyluestris? Itē ipſe Dioſcorides cap. de thlaſpi, aſſerit ab aliquibus vocari ſinapi Perſicum, & ſinapi ſylueſtre. Etiam apud ipſum, cap. de cappari, ſecundum Hermolai & Marcelli traduꝺ̃iones, legitur quòd à Romanis ſinape Perſicum nuncupatur. Ecce quòd nō de vnico ſinapi, in vno cap. Dioſcorides loquutus eſt: ſed in diuerſis capitulis plurima ſinapis genera connotauit. Quamuis aliquod ipſorum, vt capparis, nomine tantùm, non re ſinape ſit. Quoniam nihil cum ſinapi capparis. Aliud autem Plinij genus, ſcilicet ſecundum (quod rapi folia dicit habere) non ignoratur, nec ſeritur apud nos, ſed creberrimū intus & extra Vrbem ſponte atque ſylueſtre oritur. Et vulgò propriè, ſinapem ſylueſtrem vocamus. Non eſt in eo dubium quin ſit ipſum. Plurimi eo vtuntur domeſtici vice. Serapio autem, & Auicenna, duorum tantùm generum meminerunt, ſcilicet hortenſis & ſylueſtris.

Eruca Hiſpanica quid Plinio.

De Ficubus.

NOtiſsimæ quidem ſunt ficus. Sciendum tamen, quòd non abſq; ratione Author ſpecificauit ſiccas ficus atq; pingues eſſe ſumēdas pro huiuſmodi emplaſtro. Imò vt per Galenū probatur, illæ ficus ſunt ad concoquendum aptiores, quæ ſunt pinguiores. Inquit enim Galenus 8. de Simplicium medicamentorum facultatibus: Ficus aridæ vim habent excalfaciendi ordine primo, etiam cōpleto, aut ſecundo incipiēte: habent verò etiam partium tenuitatem quandam. Ex iſtis duobus idoneæ ſunt, quæ tubercula dura concoquant. Statim verò etiam ea digerunt &c. quæ ſequūtur. Hinc ait: Porrò ſcire oportet, quòd quæ pinguiores ſunt, magis poſſunt cōcoquere. Hæc Galenus. Igitur quæ huiuſmodi non ſunt, minimè huic compoſitioni cōgruunt. Idcircò eligen

eligendæ sunt pinguiores & optimæ, vt sunt Maßilenses, & Sabinenses, atque ipsis similes.

De Schybalis.

QVæ Schybalæ, seu schyballæ, seu magis barbarè squibalæ dicuntur, stercora rotūda dura sunt, vt plures declarauerūt. Caprinæ autem specificantur, ad differentiam aliorum similium stercorum.

De Columbis agrestibus.

COlumbi etenim, siue (vt quibusdā magis placet) columbæ, & domesticæ, & syluestres, siue agrestes reperiuntur. Domesticæ quidem domi viuunt. Agrestes autem in agris pascuntur, sed in turribus & montium ripis nidificāt, atque nocte quiescūt: quæquidem domesticis sunt minores. A nonnullis liuiæ, quasi liuidæ nuncupantur. Harum autē fimus in huiusmodi emplastris ab Authore quæritur. Vtrunque genus satis est notum. Est & aliud genus, qui non columbi, sed palumbi, siue palumbæ, siue duûm generum, palumbes agrestes dicuntur. Imò rectius syluestres: quoniam in syluis manent, & in arboribus nidificant. Has nempe sunt qui à glandibus, quibus libenter vescuntur, glandiphagas nominant. Alij autem à torque plumeo, quem habent, torquatas appellant. Sunt etenim maiores domesticis columbis: & hyemali tempore non inuenientes semina, & fructus, fame cogente pascuntur herbis.

E*mplastrum de fermento &c.* CCCLXXIII.



OC nempe emplastrum (vt in litera clarè habetur) diuersis paratur modis. Inuenimus tamen in ista descriptione plurimas deprauationes, quas simpliciter emendauimus in receptario. Et præsertim inter ipsas, vbi legebatur per impressos libros, dubellet, rescripsimus delet. Vt in cunctis exemplaribus, & in vulgari æditione reperimus. Et licet dubellet, siue dubellati, secundum Simonem Ianuensem, Pandectarium, & cæteros, significet apostema colligens saniem, de quo magis speratur quòd fiat vlcus, quàm quòd resoluatur: tamen cùm prius hîc legatur: Maturat enim & rumpit apostemata. superfluum est addere, & dubellet: quod esset illud idem repetere. Igitur rectius est, & delet. Item quod sequebatur in litera, scilicet. Si bdellium cum farina hordei misceatur, extrahit spinas. deleuimus, ob id quia in nullo penitus dictorū exemplarium, neque in vulgari æditione,

neque

neque in Nicolao Præpoſito inuenimus. Reliquas partes à nobis emendatas, ſi conferas cum alijs, facillime cognoſces. Scribitur equidem à Plinio in ſeptimo vnum emplaſtrum de fermento, quod cum quadam variatione iſtius deſcriptionis habet nõ paruam ſimilitudinem.

De Fermento.

NOn ignoratur fermẽtum, à quibus cognoſcitur panis. Zyme, ſiue zyma Græcè dicitur. Author noſter quidẽ in exordio præſentis deſcriptionis magnopere laudat illud in vſum medicum recipi: cùm ex Democrito dicat eſſe medicinam medicinarum nobilium. Et ponens plures ex ipſo pharmacorum compoſitiones, in fine addidit, quòd prolixum eſt narrare omnẽ eius experientiam &c. Ex farina frumenti fit optimum, de quo ſemper intelligitur, cùm abſolutè legitur. Poſt ipſum in bonitate ex hordeo ſequitur. Hinc ex cæteris frugibus.

De Viſco.

VIſcum, vel viſcus viſci dicitur. Res quidem nota & aucupibus & alijs multis. Plura etenim ſunt eius genera. Vnde Author ſpecificauit de quercino, ad differẽtiam aliarum arborum, quoniam non in ſola quercu procreatur. Verumetiã, vt Dioſcorides & alij Doctores tradunt, & experientia certa pluries comprobauimus, in multis arborum generibus reperitur. Porrò Braſaulus probat in omni arbore poſſe fieri, ac etiam & in vite ſe vidiſſe confitetur. Nos quidem præter arbores à Dioſcoride, Plinio, & cæteros deſcriptas, ſæpius & in amygdalis vidimus: tamen in aliquimus arboribus, vt in oliuis, ficis, &c. nunquam vidimus, nec aliquem vidiſſe audiuimus. Vnde coniectamus, non omnes arbores pati ſupra ſe viſcũ generari. Et licet Plinius cap. vltimo 16. lib. dicat: Omninò ſatum viſcum nullo modo naſci, niſi per aluum auium redditum: & præcipuè palumbis, & turdi (vnde Braſaulus argumentum ſumpſit, aſſerens quòd ſicut turdus, ſiue turdela (quæ etiam connumeratur in generibus turdorũ, quamuis ſit maior turdo) ſiue palumbes, ſiue turtur poteſt ſuper omnẽ arborem ſtercus emittere: ſic omnis arbor poteſt viſcum procreare tamen non per hoc ipſe Plinius probauit viſcum ſuper quamlibet arborem naſci. Imò ſpecificauit ex eis quaſdam: quod non fuiſſet neceſſarium, ſi ſuper omnes poſſet viſcum oriri. Ergo ſecundum ipſum Braſaulum, vbicunque cacauerint ipſæ aues, viſcum naſcetur. Ergo & ſuper herbas, & lapides &c. quod eſt falſum. Igitur dicendum quòd ſicut exempli gratia, epithymum

non

non nascitur super omnem plantam, sed super ipsas tantùm quibus à Deo & natura speciali prærogatiua concessum est: ita & viscum non super omnes arbores, sed super illas duntaxat quæ sunt aptæ natæ ad illud producendum. Neq; credendum est quòd solummodo stercus auis, quæ iam comederit viscum, scilicet illud propriè quod ex visco eso & digesto efficitur, viscum super arbores generat, vt scripsit Plinius: quoniam probatur non esse verum. Nam si viscum oritur tantùm ex stercore auis comedentis viscum: primum igitur viscum quomodo ortum habuit, ex quo aues nunquam comederũt? Ergo alia causa est per quam viscum generatur. Enimuero melius est coniectandũ, scilicet quòd omne stercus illarum auium, vel comederint viscum, vel non, sit aptum ad generandum viscum. Aptius tamen si ipsum viscum comederint, tanquam materia magis disposita ad illud faciendum. Et supra illas arbores tantùm dicimus, quę etiã specialiter in se habent talem prærogatiuam, siue dispositionem vt viscum concipiant. Non autem supra omnes. Quod autẽ dicit Plinius, scilicet quòd viscum per aluum auium redditum nascitur, hoc nõ fit (vt putamus) ex parte visci, scilicet inquantũ quòd est viscum: sed ex parte animalis, scilicet inquantum quòd est stercus illarum auium. Quoniam viscum per se nullo modo nascitur, neq; etiam si per ventrem auium redditum fuerit. Fit etiam à nõnullis artificio viscum, ex varijs rebus: vt ex sebesten in Damasco, & ex radicibus maluauisci, & ex fructu aquifolij, & similibus, ad capiendas aues, etiã & aquatiles aues. Quodquidem medicinæ est minus aptum. Ex arboribus autẽ melius est quernum, quod Græcè Dryos hyphear dicitur. Eligendum est purum, recens, intus viride, seu porraceum, extra subfuluum, ex maturis collectũ acinis. Et potius, quàm alterius regionis, nostrate, quia recentius. Sed si ex quercu non habebis, è robore accipito, siue ex ilice.

De Furculis.

PRo Furculis, siue furcillis, hoc in loco intelliguntur festucæ, seu lignorũ, aut cannarum & similium frustula. Et propriè sunt quæ à vulgaribus stecchæ, & stelæ nuncupantur. Et lege rectius sic: Et est emplastrum efficax ad extrahendum spinas, & furculas, seu furcillas, & ossa carni infixa &c. Et non ossa cranei infixa, vt mendosè per omnes impreßiones legitur. Et pro succo vuarum agrestiũ, intellige, vt suprà, succum extremitatũ vitium vuarum agrestium, scilicet syluestrium, & sunt labruscæ. Et succi extremitatum vitium, supple domesticarum, vt aliàs diximus.

De *Siefmemithe.*

Sief equidem idem eſt quod collyrium, ſeu medicina oculis appropriata. Memithe autem, eſt idem quod glaucium, de quo quære in pilulis lucis, cum chelidonia. Cùm igitur hîc quærat Author ſiefmemithe: intellige collyriō factum ex ſucco glaucio dicto. Qui ſuccus condenſatur in forma nuclei oſſei dactylorum, & conſeruatur. Et arabicè dicitur memithe &c.

De *Aſphalto.*

Rectius aſphaltum, quàm aſpaltū dicitur, Et idem eſt quod bitumen, ſcilicet bitumen iudaicum notum. Quod bitumen aliquando etiam à Græcis piſſaſphaltū appellatur. Quamuis & piſſaſphaltum proprie ſit alterius bituminis genus, quod conſimiliter & aſphaltum nominant. Principaliter autem aſphaltum, ſcilicet bitumen, à Dioſcoride duplex deſcribitur: vnum durum è lacu Iudææ, vnde Iudaicum dicitur, quod præfertur cæteris aliarum regionum eiuſdem generis. Aliud eſt liquidum, quod in Sicilia fontibus Agrigentinenſis agri innatat, quodq́; naphtæ iudicatur ſpecies. Quo & incolæ olei vice in lucernis vtūtur. Sed in hoc emplaſtro, de duro intelligitur. De naphta dicetur in oleo philoſophorum.

Bitumen duplex.

Emplaſtrum filij Zachariæ &c. CCCLXXIIII.



PER impreſsiones legitur mendosè in præſenti deſcriptione: Medullæ cruris vaccæ &c. ana ℥. iij. lege, ana ℥. iij. s. quoniam ſic eſt in exemplaribus antiquis. De Zanahan quære ſuprà.

Emplaſtrum Diaphinicon confortantium &c. CCCLXXV.

Emplaſtrum Diaphinicon deſcriptione Alexandri &c. CCCLXXVI.



HAEC nempe emplaſtra habent multā affinitatē, cum emplaſtris de gallia ſupraſcriptis. Vnde (ſaluo meliori iudicio) putamus ꝙ poteſt alterū pro altero ipſorū ſubſtitui in neceſsitatibus. Seruatis tamē illis caliditatis & frigiditatis ſignificationibus, in ipſis emplaſtris de gallia ab authore notatis. Dicūtur Diaphinicon, à dactylis ipſam intrātibus. Auic. quidē in quinto cañ. ſub titulo vnguēti, ſcilicet Vnguentū quod cōfert ad vehementiā debilitatis hepatis & ſtomachi, habet quaſi ſimilē cōpoſitionem

cum

cum hoc primo emplastro Diaphinicon. Sed aduertendũ quòd in secũda descriptione, quę inscribitur Alexãdro, vbi per impressos libros legitur: Acaciæ, succi acrestæ &c. ana 3.iiij. legẽdum est rectius, ana 3.v. vt est ferè in omnibus exẽplaribus antiquis. Pro Alistimbre autẽ, quod est in exordio, intellige digestionem: tanquam si diceret, Et ad malitiã digestionis siue cõcoctionis. Et pro floribus vuarũ agrestiũ, intellige flores labruscarum. Qui flores, sicci intelliguntur, in isto emplastro. Et ratio tenet: quia cùm hîc ingrediatur etiam succus acrestæ: non enim potes habere vno & eodem tempore acrestam & flores vitis, nisi alterum ipsorum sit non recens, vel vitis sit bifera, scilicet quòd bis ferat flores & fructus: quoniã reperiuntur vites quæ non tantùm biferæ, sed & triferæ, & quadriferæ sunt, vt Romæ habentur. Et vulgò huiusmodi vites, acrestę nominãtur. Vnde potest esse quòd aliqua vitis labrusca sit huiuscemodi: & sic habebis flores labruscarum, & acrestam vitium vno & eodem tempore: quia aliter, quàm si labrusca fuerit bifera, non potest fieri: quoniam non quæris flores vitis domesticæ, sed labruscæ. Præterea in ista secunda descriptione per omnes antiquos libros, non saudalorum citrinorum, sed sandali mazahari, siue machazari &c. est scriptum: Quod (vt in superioribus iam diximus) putamus idem significare. Per vinum stipticum autem intellige vinum maximè rubrum: siue (vt mauis dicere) nigrum, atq; austerum, & non dulce, nec limphatum. Et idem est quod ponticum: quamuis etiam & ponticum album reperiatur: stipticum autem semper rubrum.

Vitis bifera, trifera, & quadrifera.

Vinum stipticum.

Emplastrum de allijs Alexandri &c. CCCLXXVII.



VLTAE literarum deprauationes & mẽdæ per nonnullas impressiones leguntur in præsenti descriptione, quas simpliciter in litera emendauimus, quoniam peritos viros nõ latent. Hæc tamen est notanda, scilicet quòd vbi legitur euphorbij ℥.j.s. Legendum est ℥.j. vt est in cunctis exemplaribus, & cæteris libris. Paulus in septimo habet emplastrum diascorodon: hoc est, ex allijs, sed differt ab isto.

De Allio.

ALlium equidem rectius, quàm alleum dicitur. Est enim notius domesticum, quàm vt declarari debeat. Et syluestre etiam nõ ignoratur, quod Græcè opioscorodon dicitur. Domesticum verò, scorodon nuncupatur. Non autem scordeon, quod

Ophioscorodon.

Scorodon.

est herba chamædry persimilis: in quibus allucinati sunt plurimi, vt suprà apertè demõstrauimus. Allium igitur cùm absolutè describitur, semper domesticum, siue hortense intelligitur.

Allium absolutè.

Emplastrum relatum ad Aristarchum &c. CCCLXXVIII.



TENIM (vt putamus) non est hodie in Italia qui perfectè parare posſit hoc emplastrũ, & oleum nardinum infrascriptũ, videlicet quo ad tertium modum, ob maximam olei balsami copiam quam requirunt. Quoniam haud est qui vnciam, non tantùm libras, habeat veri balsami liquoris. Christophorus de Honestis super hoc emplastro dicit, quòd maximè eius vsus frequentatur: sed pro oleo balsami, oleum de spica ponunt. Si autem bene, Deus scit. Non enim potest comparari hoc ad illud, vt in eius vicem transeat. Est præterea in præsenti descriptione vna menda per omnes impresſiones. Videlicet vbi legitur: Colophoniæ ℥.vij.legendum est ℥.v.vt cuncta exemplaria veritatem ostendunt.

De Calophonia,

Pix Colophonia.

COlophonia autem, siue pix colophonia (à Colophone ciuitate dicta, vnde olim in maxima vehebatur copia) illa est, quæ vulgò pix græca, & pix hispana, siue pix sicca dicitur ad differentiam picis liquidæ, quæ & naualis cognominatur. Quamquam verior pix naualis sit illa, quæ à vetustis deraditur nauibus, quæ Græcè Zopissa, & Apochima nominatur: tanquam ea quæ directè à naui veniat, potius quàm ea quæ ad vsus nauium & aliarum rerum transire potest. Et scias quòd omnis pix sub resinæ nomine intelligitur; sed non econtrà, scilicet quòd nõ omnis resina sub picis vocabulo intelligenda sit.

Pix omnis resinæ species.

Emplastrum Oribasij &c. CCCLXXIX.



N præsenti descriptione per aliquas impreſsiones tres mẽdæ annotandæ sunt, Prima, vbi legitur Aloës ʒ.j.lege ℥.j.Secũda, vbi legitur, Thuris masculi, cuscute, galbani, ana ʒ.xij.lege ʒ.xiij, Tertia, vbi legitur, Confice ℥.ij.lege Confitæ ℥.ij.& non confice. Ita hæc secundum veritatem, sunt per antiqua exemplaria, ac etiam per nonnullas minus malas excusiones.

De Confita.

PEr simplex t, confita, secundum Simonem Ianuensem, Pandectarium, & Manardum, & cæteros, Laudanum est. Sed con ficta


ficta (vt ipse Pandectarius dicit) fex ftoracis rubeæ liquidæ eft. Animaduertant igitur aromatarij, ne decipiantur in vocabulorum affinitate, vt fæpe accidit.

Emplaſtrum Oribaſij aliud &c. CCCLXXX.



NVM notandum mendum eft in præfenti defcriptione per aliquas excufiones. Videlicet vbi legitur: Olei chamæmillæ, & irini, ana ʒ.iiij. lege rectius ℥.iiij. vt in cæteris libris tam antiquis, quàm impreſsis habetur. Et animaduertant minus periti & noui aromatarij, quòd hîc, & fimiliter in emplaftro de gallia fupradicto, & alijs locis, per impreſsiones magis mendofas pro puls, legitur puluis. Non enim in illo emplaftro de gallia, dactyli infufi in aceto, per diem & noctem, & hîc galbanum infufum in aceto per duos dies, poffunt teri donec fiant ficut puluis, fed beneficut puls. Intelligentes quidem faciliter percipiunt huiufmodi literæ deprauationes. Igitur non pro ipſis, fed pro iunioribus & nouis hoc annotauimus, ne fruftrà in triturando laborent.

Emplaſtrum de Meliloto &c. CCCLXXXI.



ON habetur fine mendis præfens defcriptio. Nam per cunctas impreſsiones, vbi legitur: Seminis apij &c. ana ʒ.j.s. Legendum eft verius, ana ʒ.ij.s. vt vniuerfa exemplaria habent. Sunt etiam & aliæ literarum deprauationes, quas fimpliciter in textu recte pofuimus, vt liquidò cum alijs conferenti patebit. Habet filius Serapionis in feptimo duo, fub nomine dimadh, emplaftra de meliloto, fed differunt ab ifto.

De *Meliloto*.

MElilotum, fiue melilotus, herba eft, quæ & fertula campana dicitur, ob id quia in Campania, & præfertim circa ciuitatem Nolæ laudatiſsima habetur, vt Diofcorides refert. In Romano folo autem, quod eft Campaniæ initium, non eft (vt credimus) inferior Nolana. Eft enim odoratiſsima, & optima, atq; omnibus nota. Et dicitur melilotus, fiue melilotos, quafi mellea lotos. Habet enim noftra melilotos femen in corniculis lunatis, feu curuis. Apud Nolā autē reperitur etiā ficut Serapio fcribit, habēs vaginas fubtiles, rotūdas. & rectas, ficut virgæ puerorū paruulorum. Et nos quandoq; habuimus de illa meliloto, quæ (vt vifum eft nobis) exceptis ipſis vaginulis, in nullo alio à noftrate differt. *Sertula campana.*

Mistura ad uulnera sananda &c. CCCLXXXII.



RAESENS descriptio, & tres sequentes (vt suprà diximus) in paucis exemplaribus legũtur. Ex tot enim quot vidimus, in vndecim tantùm reperimus: quorũ huiusmodi descriptiones, non solùm cum impressionibus non cõcordãt, verumetiam & inter se ipsas minimè coueniunt. At neque ipsæ impressiones vniformiter se habent. Vnde sunt in huiusmodi mistura tot & tantæ cõmistæ varietates, confusiones, & literarũ deprauationes, quòd visum est nobis impossibile inuenire, seu interpretari literæ & sensus veritatem. Nam verè est mistura, imò chaos omnium confusionũ. Ex quo medicis & alijs nobis peritioribus viris, dimittimus illam resarciendam, seu (vt melius dicamus) de nouo componendã: si tamẽ vsus eius (vt aiunt) ita multis frequẽtatur locis. Nos enim nũquam parauimus, nec scimus Romæ parari ab aliquo. Veruntamen vt quilibet melius cõsideret descriptionem ipsius & cõpositionem, non pigebit nos breuiter subnectere quas inuenimus, tam antiquorũ, quàm recentiorum variationes librorum. Ex impressis igitur quidã sic habent: Recipe Garyophyllatæ, radicũ artemisiæ, pimpinellæ, camomillæ, pẽtaphyllon, herbæ violarũ, herbæ venti, caulis rubei, canabis, tenerarum rubi &c. Alij autem vsq; herbę violarũ inclusiuè similiter, deinde sic: herbæ veteris cauli, tenerarũ rubei canabis &c. Et alij alijs modis aliter variant ab istis. Ex antiquis exemplaribus autẽ in quibus inuenimus, exceptis duobus libris (quorũ vnus habet abbreuiatè primã dictionem, sic: Gariof. quod etiã pro gariofilis, sicut & pro gariofilata potest interpretari. Et alter qui habet, artemisiæ absolutè: absq; radicũ perscriptione) omnes alij libri habent prima duo simplicia, sic videlicet. Recipe gariofilatæ, radicũ artemisiæ. In sequentibus autẽ sic variant. Quatuor libri concorditer taliter habent scriptũ: Pimpinellæ, cãnina, pentaphyllon, herbæ violarũ, herbæ venti, caulis rubei, canapis renatũ &c. Reliqui septẽ singuli singula habent, videlicet. Primus (post duo simplicia dicta semper intellige) sic sequitur: Pimpenellæ, pilusellæ, pentaphyllon, herbæ violarũ, herbæ vẽti, caulis rubei, canabis, senationis &c. Secundus sic habet: Camomillæ, pentaphyllon, herbæ violarum, herbæ venti, caulis rubei, canabis renatũ &c. Tertius: Pimpinellæ, pentaphyllon, herbæ violarum, herbæ venti, caulis rubei, recentium omniũ &c. Quartus: Pimpinellæ, cannam, pentaphyl

taphyllon,herbę violarum,veteris caulis rubei,& canapum rena tum &c.Quintus.Pimpenellæ,camima,pentaphyllon,herbæ violarum,herbæ venti,cuculi rubeæ,canabum renatum &c. Sextus: Pimpinellæ,carmina,pentaphyllon,herbæ violarum,herbæ venti,caulis rubei,canabis,ſenati &c.Et ſeptimus ſic habet:Pimpinellæ,cannæ, pentaphyllon, herbæ violarum,veneris, caulis rubei, canapum renatum &c.Luminare Maius etiam,& vulgares excuſiones,& cæteri aliter & aliter habent.Quilibet per ſeipſum autē apud illos legat. Simplicia tamen,quæ poſſunt declarari, declarabimus.E quibus enim aliqua ſunt quæ apud veteres nuſquā leguntur. Vnde verè coniectandum eſt,has quatuor deſcriptiones finales iſtius diſtinctionis,eſſe modernorum additiones.

De Gariofilata.

Gariophyllata quidem ſiue gariofilata vulgò dicta,apud antiquos neque ſub hoc,neque ſub quouis alio nomine adhuc meminimus nos ligiſſe.Solummodo apud Pliniū ſeptimo cap. vigeſimi ſexti libri, Geum legimus,quod aſſerit habere ridiculas tenues,nigras, bene olentes,ſicut nos videmus gariofilatam habere. En gariofilata dicitur,quia radices eius ſuauem garifilorū ſpirant odorem: & radices eius ſunt tenues,atque nigræ,vel ſaltem ſubnigræ. Quod ſi Geum non erit,fatemur nos neſcire quid ſit. Nonnulli enim ſuſpicantur eſſe Dioſcoridis baccharem: verumtamen deſcriptio nō conuenit plantæ. Nam gariofilata non habet caulem angulosum,vt de bacchare legitur: nec folia baccharis conueniunt cum folijs gariofilatæ &c.ex quo probatur quòd baccharis differt à garifilata.Pādectarius quoque,& ex iunioribus plures allucinati ſunt vocando ipſam lagopum,ſcilicet pedem leporis:quamuis etiam apud ipſum pādectarium barbarè,per lagopum,legatur lapagū:quoniam lagopus(vt Dioſcorides tradit) in ſegetibus naſcitur,gariofilata autem ſemper locis incultis,& ſpecialiter in ſepibus oritur. Et Simō Ianuenſis teſtatur,ſe vidiſſe depictam lagopi plātam,alterius formæ & ſimilitudinis,quàm gariofilatæ.Ergo gariofilatę nō eſt lagopus.Vocaturque à nonnullis ſanamunda,ipſa gariofilata. Folia eius quidem ſunt ſimilia folijs eupatorij (quod falsò minus periti agrimoniam nuncupant)maiora parūper,& rotundiora . Flos verò eius eſt citrinus,ex quo procedit ſeminis pilula,in modum pilulæ platani,minor tamen.Hac herba ſæpe vſus fuit Albertus Magnus in medicinis equorum:vt ipſe 22.lib.de Animalibus ſcribit. & quandoque vocat ipſam herbam benedictam. Sed aduerten-

Geum. *Baccharis nō eſt garyophyllata.* *Lagopus.* *Sanamūda.*

dum quòd si non speciatim herba scribitur, semper de radice intelligitur. Quoniam ipsa radix est vera gariofilata. Folia enim præter herbaceum, nullum habent odorem. Vnde melior ipsius pars est radix.

Garyophylata absolutè quid.

De Artemisia.

ARtemisia nempe secūdum Galenum, & alios plures, dupex describitur. Tamen secundum alios triplex probatur. Etenim secundum veritatem triplex est. Prima videlicet est, quæ vulgò canaparia nuncupatur: quia tanquam canapis ad tricubitalē & ampliorem altitudinem extollitur. Folia eius sunt absyntio similia. Quæ ex vna parte, scilicet quæ cœlum spectat, viridia sunt ex altera autem alba. Nō enim hæc ignoratur: quoniā ferè vbiq; locis incultis, & inter arūdineta prouenit. Alia est, quæ vulgò matricaria cognominatur. Et hæc similiter est nota. Tertia est, quæ vt plurimum in hortis habetur, & secus decursus aquarū oritur: & hæc à multis tanacetum vocatur: ab alijs autem thanasia siue athanasia dicitur. Folia habet ordinatè, vno pediculo, ex vtroq; latere plura, pennata, atque incisa: & flores croceos, in vmbella, qui non citò marcescunt &c. Et hæc quoque à pluribus cognoscitur. Omnes tres odoratæ sunt: sed canaparia mitiori non iniocundo munitur odore. Matricaria autem, & tanacetum grauiter olēt. Dicitur enim matricaria, ob id quia muliebribus malis (quę ex matrice prodeunt) efficacior cęteris habetur. Quando autem absolutè artemisia scribitur, de mitiori, scilicet de canaparia intelligitur. Sed ad matricē curandam, licet omnes proficiant, vtilior tamen (vt diximus) matricaria est. Et ipsa est accipienda.

Matricaria.

Athanasia.

Artemisia absolutè.

De Pimpinella,

PImpinella, siue pampinulla, herba est ita ferè cunctis viuentibus notissima, sicut & priscis fuit incognita. Abundè recentiores de ipsa loquuti sunt: tamen nullus ipsorum valuit apud quempiam priscorum inuenire. Vnde quasi omnes tenent hanc cum alijs pluribus veteribus fuisse incognitam. Quodquidem valdè mirandum est. Neque nos etiam hucusq; potuimus ipsam apud aliquem antiquorū capitulare. Sed omissis omnibus aliorum iudicijs, nos putamus vel ipsam propriè saxifragiā, vel speciem eius esse. Nam & in saxosis libenter crescit, & ad calculos in vesica frangendos valdè efficax est, vt pluries experti sumus. etenim cùm plures sint saxifragiæ species, inter eas non est absonū & pimpinellā cōnumerare. A nonnullis etiā sanguisorba appellatur. Et à Pandectario in litera f, Fillum indicum, pimpinella inter

Sāguisorba.

Fillūindicū.

interpretatur. Leonardus Fuchsius autem, fecit differẽtiam inter sanguisorbam, & pimpinellam, & vtranque duplicem pinxit.

De *Pentaphyllo.*

IPsum quippe est pentaphyllon, scilicet quinquefoliũ quo vtimur. Et non est tormentilla, nec heptaphyllon, nec apium risus, neque fragaria, vt nonnulli ex iunioribus volunt. Non obstante etiam quòd apud Plinium legatur quinque folium gignere fragas. Quia potest esse quòd ipse Plinus viderit aliquam fragariam cum quinque folijs, quam putauit esse verum pentaphyllum: quoniam scimus virum quendam aliquãdo vidisse fragariã pentaphyllam. Nam & nos multoties vidimus pentaphyllum in vno pediculo habere septẽ folia, ac etiam in aliquo tria. Sed hæc sunt monstra naturæ, de quibus non multùm mirari debemus: quoniam nõ solùm in herbis & vegetabilibus natura est monstrosa, verumetiam & in animalibus, & sæpe in hominibus ostendit potentiam suam. Vnde exempli gratia: plures nanque cum viginquatuor digitis, scilicet sex pro qualibet manu, & totidem pro quolibet pede nascuntur. Nonnulli etiam cum maiori numero, vt proprijs oculis pluries vidimus Romæ vnum mendicum, qui in qualibet manu & quolibet pede septem digitos cum totidem vnguibus habebat: sed ita conexos ad inuicem, & curtos, quòd nullomodo valebat exercere eos, ex quo mendicando viuebat. Aliqui autem cum minori numero quàm viginti nati sunt. Et aliqui cum duobus capitibus. Quod monstrum paucis antè annis visum est per Italiam, ac venit Romam. Et alia multa quæ nõ scribimus. Dicat igitur Plinius quicquid velit, quòd nũquàm verum pẽtaphyllum gignet fragas. Etenim hoc quinquefolium vsuale cognitum, omnes notas habet quas Dioscorides scribit. Solummodo quod de ramulis pertractat, videtur aliquatenus dissentire, scilicet quòd ramuli pentaphylli in Italia, non dodrãtales (vt ipse Dioscorides tradit) sed cubitales, & amplioris longitudinis super terram extenduntur. Et hoc non est tanti momenti, quòd faciat ipsum non esse verum pẽtaphyllon. Quoniam (vt aliàs diximus, & Theophrastus testatur) alio cœlo & alia terra sæpius diuersificantur plantæ &c. Vnde non est dubiũ quod habemus verum pentaphyllum: heptaphyllon autem, scilicet septifolium, aliud est à pantaphyllo, & à tormentilla. Nam stipites heptaphylli non sternũtur super terram, sed eleuãtur recti, ab vna radice plures. Et folia eius sunt maiora folijs quinquefolij, in quolibet pediculo septem. Et nascitur in montibus, & non

Quinque folium Plinij.

iuxta riuos aquarum,& secus vias,vt quinque folium &c.

De Herba Violarum.

HErba violarum propriè,est ipsa planta,quæ & mater violarum dicitur.Cunctis notissima est.

De Herba Venti.

MVltas nempe de herba venti inuenimus diffinitiones: ex quibus patet quòd herbæ venti plura sunt genera, seu differentiæ,vel(vt melius dicamus)herba venti est nomen commune ad plura.Vnde secũdum Simonem Ianuensem,Ioannem Manardum,& Barsaulum,herba venti est cotyledon,scilicet vmbilicus veneris,siue terræ vmbilicus,qui & cymbalion,& cymbalaria,& scatuncellus,scatuncellum,& auricula petræ dicitur.Secũdum Ruellium autem,est anemone, scilicet fremij genus. Sed secundum Pandectarium,& Luminare Maius,qui faciunt duo herbæ venti genera,scilicet maius & minus,maius est parietaria,scilicet helxine,quæ & herba vitri,seu vitriola dicitur. Minus verò est consolida minor. Item secundũ additiones in Pandectas herba venti,herba vincitoxicum,& consolida minor,idem sunt.Igitur cùm prædictarũ herbarum,quæ sub nomine herbæ venti describũtur,aliquæ sint calidæ,& aliquæ frigidæ cõplexionis: quãdo absolutè in aliqua compositione, herba venti expetitur,non est sumendum quicquid ad manum venit: sed prius pharmaco diligenter examinato: quod competensius iudicatur,illud administrari necesse est. Imò super huiusmodi & similibus semper cõsulendi sunt medici.

Cotyledon. Vmbilicus veneris.

De Pilosella.

APud vulgares quidem plures herbæ sunt,quæ pilosellæ vocantur,& ipsum etiam nomen vulgare est. A quadam maxima pilositate,quam habẽt,sic appellatæ sunt. Non enim apud antiquos tale reperitur herbæ nomen. Iuniores tantùm de pilosella loquuntur: nec qualis sit, ipsi apertè demonstrant. Pandectarius dicit quòd est herba habens folia satis alba,& pilosa, sicut chartafilago,& quòd est frigida,& sicca. In additionibus etiam nouis in fine Pandectarum, habetur capitulum de virtutibus pilosellæ: vbi deprauatè per x, piloxella legitur. Luminare Maius autem,super vnguento de vermibus Petri Argillatæ, scribens ipsam,subticuit formam eius, dicens: Pilosella herba est satis nota,nascens in locis lapidosis & siccis, cum folijs quæ expanduntur super faciem terræ,& super ipsa folia habet

bet pilos ab vtroq; latere, cum flore rubeo &c. Non desunt qui pilosellam auriculam muris nominant: quoniam est vnum genus pilosellæ, quod habet folia simillima auriculæ muris folijs. Sed Ruellius in suo de Stirpibus: capitulo de myosotide altera, scilicet de auricula muris: depingens aliqualiter ipsam pilosellam probat non esse muris auriculam, scilicet Dioscoridis myosatam: quoniam pilosella (quam sic dicunt) habet flores luteos ranunculo similes: myosata autem cœruleos. Item probat ipse Ruellius pilosellam non esse elatinen, quæ est helxine, scilicet parietariæ species: nec holosteum, vt nonnulli putauere &c. Aliud genus pilosellæ reperitur, quam etiam vulgares herbam lucciam nominant, quæ habet folia quasi triticea valde pilosa &c. Item est aliud genus, cuius folia sunt ampla, vt vola manus oblõga, & per ora duabus vel tribus paruis scissuris diuisa, pilosa valde, imò villossa, vrsi auribus colore atque forma, non absimilia: vnde à nonnullis auricula vrsi dicitur. Et hæc in altissimis montibus, & crepidinibus petrosis nascitur. Hanc quidem pilosellam primũ in citeriori Hispania cognouimus, scilicet in illo, qui Mons serratus vocatur. Omnes autem præfatas pilosellas cognoscimus. Sunt denique (vt aiunt) & aliæ herbæ pilosellæ vulgò dictæ, de quibus, quoniam adhuc nullam veram habemus cognitionem, non est opus de ipsis facere declarationem. Sed qualis prædictarum sit accipienda, pro ista mistura, ignoramus. Consulito ergo medicos, qui tali vtuntur mistura, & ipsi vobis, diuidẽdo forsan, insinuabunt eam.

Auricula muris nõ est pilosella.

Auricula vrsi.

De *Caulibus.*

MVlta atque diuersa sunt caulium siue brassicarum genera, & species, vt olitores melius, quàm medici, pro maiori parte cognoscũt. Et caulis quidem in innumeris plantis est. Sed non specificatè, de brassica, scilicet crãbe intelligitur: ob id, quia caulis, scilicet cima huius plantę, inter omnes alias principatum obtinet. Vnde est, quòd tota brassicæ plãta caulis dicitur. In hac descriptione autẽ (vt plurimis legitur) caulis rubeus, ad differentiã aliorum specificatur Quoniã reperiuntur etiam & caules albi, & nigri, & crispi folij, & tyrsuti, & caputij &c. Caulis rubeus quidẽ non multùm differt à nigro, & sæpius conuertuntur in inuicem, vt olitores referunt. Nigri enim & albi, & crispi folij, & tyrsuti, atque caputij caules, noti sunt. Est nanque & aliud brassicæ genus, quod ex Syria defertur, & canabit, seu canauit vulgò dicitur.

quod

Caulis imperialis. quodque à Pandectario, caulis imperialis vocatur. Et omnes isti caules in Italia hodie habentur, quorum vsus non est minimus, etiam & apud nobiles. Sunt præterea, & alia brassicarum genera, de quibus legitur apud diuersos Authores, quæ breuitati studentes, omisimus. Legito te Hermolai Corollaria, & apud Ruellium de natura stirpium, & cæteros. *Brassica canina.* Demum de brassica syluestri & rustica, & canina, quæ cynocrambe Græcè dicitur: & marina, quæ vulgò soldanella vocatur & de caule aquæ, qui nenuphar est, secundum Pandectarium, non expedit hîc facere declarationem. *Caulis absolutè.* Absolute autem cùm scribuntur caules: semper de communioribus notis intelliguntur.

De *Camabe*.

VT Dioscorides scribit, duplex est cannabum, vel cannabis siue canapis herba: scilicet syluatica, & satiua. Satiua autē *Camabis absolutè.* notissima est: syluatica verò non ita cognoscitur. Sed si absolutè describitur, de satiua intelligitur. De cuius semine etiam duplex oritur planta, scilicet altera sterilis, & altera fructifera. Syluestris autem planta communem similitudinē habet cum althaæ & alcææ plantis. Ex cuius etiamnum cortice, sicut ex cortice satiuæ, funes fiunt. Legitur enim in aliquibus descriptionibus istius misturæ, vt suprà ostensum est, cannabis renatum, canapis renatæ, canabis senati, siue senationis &c. Deprauationes enim librariorum sunt: pro quibus intellige cannabem tenellam, scilicet folia, vel cimas ipsius plātæ. Sunt quoq; & in ipsis descriptionibus aliæ plures literarum incorrectiones: vt sunt, Veteris, cimarum, rubi, cannæ, cannam, camnina, cuculi &c. De quibus omnibus vanū est prolongare sermonem: quoniam clarè per se cognoscuntur quòd sunt librariorum mendæ: vt exempli gratia: peo cuculi, nō debet hîc intelligi panis cuculi, id est alleluia, & sic de singulis.

Vnguentum palmeum &c. CCCLXXXIII.

Vnguentum aliud palmeum &c. CCCLXXXIIII.



VLTA nempe de huiusmodi vnguētis suprà scilicet in primo Diaphinicon vnguento, disseruimus: propterea vide ibi. Hîc tamen notandum, quòd in hoc vltimo vnguento palmeo per omnes excusiones Latinas, est vna non parua menda: videlicet vbi legitur, Pinguedinis porcinæ depuratę à sale ℥.v. Valde etenim insufficiēs est ista quātitas pinguedinis respectu quantitatis lithargyri, & vitrioli. Nam in quibusdam exemplaribus, &

& in vulgari æditione, ipsius pinguedinis ℔.iij.habetur. Quod est minus malum. Sed in quibusdam alijs ex vetustioribus exemplaribus, non ℔.iij.neque ℥.v. sed ℔.v. legitur: quod putamus rectius esse. Errore forsan (vt coniectamus) impressa fuit ℥.pro ℔. Et non putet quis quinque librarum quantitatem, esse superfluam: quoniam maior iudicatur esse quantitas trium librarum olei, & duarum axunxiæ, quæ recipitur in primo vnguento palmeo, quàm quinq; librarum axungiæ in hoc vnguento, respectu olei ad axungiam, quæ est corpulentior oleo. Et similiter in vnguento Diaphinicon descriptione Arabica, sunt quinq; libræ ex oleo, & pinguedine. Item in vnguento diaphinicon primo, sex libræ recipiũtur, scilicet tres pinguedinis, & tres olei. Igitur si sex librarum quantitas, non est superflua, à fortiori quinq; librarum minime erit. Non enim magis vnum, quàm aliud, istorum quatuor vnguentorũ recipit de lithargyro & vitriolo. Ergo quinq; libræ sunt secundum veritatem ipsius pinguedinis recipiendæ in hoc vnguento, & non quinq; vnciæ.

Vnguentũ expertum ad scabiem &c. CCCLXXXV.

NVNQVAM experti fuimus hoc vnguentũ, nec apud alios (vt sciamus) habetur in vsu. A quibus autem sit expertũ, nescimus. Inuenimus tamen in tribus exemplaribus præsentẽ descriptionem recipere masstichen in vno ana, cum oleo laurino, argento viuo &c. Quæ (vt nobis videtur) satis conuenit. Manardus quoq; præcipit, vt addatur; quod tam nobis, q̃ pluribus peritis viris nõ displicet. Vnde rectius legatur sic, vt est in dictis exẽplaribus: Olei laurini, argẽti viui, ceræ mũdæ, masticis, thuris albi &c.

DVODECIMA DISTINCTIO DE OLEIS.

Est enim multiplex oleorum operatio &c. CCCLXXXVI.

IN HAC nempe præfatione presentis duodecimæ & vltimę distinctionis, clarè denotat Author necessariam multiplicitatẽ, & varietatem oleorũ, quas aggreditur: sed in processu, causa breuitatis (vt putamus) plura olea, tanquam notiora dimisit. Vt exempli gratia. Nõ scribuntur ab eo modi faciendi oleum olearum, siuę (vt mauis) oliuarũ:

quamuis ipse dicat quòd oleum de schino fit sicut oleum de oliuis: & oleum completum, ex oliuis completis: & oleum rude, ex oliuis immaturis &c. Qui modi omnibus alijs erant præponendi, ex eo maximè quòd oleum ab olea nomenclaturam sumpsisse creditur: & etiam quia ipsum oleum est basis siue fundamentum seu radix multorum oleorum compositorum, vt in processu patebit. Vnde ad maiorem declarationem, post oleum de semine cucurbitæ, dicit: Ex multis autem seminibus olea fieri possunt: & habent virtutem seminum eorum, de quibus sermonem non ædimus &c. Item, dimisit aliqua tãquam medicinæ minus necessaria: vt sunt olea chimistarum &c. pro quibus cognoscendis remittit lectorem ad chimistas, dicens: Tu autem &c. De his igitur, quæ per expresionem fiunt, incipiens hanc suam distinctionem. oleum de amygdalis dulcibus cæteris præposuit. Vnde sequitur,

Oleum de Amygdalis dulcibus &c.	CCCLXXXVII.
Oleum de Amygdalis amaris &c.	CCCLXXXVIII.
Oleum de Nucibus, grossarum uentositatum est resolutiuum.	CCCLXXXIX.
Oleum de Auellanis &c.	CCCXC.
Oleum de Chrysomilis &c.	CCCXCI.
Oleum de Persicis &c.	CCCXCII.
Oleum de Ben &c.	CCCXCIII.
Oleum de Cherua &c.	CCCXCIIII.
Oleum de Carthamo &c.	CCCXCV.
Oleum de Nuce indica &c.	CCCXCVI.
Oleum de Cerasis &c.	CCCXCVII.
Oleum de Almahaleb &c.	CCCXCVIII.
Oleum de Granis citri &c.	CCCXCIX.
Oleum de Fisticis, & Pineis &c.	CCCC.


NO nempe canone vniuersa hæc atque similia olea regulantur. Quiquidem canon siue regula, pro omnibus alijs in prima, scilicet olei de Amygdalis dulcibus descriptione: ab Authore satis clarè describitur. Et ita sunt ipsi modi vbique in frequentiori vsu, quòd nõ oportet de eis facere declarationem. Igitur

tur ſimplicia,& cętera quæ minus peritis poſsint videri obſcura, ad legentium vtilitatem,faciemus clara. Præterea non ignorandum,quòd tam ex iſtis,quàm ex infraſcriptis,quàm etiam ex alijs diuerſis oleis,ſunt deſcriptiones multæ,tam apud Græcos & Arabes,quàm apud Latinos Authores,quos ſæpe citare ſuperfluum eſt, Quærite igitur apud ipſos,& inuenietis.

De *Zaynari.*

PRo Zaynari auté,ſiue Zacharali,ſiue Zarinari,ſiue alteriuſmodi barbarè,quod legitur in oleo amygdalorum dulcium &c.nil aliud poteſt intelligi,quàm torcular,ſiue prelũ,ſiue aliud inſtrumentum aptum ad exprimendum oleum , & ſimilia. De Amygdalis quære ſuprà.

De *Nuce.*

NVx ſimpliciter & abſolutè , ſemper intelligitur vſualis,de qua,vnà cum cæteris,quære in modo confectionis corticũ nucum. Præterea magnopere admirati ſumus de Ioanne Iacobo Manlio,qui groſsè (vt ita loquamur)& pueriliter errauit in hoc oleo , declarans nucem groſſam eſſe nucem vſualem. Imò nux *Nux groſſa.* goſſa proprie,eſt nux Indica,quæ cunctis nucibus eſt groſsio. Dicimus enim,quòd pueriliter errauit in textu Authoris,ſcilicet legens oleum de nucibus,groſſarum ventoſitatum eſt reſolitiuum &c.intellegit oleum de nucibus groſsis:vnde in ſuis declarationibus dixit : Nux groſſa id eſt nux vſualis &c. Quodquidem nec in re,nec ſecundum literam eſt verum : quia Author non loquutus eſt hîc de nucibus groſsis,ſed abſolutè poſuit de nucibus,pro *Nux abſolutè.* quibus intelliguntur communes & vſuales.

De *Auellana.*

AVellana quidem in Italia notiſsima eſt:quæ & nux auellana & nux Pontica dicitur : & vulgò Romæ nocchia vocatur. *Nux pontica.* Sed in Regno Apuliæ , quaſi per diminutionem à nuce, nucella appellatur.

De *Chryſomilis,& Perſicis.*

CHryſomela,vel chryſomila,ſiue chryſomella,vel chryſomala,id eſt aurea mila,vel mala &c.eadẽ ſunt,quæ præcoqua, ſiue præcocia, & armeniaca dicuntur. In generibus Perſicorum connumerantur. Nam plura ſunt Perſicorum genera : ſed per antonomaſiam,Perſica intelliguntur illa, quorum nuclei oſſeus cortex eſt durus,& aſper,& nõ planus, vt in armeniacis eſt. Multùm enim differunt in folijs perſica & armeniaca. Etenim perſicorum folia ſunt longa,amygdalinis folij ſimillima : folia autem

chryſo

chrysomelorum sunt rotũda, vt pyrorum folia. Isidorus quidem tria tantùm genera huiusmodi fecit, scilicet duracenum siue duracinũ, armeniacũ, & persicũ. Hodie tamẽ multa plura habemus, vel natura, vel arte producta, quæ breuitatis causa dimittimus.

De Ben.

BEn per simplex e: non autem been, vt nonnulli codices impressi habent, & hìc & alibi. Sed de eo satis diximus in confectione de musco dulci. Vide ibi. Item scias quod hoc oleum, secundum Simonem Ianuensem, in litera Balanus, & in litera ben, est oleum muscellinum. Dioscorides in primo libro facit de eo cap. & vocat ipsum oleum balaninũ: in cuius capituli fine dicit quòd oleum carynum, scilicet de nuce iuglande, hoc est de nuce vsuali, valet sicut oleum balaninum, hoc est de ben. Ergo in defectu olei de ben, licitè possumus substituere oleum de nuce communi, & vsuali. Cæterùm, en patet in his oleorum descriptionibus error quorundam iuniorum asserentium ben esse semen cataputiæ scilicet cheruæ: cùm Author separatim ab oleo de ben, doceat facere oleum de cherua, quod immediatè sequitur.

Da Cherua

RIcinum, siue cicinũ oleum (quod idem est) vocatur à Dioscoride hoc oleum de cherua. Cherua autem, siue kerua, est genus cataputiæ. Cataputia autem duplex à Serapione notatur, scilicet maior & minor: & in duobus capitibus, videlicet 222. & 364. Et vtrunque genus habet plura nomina, vt mox videbimus. Author enim noster ipse etiam ponit cap. de vtraque cataputia, sub barbaro vocabulo. Hoc est, Albemesuch. Sed titulus eius à librarijs (vt putamus) est vitiatus, scilicet quòd vbi legitur: De albemesuch, id est cherua. Rectius legendum est: De Albemesuch, id est cataputia: vt in quibusdam exemplaribus antiquis adhuc clarè legitur. Nam albemesuch est nomen commune ad vtrãque cataputiam. Cherua autem est nomen speciale, quod pro catapu tia maiori tantùm ponitur. Minor enim nõ vocatur cherua. Author noster optimè scripsit, ponens primùm nomina communia siue generalia: videlicet albemesuch, & granum regum: postea descẽdit ad particularia, vnde de maiori scripsit. Et dicitur quòd magnum est cherua. Cherua autem, siue albemesuch maius, siue granum regum magnum, scilicet cataputia maior, vbiq; cognoscitur, & idem est quod ricinum. Quod nomen sibi vendicauit, à similitudine quam habet semen ipsius cum ricino animali. Ricinum quippe animal propriè est illud quod vulgò cecca, siue cicca dic

Cataputia duplex.

Ricinũ animal quod.

ca dicitur:quæ in auribus animalium,canũ maximè,& boũ, sanguinẽ sugens,pendet. Etenim quasi semigræcè. Nam hæc planta cici,seu cicum à Græcis vocatur. vt apud Dioscridem quarto lib. vbi etiã & alia plura nomina istius plantæ enumerat. Appellatur quoq; à nõnullis hæc planta,pentadactylus,& custos horti,& ab alijs alia sunt ei attributa nomina : vt heliotropia,girasolis,mira solis,spõsa solis,solsequia &c. In Lusitania quidem arborescit,& perdurat ad multos annos,vt proprijs oculis intus Eboram ciuitatem,in horto quorundam religiosorũ,plures arbores huiusmodi plantæ vidimus:quarum truncum vix certè funiculus quatuor ferè palmorum sufficiebat cingere. Vocaturq; ab incolis loci,lingua eorum, fighiera delinferno. Quod Latinè, ficus inferni est. Apud nos autem ante annum moritur. Porrò cataputia minor, siue albemesuch minus,siue granum regum paruum, quod mendana,seu mendena Arabicè dicitur,vt est apud Serapionẽ, à Græcis lathyris appellatur,& inter tithymalorũ genera connumeratur. Vnde sunt qui tithymalũ, siue lactariam herbam nominant. Dioscorides enim Author est. Sed à vulgaribus, & mulierculis Romæ,tam maior quàm minor Scardapucza vocatur : quasi cataputia,corrupto vocabulo Etenim cataputiæ dicuntur : quoniam semina ipsarũ ad aluum soluendam, tanquam pilulæ deuorentur. Pilulæ enim Græce catapotia, seu cataputia nuncupãtur. De vtriusq; igitur cataputiæ semine, vno & eodem modo extrahitur oleum: vt ipse Author noster in præfato cap. de albemesuch scripsit. Hic autem de cherua tantùm, scilicet de maiori loquitur. Ambæ sanè vulgaris notitiæ sunt: quoniã sæpe in hortis, & iuxta domorũ parietes,in suburbanis nascuntur. Præterea non parum admirati sumus de Brasaulo viro nostra ætate famosissimo, qui dicit interpretẽ Serapionis errasse, interpretando cheruam esse cataputiam maiorem: nec talem aliunde probat errorem. Quin ipsum magis deceptum putamus, dicentem cataputiam maiorem esse primã speciem tithymali, quæ characias Græcè dicitur. Et secundum ipsius verba, præter calumniam in Serapionis interpretem, duplicem ipse commisit errorem. Primò errauit, quia minorem cataputiam, pro maiori accepit. Nam vt à pluribus viris audiuimus, eadem planta est herba dalle carpanede apud Ferrarienses, quæ apud Romanos scardapucza minor. Enimuero talis planta nõ ignoratur,&(vt videre licet) ad amussim est mendana Serapionis, scilicet cataputia minor. Secundò errauit: quia talis herba apud Dioscoridem non characias (vt ipse vult) sed est

Cicum. *Custos horti.* *Lathyris.* *Brasauli error.*

lathyris, vt legenti Serapionem, & Dioscoridi conferenti, non est dubiũ. Etenim Serapio facit tria capitula correspondẽtia tribus cap. Dioscoridis, videlicet capitulũ de kerua, scilicet de cataputia maiori, quod respondet capitulo Dioscoridis de ricino, scilicet de cico. Et cap. de cataputia minori, quod incipit, Mẽdana: quod quasi de verbo ad verbum, correspõdet capitulo de lathyri ipsius Dioscoridis. Et cap. de tithymalis, vbi ab ipso Serapione, velut etiã à Dioscoride, prima species characias dicta describitur. Non obstante quòd in Serapione ibi barbarè Caritias, pro characias legatur. Præterea si apud ipsum Brasaulũ præfata herba dallecar panede, erit maior cataputia, minor ergo qualis erit, cuius ipse nõ meminit? Nam scribentem maiorem, nõ decuit tacere minorem. Maioritas enim non tribuitur vni, nisi respectu minoritatis alterius &c. Et quòd sint duę cataputiæ, nõ solùm per Serap. cuius interpres habetur ipsi Brasaulo suspectus, verumetiam & per Auerroim & alios plures probatur. Ait nãq; Auerrois in quinto Colliget scribẽs de vna, scilicet de maiori: Halberea, id est cataputia &c. Et infrà pro mẽdana (quæ est cataputia minor) Magdeene scripsit, dicẽs. Magdeene, id est cataputia &c. Causa breuitatis dimittimus iuniores, qui de vtraq; cataputia loquuntur. Vt sunt, Simon Ianuẽsis, Pãdectarius, Luminare Maius, Ruellius, & cęteri. Igitur pro conclusione, cataputia maior est cherua, & est cicum Diosc. Et minor est lathyris, & nõ cherua, neq; Diosc. characias.

De Carthamo.

DVûm generum ab omnibus carthamus describitur, scilicet carthamus domesticus & syluestris. Author noster in suo cap. eligit domesticum tãtùm, dicens: Electio. carthamus, de quo loquimur, est domesticus. Quasi dicat: quicquid scribimus de carthamo, de domestico intelligimus. Vnde & hoc oleum de domestico intelligi debet. Carthamus domesticus autem, siue carthamum: Cnecus, & Cnecum, siue Cnicus, siue (vt mauis) Gnicus dicitur: vt Dioscorides quarto libro scribit. Ex nostris verò alij crocum hortulanum, alij Zaffranum syluestre, alij Zaffranum fatuum, siue Zaffranum fatuorum nominant. Auerrois in quinto Colliget Elcratis, & semen de papaga vocat. Ait enim Elcratis, alias carthamum, id est semen de papaga &c. Papaga propriè est illa auis, quæ vulgò papagallus nuncupatur: Latine autem psittacus. Quasi dicat Auerrois, quòd est semen quod psittaci libenter comedunt. Non enim est incognita herba hæc: in hortis seritur, & inter aculeatas connumeratur. Sed Cnecum syluestre, siuę

Papaga, vel Papagallus.

siue carthamus syluestris, spinosior est domestico: vt veritas in re ipsa probari potest. Quamuis Theophrastus quarto capitulo, libri sexti, de historia plantarum, teneat contrarium: vbi & de Cneco syluestri, scilicet carthamo syluestri duo genera posuit. Vocatur autem carthamus syluestris à nonnullis colus rustica: quoniam priscæ mulieres pro colo, tali vtebantur planta. Vnde putamus, quòd à Cneco, vulgò vsq; hodie, pluribus in locis colus fœminarũ corrupto vocabulo dicatur conochia: quasi cnochia, pro cneca. Dicitur etiam & ab alijs fusus agrestis. A Dioscoride autem attractylis vocatur. Vbiq; nascitur, ex quo minimè ignoratur. Sed animaduertendum quòd apud Serapionem, sub nomine carthami, duo scribuntur capitula, scilicet 126. quod incipit: Cartamum, id est churtal &c. quod cap. vt patet legenti & Dioscoridi conferenti, est cap. ipsius Dioscoridis de bromo, quod videlicet est in secundo libro: quoniam quarto libro est aliud capitulum de bromo, quod apud Serapionem non legitur. Etiam non ignorandum quòd capitula Dioscoridis de bromo, videlicet tam secundi, quàm quarti libri, non sunt de auena, vt nonnulli putant: quia cap. de auena, quod concordat cum 25. capitulo Serapionis de auena, est capitulum de ægilope, quod est in quarto libro ante cap. de bromo. Aegilops igitur est auena: bromus autem est herba auenæ similis: vnde à similitudine nõnulli etiam bromum, auenam nuncuparunt. Aliud autem cap. Serapionis, videlicet 202. quod incipit: Kartam, id est carthamus, est ex eo syluestris & domesticus &c. est verum & proprium cap. de vtroque Cneco: vt legenti non est dubiũ. Item sciendum etiam, quòd Auicenna facit cap. de carthamo, & separatim ponit aliud cap. de croco hortulano: sed an apud ipsum sit aliud crocum hortulanum, à carthamo, nescimus. Nobis tamen videtur idem esse.

Attractylis.

Bromus.

De Cerasis

CErasia, vel cerasa vbiq; per Italiam cognoscuntur, & sunt plura ipsorum genera. Vnde libro 15. Plinius octo enumerat. Ex quo inter ea connumerantur & amarena, scilicet illa cerasia acria, quæ vulgò Romæ viscioli nuncupãtur, quorũ etiam plures habentur species. Cerasi etenim sunt huiuscemodi naturæ, quòd post cunctas ferè arbores florent, & de prioribus sunt quæ fructũ ad maturationẽ perducunt. Reperiuntur etiam & cerasi syluestres, sed non sic passim vt vrbanæ nascũtur. In partibus Apuliæ plures arbores vidimus, quæ ab incolis loci, neræ vocantur, quarum fructus non est almahaleb, vt mox patebit. Est enim

fructus neræ minor, atq; nigrior cerasio domestico, & foliũ rotũdius, & minus, ac solidius. In caudice autẽ & cæteris partibus, nõ differt nera à ceraso. Et tam cerasus, quàm amarenus inseritur in nera, & optime fit. Producit & gũmi nera affluẽter, vt cerasus &c.

De Almahaleb, siue Mahaleb.

Mahaleb, siue mahalep, vel machaleb, vel machabel, vel alteriusmodi barbarè: vel cum al in principio, almahaleb &c. idem arbustum est apud Arabes quod apud Græcos phyllirea, vt patet conferendo cap. Serap. de mahaleb cum cap. Diosc. de phyllirea. Quod cap. apud ipsum Diosc. est in primo lib. immediatè post cap. de cypro, scilicet de ligustro. Quod cap. de phyllirea minime potest esse cap. de tilia, vt Hermolaus, Ruellius, & Marcellus interpretati sunt, & ferè omnes iuniores tenent. Quoniam (vt *Tilia.* scitur) Tilia est arbor vastæ magnitudinis: vnde Theophrastus quinti de historia plantarum, cap. 8. sic dicit: Tilia foris nauium longarum, & archarum, mensarumq; fabricæ expetenda est. Ex quo non potest comparari ad cyprũ. Nec tiliæ folia assimilantur folijs oliuæ, quæ non ignorantur hederacea esse: sicuti etiã dictus Theophrastus tertij de historia plantarum, cap. x. testatur. Et cætera quæ breuitati studentes omittimus. Nec in antiqua translatione illud cap. loquitur de Tilia. A vocabulorum propinquitate eos allucinatos esse putamus. Tilia enim Græcè, nõ phyllirea: sed φίλυρα dicitur. Phyllirea proprie quid Latinè significet adhuc nescimus. Arabicè autem (vt diximus) est mahaleb: de quo & Serapio, & Auicenna, & Rhasis, & alij plures Arabicæ linguæ scriptores pertractarunt. Mahaleb autem arbuscula in Syria notissima est, & vsq; hodie ibidem vulgò mahaleb vocatur. Quæ (vt sciuerimus) non reperitur in Italia. Est enim spinosa, & folia eius sunt similia folijs oliuæ, & fert grana quasi racematim in ramis, vt lentiscus, paulo grossiora tamen. E quibus Syrij exprimũt oleum valde odoriferum, ex quo conficiunt sapones olfactu suaues, & alia plura. Quæ grana etiam mahaleb vocantur: vnde Bellunensis in suis interpretationibus dicit: Mahaleb est granum notum in Syria. Et nos habuimus de ramis eius, mediante quodam fratre nostri ordinis, qui nuper venit ex illis partibus &c. Ergo mahàleb non sunt fructus cerasi syluestris, vt ferè omnes iuniores allucinãtes interpretati sunt. Fortasse quia cùm immediatè post oleum de cerasis, Author posuerit oleũ almahaleb, & in eius descriptione dixerit, Oleum de almahaleb fortius est in omni re, quàm oleum de cerasis &c. ipsi de facili errauerunt, putantes ma-

haleb

haleb esse cerasia syluestria. Sed reuera satis differunt inter se cerasia syluestria, & mahaleb. Ex quibus patet, quòd oleũ de almahaleb non est oleum de cerasis syluestribus.

De Seminibus citrij & citranguli.

Hviusmodi grana, siue semina, ex maturis citriorum & citrangulorum pomis accipienda sunt. Immatura enim semina, & fructus, parũ aut nihil habent de oleo. Pari ratione etiãnũ potest fieri oleũ ex seminibus limonum, & similium. Et quodlibet ipsorũ equipollet supradictis. Vnde potest fieri ex omnibus, & singulis, tam coniunctim, quàm diuisim, sicut vnicuiq; placet.

De Fisticis, & Pineis.

Fisticum idem est quod pistachium, siue pistacium. In Syria plurimum nascitur. Et in Italia satum crescit, & fructificat: quoniam Venetijs vidimus arborem non minimam, cum fructu. Folia fert terebintho simillima &c. Pinei nuclei non ignorantur. Et ideo Author copulauit ista: quoniam eiusdem virtutis sunt ambo. Nam & Dioscorides cap. de pistacijs testatur nucleis pineis similia esse pistacia, supple forma & virtute. Vnde alterum pro altero potest substitui.

Oleum Laurinum &c. CCCCI.

Oleũ de granis uiridibus, & est albotin &c. CCCCII.

Oleum de Schino &c. CCCCIII.



PONIT Author in horum prima oleorum descriptione pro omnibus similibus, alium modum exprimendi oleum. Veruntamen nos scimus meliorem modum, pro oleo laurino, quàm is qui assignatur. Quo quidem copiosius oleum exprimitur, & clarius, atq; odoratius, & per consequens melius. Qui modus certè facilius adiscitur operatione, quàm lectione. Attamen subscribimus ipsum clariori modo quo possumus, vt vel saltem ingeniosi percipiant. Ponantur igitur baccæ maturæ, omniq; sorde optime purgatæ & integræ, in caldario, cum sufficienti aqua supra ignem, & bulliat aqua vsq; ad perfectam baccarum coctionẽ: & sic calidæ mittantur in aliquo sacculo nouo, mundo, & non raro, ita quòd sacculus sit minus quàm semiplenus ipsis baccis percoctis. Postea ligetur os sacculi, & cum aliquo forti baculo grosso quantum manus capere potest, cubitalem longitudinem vel circa, plus vel minus habente, exerce te sic: videlicet, Extensum sacculum super tabulam decliuem ex vna

parte,sub qua sit vas ad recipiendum oleum,stantibus baccis per totũ vsque ad os sacculi,dicto baculo ad os ipsius baculi aliquo modo ex vna extramitatum inuoluto,seu ligato:malassa,seu malacissa,siue subagitando subige,dextrè voluendo,& exprimẽdo fortiter,& citò. Superinfundendo quandoque aquam calidam, vsquequo videas totum oleum effluxisse in vas. Deinde collige quod supernatat,& serua.Eodem modo etiam potest fieri de granis viridibus,& granis lentisci,& similibus. Tamen in Apulia & alijs locis, extrahitur oleum ex semine lentisci,sicut ex oliuis. De Baccis autem siue granis lauri, satis dictum est in emplastro de granis lauri.

De *Granis viridibus.*

GRana viridia,teste Auicéna,atque Serapione,sunt fructus arboris albotin,id est terebinthi: de quibus lege in Isopi ceroto descriptione Galeni,& in eo quod hîc subsequitur de schino.Præterea Bellunensis in suis interpretationibus etiam sic scribit: Granum viride est fructus arboris nominatæ albotin apud Arabes: apud Latinos verò terebinthus, ex qua colligitur gummi terbinthinæ,seu terebinthinæ veræ,quod apud Arabes vocatur gummi albotin.Et infrà dicit: grana alcadra sunt grana virida,quæ sunt fructus terebinthi.Hæc ille.Vnde &c.

De *Schino,seu barbarè de Stincho.*

STinchus,siue stincus,hoc in loco,non est animal,vt Luminare Maius credidit.Sed secũdum veritatem,est lentiscus. Nam (vt verè coniectamus) corruptum est vocabulum,& vbi legitur oleum de stincho:rectius legendum est oleum de schino. Schinos enim Græcè, lentiscus est latinè. Et certè rectè Author post oleũ de granis terebinthi, posuit oleum de schino,scilicet de lentisco: quod falsò titulatur de stincho:quia vnius generis sunt ambo:vt per Serapionem cap.de terebintho probatur. Ait enim:Batõ,vel boton,id est arbor grani viridis: & est botin, id est terebinthus Albotin secundum medicos,est duarum specierum, scilicet domestica & syluestris:& domestica est botin secundum veritatem, & fructus eius est granum viride.Et syluestris est lentiscus,& ambæ habent gummi.Hæc Serapio. Ergo oleum de stincho non est oleũ de animali.Quia si stinchus hîc accipitur pro animali:quomodo bene sequitur quod dicit Author:hoc est,Et fit sicut oleũ de lauro : vel de oliuis? Igitur de schino,scilicet de lentisco intellige.De stinco animali,siue, rectius de scinco,in superioribus dictum est.De lentisco etiam require suprà.

Oleum

Oleum de Balsamo &c. CCCCIIII.



DOCET nos Author præsens oleum, tribus parare modis, qui modi nobis carentibus balsami plantis, nihil aut satis parũ proficere possunt. Parum diximus: quia aliquando possunt esse vtiles ad cognoscendũ ipsum balsami oleum, videlicet quali modo ex tribus paratum sit, cùm ad manus venerit &c. Opobalsamum Græcè dicitur. Balsamum propriè planta est, licet quandoque pro ipso balsami oleo vsurpetur. Etenim his notis secundum Dioscoridẽ cognoscitur verum à falsò. Fusum in pannum laneum, non facit (sicut cætera olea faciunt) maculas: neq; si postea eluatur, notam relinquit in panno. Item in lacte instillatum, coagulat ipsum. Et tam in lacte, quàm in aqua celerrimè liquatur. Sed & in aqua lactescit, quod in lacte comprehendi non potest. Adulteratum verò, aut pseudo opobalsamũ, nullum horum facere potest: At verò quia opobalsamum non habetur, videtur nobis non incongruè esse hoc in loco, vt subscribamus opiniones Doctorum declarantium quid pro eo æquiualens cõpensari liceat, in antidotorum compositionibus commiscendum. In primis, videlicet Paulus in fine septimi libri. Pro balsami liquore, stillatitia myrrha, scilicet myrrha liquida, quæ stacte dicitur. Legitur etiam ibi, pro opobalsamo liquor myrti. Sed putamus esse mendam in codice: & rectius liquor myrrhæ legẽdum, quàm liquor myrti. Auicenna in secundo cañ. cap. de oleo. Ponitur loco olei balsami, myrrha liquida, aut æquale pondus olei adedhij, seu aldadi, vel dadi, vt Bellunensis traduxit. Rhasis in calce antidotarij separati, scilicet in oleo benedicto, quod est oleum de lateribus. Valet (inquit) sicut oleum balsami, sed est subtilius, & calidius, & maioris vtilitatis, in ægritudinibus frigidis. Guillelmus de Saliceto Placentinus in quinto suæ practicæ, cap. de oleis, ait: Oleum quod ponitur loco balsami, sic fit: Recipe carpobalsami, myrrhe, nucis indæ, ana ℥. s. hypericonis ʒ. ij. Terãtur omnia grosso modo, & dimittantur in ℥. iiij. olei veteris, vsque ad mẽses sex, & referuetur. Item aliud quod ponitur loco balsami, & est nobilius illo, sic fit: Recipe olei ℔. j. s. myrrhæ, xylobalsami, opopanacis, bdellij, aloës, carpobalsami, ammoniaci, serapini, nucis indæ, hypericonis, macis, gummi arabici, thuris, tragacanthi, ana ℥. j. lateris triti quem nunquam aqua tetigerit, igniti, & in oleo cõmuni extincti ℥. iij. terebinthinæ mũdæ & claræ ℥. vij. Terantur om-

Balsamum.

Myrrha liquida quid, & pro quo sumatur.

Oleum benedictum.

nia,& malassentur ad inuicem in mortario,& ponantur in vase alembici,& distillentur hęc vt aqua rosata,& hoc erit illud quod diximus. Valet ad vitium lapidis,cùm ponitur in medicinis lapidis:& applanat durities,& cicatrizationes,& ponitur loco balsami in omni re. Item aliud oleum quod ponitur loco balsami, sic fit:Recipe myrrhæ,carpobalsami,nucis indicę,ana ℥.s.hypericonis ʒ.j. Terantur grosso modo,& misceantur cum ℥.v.olei,& ℥.j.s.terebinthinæ,& in fine addantur grana v.musci,& grana tria ambræ,& ℥.j.olei de lateribus,& distilletur vt suprà. Hoc enim loco balsami potest poni in omni loco: facit enim operationes vt balsamum. Hæc Guillelmus. Bartholomæus Montagnana in suo antidotario,cap.1.quod est de vnguentis,post medium. Ad balsamum faciendum: Recipe terbinthinæ ℔.j.thuris albi ℥.iiij.gũmi elemi ℥.vj.baccarũ lauri ℥.iiij.masticis galangæ,& garyophylorum, cinnamomi, zedoariæ,nucis muscatæ,cubebæ,ligni aloës bene triti,ana ℥.j.omnia simul mista ponantur ad distillandum. Primò cum lęto igne,& prima, quæ venit,aqua,dicitur aqua balsami. Secundò superadde ignẽ,& iterũ pone aliã aquam per se in vase. Et sic fac ter. Tũc veniet balsamus in omni probatione. Sed quanto plus distillatus fuerit,tãto erit fortior. Serua in vase bene obrato. Hæc Bartholomæus. Petrus Apponus,aliàs de Abano,in sua additione,in librũ filij Mesuæ: videlicet in sermone de vnctionibus. Modus cõfectionis est: Recipe myrrhę electæ,aloës epaticæ spicæ nardi,sanguinis draconis, thuris,mumiæ,opopanacis, bdellij,carpobalsami,ammoniaci,serapini,croci,masticis, gũmi arabici,storacis liquidæ,ana ℥.ij.laudani electi,siue castorei ℥.ij.s.musci ʒ.s.terebinthinæ ad pondus singularum rerum. Pulueriza puluerizanda,& misce omnia hæc cum terebinthina, & pone hoc totũ in alembico,& ingeniosè distilla. Est enim ars, sicut de aqua rosarum. Liquorem autem per sublimationem distillatũ,suscipe in vase vitreo forti: vicinatur enim balsamo. Hæc Petrus. Sed animaduertendum quòd hanc descriptionem posuimus sicut inuenimus in pluribus exẽplaribus manuscriptis: quoniam in impressionibus,& in Luminari maiori sunt plura menda. Et præsertim notabiliora sunt. Primũ,vbi in ipsis impressionibus legitur, sarcocollæ: in exemplaribus est serapini. Et ana quod sequitur,est ℥.ij.& non ʒ.ij. Item,vbi per impressiones legitur: laudani electi,succi castorei ʒ.ij.s.in exẽplaribus legitur aperte sic: Laudani electi,siue castorei ℥.ij.s. Luminare Maius autẽ declarauit quòd illud succi,legendum est,sicci. Veruntamẽ nec succi,

ci,nec ſicci,ſecũdum veritatem inuenimus: ſed eſt diſiunctiua ſiue: quoniam Author non vult ambo illa: ſed alterũ ipſorum tantùm: & veritas rei probatur, cùm ſequitur ℥.ij s. ſine ana. In nullo nempe exemplarium, neque in quauis impreſsione legitur ibi ana, quod in ſua deſcriptione ipſum Luminare addidit. Cætera patebunt legenti, & conferenti cum alijs. Item, in tractatu quid pro quo, qui imprimitur in libris filij Meſuæ, legitur quòd pro balſamo, terebinthina diſtillata, vel oleum laurinum, vel gummi hederæ ponitur. In his igitur, & alijs pluribus, quæ loco opobalſami poſſunt ſubſtitui, nullus præſumere debet, niſi de conſilio peritiſsimorum doctorum.

Oleum de granis ſeſami &c. CCCCV.
Oleum de ſemine lini &c. CCCCVI.
Oleum de granis papaueris &c. CCCCVII.
Oleum de ſemine Lactucæ &c. CCCCVIII.
Oleum de ſemine Cucurbitæ, Citrulli, Cucumeris, & Melonis &c. CCCCIX.



DIVERSI enim modi à ſupradictis, extrahendi oleũ ex ſeminibus & granis notantur ab Authore in prima iſtarum deſcriptionum, pro reliquis & ſimilibus, qui clari ſunt.

De Seſamo, ſeu Siſamo.

SEſamum potius, quàm ſiſamum, à peritis viris dicitur. In Italia hodie, quaſi periјt memoria huius ſeminis. Olim verò, teſte Plinio & Columella, plurimum ferebatur. In Syria autem frequētiſsimè habetur: vnde ad nos (quamuis rarò) aduehitur. Arabicè autem ſemſem dicitur: vt eſt apud Serapionem, & in interpretationibus Bellunenſis. Syrij quidem vtuntur eius oleo, & in lucernis, & in cibis: ſed in cibis, non niſi prius decocto, quod decoquunt, vt remoueatur ab eo quidã fœtor, & fiat dulcius. Et nota quòd ſecundum Authorem noſtrum, hoc oleũ in omnibus valet, ſicut oleum oliuarum completum, & quandoque etiam pro rudi ponitur, vt in oleo violato legitur, ſcilicet quòd poteſt fieri cum oleo rudi, aut amygdalino, aut ſeſamino. Et quòd valeat ſicut oleum completum oliuarum, probatur in deſcriptione olei roſati, & alijs pluribus, in quibus præcipit Author, vt accipiatur oleum oliuarum, aut oleum ſeſaminum. Imò vtplurimum hoc oleo ſeſami in medicamentis vtebantur antiqui. Vt manifeſtat

Author, cùm dicit, in ipsius descriptione: Et est materia aliorum oleorum multorum. Et melius dicetur in oleo alasech. De reliquis autem seminibus, & similibus vt sunt semina melanthij, nasturtij, hyoscyami &c. non est dubium, quòd per modos præfatos de singulis potest exprimi oleum: & habêt virtutem ipsorum seminum, & fructuum &c. vt ipse Author noster testatur in fine istius vltimę descriptionis, cùm dicit: Ex multis autem seminibus olea fieri possunt &c.

De *alrachine*.

EST in præfatorum modorum lectione vnum barbarum vocabulum, quod est, secundum impressiones, Alrachine, vel Altachine. Secundum antiqua exemplaria autem, vnũquodque volumen habet suam diuersam ab cæteris vocem. Vnde ex ipsis est liber, qui Alcharie, & est qui arahine. & est qui alcharais, & qui alchol, vel alchoim &c. aliter & aliter singuli libri habent. Cuius vocabuli declarationem, præter Manardum, apud neminem legimus. Manardus igitur sit inquit: Credo debere fieri veluti panes: vel quòd non fiat perfecta molitura. Nobis autem potius farinam subtilem, seu pastones placet interpretari. Tamen vel hoc vel illud, vel aliud significet, res parui momẽti est. Vnum quippe certum est, scilicet quòd molenda sunt ipsa grana.

F*iunt autem olea per impreßionem &c.* CCCCX.



HINC aggreditur Author secundam particulam huius distinctionis, quæ est de oleis, quæ diuersimodè per impresionem fiunt. Et de his non omnia, sed multa tanquam magis necessaria subscribit: vt ipse apertè testatur in fine præsentis rubricæ, dicens: Et modi oleorum huius præparationis diuersi sunt. Et nos harum diuersitatum modos multos trademus, si Deus voluerit. Vnde ab oleo rosato incipit, cuius operationis quatuor ab eo asignantur modi.

O*leum rosatum completum &c.* CCCCXI.



PONIT Author hîc (vt diximus) quatuor modos parandi oleum rosatum: sed secundum veritatem sunt octo s diuersitates: quoniã quilibet ipsorum quatuor modorũ dupliciter fit, vt clarè habetur in textu. Scilicet fit cum oleo oliuarũ completarum in sua maturatiõe, & cum rosis perfectæ maturitatis. Et per hanc operationem quodlibet ipsorũ quatuor modorũ, dicitur oleum,

oleum rosatum completum. Fit etiam cum oleo de oliuis immaturis (quod ab Authore nostro vocatur oleum rude: à Græcis au tem & cæteris oleũ omphacinũ dicitur) & cum rosis, quæ nõ iam reserarunt nodos suos, scilicet quæ nondum floruerunt, quæ quidem acerbæ possunt dici. Et per huiusmodi factionem appellatur oleum rosatũ omphacinũ, siue incompletũ. Et sic sunt quatuor modi olei completi, & quatuor rudis. Non obstante quòd tertius modus fiat cum amygdalis, & oleo amygdalino, quibus non competunt ruditas, & completio: quia similiter potest fieri dupliciter, sicut alij, scilicet cum rosis completis & incompletis. Verũtamẽ, vt dicit Author, sunt simpliciter quatuor modi: quia vno & eodem modo quo fit completum, fit etiam & rude oleum. Ex quibus quatuor, primus tãtùm tam pro rudi quàm pro completo ab optimis pharmacopôlis frequentatur modus. Ab optimis diximus: quia maior pars aromatariorum vtũtur primo modo Rhasis: vel (vt melius dicamus) Pauli: qui modus est per insolationem simpliciter. Vnde leuissimus & paucæ virtutis iudicatur esse, respectu istius nostri authoris. Nam Rhasis in antidotario separato, ponit tres modos, diuersos tamen ab istis filij Mesuæ, qui videlicet sunt isti. Primus: Accipe olei oliuæ loti ℔.j. & pone in vase vitreato, & pone in eo quartam partem rosarum viridium, & oppila caput vasis, & suspende ad solem per tres dies (hîc putamus esse mendam in codice) postea cola, & in vitro repone: & istæ modus est melior omnibus alijs. Secundus modus: Accipe oleum & rosas in eadem quantitate prædicta, & suspende in puteum ita quòd tãgatur ab aqua, & dimitte sic per duos menses, deinde cola & reserua. Tertius modus: sume oleum & rosas in eadem quantitate, & pone in vase vitreo, intus melle illinito, & oppila caput vasis, & summitte in profundo terræ, in loco vbi nõ tãgatur ab aqua, nec alia humiditate, & dimitte sic per duos menses. Et oleum sic factum magis acquirit odorem à rosis, quàm prima olea. Hæc Rhasis. Paulus Aegineta autem, quasi vt Rhasis dicit, breuibus tamen verbis, & exponit soli quadraginta diebus, non tribus. Ait enim cap. 20. septimi libri: Rosacei (supple olei) confectio. Rosarum rubrarum, detractis vnguibus, refrigeratarum die nocteq; vna, vnciæ tres: olei omphacini sextarius, vrna diligenter constricta, ne perspirẽt, insolabis sub dio, diebus 40. atq; sic repones, nõ in pauimento, sed assere. Aliqui verò vice insolatus, in puteũ vrnam diebus 40. mittunt, vt ex frigiditate odoris gratia conseruetur. Alij verò ipsam sub terra defodiunt. Hæc

Oleũ rude.

Pau

Paulus. Et nota quòd Auicenna in secundo can. cap. de oliuis: bis dicit, quòd oleum de oliuis syluestribus, valet sicut oleum rosatũ in multis intentionibus. Item sciendũ quòd in primo modo olei rosati Authoris nostri per omnes impressiones legitur mendosè: Et proijce super illud, aquæ infusionis rosarũ, quam tradidimus in cap. de syrupis: sicut quantitas olei. Vbi reuera non solùm est deprauatus sensus literæ, sed nec est bona latinitas. Rectius igitur legendum est: sicut, quartam olei: vt est in omnibus antiquis exemplaribus: & non sicut quantitas olei. Non enim ponitur de infusione rosarum tantum quantum est oleum, sed quantum est quarta pars ipsius olei, secundum veram literam. Quamuis non tenemus esse malum, si ponatur plus quàm quarta. Præterea si

Oleũ quare lauetur. quæratur: quare vult Author, vt lauetur oleũ, pro faciendo oleo rosato, vel simili? Respondetur. Vt ab eo minuatur caliditas. Quoniam ait Auicenna in præallegato capitulo de oliuis: Oleũ de oliuis vltimæ maturis, est calidum commensuratè, & declinat ad humiditatem: quod si lauetur, est temperatum in humiditate, & siccitate, & minus calidum. Hæc Auicenna. Igitur &c.

Oleum Chamæmillinum, & est oleum benedictum. CCCCXII.

Oleũ benedictum.



HASIS vocat benedictum, oleum de lateribus: sed Author noster, etiam & istud chamymillinũ, & oleum nardinum, & alia plura: Ergo cætera sunt maledicta? Absit. Sed aliqua dicuntur benedicta, propter multorũ iuuamentorũ experiẽtiam in ipsis inuentam. Vnde in oleo Philosophorum dicit Author, quòd alij oleũ sapiẽtiæ, alij benedictum, alij diuinũ, alij verò sanctum dixerunt. Præcipitur nempe à Paulo fieri oleum chamæmillinum per insolationem: vultq; vt perspiret, dum insolatur.

De Chamomilla, seu chamæmilla.

CHamæmalum, seu chamæmelum rectius: tamen chamomilla, siue camomilla, & chamæmilla etiam dicitur. Græcis Anthemis est. Et Arabes Babunegi, seu Debonigi vocant. Herba

Anthemis. trium generum est, secũdum communem Doctorũ opinionem: veruntamen hodie duo eius genera penitus ignorantur ab Italis. Vnum autem genus, quo vtimur, est primum positum à Dioscoride, quod est notissimum. At in Italia planta ipsius, non dodrantalis (vt Dioscorides scripsit) sed cubitalis est. Porrò vidimus in Hispanijs chamæmillam, non excedentem palmi altitudinem, haben

habentem tamen flores nostratibus maiores. Vocantq; patrio nomine manzanillam, quasi macianillam: quoniam vulgares Hispani mala maciana, manzanas nuncupant. Vnde manzanilla idem significat, quod chamæmalum &c. Est etiamnum & alia herba, cotula dicta, chamæmillæ ita simillima quòd non nisi odore secernitur altera ab altera. Nã chamæmilla odorata est, bonũ habens odorem: cotula autem valdè fœtet: vnde à pluribus cotula fœtida appellatur. Reperitur quoque & alia cotula, quæ nõ ita male olet, nec est odorata vt chamæmilla. de qua Serapio cap. facit. Et est buphthalmos, id est bouis oculus: vt patet legenti, & Dioscoridi conferẽti. Cùm simpliciter autẽ legitur, chamæmilla: de flore intelligi debet. Et potest etiã fieri oleum chamænullinũ cũ chamęmilla sicca. Vt Paulus in oleo anethino scriptũ reliquit. *Cotula.*

Oleum uiolatum &c. CCCCXIII.

EST NANQVE per omnes impressiones in præsenti descriptione vna menda: videlicet vbi legitur, debet fieri cum oleo viridi. Lege rudi: vt est in omnibus exemplaribus, ac etiam & in vulgari ẽditione: & non viridi. Præterea sciendũ quòd oleũ de nenuphare, valet sicut oleũ violatũ: vt Author noster infrà docet. Vnde rectè possumus altero pro altero vti. Imò Serap. cap. de nenuphare, authoritate Albẽ mesuai dicit, nenuphar esse fortioris operationis, quàm viola. Et authoritate Rhasis, Oleum nenupharum est fortius oleo violaceo. Item Hali Abbas in secundo practicæ, cap. de oleis, sic refert: Oleum ninifar simile est oleo violato virtute, sed fortioris actionis in cephalea: prodest enim manifestè. Item Rhasis in tertio ad Almansorem, cap. 23. scribit: Oleum violatum frigidum est, & somniferum: oleum de nenufare simile est huic, fortius tamen operatur. Oleum de semine cucurbitæ illis duobus simile iudicatur &c. Ex quo etiam habemus, ꝙ oleo de semine cucurbitę possumus vti pro altero prædictorũ.

Oleum Anethinum &c. CCCCXIIII.

SCRIBIT Paulus posse fieri hoc oleum cum coma anethi sicci: sed oportet vt coquatur. Et similiter oleum chamæmillinum. Porrò hæc olea imbecilliora sunt ijs, quæ ex viridibus fiunt.

De Anetho.

NOtius est anethum, quàm vt debeat repræsentari. Vocatur à Pandectario absinthium dulce. In hortis abũdè nascitur.

Quan

Quandoque etiam anethum domesticum appellatur, ad differentiam syluestris, quod vocatur meum. Si absolutè scribitur anethum, semen intelligitur.

Anethũ absolutè.

Oleum de Lilio &c. CCCCXV.



ENDOSE quidem in præsenti descriptione, per multas impressiones legitur: Accipe ex folijs liliorum ℥.viij. Lege ℥.ix. vt cuncta exemplaria, ac etiam & quædam impressiones habent. Animaduertito autem quòd nõnulli minus scioli, cùm dicit Author in hac descriptione: Accipe ex folijs liliorum: putant folia plantæ, & non floris esse intelligenda, ob id quia non specificatur de floribus: sed iudicium ipsorum fallitur, cùm sequitur Author: Oportet vt citrinitas eorum tota abijciatur. Nam in planta non est citrinitas, sed in floribus. Vnde per illud clarè folia florum declarantur esse, & non plantæ.

De Lilio.

Lilium, & lirium dicitur. Vnde oleum de lilio, à Plinio, lirinon vocatur. Quiquidem Plinius cap.5. vigesimiprimi libri optimè de Lilio scripsit. Crinon Græce, & susinon appellatur: vulgò lilium album nominant. Non obstante, quòd etiam & iridis flos reperiatur albus: quod similiter lilium album nuncupant. Alij lilium album odoratum dicunt ad differentiam lilij ireos, quod non ita olet. Ab Authore nostro autem, liliũ notum nominatur. Vt habetur in fine descriptionis præsentis olei. Est enim non solùm notum, sed notissimum: Et per lilium absolutè, semper istud intelligitur. Reperiuntur eiusdẽ generis & lilia purpurea, non natura, sed arte facta, vt præfatus Plinius refert. Admittuntur medicinis autem, & flores, & radices, & folia plantæ.

Lilium absolutè.

Oleum Irinum &c. CCCCXVI



RILEON, siue (vt mauis) ireleon, hoc oleum quandoque à nostro Authore vocatur. Vt habetur suprà, scilicet in Isopi ceroto descriptione Pauli &c. De Iride etiam dictum est suprà.

Oleum Sambacinum &c. CCCCXVII.



VNCTA nempe exemplaria quæ vidimus (vno dempto in quo legitur saubacinum, habent apertè & clarè per literas descriptum sambacinum, id est, de iesmino, & non sambucinum. Non obstante quòd similiter posset fieri ex sambuci floribus.

Verum

Veruntamen vsque modò, apud nullum probum Authorem inuenimus oleum de Sambuco. De sambaco autem, siue de saubaco, id est de iesmino, passim legitur. Vide de hoc in pilulis aggregatiuis maioribus. Item in fine huius descriptionis vbi mendosè legitur: Et fit sicut oleum rosatum. Lege rectius: Et fit sicut oleũ chamæmillinum: vt est in cunctis præfatis exemplaribus, nec nõ & in vulgari æditione.

Oleum de Cheiri &c. CCCCXVIII.



HOC oleum forsan à Paulo sub nomine olei violacei describitur. Quia & cheiri inter violas connumerantur. Ait enim libri septimi cap. 20. quod est de oleis. Violaceum præparant modò purpurearũ, modò crocearum, modò candidarum violarum folijs, vngue desecto &c. Etiam potest esse quòd Paulus intelligat de violis mamulis: quia, vt in superioribus diximus, reperiuntur ex istis tria genera, sicut ex cheiri. Lege de ipsis suprà, scilicet in trochiscis Hamech.


Oleum de Papauere &c. CCCCXIX.

Oleum de Lactuca &c. CCCCXX.

Oleum de Meliloto &c. CCCCXXI.

Oleum de Nenufare &c. CCCCXXII.

Oleum de Cucurbita &c. CCCCXXIII.



POSVIT Author suprà olea de seminibus papaueris, lactucæ, cucurbitæ &c. Hæc autem declarat non ex seminibus, sed ex folijs, floribus, & ferè ex tota planta esse facienda. Et nota quòd sicut fit oleum de cucurbita: ita potest fieri & de melone, & de citrullo, & similibus.

De Lactuca.

LActuca quidem, tum quia lacte abundat, tum etiã quia mulieribus lactis exuberantiam affert, à lacte denominationem accepit. Plura etenim sunt lactucarum satiuarum genera Et syluestre etiam reperitur genus, quo plures falso pro endiuia vtuntur. Plinius autem quatuor genera lactucarum syluestrium, seu spontè nascentium enumerat. Et hoc primũ (de quo loquuti sumus) Lactucam caprinã nominat. Dioscorides enim non depingit lactucas, tanquam res vbique cognitas. Vnde sciendum quòd quædam ex eis sunt natura magnæ, & quædam paruæ, quædam

plani

plani folij,& quædam crispi,quædam sunt hyemales,aut vernales,& quædam æstiuales,quædam albæ,& quædã rubræ,& quædam nigræ, albarum respectu. Quarundam etiam ante caulis productionem folia in vnum constringuntur, & quarũdam expanduntur sexilium herbarum modo: vnde & sexiles cognominantur. Et quarundam semen est albissimum,& quarundam nigerrimum &c.& hæ omnes species,siue differentiæ indiuiduales, vbique in hortis habentur. Syluestris autẽ in vineis,vtplurimùm reperitur. Plura quoque alia lactucarum genera à Plinio describuntur: vt est lactuca lati caulis,& cæteræ quas ignoramus:legito apud ipsum. Notandum etiam quòd Dioscorides dicit lactucam satiuam habere virtutes (cùm in caulem exit) syluestri non dissimiles. Ex quo nõ incongruè pro syluestri lactuca possumus vti lactucæ hortensis caule.

Lactuca sexilis.

De *Nenuphare.*

Nenufar Arabicè,siue nenuphar,siue ninifar, vel nilofar,vt in Serapione: Græcè autem & Latinè nymphæa dicitur. Duo sunt eius genera: videlicet album & citrinum,à florum varietate sic dicta. Et tertium genus est aliquorum iuniorum, scilicet eorum qui dicunt vngulam caballinam esse nenuphar terrestre. Nascũtur in aquosis: vnde nymphææ vocatæ sunt. Folia colocasiæ,scilicet fabæ Aegyptiæ simillima habent,multò minora tamen. Etenim à paucis ignorantur. Et vtplurimùm hodie aromatarij vtuntur floribus,de quorũ virtutibus nihil penitus Dioscorides meminit. Porrò secundum Authorem nostrum, in hoc oleo de nenufare,cùm dicit: Confert sicut oleum violatum,& fit sicut illud; apertè declaratur quòd cum floribus debet fieri,sicut fit oleum violatum. Et scias quòd quolibet ipsorum vice alterius possumus vti,& similiter oleo de Cucurbita.

Vngula caballina.

Oleum de Cytonijs &c. CCCCXXIIII.



AVTHOR noster in hoc oleo nõ specificauit de ipsis cytonijs; ex quo dedit intelligi,ex omni genere,videlicet tam dulcium, quàm acetosorũ &c. posse fieri. De cytonijs quidem in superioribus satis dictum est. Dioscorides,Paulus,Actuarius,& cæteri hoc oleum de cytonijs: oleum melinũ nominant. Sed Author noster intitulauit de cytonijs,ad differentiam alterius olei malini,vel melini,vel milini,quod posuit,cuius descriptio est immediatè sequens.

Oleum malinũ, seu melinũ, uel milinũ &c. CCCCXXV.



RAESENS oleum in nullo penitus antiquorum exemplarium legitur titulatum, myrtinum: sed pro maiori parte ipsa exẽplaria habent: oleum milinum scriptum. Reliquorum autem, quædam habent oleum malinum, & quædam pauca oleum melinum, & vnum, oleum milon habet: quod mendosum tenemus. Et ipsa exemplaria inter descriptionem olei de pomis mandragoræ, & descriptionem olei de enula, habent descriptionem olei de myrto: paucis dũtaxat ipsorum exemplarium exceptis, quæ similiter vt cunctæ impressiones carent ipsa olei de myrto descriptione. Vnde putamus quòd nonnulli non inuenientes in libris, præfatam infrascriptam olei de myrto descriptionẽ (quæ librariorum incuria omissa iam fuerat) & legentes in descriptionibus olei de enula, & olei de ruta, & alibi, quòd eorum operatio est sicut operatio olei myrtini: arbitrati sunt oleum milinum, esse legendum oleum myrtinum: tanquam si mendosè fuisset positum milinum, pro myrtinum; & inde oleum myrtinum impresserunt. Sed in rei veritate, oleum milinum, seu malinum, vel melinum (quod idem est) stare debet. Et est oleum de malis, seu pomis &c. Vnde dicit Author quòd hoc oleum fit sicut oleum de cytonijs. Bona est enim ista similitudo, pro omnibus malis, siue pomis, & similibus: sed non pro myrto, & minus pro ruta, & sampsucho, & consimilibus. Quoniam si secundum impressiones, oleum myrtinum fit sicut oleum de cytonijs, oleum de ruta, & oleum de sampsucho, quæ fiunt sicut oleum de myrto, eandem habebunt operationem: quod minimè potest fieri, vt patet: quia extremitates myrti (cum quibus fit oleum myrtinum, vt infrà apparebit) & extremitates rutæ, & sampsuchi, non sunt sicut cytonia, & alia mala, vt habeant carnes, & cortices &c. Vnde oportet, vt alio modo fiant huiusmodi olea. Præterea, sæpius nanq; consueuit Author post aliquam compositionem, siue descriptionem de cytonijs, immediatè subscribere de pomis, & malis alijs, tanquam de consimilibus: vt plura possumus assignare exempla. Videlicet, in distinctione de condîtis, post cytonia condîta, posuit immediatè pyra, poma, & persica condîta. Aliud exemplum. In distinctione de syrupis, videlicet in modo syrupi acetosi de succis & aquis fructuum, dicit: Accipe succi cytoniorum, & malorum, & pyrorum &c. Item ibi, post modum syrupi acetosi de

Oleum de malis.

cytonijs, immediatè posuit modum syrupi acetosi de pomis. In cuius fine ait: Et eius modus est sicut syrupus de cytonijs. Item in ipsamet distinctione post rob de cytonijs, immediatè subiunxit rob de pomis, & rob de pyris. Item in capitulo de mezereon, videlicet in rectificatione eius, ait, Infundantur cytonia, aut maciana. Et consimilia plura. Vnde non est dubium, quòd hîc similiter fecit, scilicet quòd immediatè post oleum de cytonijs, subscripsit oleum de malis: & sic est verum. Sed quia ab authore non specificatur, de quibus malis sit faciendum ipsum oleum: possumus ex quibuscunq; suscipere, vel saltem ex macianis, vt Rhasis fecit. Descriptionem verò olei de myrto, seu myrtini, vbi suprà diximus, reperies: quam (vt in præfatis exemplaribus inuenimus) de verbo ad verbum totam rescripsimus, vt quilibet habeat vnde suum possit reintegrare librum.

Oleum de pomis iabrolæ, & sunt poma mandragoræ &c. CCCCXVI.



ISTVD barbarum vocabulum quod legitur in titulo præsentis olei, quod interpretatur significare pomum mandragoræ, nō solùm in antiquis exemplaribus variatum inuenimus: Verunetiam & apud authores alios, & cæteros libros, diuersimodè scribitur. Vnde omissis exemplarium barbarismis, legitur apud Serapionem: labora, id est mandragora. Et apud Auicennam iabrol: vbi Bellunensis, iabruha, id est mandragora, vertit. Et apud Auerroim Lesaha, id est mandragora. Et in Simone Ianuensi iabroha, arabicè mandragora. Et in Pandectario iabroa, iabroc, iabroch, id est mandragora. Quod autem ex his & alijs pluribus sit verius vocabulum significans mandragoram, fatemur nos nescire. Quinq; tantùm exemplaria in vnum concordabant cum aliquibus impressionibus, in quibus legitur: Oleum de pomis iabrolæ. Et sic nos transcripsimus in nostro receptario. Si quis autem melius inuenerit, rescribat. Sed parum proficiet ipsius notitia: quoniā scimus quòd illa barbara vox denotat pomum mandragoræ, siue mandragoram ipsum. Vnde sufficit nobis per verba latina habere oleum de mandragora, & nihil sit curæ quomodo dicatur à barbaris.

De *Mandragora*.

TAm Dioscorides, quàm Plinius, quàm Serapio duo tātùm mandragorarum genera faciunt: vnum nigrum, quod dicunt

cunt esse fœmininum:alterum verò album & masculinum. Mandragoræ quidē fœmineæ plures plantas habemus, in nostro Aræcœli horticello. Flores istius plantæ albescentes, & pallidi sunt inter folia, quia caret caule. Fructus verò plures in terra iacentes, primùm virides, mox maturi lutei conspiciuntur, odorem melonis cum quadam grauitate habentes &c. Masculus autem mandragoras similis est fœminæ: nisi quia est albior, & facit maiora poma, sed numero minora. Videlicet terna, quaternáue, & quandoq; singula. Fœminam vero vltra quinquaginta in nostro horto pluries in sola planta facere comperimus. Garganus Apuliæ mons vtriusq; generis maxima abundat copia. Et tam fœmina quàm masculus orbatur caule, vt ipsimet obseruauimus. Vnde & Dioscorides verax probatur. Et vel Theophrastus & Plinius scripsēre mendacia: vel ipsorum codices deprauati sunt, vel pro caule, summum radicis (in quo folia & fructus velut caules, aut pro caulibus nascuntur) intelligunt. Præterea tam à Dioscoride, quàm à Serapione subscribitur alia planta, quam asserunt ab aliquibus in mandragoræ speciebus connumerari. Et vocant ipsum Morion: quo nomine etiam albus mandragoras à nonnullis (vti Dioscorides scribit) vocatus est. Serapio autem hoc tertium genus tradit nuncupari marbus, barbarè & corruptè (vt putamus) pro morio. Hæc equidem tertia mandragoræ species, ab Hermolao putatur esse illa planta, quæ melongena, siue malanzana vulgò dicitur, & ipse mala insana vocauit. Quæquidem planta notissima est. Brasaulus autem decipitur, asserens præfatum Hermolaum putasse melanzanũ esse secundum genus mandragoræ, scilicet masculinum: quoniam (vt patet legenti) Hermolaus de tertia specie hoc dixit, non de secunda: forsan hoc vocabulum Morion (quod tam ad secundum, quàm ad tertium genus refertur) fefellit ipsum Brasaulum. Sed reuera Hermolai putatio nō sine causa fuit. Nam multũ conuenit descriptioni tertiæ speciei mandragoræ hæc melanzani planta. Et quamuis in nouis æditionibus Dioscoridis nō legatur quòd hæc planta caulem habeat: tamen in antiqua translatione, ac etiã in Serapione (qui de hoc omnia describit Dioscoridis authoritate) probatur habere. Sic enim legitur in præfata antiqua trãslatione: Hasta ei est alba, & longa duobus palmis, album colorem subtus à radice habens. Et in Serapione sic est: Et habet virgam longam circa duos palmos: cuius color est albus &c. Et certè nouæ translationes in hoc passu nobis videntur aliqualiter confusæ ac imperfectæ: fortasse

Morion.

Melōgena.

Brasauli error.

codices græcorum fuerant vitiati. Vnde putamus in hoc, antiquam translationem esse meliorem. Ex eo maxime, quia concordat cum Serapione. Item sciendum quòd hæc planta melongianum dicta: nec apud Dioscoridem, nec apud Serapioné aliàs potest capitulari. Ex quo tanto magis cótingit de ista tertia mádragoræ specie suspicari. Nec obstat quòd cap. 541. Pãdectarij, quod est de melongenis loquatur de ipsis authoritate Serapionis: quia vel ipsius Pandectarij, vel librariorũ incuria factum sit, videmus ibi inesse errorem: quoniã quasi totum illud capitulum est extractum ex Auicenna, & nõ ex Serapione, vt legentem nõ latet. Neq; in toto Serapionis libro reperitur tale, aut aliud alteriusmodi capitulum de melongenis: dummodo nõ sit ista tertia mandragoræ species. Porrò teneremus cum Hermolao, credentes melongenum esse præfatam tertiã mandragoræ specié. Sed hæc sunt, quæ nobis obstant. Primum videlicet, quòd scribnnt aliqui melongenum esse calidum. Secundum, quòd ipsum melongenũ nõ est ita soporiferum quòd faciat comedentes ipsum, drachmæ pondere, vsum rationis amittere, & statim somno immergi, vt ait Dioscorides de morio. Imò præter alios, qui quotidie comedunt, vidimus quendam rusticum, non tantùm ex præcoctis, sed ex crudis melangianis cum pane & sale tantùm, vltra duas libras comedere in solo prandio: & nihil mali ei accidit, sed robustè & fortiter tota die laborauit in agro. Et quod maius est, in illa refectione, vini egestate, aqua pura vsus fuit. Et nos quoq; pluries comedimus ex coctis & crudis, & nunquam consequuti sumus ex ipsis aliquam apparentem læsionem in nostris membris. Sunt etenim optimi gustus cocta, & edentibus magnam afferunt voluptatem. Vnde de ipsis ad confirmationem nostram, sic ait Auerrois in quinto Colliget, cap. de herbis, & oleribus. Melengiæ sunt ex his quibus nos facimus in terra nostra multa cibaria delicata: & postquàm proiecta est prima aqua suarum decoctionum, & coquuntur cum carnibus pinguibus, sunt multùm delectabiles, Et ego reputo ipsum téperatũ cibum, postquàm sic factus est. Propterea, quia pars acuta, quæ est in eo remouetur per primam decoctioné, & sua siccitas & stipticitas remouentur propter carnes decoctas in eo. Et quãuis medici dicant, quòd generat humorem melancholicum, similé humori generato ex caulibus: tamen conseruare debemus in cibis duas res. Vna est res, quæ secũ miscetur, quæ potest mouere malitiam, si est. Et delectatio cibi hæc est secunda. Et quando est multùm delectabilis, læsio quæ prouenit ex eo

Melongenæ notæ.

ex eo

ex eo non est multùm manifesta. Et hic est vnus ex delectabilibus cibus. Hæc Auerrois. Ex quibus igitur patet quòd melanzanum, siue malum insanum (vt ipse Hermolaus scribit) non potest esse morion. Præterea mandragoras à nonnullis etiam malum terrestre vocatur: & ab alijs malum canimum &c. Demum omittimus scribere tot vaniloquia, quæ de radice mandragoræ à multis dicuntur, & in libris quorundam leguntur. Et quòd habeat formam hominis, scilicet masculus masculi, & fœmina fœminæ &c. Multas nempe effodimus huiusmodi plantas, ac proprijs extirpauimus manibus: sed nunquam audiuimus vocem, nec inuenimus habere formam humanam. Verum est quòd habent radices magnas, cum pluribus ramis, ex quibus aliquæ de facili possunt aptari in formam pueri, vel puellæ, vt aliqui impostores, & circunforani, hæc & alia, malitiosè studioseq; effingũt, ad illudendum ignaros homunculos, & simplices personas, vt extorqueant ab eis quicquid pecuniæ habent. Et similiter faciunt ex Bryoniæ radicibus, & consimilibus, Væ illis. Sunt enim huiusmodi fraudes, furta manifesta, nec possunt absolui, qui talia agunt, nisi restituant, vel proprijs dominis, si est possibile vt cognoscant eos, vel tanquam de incertis distribuant pauperibus & ecclesijs &c. Fugite ergo hos pestilentes. Imò effugandi sunt & ipsi, atq; expellendi à ciuitatibus: vel puniendi tanquam fures, & latrones, atq; malefici, qui non solùm bona temporalia, sed æterna quoq; simul auferunt: quia multas animas ducunt in perditionem: quoniam sine dubio & sæpius docent simplices plurimas superstitiones, & maleficia, aduersus sanctum ecclesiæ catholicæ dogma.

Malum terrestre.

Malum canimum.

Oleum de myrto, uel myrtinum &c. CCCCXXVII.



VLLA quippe impressio (vt suprà diximus) habet præsentẽ olei de myrto descriptionẽ: & similiter non est in quibusdã paucis exẽplaribus minus correctis. Etenim necessariò debet esse: alioqui esset cõfusio in sequẽtibus, in quibus legitur: Et fit sicut oleũ myrtinũ &c. Descriptio autẽ ipsius olei hæc est: Oleum de myrto (& in alia litera Oleũ myrtinũ) mẽbra cõfortat, & stringit sudoris multitudinẽ, & prohibet: & cõfert cõtritioni mẽbrorum, & neruorũ, & prohibet casus capillorum. Et modus operationis eius est: Accipe olei ex oliuis incompletis, & extremitatum myrti tenerrimarum, & expressionis extremitatum earum, ana

partes æquales. Vini odoriferi partem mediam. Decoque ad ſucci & vini conſumptioné: deinde cola, & recóde in vaſe, cum eiuſdem myrti expreſsione, ſicut eſt quarta pars, & vtere. Hucuſque. Sed animaduertendum quòd communiter hodie aromatarij faciunt oleum myrtinum ex fructu ipſius myrti. Forſan ex authoritate Ioannis de S. Amando: cuius deſcriptionem non legimus apud quenquam Authorem probum, ſed omnes qui ſcribũt hoc oleum cum folijs tenerrimis myrti: aut cum ſucco ipſorũ foliorum, aut cum vtroq; faciũt: vt quilibet per ſe videre poteſt apud Dioſcoridem in primo libro, & apud filium Serapionis in ſeptimo, & apud Hali filium Abbas in decimo practicæ: & apud Rhaſim, in antidotario ſeparato (qui Rhaſis etiam & cum floribus docet fieri) & apud alios plures: vt apud Actuarium, & cæteros. Author enim noſter ſimiliter fecit, & optimè concordans ſe cum alijs, & docens fieri ipſum oleum cum folijs & ſucco foliorum: vt in deſcriptione clarè habetur. Ex antiquioribus quidem ſolùm Plinium cap. 7. quintidecimi libri adhuc legimus dicentem fieri oleum ex myrti baccis: necnon & ex folijs, vt cæteri, ſed non ponit modum.

Oleum de Enula &c. CCCCXXVIII.


SCRIBVNTVR quippe ab Authore noſtro in præſenti deſcriptione duo modi faciendi oleum de enula. Attamen ſecundus non eſt per ſe varius modus: ſed eſt additio ad primum modum.

De Enula.

ENula, ſiue Inula, ſcilicet enula campana, à Campania fortaſſe ſic dicta, vt ſertula campana. A Græcis helenium dicitur. *Helenium.* Duo eius genera Authores ponunt: quorum primum eſt ita notiſsimum quòd non alia indiget repræſentatione. E contrà autẽ, ſecundum eſt ita cũctis noſtræ Europæ incognitum, quòd haud eſt qui audeat de ipſo loqui. Neceſſarium fore arbitramur in Aegyptum mittere ad ipſum helenium perquirẽdum: quoniam ibi à Dioſcoride ſcribitur naſci. Et vnum eſt odoratius altero. Vnde in vltimo ſui 7. libri, Paulus helenij odorati meminit,

Oleum de Cinnamomo &c. CCCCXXIX.


IN quibuſdam exemplaribus præſens deſcriptio intitulatur, Oleum de cinnamomo: & in quibuſdam alijs, Oleum de cinnamo. Suprà iam declara-

claratum est quòd aliud est cinnamomum, à cinnamo. Ambo tamen sunt species vnius generis: & de vtroque potest intelligi. Sed dicit Author quòd valet sicut oleum de enula, & eadem est operatio eius. Nam si oleum de enula sit sicut oleũ myrtinum: quare ergo non dixit, Et operatio eius est sicut olei myrtini? Respõdetur, quòd duplici de causa hoc fecit. Prima est, quòd declarãs hoc conferre sicut oleum de enula: rationabiliter subiũxit, Et eadem est operatio eius. Secunda autem (quæ potior est) fuit, quòd declarauit hoc oleum de cinnamomo posse fieri, cum illa rerũ additione, sicut fit oleum de enula. Quoniam si dixisset fieri debere sicut oleum myrtinũ: exclusisset penitus ab eo præfatam additionem. Et similiter intelligitur de duobus sequentibus, scilicet de sauina, & de pulegio oleis. Hoc est, quòd fieri possunt cũ illa additione, & sine ea, sicut oleum de enula. Sed quali modo posit fieri oleum de cinnamomo, sicut oleum de enula, non intelligimus. Nam ex cinnamomo non possumus exprimere succum, sicut ex enula: tum quia non habemus, tum etiam quia si haberemus non esset recens: quoniam (vt credimus) Author intelligit de recenti cinnamomo. Ergo non potest fieri? Etiam. Igitur cùm necesse fuerit, loco eius vtamur oleo de enula, vel oleo de sauina, vel oleo de pulegio: quoniam quodlibet istorũ (vt in textu habetur) valet sicut oleum de cinnamomo. Ioannes de sancto Amando autem docet fieri ipsum per resolutionem, sicut fit oleum de iunipero. Sed huiusmodi non est secundũ Authoris nostri intentionem: quia si Author intellexisset per modum resolutionis, non dixisset ipsum fieri debere sicut oleum de enula: & locasset ipsum in vltima particula huius distinctionis, inter alia olea quæ fiunt per resolutionem.

Oleum de pulegio pro quo submini stretur.

Oleum de Sauina &c. CCCCXXX.

De Sauina.



SAVINA, siue sabina, siue herba sabina, vt in Dioscoride legitur, quamuis non sit herba, sed arbor, duorum generum est. Vnum folijs cypressi simile, sed nõ extollitur vt cypressus: potius enim in latitudinem se diffundit. Alterum verò folia amarici proxima habet, sed spinosa sunt. Vtrunque cognoscitur, & vtrunque bonũ est, atque altero pro altero possumus vti.

Oleum de Pulegio &c. CCCCXXXI.

De Pulegio.



PVLEGIVM quidem non solùm ab herbarijs, & cæteris viris, sed à mulierculis & pueris vbique cognoscitur. Et licet rarò feratur: tamen dicitur etiam pulegium satiuum. Et hoc ad differentiam diptamni, & calamenti, quæ à nonnullis syluestre pulegium nominantur, vt apud Dioscoridem legitur. Moximè nempe pulegiũ, & forma, & virtute cum diptãno certat: quamuis efficacius sit pulegio diptamnum. Sed aduerte, quòd per diptamnum, siue (vt omnes dicunt) diptamum, non intelligimus illam officinarum radicem, quam cõmuniter aromatarij & herbarij diptamum album nominant, quam & pro vero diptamo ferè omnes accipiunt: cuius planta adhuc quid sit ignoramus: quęquidem nunquam fuit diptamum, nec species eius. Sed intelligimus verum diptamum, siue diptamnum. Cretense, à Dioscoride, & cæteris fide dignis Authoribus descriptum. Serapio autem quasi essent vnius generis, sub nomine faudenegi, & pulegium, & origani atque diptamni genera, vnico conclusit capitulo.

Pulegium satiuum.



Oleum de Ruta &c. CCCCXXXII.

HOC rutaceum oleum fit sicut oleum myrtinum, scilicet cum folijs & succo foliorum &c. Vt est in descriptione per nos loco suo restituta.

De Ruta hortensi.

RVta quippe cùm absolutè legitur, vt hîc, quasi antonomasticè, semper de hortensi intelligitur. Quæ etiam satiua & domestica cognominatur. Quamuis de consimili nihil impediat posse fieri & oleum, & cætera de omni ruta syluestri, siue montana, sicut de hortẽsi. De ruta syluestri montana: lege in pilulis fœtidis, & in vnguento de bdellio. Hortensis autem ruta notior est, quàm vt declarari debeat. Sed melior est illa, quæ prope arborẽ ficus crescit. Dioscorides Author est.

Oleum Nardinum &c. CCCCXXXIII.



DICITVR nardinum hoc oleum, à nardo aromatica, seu indica, quæ vulgò spica nardi nuncupatur. Tanquam si diceret: oleum de spica nardi, supple indicæ, seu aromaticæ. Quæ cognomina adduntur ei, ad differentiã nardi celticæ, scilicet

spicæ

ſpicæ celticæ,& nardi ruſticæ &c.Poſuit nanque Author in præſenti deſcriptione tres diuerſos modos parandi hoc oleũ,& proceſsit aſcendendo,ſcilicet quòd primus modus eſt bonus,ſecundus melior,tertius optimus,ſi poſſet fieri apud nos.Sciendum autem quòd per omnes impreſsiones multùm eſt deprauata præſens deſcriptio.Vnde in ſecundo modo vbi legitur ſampſuchi ℥.ij.xyloaloës,enulæ &c.Lege melius:Olei ſampſuchi ℥.ij.xylobalſami,enulæ &c.Item vbi legitur:prius quàm fuerint contrita. Lege,poſtquam fuerint bene contrita. Item in tertio modo vbi legitur:Olei balſami ℥.vj.olei ſiſamini ℔.iiij. Lege rectius, abſolutè ſic:olei balſami ℔.iiij.quoniam ſic eſt ſecundum veritatem in cunctis exemplaribus,necnon & in vulgari æditione. Item,quædam impreſsiones mendoſiores,in tertio modo habent:ſpicę indæ 3.iiij.Lege verius ℥.iiij. Præterea non ignorandum quòd nõnulli aromatarij parãt hodie oleum nardinum,non cum nardo indica,neque cum nardo celtica:ſed cum floribus cuiuſdam plãtæ,quæ vulgò lauandula,ſeu lauendula dicitur. Et ab alijs ſpicũ, *Lauandula.* quaſi ſpica vocatur. Quamuis ſpicum Hiſpanis,& Gallis,habea- *Spicum.* tur pro alia huiuſmodi generis ſpecie,quæ proceritate,& odoris ſuauitate, ſuperat lauendulam:tamen nobis viſum eſt vtrunque idem eſſe: quia hæc accidẽtia ſimpliciter non conſtituunt ſpeciẽ diuerſam.ſunt enim differentiæ indiuiduales. Quoniam ſæpius plantæ (vt aliàs diximus) & cultu,& tranſpoſitione,& aëre &c. diuerſificãtur odore, ſapore,forma,virtute &c.Ruellius quidem huiuſmodi,pſeudo nardũ Plinij intellexit. Veruntamẽ ipſi aromatarij nõ probè agunt:quoniam cõponere habent cum nardo indica,ſi adeſt facultas habendi: Sin autem cum nardo gallica, ſcilicet celtica (vt Plinius 7. cap.libri quintidecimi tradit fieri) vel ſaltem cum aſaro,quoniam aſarum,teſte ipſo Plinio 13.cap. libro 12.vim nardi habet. Oleum autem ex lauandula præfata, ſeu pſeudo nardi ſpico,ob ſuum bonum odorẽ,ad multa aptari poteſt: tamen in re medica,pro oleo nardino non eſt ſubſtituendum.

Oleum Maſtichinum &c. CCCCXXXIIII.



EGITVR in ſecundo modo præſentis deſcriptionis per omnes impreſsiões: Vini boni ℥.viij. in alio iiij.Caſſetur hoc:in alio iiij.& legatur abſolutè. Vini boni ℥. viij.vt eſt in cũctis exemplaribus & in vulgari æditione. Et enim additio li-

brariorum, quæ confundit legentium mentes.

De Kist seu de Chist.

Communis quidem opinio est hodie apud medicos, & aromatarios, quòd kist cõtineat in se pondus vnius libræ cum dimidio, & ita sumitur in hoc oleo parando. Tamen apud Doctores est discordia magna de pondere kist, & cotulæ, seu cotilæ, & aliorum similium plurium. Legito te igitur in calce septimi libri filij Serapionis, & cap. 20. eiusdẽ septimi: videlicet in electuario Galeni cum aqua de cytonijs & in synonymis ipsius operis. Item in fine quinti cañ. Auicẽnæ. Item in interpretationibus Bellunensis, in litera kist, seu kust. Item apud Saladinum, Simonem Ianuensem, Pandectarium & alios de recentioribus plures, quos breuitatis causa dimisimus. Fuisset enim longus sermo, de singulis pertractare. Sed apud plures capitur pro ℔.j.s. Vt exempli gratia: In oleo de chamemilla, vbi Auicenna habet kist j. Filius Serapionis in eodem loco habet ℔.j.s. Item in oleo nardino, Auicenna kist v. Filius Serepionis ℔.vij.s. Item in oleo de serpẽtibus Auicenna kist iij. filius Serapionis & Hali Abbas ℔.iiij.s. habent Et alia plura exempla passim reperies.

Oleum de Storace &c. CCCCXXXV.



EST & in præsenti descriptione vna mentis perturbatio, cùm legitur: storacis ℥.iij. vel iiij. Deleatur igitur illa disiunctiua cum sequenti numero. Hoc videlicet, vel iiij. & legatur simpliciter ℥.iij. quoniam sic inuenimus in cunctis exemplaribus, & in vulgari æditione. Et ita Luminare Maius posuit.

Oleum Constinum &c. CCCCXXXVI.



VBI mendosè per impressiones legitur in præsenti: descriptione: Olei sesamini ℔.iij. Lege rectius ℔.ij. Vt sæpe dicta exemplaria, vnà cum vulgaribus excusionibus concorditer habent.

Oleum de Alchanna &c. CCCCXXXVII.



AVTHOR in hac descriptione primùm dicit, vt fiat hoc oleum sicut oleum rosatum. Hinc sequẽs ait: In defectu autem florũ, fiat cum folijs, & iteretur coctio eius cum modico vino. Super quibus verbis est sciendũ quòd Author non vult, vt simpliciter mittantur folia, sicut ponebantur flores cum oleo supra ignem:

ignem: sed poſtquam ſteterint in ſole folia & oleũ ſeptẽ diebus, ſuperinfundatur aliquid de optimo vino, & reducatur totũ ad ignem, & bulliat in duplici vaſe per tres vel quatuor horas vſque ad vini conſumptionem. Hinc coletur, & permutẽtur folia & reducatur ad ſolem, & poſtea iterum ſuperinfundatur vinum, & coquatur &c. Et ſic fiat ter vel quater.

De Alchanna.

HAud dubiè habemus, quòd alchenna, vel ſine aſpiratione, vel per k, deſcripta, apud Arabes, & cyprus apud Græcos, & liguſtrum apud Latinos, vnum & idem ſint: vt legentem Serapionem, & Dioſcoridi ac Plinio conferentem non latet. Vnde & in oleo cyprino Actuarij legitur: florum liguſtri, qui Græcis cyprus dicitur &c. Sed animaduertito quòd nonnulli allucinantur in liguſtro, credẽtes liguſtrũ eſſe florem maioris volubilis: quod quidẽ falſum eſt. Sed reuera liguſtrũ, ſcilicet cyprus, ſiue alkãna, eſt arbuſcula quædã, cuius folia ſunt ſimilia folijs oliuæ, minora tamẽ: vnde à quibuſdam oliuella vocatur. Et flos eſt ei plurimus, paruus, albiſsimus, & valde odoratus. Qui flores plurimi pro vno, in ſimplici ramuſculo ſumpti, à mulieribus, & pueris Romæ, fiorfiorello nũcupantur. Fructũ fert ſambuco, vel potius lentiſco ſimilem, nigrũ &c. Flores igitur huius arbuſculæ petit Author ad componendum hoc oleum de liguſtro, ſiue liguſtrinum, quod arabicè titulatur de alchanna: ſed à Dioſcor. Paulo, Actuario, & cæteris Græcis, oleum cyprinũ nominatur. Lege etiam de alcanna ſuprà, ſcilicet in Diarhodon deſcriptione cõmuni: quia ſecundum Bellunenſem, Alcanna eſt nomen cõmune. ad hanc arborem, & ad arundines, ſiue cannas, ex quibus fit ſpodiũ Arabũ. *Cyprus arbuſcula.*

Oleum de Sampſucho &c. CCCCXXXVIII.



IDEM eſt oleum de Sampſucho, quod oleum de Maiorana.

De Sampſucho.

SAmpſuchum & Maiorana non differunt, niſi nomine. Duûm generum reperitur. Vnũ videlicet cum minutulis folijs: alterũ verò cũ folijs quaſi origano, ſeu calaminthę ſimilibus cõſtat. Vtrũq; enim & maiorana, & ſampſuchum appellatur. Attamen hodie nonnulli faciunt differentiam in nomenclaturis, & maioranam vocant illud genus cum maiuſculis folijs, reliquum autem ſampſuchum. Porrò non differunt virtute, & cum quolibet ipſorum poteſt hoc oleum fieri. *Maioranæ cõſideratio.*

Quod

Quod autem tenui constat folio, letophyllos peculiari nomine à Dioscoride vocatur. Etenim vulgaris notitiæ vtrunque est, apud Italos. Arabicè autem mezenius, vel mercenius nuncupatur, vt in Pandectario, vel merzanzium, vt est in primo cap. vndecimi tractatus, primi libri Abumeron Auenzoar: vel marcanzus, vt est in antidotario eiusdem Abumeron.

Oleum de Mezereon &c. CCCCXXXIX.



Lac absolutè.
Lac muliebre.

NON specificatè Author posuit lac in præsenti descriptione: sed communiter tenetur, quòd absolutè semper caprinum intelligitur, tanquam commune, & mediocrè, inter omnia lactis genera. Lac muliebre quidem omnibus excellẽtius iudicatur, ac etiam reuerendum putatur, ob id, quia primum necessarium hominis alimentum. Quapropter non debemus eo vti in alienis causis, nisi maxima cogente necessitate. Post caprinũ verò ouillum, & bouinum sequũtur. Nam quodlibet ipsorum est bonum. Caprinum autem est magis temperatum.

Oleum Alhasech &c. CCCCXL.



SVNT nempe aliqua & in hoc oleo discutienda. Et primò sciẽdum quòd hoc oleũ, non est oleum de hasce, seu alhasce, quod declarant esse oleum de hysopo, vel thymo: in qua omnes ferè iuniores allucinati sunt. Sed est oleum de hasech, siue oleum alhasech, quod idẽ est. Nam impressiones sunt variæ in hoc, & similiter exẽplaria manuscripta, scilicet quòd quædã impressiones & quædam pauca dũntaxat exemplaria, habent scriptum, siue impressum: oleum de hasce, siue oleum de alhasce. Et quædam impressiones minus malè, & maior pars exemplarium habent scriptum, oleum de hasech, seu hascech, seu alsech, siue oleũ alhasech. Et sic verius putamus. Quod probatur, nõ solùm per descriptiones filij Serapionis, sed etiam & per descriptiones Auicennæ nuper per Andream Bellunensem correctas, ac pristinæ veritati restitutas: videlicet quòd in omnibus illis locis illarum triũ descriptionũ, & in oleo de cherua, & in oleo de alchehengi: in quibus mendosè legebatur hasce, ipse Bellunensis (sicut inuenit in Arabicis codicibus) hascech rescripsit. Igitur titulus præsentis descriptionis rectè stabit, Oleum de hasech, vel hascech, siue oleũ alhasech &c. Et non oleum de hasce. Et similiter infrà in ipsa descriptione legendum est: Accipe alhascech &c. Et quanta differen

ferentia sit inter hasech,& hasce,qui bene vtrunq; sciscitatus fuerit,non ignorabit. Porrò hasech omnes describunt esse frigidũ, & econtrà,hasce calidissimũ. Et quàm male sit ponere expressè contrarium alicuius rei,in vno medicamine,vosipsi ô lectores iudicate. Quid autẽ sit hasech,seu alsek,mox declarabitur. De hasce autem satis dictum est suprà. Præterea sequitur in ipso titulo: Et est oleum sericinum. Quasi declarãdo dicat: oleum alhasech esse oleum sericinum. Quod glossema minimè competit huic lectioni. Quoniam ex tali glossatione nihil inde veri sequitur, vt mox patebit. Imò talis glossa totam lectionem confundit. Et certè coniectamus esse quorundam imperitorum additionem: qui fortasse legentes apud filium Serapionis descriptionem primam olei alsek,inuenerunt quod inibi legitur: videlicet, Et decoquatur donec cõsumatur aqua,& remaneat oleum sericinum. Et exinde putauerunt hoc oleum alhasech,post eius cõpositionem appellari oleum sericinum. Vnde postea addiderunt titulo præsentis descriptionis filij Mesuæ Et est oleũ sericinum. Etenim in pluribus exemplaribus non legitur,ex quo certiores facti, non dubitamus illam esse additionem. O vtinam non malam. Et licet in descriptione illa filij Serap. sit superflua illa dictio, scilicet sericinum: tamen non est incongrua,vt in præsenti descriptione. Videamus igitur quid sit oleum sericinum. Enimuerò oleum sericinum nil aliud est, quàm oleum sesaminum. Dicetis forsan: vnde probabitis? Probabimus equidem per descriptiones ipsiusmet filij Serap. conferendo cum alijs Authoribus. Vnde exempli gratia, Vbi in descriptione olei de chamomilla ipse filius Serap. dicit: Recipe olei sericini: in eodem loco Auicẽna, & Hali Abbas dicunt: Recipe olei sesamini &c. quæ breuitatis causa non scribimus. Imò ad maiorem declarationẽ, ferè omnia olea filius Serapionis componit cum oleo sesamino. Author autem noster inibi dixit: cum oleo de oliuis cõpleto, aut oleo sesamino. Ergo oleum sericinum non est aliud quàm oleum sesaminum. Porrò cum dicit Serap. in sua olei alsek descriptione: & remaneat oleum sericinum, scilicet oleum sesaminum: verum dicit: quia ibi preter oleum sesaminum nõ recipitur aliud oleum, ex quo post coctionem non remanet nisi oleum sesaminum. Quamuis frustrà fiunt per plura, quæ possunt fieri per pauciora. Quoniam non erat necessaria dictio illa, quam ad decorem forsan etiam vel interpreti, vel ipsi Authori placuit variare. Satis enim erat, imò clarius simpliciter scribere: Et remaneat oleum. In præsenti autem descriptione filij Mesuæ, non ita capitur. Quia si tu dicis: Oleum alasech

Oleum sericinum.

ſech eſt oleum ſericinum, ſcilicet ſeſaminum, non rectè loquaris: quoniam conuertitur hæc circumlocutio: ergo oleum ſeſaminũ eſt oleum alaſech. Si concedis: Ergo ſequitur quòd vbicunq; legimus oleum ſeſaminum, ſemper debemus intelligere oleum alhaſech, & econtrà. Quod eſt falciſsimũ. Igitur caſſetur illa gloſſa, & legatur ſimpliciter, & rectè: Oleum de alſech, ſiue oleum alhaſech confert dolori renum &c.

De *Aſek, ſeu Alſech &c.*

HAſcech, ſiue aſech, vel haſech, vel alſek &c. ſine dubio Arabicè idem ſignificat quod Latinè tribulus: vt legenti Serap. & Auicennam, & Dioſcoridi, Theophraſto, Plinio, & cæteris Authoribus conferenti patet. Tribuli autem, ſiue alſek &c. ferè ab omnibus duo conſtituuntur genera: vnum videlicet terreſtre, quod vbique per campos, & hortos, & in ſterquillinijs circa oppida, & ſecus vias, & in ripis fluminũ, & litoribus maris oritur: vnde à nonnullis tribulus marinus vocatur: vt legitur in vnguento Agrippæ Nicolai: & à Pandectario, & alijs pluribus teſtatur. Etiam & ab antiquioribus Græcis, vt ab Hippocrate, quẽ Ruellius in tertio de natura ſtirpium citat. A nonnullis in Italia, hoc vulgariter baſapede nuncupatur, quod Latinè eſt oſculans pedẽ. Et in ſynonymis libri filij Serap. exponitur eſſe cicer imperatoris. Quãuis Pandectarius hoc nomen cap. 339. ad vtrunq; genus referat. Semen eſt ei aculeatum, vt in ſpinachijs: extẽditur enim ſuper faciem terrę &c. Et hoc genus eſt notiſsimum. Aliud autem genus non niſi in lacubus, & amnibus, atq; in aquis ſtantibus naſcitur: ex quo tribulus aquatilis à quibuſdam appellatus eſt. Folia ſunt ei magna quaſi nenupharis: quæ tantùm expanſa ſuper aquam, videntur natare: reliquæ autem plantæ partes ſub aquis occuluntur. Fructus eius nigerrimus, quaſi perpolitum cornu bubalinum, magnitudine nucis vſualis, cum quatuor acutis angulis, velut ſpinis groſsis in quatuor lateribus: videlicet duo anguli ſunt hinc & inde verſus inferiorem partem fructus. Reliqui verò duo in reliquis lateribus, hinc & inde econtrà, verſus ſuperiorem partem, cum quibuſdam liniamẽtis, ita ſtriatus ipſe fructus, ac pulcherrimè eſt factus, quòd videtur illis qui primitus aſpiciunt, non à natura: ſed ſtudioſè paratus, in ſimilitudinẽ cuiuſdam capitelli columnæ. Intus verò habet ſubſtantiam albam, dulcem, nutritiuamq;: vnde à nonnullis caſtanea aquatilis nominatur. Et fit ex eo, in aliquibus terris, panis bonæ ſubſtantiæ, & guſtui non ingratus. Herba quoque ipſius equos impinguat: & ſtipes

Tribulus marinus.

Cicer imperatoris.

Caſtanea aquatilis.

pes eius propè radicem est subtilior, quàm in parte superiori &c. Et hic quoque tribulus cognoscitur à multis. Ambo vnius virtutis & proprietatis sunt. Veruntamen & cum hoc, terrestris tribulus est etiam contra venenũ: vnde melior iudicatur. Igitur quando absolutè reperitur tribulus, seu alsek &c. semper de terrestri, tanquã de notiori seu cõmuniori atq; meliori est intelligẽdũ. Eò maximè in illis locis, in quibus (vt in ista descriptione) expetũtur extremitates eius. Quoniã de aquatili nescimus quales extremitates, præter folia possint intelligi Igitur in hac cõpositione petit Author extremitates tenellas alhasech, scilicet tribulorum terrestriũ, vt possit ex eis excipi succus &c. Et sic est secundũ veritatẽ. *Tribulus, seu Alsek absolutè.*

Oleum de Cucumere asinino. CCCCXLI.



IN SECVNDO modo istius descriptionis, per impressos libros mẽdosè legitur: Accipe succi radicum eius, & radicum eius contritarum, ana ℔.s. Lege verius sic: Accipe succi radicum eius contritarum ℔.s. Vel sic: Accipe succi radicis eius contritæ: quoniam sic vel sic legitur in antiquis exemplaribus, & in vulgaribus impressionibus. Author enim noster posuit duos modos faciendi hoc oleum: videlicet vnum ex succo fructuum, & alterum ex succo radicum eius, scilicet cucumeris asinini. Et hunc secundum modum forsan (vt putamus) ex Paulo sumpsit. Ponit nanque ipse Paulus in 7. tres modos sub nomine olei sycionij. Sed primus, qui est simplex, quasi similis est huic secũdo. Non obstante quòd posset fieri sicut (exempli gratia) fit oleum de enula, scilicet cum succo radicis, & ipsa radice contrita. Tamen in nullo exemplarium (vt dictum est) legitur.

Oleum de Pomis citranguli &c. CCCCXLII.



LEGITVR nanque in exordio præsentis descriptionis vna barbara dictio, & tam per antiquos, quàm per impressos libros, diuersimodè est posita. Vnde sunt qui sic, & sunt qui sic, & sunt qui aliter habẽt: Allelẽgi, allelẽ, alaleugi, alchebeng, alebegi &c. Quid propriè sit, nescimus. Pãdectarius autẽ in litera lehelleg, & in litera Loheleg, declarat hæc significare quosdã tumores, qui vocantur rosulæ. At rosulas quidẽ in partibus Apuliæ scimus vocari quasdam maculas rubras, quæ apparent in cruribus, & coxis, quando quis discalciatus per hyemem patitur frigus, & sedens apud ignẽ multùm excalfacit se. Sed an hoc oleum deleat *Rosula.*

has

has maculas, facillimè quis experiri poteſt.

De Pomis citranguli.

SVb nomine citrãguli poſſunt intelligi omnia genera pomorum aureorum, ſcilicet narantiorum, ſiue arantiorum, limonum, citriorum, quæ ſunt mala medica, & cęterorum conſimiliũ, tam acrium, quàm dulcium. Et hoc oleum intelligitur eſſe faciendum de ipſis pomis propriè, ſeu malis. Suprà enim poſuit oleum quod fit ex ſolo ſemine citrij, ſiue citranguli &c. Præterea præcipit Author, vt ſint ipſa poma antiqua, id eſt valdè matura. Et proprie illa ſunt antiqua, quæ ſupra annum permanſerunt in arbore ſua. Item præcipit ipſe Author, vt dicta poma ponãtur integra in vaſe &c. Quod intelligitur, vt nihil ex eis abijciatur, ſcilicet quod omnes ipſorum pomorum partes ſint in vaſe. Porrò ſecanda ſunt, atque frangenda ipſa poma, vt facilius oleũ poſsit penetrare omnes ſuas partes, tam intrinſecas, quàm extrinſecas.

Oleum de Croco &c. CCCCXLIII.



PONITVR hoc oleum ab Auicenna in quinto cañ. differt tamen in ponderibus. Fex enim huius olei ab ipſo Auicenna, crocoma vocatur: de qua re fecit cap. in ſecundo cañ. Rectius autem crocomagma legendum putamus, vt eſt apud Dioſcoridem, & alios plures.

Oleum de Piperibus &c. CCCCXLIIII.



AB AVICENNA quidem (vt coniectari poteſt) præſentem deſcriptionem Author accepit. Auicẽna autem à filio Serap. ſeu ab Hali filio Abbas. Omnes enim quatuor habẽt huiuſmodi olei compoſitionem. Sed Author noſter vocat ipſam: Oleum de Piperibus: ex quo addidit ipſi compoſitioni piper album, quod apud cæteros non legitur. Et præſcripſit tria pipera, propter ipſius olei denominationem, cùm cæteri anteponãt myrobalanos. Auicenna verò nominat ipſum, oleum alkechengi, & malè. Non enim intrat præſentem compoſitionem alkechẽgi. Et hîc eſt (vt putamus) error ipſius Auicennæ: quoniam Bellunenſis non emendauit. Fortaſſe ipſe Auicenna, ab Hali ſumpſit ſuam deſcriptionem, & pro caquenelegi, intellexit caquenegum: quoniam apud dictum Hali, oleũ caquelenegi intitulatur. Sed nõ eſt vnum & idem caquenegum, & caquelenegi. Caquenegũ enim eſt ſolani genus: vt in ſecundo practicæ ipſius Hali habetur. Caquelenegi

Caquenegum.

lenegi autem idem est: quod kelengi, siue alchelégi. Vnde in ipso Auicenna, oleum alchelengi credimus rectius legẽdum esse. Forsan etiam est mendum librariorum, quod ipse Bellunensis nõ animaduertit, scilicet quòd pro alchelengi, mendosè sit positum alchechengi. In filio Serapionis autem legitur clarius, videlicet: oleum alkelenici: quod idem est quod oleum alkelengi. Alkelengi autem (vt supra, scilicet in Alchelengi confectione diximus) multorum iuuamentorum &c. declarationem significare coniectauimus. Vnde oleum alkelengi, id est oleum multorum iuuamentorum &c. Legitur etiam mendosè in Auicennæ descriptione, iusquiamus. Ex quo probatur, quòd ipsum sequutus Author noster, descripsit in sua. Quodquidem mendum nec Bellunensis notauit. Filius Serap. autem, & Hali, eo in loco, nõ iusquiamum, sed ammoniacum habent. Et ita stare debet. Nequaquam competit huic compositioni iusquiamus, scilicet hyoscyamus. Vnde peritissimus quoq; vir Manardus suspicatus fuit mendam esse in hoc loco. Ex quo igitur rectius lege: Serapini, opopanacis, ammoniaci, ana &c. Sunt præterea & aliæ plures librariorum mendæ in præsenti descriptione filij Mesuæ, per omnes impressiones, & similiter in Nicolao Præposito, & in Luminari Maiori. Vnde vbi legis: Accipe trium piperum, ana ℥. iij. lege verius, ana ʒ. iij. vt antiqua exemplaria testantur: & filius Serapionis & Auicenna, atq; Hali præfati cõcorditer habent. Sed animaduertẽdum quòd Author noster pro medietate composuit suam descriptionem. Item vbi legis turbith ʒ. xij. Lege rectius ʒ. ij. vt est in dictis exemplaribus, ac etiam apud filium Serapionis. Nam Auicenna & Hali non ʒ. iiij. sed sextaria iiij. habent. Sextarium autem (vt in superioribus dictum est) apud authores, multipliciter sumitur. Vnde potest esse quòd hîc ab ipsis sit positum pro drachma. Item vbi in quibusdam impressionibus legitur hîc, hasce: lege hasech. Vt dicta exemplaria, & filius Serap. & Hali habent: & Bellunensis in Auicenna emendauit. Plurimi nempe ex iunioribus allucinati (ob literæ falsitatem) declararunt hoc esse thymum. Item vbi legitur tapsiæ: legendum est emendatius, casię. Et est vna ex speciebus casiæ ligneæ, siue indæ, quæ aliter (vt in tripheris declarauimus) seitaragi indi vocatur. Vnde in filio Serap. hoc in loco, seitaragi legitur: & in Hali, sitaragi indici. Et in Auicẽna est capsiæ, semicorruptè pro casiæ. Vbi Bellunensis sythragi, pro seitaragi traduxit. Antiqua exemplaria etiam pro maiori parte, habent casiæ scriptum. Et sic est secundum veritatem. Item non igno-

Caquelenegi.

randum, quòd antiqua exemplaria in exordio huius descriptionis sunt varia, videlicet aliqua conueniunt cum impressis libris, & habent scriptum: Et confert ad epilepsiam, & veram sciaticam &c. Et confert dolori ani, à frigiditate &c. Aliqua autem, non veram sciaticam: sed venam sciaticam: & non ani, sed auris habent, sic videlicet: Et confert ad epilepsiam, & venam sciaticam &c. & infrà: Et confert dolori auris, à frigiditate &c. Quæ autem litera sit verior, medici potius est, quàm aromatarij sciscitari. Auicenna autem habet venam sciaticam. & infrà dicit: Et sedat dolorem ani: Filius Serap. verò sciaticam simpliciter posuit. Cæterùm qui legunt descriptionem filij Serap. animaduertant quòd aliquæ impressiones habent ipsam imperfectam. videlicet, quòd vbi in ipsis legitur: Et fundantur super eam aquæ ℔. xxiiij. & decoquatur, donec consumatur aqua &c. Ibi, scilicet inter consumatur, & aqua, desunt multa verba. Vnde vt in quodam exemplari è manu, & in vna de primis impressionibus inuenimus, sic rectius legendum est: Et fundantur super eam aquæ lib. xxiiij. & decoquatur donec consumatur medietas, & proijciantur super ea olei de cherua heminæ iiij. & decoquatur, donec consumatur aqua, & remaneat oleum &c. Veritas huius erroris per se est manifesta, cùm in ipsa descriptione mendosa non legatur oleum, quod necessariò debet esse: vnde &c.

De *Hemina*.

Mina. HEmina quidẽ ab hemis, scilicet semis: & mina, scilicet mensura, quasi semimẽsura dicitur: quia (vt ferè omnes cõmuniter tenent) hemina est medietas sextarij. Et scribitur cũ aspiratione in principio: quãuis etiã apud aliquos minus rectè legatur emina sine h. Quãdoq; etiãnum reperitur in libris mina, pro hemina. Et apud Hali filiũ Abbas, mẽna legitur. Et mina quoq; siue

Sextarius. mna (quod idem est) ab alijs aliter accipitur. Sextarius autẽ siue sextariũ (vt diximus) variè capitur. Verũtamen plurimi in heminæ declaratione, dicũt sextariũ esse mensurã duarum librarum. Vnde hemina pro libra intelligi potest. Et sic in ista descriptione est ad propositum: quoniã satis sunt duæ heminæ, scilicet duæ libræ olei cheruæ pro hac cõpositione. Non obstãte quòd sextarius reperiatur & maior, & maximus: & minor, & minimus. Nec etiã contradicente, quòd mina in filio Serapionis & Auicẽna diuersimodè declaretur. Vnde legitur quòd aliqua mina est, quæ continet quadraginta sextarios &c. Quia nos communem plurium opinionẽ sequuti, intelligimus hîc heminam pro libra. Si autem

quisp

quispiam melius iudicauerit (de perito loquimur) debere fieri secundum ipsius iudicium non imus inficias. Actuarius autem scribit heminam capere vncias nouen.

Oleum de Euphorbio &c. CCCCXLV.



DVO ab Authore nostro in præsenti descriptione constituuntur modi faciendi oleũ de Euphorbio. Primus tamen (qui est simplicior secundo) ex antidotario Rhasis (vt putamus) sumptus est. Vel ex secundo Galeni de medicamentorum compositione secundum loca. Cui & vinum indidit Author, quod ipsi non habent. Secundi autem modi (vt credimus) principalis Author est Auicenna. Quoniam in quinto suo cañ. dicit, Oleum de euphorbio nostrum &c. Ab Auicenna igitur accipiens Author noster hunc secundum modum, peruertit eius ordinem. Vt sibi attribuerent forsan. Veruntamen non latet legentem, quòd vna & eadem compositio est in vtraq; descriptione. Sed aduertito, quòd in præsenti filij Mesuæ descriptione, per impressos codices mendosè legitur: Accipe staphisagriæ, condisi, ana ʒ.iiij. Rectius coniectauimus legendum esse sicut Auicenna habet, scilicet staphisagriæ ʒ.iij. condisi ʒ.iiij. Nam in hoc exemplaria antiqua varia sunt. Videlicet quædam habent (vt dictum est) sicut Auicenna, quam putamus esse veriorem literam. Et quædam econtrà sic: staphisagriæ ʒ.iiij. condisi ʒ.iij. In nullo tamen est cum ana: vt impresiones habent. Item sciendum quòd in Auicenna est pyrethri pondus ʒ.vij. Hîc autem tam per cuncta prædicta exemplaria, quàm per excusos libros concorditer legitur, pyrethri ʒ.vj. si autem illa drachma redundet in Auicenna, vel hîc sit imminuta, verè nos latet. Præterea non ignorandum quòd in Auicennæ descriptione mendosissimè legitur: Et decoquantur in vase cum quadraginta ʒ. vini odoriferi &c. Lege ibi verius: cũ quadraginta vncijs. Non enim sufficiunt quadraginta drachmæ ad illa infundenda, & postea decoquenda. Author enim noster posuit vini: ℔.iij. Nã 40.℥. tres ℔. & ℥.iiij. sunt. Igitur in duabus tantùm vncijs differunt: quas putamus authorem addidisse, vt meliori modo possint infundi & decoqui illa &c. Sed maxima differentia est inter 40.ʒ. & ℔.iij.s. Igitur 40.℥. legi debet. Et sic est verum: quamuis Bellunensis nõ emendauerit. Fortasse non animaduertit. Non enim omnia possumus omnes.

Q 2

De Condisi, seu Radicula.

Herba fullonum.

Condisi, siue condes, siue chundes, vel kundes, idem est quod struthium, scilicet lanaria herba, quæ & radicula & herba fullonum dicitur. Vt patet concordando cap. Serapionis de condisi, cum cap. Dioscoridis de struthio, scilicet de radicula. Struthium autem à Dioscoride non pingitur, sed dicit rem notā esse. De quo valde miramur, quòd res tam nota veteribus sit ita viuentibus incognita cūctis, quòd tam medici & aromatarij, quàm herbarij, quàm etiā fullones (quibus maximè eā expetere opus foret) nesciunt illā. Sed neq; nos adhuc potuimus inuenire quid sit ista radicula. Nam perijt vsus eius apud Latinos. Auicenna autē capitulo de harthanita deceptus (vt putamus) à falso codice, credidit ipsam esse speciem harthanitæ. Et scribit ipsam esse spinosam: & similiter Simon Ianuensis, & alij plures scribūt ipsam esse spinosam, cum caule ferulaceo, & lanuginoso, inodoro flore, aspectu tamē grato, sine semine &c. Bellunēsis verò in suis interpretationibus, scilicet in litera condisi, authoritate Isaach ebenharam dicit quòd radix eius exterius est nigra, interius verò ad citrinitatem tendēs, & quòd eius planta assimilatur cardo alharsef, vocato in Sicilia Cacozole, & quòd ipsa radix est nota in Syria &c. Siculi autē à nobis percunctati dixerūt, quòd ferè omnia carduorum genera apud ipsos sub isto vocabulo (scilicet cacozole) veniūt. Vnde similitudo illa Bellunēsis est tanquam nihil, ad cōdisi inuestigationem. Quod autē ipse Bellunēsis ex Ebēbitar posuit. Hoc est, quòd neq; Dioscorides, neque Galenus loquuti sunt de ipso. Si ipse Bellunēsis intelligit de simplici vocabulo, scilicet condisi, verum est: quia nusquam Græci condisi meminerūt. Si autem de re ipsa, hoc est falsum; quoniam & Dioscorides, & Galenus, & Paulus, & alij plures, de cōdisi, sub nomine radiculæ, seu struthij, multa dixerunt. Imò Paulus in septimo scripsit radiculam ferre semen. Qui autem opinati sunt esse radicem hellebori albi, hi magnopere errauerūt. Erroremq; ipsorum plura comprobant. Vt sunt capitula diuersa authorum de vtroq; tractantia, & spinositas qua caret helleborus &c. Verum est quòd condisi mouet sternutamenta, & alia plura facit, sicut helleborus: tamen non est helleborus, nec species eius. Porrò ponitur loco condisi æquale pondus de nuce vomica, & tertia pars ipsius de pipere, Et hoc in vomitionibus prouocandis tantùm. Auicenna Author est. Sed in alijs necessitatibus, authore Paulo, pro condisi, scilicet radicula, veratro nigro vti conceditur.

Oleum Vulpinum &c. CCCCXLVI.



VNT nempe per aliquas impreſsiones duæ menſdæ in præſenti deſcriptione. Prima videlicet, vbi legitur in ipſa: Et funde ſuper ipſam aquæ fontium, & aquæ marinæ, ana chiſt j. Lege rectius, ana chiſt ij. Secunda eſt, cùm ſequitur: Olei antiqui clari chiſt iij.s. Lege verius, chiſt ij.s. Quoniam ita eſt non ſolùm in cunctis exemplaribus, & vulgari æditione: verumetiam & in nonnullis impreſsionibus minus mēdoſis. Præterea ſciendum quòd licet Author determinauerit quantitatem aquarum, ſcilicet chiſt iiij. quæ ſunt ſecundum communem opinionem libræ vj. tamen iuxta noſtrum iudicium, eſt parua quantitas: vnde de maiori chiſt, hoc in loco eſt intelligendum. Quia chiſt (vt ſuprà iam diximus) variè ſumitur. Porrò diſcretio aromatarij in his & ſimilibus eſt melior ſtatera ponderandi res neceſſarias adminiſtrandas, quàm lanx ænea: videlicet quòd ſi vulpes erit vulpecula, quantitas aquarum ab authore aſsignata erit forſan ſufficiens per aliquod chiſt maius ſupple intellige. Si autem vulpes erit magna, & annoſa, operator debet ponere tantam aquarū quantitatem quòd ſufficiat ad optimè decoquendum ipſam. Eò maxime quòd annoſa vulpes, & omne animal annoſum, maiori indiget bullitione, quàm anniculum & tenellum. Quoniam decoquenda eſt ipſa vulpes (vt Author monet in fine iſtius deſcriptionis) donec diſcocta ſit, vt omnes artus eius diſſoluantur &c. Quodquidem fieri non poteſt cum pauca aqua, in vulpe magna & annoſa. Etiam & inter decoquendum, cùm viderit operator aquam penè conſumptam, & vulpem non perfectè decoctam, debet ſuperinfundere ex ipſis aquis iterum atque iterum donec optimè decoquatur &c. Porrò oleum non eſt augendum in magna vulpe, ſed potius in vulpecula minuendum: quia quanto minus erit oleum, tanto efficacius & potentius habebitur.

De Vulpe.

ANimal notiſsimum eſt vulpes, & aſtutiſsimum. Vnde animus vulpinus, ſæpius pro homine aſtuto & malitioſo ponitur. Ab Hiſpanis quidem (ob id forſan, quia rapit) Rappoſa nuncupatur. Gallinas libenter perſequitur &c. Sed aduerte quod dicit Author: Accipè vulpem integram, interioribus tantum proiectis &c. Vbi ſciendum quòd ipſum animal non eſt

Rappoſa Hiſpanis quid.

excoriandum: sed bene potest (qui vult) concidere illud, in tres, vel quatuor, vel plures partes, vt melius in vase ad decoquendum aptetur. Quoniam Author non ponit integritatem ipsius, vt intelligatur sana: vt habeat omnes suas partes, prȩter interiores. Et antequam immittatur oleum (si immittendum erit) debet prius peroptimè despumari &c.

Oleum de Serpentibus &c. CCCCXLVII.



SCRIBITVR etiam hoc oleum, & à filio Serap. & ab Auicenna, atq; ab Hali filio Abbas. Et tam Author noster, quàm quilibet ipsorum, specificat de serpentibus, vt sint nigri. Manardus autem declarat esse viperas, quod nobis non placet. Nam viperæ nō sunt nigræ &c. Non ostāte quòd eodem modo potest etiā fieri oleū ex viperis, & cæteris serpentibus, sicut fit ex serpētibus nigris. Quod postea ex viperis oleum viperinū esset nūcupandum, ad multa vtile. Sicut quandoq; parauit quidam Theotonicus physicus. Ex quo oleo viperino Romæ, temporibus nostris, plures fecit experientias notatu dignas. Veruntamen intentio præfatorum Authorum est, vt fiat hoc oleum cum serpentibus nigris. Et sic debet fieri. Porrò iuxta nostrum iudicium, melius est vt decoctio eius operetur in vase vitri. Et in duplici vase, sicut coquitur oleum rosatum, per modū balnei, quod balneum Mariæ dicitur. Quodquidē modo, sine vasis apertione (quod periculosum est) poterit quis videre ab extra, quando serpētes sint optimè percocti, & oleum non frigetur sicut in sartagine, & per consequens clarius erit.

De Nigris serpentibus.

NIgri scribuntur ad differentiam aliorum diuersicolorum. Et sunt hi serpētes notissimi in multis regionibus, & præcipuè in regno Apuliæ, vbi in magna copia vidimus. Sūt etenim longi, atque nigerrimi, sed non multū habent de veneno. In forma sua similantur illis, qui ceruini dicuntur. Nonnulli viuos serpentes in oleum mittunt, quod putamus melius esse.

Serpentes ceruini.

Oleum de Scorpionibus &c, CCCCXLVIII.



DVPLICI modo docet Author fieri hoc oleum, & vterq; modus est bonus. Sed aduerte quòd tam in primo modo, quàm in secundo, oleū amygdalarum amararum est intelligendum. Mendosè enim legitur absolutè, amygdalarū in primo modo,

do, per omnes impressiones. In exemplaribus antiquis autem, clarè de amaris specificatur. Alias plures literæ deprauationes hîc inuenimus, quas simpliciter in textu emẽdauimus. Iste secundus modus, bis à Rhasi describitur. Videlicet, in nono ad Almansorem, capitulo de difficultate mingẽdi: & in antidotario diuisionum, cap. de medicinis vrinæ.

De Scorpionibus.

SCorpius, & scorpio dicitur. Quæ nomina sunt communia ad plura. Vt ad animal, quod cauda pungit ad mortem, & ad signum cœleste, & ad picem marinum, & ad quandam herbam, & ad quoddam militare instrumentum, & ad quoddam tormenti genus &c. Sed hîc de animali cauda feriente intelligitur. Quod animal vbiq; cognoscitur. Sed in quibusdam locis magis, quàm in alijs abundat. Vnde est quòd circa neapolim Campaniæ ciuitatem, rarò inuenitur. Et Romæ plurimus est. Et particulariter intra Vrbis mœnia, in monte videlicet qui Testaceus dicitur, copiosissimè habetur. Libenter enim inter testas generatur. Audiuimus nempe à fide dignis viris, qui per Syriã sancta peragrarũt loca, quòd circa Hierosolymam, & per totam Syriam, sunt scorpiones magni, sicut sunt apud nos cancri fluuiales, quos gambaros, siue gambares vulgò nominant. Apud nos autem sunt minimi, fabæ videlicet magnitudinem non excedentes. Vnde non est mirum, si Author noster viginti tantùm specificauit ponendos esse in hoc oleo: quoniã de genere magnorum intellexit. Sed bene postea subiunxit, plus, vel minus, secundum quantitatem paruitatis, & magnitudinis eorum. Vbi sciendum quòd nos qui habemus tam paruos scorpios, centum ad minus pro qualibet olei libra ponere debemus. Aliter enim oleum erit imbecillius, & sine vi, ad consequẽdam sanitatem illorum malorum, pro quibus ab Authore ordinatum est. Colligendi sunt autem scorpij, cùm sol est in Leone: videlicet inter xv. Calendas Augusti, & xv. Calendas Septembris. Non autem quando sol est in Scorpione, vt nonnulli falsò opinati sunt. Et viui ponẽdi sunt in oleum, quod per triginta dies ad minus insolabis, postea colatum reseruã &c. *Scorpiones quãdo venari oportet.*

Oleum de Ranis &c. CCCCXLIX.



VITIO librariorum per omnes excusiones latinas, legitur mẽdosè in præsenti descriptione: Recipe ranarum antiquarum &c. Nam cuncta exẽplaria, ac etiam vulgaris æditio, & similiter Lu-

minare Maius, concorditer habent: Recipe ranarum aquaticarum &c. Et sic est verum.

De Ranis.

RAnarum quippe plura sunt genera: vnde ad aliarum differentiã, aquaticas specificauit Author, quæ cæteris sunt meliores. Nonnulli putēt omnes ranas esse venenosas. Dioscorides autem, & Serapio dicunt quòd ranę, supple aquatiles, coctæ cum oleo, & sale, si edantur, sunt antidotum magnũ contra omnium serpentium venena. Ex quo securè plurimi vescuntur eis aquaticis dũntaxat. Et pręcipuè Lombardi, quibus ranæ aquatiles quadragesimali tempore sunt domestici atque quotidiani pisces. Ranæ autem terrestres, vt sunt mutæ (quæ sic dicuntur, quoniam vocecarent) & rubetæ, quæ & racanellæ, quasi raniculæ vocantur &c. non comedũtur: quoniam, vt sæpius, cum buffonibus coeũt. Quam ob causam malignæ reputantur.

Rana muta & rubea.



Ex multis autẽ rebus fiũt olea &c. CCCCL.

HIC Author declarat quòd non omnia Doctorũ olea ipse notauit: sed magis necessaria tantùm. Consimilia igitur quæ possunt fieri, apud alios quærito.

Fiunt autem olea per resolutionem diuersis modis &c. CCCCLI.



INCIPIT hinc Author tertiam particulã huius distinctionis: scribens non omnia, sed ex multis aliqua, tanquam nobiliora olea quæ fiunt per resolutionem, seu per sublimationem &c. Vnde sequitur.

Oleum de ouis &c. CCCCLII.



SCRIBIT Author in præsenti descriptione tres modos faciendi oleum de ouis: sed primum (vt cõiectamus) ex antidotario Rhasis: vel ex septimo filij Serapionis accepit. Secundum autem & tertium ex quinto cañ. Auicennæ.

De Ouis.

QVasi superfluũ est oua declarare, quia notiora sunt, quàm vt declarari debeant. Omnium autem optima sunt gallinarum oua: post ipsa verò, à quibusdam perdicum, ab alijs fasianorum oua præponuntur cæteris.

Oleum

Oleum de Frumento CCCCLIII.



RIMVM modum factionis huius olei, scribit etiam Rhasis in suo antidotario. Vbi autem in secundo modo dicit Author: Ponatur frumentum excorticatũ in vase sublimationis, & fiat sicut dicemus: subintellige, in oleo Philosophorum. Sed non est cremandum frumentum, vt lateres: sed simpliciter, vt litera habet, excorticatũ ponatur in vase sublimationis. Non obstante quòd etiam posset fieri per modum descensionis, sicut fit oleum de iunipero, vt Manardus refert se fecisse parari. Et nota quòd sicut fit de fruméto, ita potest fieri de hordeo, & similibus.

De Frumento.

FRumentum idem est quod triticum. Plura sunt eius genera, sed omnia notissima. De quocunq, autẽ genere accipiatur, nihil refert. Porrò optimum est, quod post messem non est madefactum aqua, seu alio quouis liquore, lucidũ, plenum, siue perfectè maturum, nouum, scilicet eiusdẽ anni (quod enim post annum superest, vetus dicitur) durumq;, nec corrosum à vermibus.

Oleum Sinapinum &c. CCCCLIIII.



VALDE admirari contigit de Authore nostro docente fieri oleum præsens, sicut oleum de frumento. Quod facilius potest fieri per expressionem, sicut fiũt olea de seminibus papaueris, lactucæ, & similium, ac etiam sicut oleũ amygdalarum &c. vt nos ipsi quidem pluries experti sumus. Vnde, saluo semper meliori iudicio, videtur nobis (quod & consulimus) videlicet, vt fiat per expresionẽ, ex semine synapis optimè maturo: quia agilius, clarius, abundantius, & nobilius fit. Nec vllum malum habet odorem. Quodque magnopere memoriæ confert: Rhasis autem aliter parat.

Oleum de Iunipero &c. CCCCLV.

Oleum Fraxininum &c. CCCCLVI.



DVO hæc olea eiusdẽ operationis & virtutis, sunt. Et simili modo ex alijs quampluribus lignis fieri potest oleum, ad diuersos tamen effectus. Sed aduerte quòd huiusmodi ligna & similia, oportet vt sint optimè præsiccata, syncera, sine cortice, teredinibusque inexperta &c. Item, pro dolio, intellige vas magnum

teſtaceum, igni reſiſtẽs, vitreatum ab intus &c. Item vbi dicit: Et præpara parietes eius cum terra figuli: ſubintellige ab extra. Hæc autem ſcripſimus pro ſimplicioribus: quia non deſunt ignari intelligentes pro dolio, vas vinarium ligneum, quod ſimiliter dolium vocant homines. Quoniam ferè receſsit vſus antiquorũ vinariorum doliorum, quæquidem fictilia erant. Nunc autẽ quaſi omnes ligneis vtuntur vaſibus, quibus & dolij nomen attribuerunt. Veruntamen in aliquibus Hiſpaniarũ regionibus fuimus: quarum incolæ adhuc cõdunt vinum in dolijs fictilibus, picatis, antiquorum more. Itali autem huiuſmodi dolia, ad alios cõuerterunt vſus: vt Romani ad quam fluminis aſſeruandam &c. quæquidẽ dolia proprijs priuata nominibus, Ziri, ſiue Zare, aut Giara hodie vulgò vocãtur. Sed cùm ſcribit Author vitreatum interius: declarat eſſe fictile vas, nõ ligneum. Vaſa etenim lignea non vitreantur. Nam & ſi fuiſſet ligneum, nónne prius combureretur vas, quàm diſtillaretur oleum à præparatis lignis? Et per conſequens, oleum non haberetur.

De Iunipero.

IVniperus ſecundum Dioſcoridem duplex eſt, ſcilicet magna & parua. Serapio autem confundit in vno capitulo, & cypreſſi, & iuniperi, atque ſauinæ genera. Porrò duo iuniperi genera notiſsima ſunt: ſed quæ prope mare naſcitur, iuniperus marina cognominatur. Fructus fert grandiores quàm illa, quæ in montibus prouenit: attamen odoratior eſt montana, quàm marina. Magna etenim iuniperus vtplurimum in maritimis oritur, & aſperis, Cypreſſo ſimillima eſt. Parua autẽ, & in maritimis, & in montanis naſcitur, cuius folia ſunt aculeata &c. Gũmi verò iſtarum arborum, vernix ſolida, ſiue ſcriptorum eſt. Solida, & ſcriptorum poſuimus, ad differentiam alterius quæ liquida eſt: quæquidem eſt res factitia, ex oleo ſeminis lini, & alijs rebus, qua pictores & fabri lignarij vtuntur ad illuſtrandum colores &c. Scriptorum etiam diximus: quoniam puluis ipſius ſuper chartas extenditur ab ipſis ſcriptoribus, vt líteræ ſcribẽdæ pulchriores fiãt. Vocatur nempe hæc vernix ſcriptorum, ſcilicet hoc gummi iuniperi, arabicè, Sandarax, vel ſandoros, vt in tertio Rhaſis ad Almanſorem legitur. Vnde eſt, quòd plurimi abuſiuè, ſandaracam nominant. Nam ſandaracha propriè, auripigmentum rubeum eſt. Vt in trochiſcis de arſenico diximus. Sed vt ne lector confundatur in legendo: hoc obſeruandum duximus: videlicet, vt ſandaraca gummi ſemper ſine aſpiratione ſcribatur: quia

Vernix ſolida, ſiue ſcriptorum.
Vernix liquida.
Sandarax.

tur: quia vtplurimum sic legitur in libris Arabum. Sandaracha mineralis autem cum aspiratione, quia per χ, Græcè scribitur, σανδαραχη, id est Sandarache.

De Fraxino.

Dioscorides quippe asserens esse arborem notam, non pinxit Fraxinum. At reuera notissima est, & perquàm simillima orno. Serapio autē scribit ipsam simillimam vlmo. Nam huiusmodi similitudinē non bene quadrare eis, omnes qui vident confitentur. Vnde suspicamur mandam esse in capitulo 226. Serapionis, scilicet quòd non dirdar, siue didar, quod significat vlmū: sed aliā arborē debebat ibi interpres pro illius similitudine rescribere. Quia forsan illud quod interpretatus est dirdar apud Arabes, est nomē æquiuocū, plura significās. Et sic nō ad vlmū sed ad aliam arborem: puta ornum præfatam, vel consimilem erat referendum. Ornus enim arbor, quæ vulgò ornellus dicitur, à fraxino non multùm differt, vt quilibet videre potest. Quæquidem ornus duplex reperitur, scilicet alba & nigra: tamen inter se forma non differunt. Semen autem fraxini, lingua auis vocatur. Et de eo dictum fuit in Dia Satyrione. Fert etiam & fraxinus gummi dulcissimum, quod mannam nominant. Sed de hac re satis supra diximus in confectione de manna. Propterea vide ibi.

Ornus. *Lingua auis.*

Oleum de Gagate, est oleum sacratum &c. CCCCLVII.



PONITVR ab Authore duplex modus parandi hoc oleum. Primus videlicet per discensorium: vt oleum de iunipero. Secundus autem per sublimationem: vt oleum de lateribus. Sed non sunt comburandi ipsi lapides, sicut lateres comburuntur.

De Gagate lapide,

Iste lapis apud nos rarò reperitur, & rarissimè exportatur. Vidimus enim aliquando ipsum lapidem. Est nanque niger (sicuti Dioscorides quinto libro scribit) pumicosus, bituminosus, leuis, friabilisque. Videbatur enim nobis tanquam lignum marcidum, quod stetisset longuo tempore sub terra. Putamus equidem illum esse de mineris naphthæ. Vnde Dioscorides capitulo de naphtha, dicit quòd naphtha bituminis genus, comitiales morbos suffitum explorat, gagatæ lapidis more.

Oleum

Oleum Philosophorum &c. CCCCLVIII.



LEVM Philosophorum, Oleum secretorum iuuamentorum, Oleum sapientiæ, Oleum benedictum, Oleum diuinum, Oleum sanctum, Oleum perfecti magisterij, Oleũ naphtha, Oleum petræ, Oleum petroleum, & Oleum de lateribus. Per tot nomina, seu cognomina, & appellationes, siue nomenclaturas, possunt vocari olea in præsenti descriptione notata, & similia. Quamuis aliqua prædictorum, sint specialia, & non generalia: vt oleum perfecti magisterij, Nephtha, & de lateribus. Ponit igitur Author duas species, siue duo genera huiusmodi olei. Vnum videlicet naturale, alterum verò artificiale. Naturale autem declarans, dicit quòd profert illud minera, & quòd vocatur nephtha. Quod autẽ ibi legitur: Hoc est. Aliàs mare. Vacat. Est enim additio librariorum, quæ non legitur in exemplaribus antiquis. Et istud genus in tres diuisit species, seu differentias. Videlicet in subalbidam, subrubram, & subnigram, de quibus mox dicemus. Quod autẽ ab arte haberi potest, ipsemet clarè scribens, insinuat modum faciendi ipsum, scilicet ex lateribus &c. Vnde & oleum de lateribus, posse vocari diximus. Et sic Bulchasis vocat. Rhasis autem in antidotario, sub titulo olei benedicti, & aliàs, sub titulo olei de lateribus, habet huiusmodi olei descriptionem. Quod & asserit valere sicut oleum balsami. Vbi subscribit, quòd si piscatores inungẽt retia sua ex eo, congregabunt multitudinem pisciũ. Quod an verum sit, facilius quilibet experiri potest. Eandem Rhasis descriptionem posuit Guillelmus Placentinus, in quinto suæ practicæ.

De Naphtha.

NAphtha rectius, quàm napta. Est enim secundum Dioscoridem, bituminis colamen. Multi oleum petroleum, siue absolutè petroleum (vt Auicenna) hoc est, oleum petræ, nominant. Duo eius genera ipse Dioscorides fecit, scilicet album & nigrum. Sed Author noster tertium, quod est subrubrum, addidit. Etenim quasi vnius generis sunt. Bitumen, asphaltum, pissasphaltum, & naphtha. Vnde largo modo omne bitumen liquidum, clarè potest naphtha vocari. Serapio enim scribit pissasphaltũ Dioscoridis, in capitulo de munia. E petrosis locis nempe scaturit naphtha, sub aquis fontium, lacuum &c. E montibus quoque saxosis defluit in amnes. Vnda rectè oleum petræ dicitur. Nam pluribus

ribus locis sunt naphthæ mineræ: vt in Sicilia, in agro videlicet Agrigentino. Et apud Tocchum regni Neapolitani oppidum. Et in Mutinensis montibus, scilicet in illo qui Mons gybius, siue Mons zybius, vel Zilius vocatur. Omne enim huiusmodi oleum fœtet: ex quo nonnulli, stercus diaboli nuncupant. Sed vnũ plus quàm aliud. Quod è Sicilia asportatur, minus male olere pluri- mi testantur. Veruntamen oleum Montis zybij experti sumus, quòd non malè, sed grauiter olet. Et scias, quòd omnis naphthæ species, secundum Authorem nostrum, vocatur oleum Philosophorum, oleum secretorum iuuamentorum &c. *Stercus diaboli.*

De *Lateribus*.

SVperfluum est lateres declarare: satis enim per se manifestantur in parietibus & plateis ciuitatum &c. Sed hoc notãdum quòd Author noster præcipit vt sumantur lateres, non solùm antiqui, sed multæ antiquitatis. Rhasis autẽ & Bulchasis ecõtrà quærunt nouos, quos adhuc non tetigit aqua. Qui ergo vult facere hoc oleum, secundũ Rhasim & Bulchasim, nouos dudum à fornace eductos accipiat. Qui autem imitatur filium Mesuæ, de antiquissimis sumat. At in defectu laterum, alijs vasorum testis fictilibus non vitreatis, rubris supple, vti possumus, & bene.

De *Oleo alchilil, siue alkikil &c.*

PRæcipit nanque Author in præsenti descriptione, vt submergantur lateres igniti, in oleo alchichil, secundum quòd in impressis libris legitur. Verũtamen descriptionem huiusmodi olei, scilicet alchilchil, nec apud ipsum, nec apud quempiam aliorum Authorum adhuc inueuimus. Luminare Maius declarat esse oleũ quod fit ex floribus rosmarini, quod oleum similiter non reperitur apud Authores. Non obstante quòd sicut fiunt ex varijs floribus olea: ita & ex floribus rosmarini posset fieri oleũ &c. Porrò nec nobis constat potius intelligendum esse hoc oleum ex floribus rosmarini, quàm ex granato syluestri, aut ex alia re: quoniam non vniformiter se habent in hoc antiqua exemplaria, & excusi libri. Et licet sit tædiosum legere: attamen nobis videtur esse necessarium, ob meliorem rei declarationem, scribere librorum diuersitates. Igitur sciendum quòd concorditer impressiones omnes, & Luminare Maius, habent Alchichil. Libri verò manuscripti, quasi singuli singula dicunt. Rarò autem duo aut tres conueniunt in vnum. Has equidem variationes reperimus. Vnus liber tantùm habet sicut impressiones: sed per k, nõ per ch, scriptum:

ptum: videlicet, alkikil: & sic posuit Nicolaus Præpositus. Aliorum autem aliqui sic, & aliqui sic habent: videlicet, Alkikil, Alchilil, & qui per k, alkilil, Alkil, Alfeikil, Alfeicil, Alfeikal, Alfeibal, Alfekikil, Alfekil, & Allelileil. Et vulgaris æditio, Alpheilkil. Etenim de huiusmodi & consimilibus pluribus vocabulis, in superioribus diffusè diximus: videlicet quòd sunt barbaræ voces, quæ ad plura applicari possunt. Vnde consultius & tutius nobis videtur hoc, videlicet, postquam Author posuit, quòd similiter potest fieri cum oleo antiquo claro, vt fiat cum ipso oleo antiquo, scilicet oliuarum. Quoniam similiter Bulchasis docet. Et Rhasis etiam absolutè in oleo, scripsit. Et sic erit quoq; secũdum Authoris intentionem. Et fortasse melius: quoniam in re dubia nullus præsumere debet: quia faciliter errare potest. Et qui se exponit periculo, incidet in ipsum. Fugiendum est enim omne periculum. Sed id potissimè quod pluribus nocere potest. Nam si quælibet ars exercenda est, cum diligentia magna, & omni sollicitudine, vt artifex consequatur ex ea honorem & temporalem retributionem: quanto magis diligentiori cura, & vehementiori studio, & cautela, atque non absq; Dei timore medicina exercenda erit. Cuius quantuluscunque error, quandoque potest esse causa necis plurium hominum, & per consequens contra ipsius operatoris animam. Quod à nobis, & ab omnibus Christianis auertat ipse CHRISTVS IESVS, verus medicus, & Saluator animarum, & corporum. Qui cum Patre suo æterno, & Spiritu sancto, est benedictus in secula seculorum. Amen.

CENSVRAE IN ANTIDOTARIVM IOANNIS FILII MESVAE, FINIS.

RECEPTARIVM ANTIDOTARII

IOANNIS FILII MESVAE, *in pristinum decorem restitutum, & adamussim emendatum per Venerandos patres, &* IESV CHRISTI *seruos, fratres Angelum Paleam Iuuenatiensem, & Bartholomæum Vrbeuetanum, ordinis Minorum obseruātiæ, Prouinciæ Romanæ.*

DISTINCTIO PRIMA.

SCripsimus in libris explanationum nostrarum &c. I.

Electuarium de Aromatibus, quod scripsit Galenus &c. II.

ACcipe ligni aloes crudi, Rosarum, ana aureos xij. Galliæ muscatæ, Macis, Doronici, Piperis longi, Nucis muscatæ, Mentæ siccæ, Spicæ, Casiæ ligneæ, Masticis, Cinnamomi, Caryofyllorum, Asari, ana aur. iij. Calami aromatici, aur. iiij. Croci, Cardamomi maioris, Cardamomi minoris, Trium sandalorū, Rheu barbari, Cubebę, Costi, Zinziberis, Seminis fœniculi, Anisi, Cheisim, ana aur. ij. s. Zucchari ℥. vj. Miuæ aromaticæ ℥ xij. Mellis despumati quantum sufficit. Dosis est ab ʒ. ij. vsq; ad aur. iij.

Electuarium de Gemmis &c. III.

ACcipe albarum margaritarum ʒ. iij. Fragmentorum sapphyri, Hiâcynthi, Sardonychis, Granatorum, & Feruzegi, ana ʒ. j. s. Zedoariæ, Doronici, Corticum citri, Macis, Seminis alfeleniemisch, ana ʒ. ij. Corallorum rubeorum, Charabæ, Limaturæ eboris, ana ℈. ij. Been albi, & rubei, Caryofylorum, Zinziberis, Piperis longi, Spicæ, Folij, Croci, Heil, ana ʒ. j. Trochiscorum diarhodon, Ligni aloēs, ana ʒ. v. Cinnamomi, Galangæ, Zurumbet, ana ʒ. j. s. Foliorum auri, & argenti, ana aur. s. Musci boni ʒ. s. Confice cum mellis emblicorum, & colaturæ geleniabin de rosis partibus æqualibus quantum sufficit. Dosis est ab aur. s. vsq; ad j. cum aqua buglossæ, & vino odorifero.

Confectio Alchermes &c. IIII.

Accipe setæ tinctæ ex chermes circiter libram.j. Et propriè super cuius tinctura nõ præterijt spatium extensum, & submerge eam in succo pomorum dulcium, & aquæ rosatæ, ana ℔. j.s. Et dimitte die vna. Deinde fac modicum bullire, donec aqua rubeat. Deinde extrahe ab ea setam, & exprime eam, & pone in ipsa aqua Zucchari tabarzet ℥.cl. Et coque vsq; dum habeat spissitudinem mellis, & remoue ab igne, & proijce in eo calido Ambræ crudæ minutatim incisæ ℥.iiij. Et dimitte in eo liquefieri. Deinde proijce super ipsum puluerem harum rerum. Accipe ligni aloes crudi, & Darseni, ana ℥.vj. Lapidis lazuli loti & præparati ℥.xij. Albarum margaritarum ℥.ij. Auri boni ℥.j. Musci boni ℈.j. Confice. Et sit dosis ab aur.j. vsq; ad ij.s.

Confectio de Xyloaloës &c. V.

Accipe ligni aloës crudi, & Rosarum, ana ℥.viij. Garyofyllorum, Spicæ nardi, Macis, Nucis muscatæ, Galliæ muscatæ, Cubebæ, Cardamomi, Zinziberis, Heil, Masticis, Cinnamomi, Cyperi, Squinanti, Zedoariæ, Beën albi, & Been rubei, Folij, Setæ crudæ adustæ, Margaritarum, corallorum rubeorum, charabæ, Foliorum citri, & corticum citri, Alfeleniemisce, Sansuci, Sisymbrij, Mentæ siccæ, Piperis longi, ana ℥.iiij. Musci boni ℈.j. Ambræ ℥.j.s. Confice cum melle emblicorum, & miua aromatizata. Sit dosis à ℥.j. vsq; ad iij.

Descriptio electuarij Sarboteng, & est lætificans, descriptione Hamech filij Zachariæ &c. VI.

Accipe rosarum, Ligni aloës, ana ℥.vj. Macis, Nucis muscatæ, Galliæ muscatæ, Cardamomi, & Heil, ana ℥.ij. Cinnamomi, Croci, ana ℥.ij. s. Cyperi ℥.v. Garyofyllorum, Masticis, Spicæ, Asari, ana ℥.iij. Fiat omnium trituratio bona, & cõfice cum melle emblicorum, & aromatiza cum musci boni grañ.xv. Et sit dosis à ℥.j. vsq; ad iij.

Modus electuarij de Citro, ex inuentione nostra &c. VII.

Accipe corticum Citrorum, aur.xx. Garyofyllorum, Ligni aloes, cinnamomi, macis, Galangæ, ana ℥.ij. Musci ℥.s. cardamomi, Zinziberis, ana ℥.j. Confice cum melle. Dosis est ℥.s.

Confectio de musco dulcis &c. VIII.

Accipe Croci, Doronici, Zedoariæ, ligni aloës, macis, ana ℥.ij. Albarum margaritarum, setæ crudæ adustæ, charabæ, coralli

ralli

ralli rubei, ana ℥.ij.s. Galliæ, ozymi citrati, ana ℥.j.s. Beē albi, & rubei, folij, spicæ, garyofyllorum, ana ℥.j, Zinziberis, Cubebæ, Piperis longi, ana ℥.j.s. Musci ℈.ij. Confice cum melle crudo, quod sit quadruplum ponderis omnium. Et sit dosis à ℥.j. vsq; ad ij.

Confectio de Musco amara. IX.

SI supradictam confectionem amaram facere volueris, valentior efficietur &c. Et propriè si addatur in permistione eius Absinthij, & rosarū, ana ℥.iij. Aloes optimæ ablutæ ℥.iiij. Castorei, Cheisim, ana ℥.j. Cinnamomi ℥.ij.s. Confice vt suprà.

Modus confectionis Testiculi vulpis, & est Satyrion &c. X.

ACcipe Satyrionū, qui abscindūtur à patre suo ℔.j. Et terantur, & coquantur cum lacte ouili dulci, in quātitate sufficiēti, super prunas, vsq; dum decocti sint. & sit cōsumptū lac. Et tūc funde super eos olei amygdalarū dulciū ℥.iij. Et agitetur sic cōterendo cum ligno. Et postea super totū funde syrupum, cuius modus est: Accipe succi buglossæ cocti & despumati ℔.ij. succi pomorū dulciū ℥.xij Zucchari boni albi ℔.iij. Misceatur agitando cum prædictis, vsquedū fiat eis cōpetens decoctio, & deponatur ab igne, & proijciatur super ea Cinnamomi subtilis & electi ℥.v. Been albi, & rubei, ana ℥.ij. Ligni aloēs ℥.iij. Croci, Sandali citrini, ana ℥.j.s. Confice &c. Dosis ab aur.iij. vsq; ad v.

Confectio alia Testiculorum vulpis, & est Dia Satyrion &c. XI.

ACcipe Secacul albi, mūdi, et elixati in aqua cicerū, quorū ejecta fuit aqua prima ℔.j. Testiculorū vulpis ℥.viij. Radicis raphani ℥.iij. Luf plani ℥.ij. Terātur, & infundantur super ea Lactis vaccini, aut ouini quātitas, quæ supereemineat radicibus duobus digitis, Olei sesamini, & butyri vaccini tecentis, ana ℥.iiij. Et excoquātur cū facilitate, vsq; ad spissitudinē. Et si adhuc radices nō bene decoctæ sint, fundatur super eas ex lacte, & oleo, & butyro prædictis, vsq; dū perfectè decoctæ sint. Et post hoc, funde super hoc totū mellis boni, & despumati ℔.vj. Succi cæpe humidę, ℔.j. Decoque omnia simul vsq; ad perfectā decoctionē. Tūc enim depone ab igne, & proijce super ea puluerē, cuius permistio hæc est: Accipe Caudarū scinci, cum renibus & lumine ℥.viij. Seminis erucæ, zinziberis, Been albi, & rubei, linguæ auis, seminis nasturtij, cinnamomi, Piperis longi, baucizæ seminis, seminis sinapis, & Asparagi, ana ℥.iiij. Et conficiantur cum eis. Vltimo verò ponantur in medicamine Pinearum mundatarum ℔.j. Fisticorum

mundatorum ℥.x.Cerebellorum passerum ℥.ij. Conficiantur omnia bene,& aromatizentur cum ʒ.j.boni musci. Dosis est ab ℥.ß.usq; ad ℥.j.cum pauco bono vino & puro.

Confectio de Galanga &c. XII.

ACcipe Galāgæ,ligni aloes,ana ʒ.vj.Garyofyllorum, macis, cheisim,ana ʒ.ij.Zinziberis,macropiperis,cinnamomi, piperis albi,ana ʒ j.s.Calamenti sicci,mentæ siccæ,heil,spicæ,seminis apij,fœniculi,carui,anisi,ana ʒ.j.Calami aromatici ʒ.j.s.Zuchari tabarzeth ℥.x.Mellis despumati quantum sufficit.Dosis est à ʒ.ij.usq; ad aur.ij.

Dia rhodon descriptione communi &c. XIII.

ACcipe foliorū rosarū rubearū ʒ.xx.Trochiscorū dia rhodō trochiscorū de spodio,Liquiritię,ana ʒ.iiij.Cinnamomi,garyofyllorū,Galliæ muscatæ,ana ʒ.iij.Spodij,croci,masticis,berberi,ligni aloes,ana ʒ.ij.Triū sandalorū,ana ʒ.iij.Asari,Spicę indę, macis,cardamomi,seminis portulacæ,lactucæ,scariolæ, citrulli. melonis,cucumeris,cucurbitæ,albarū margaritarum, Alfelégemisch,lasurę eboris,tragacāthi,gūmi arabici,ana ʒ.j.Cāphorę ʒ.s,Musci ℈.s.Cōfice cū syrupo de rosis,ex aqua rosata.Dosis est ℥.s.

Aromaticum rosatum stomachum &c. XIIII.

ACcipe foliorū rosarum rubearū ℥.j.s.Ligni aloës, macis,garyofyllorū,trociscorū dia rhodon,galliæ muscatæ,ana ʒ.ij. Liquiritiæ mūdatæ ʒ.viij,Cinnamomi subtilis,& electi ʒ.iij. Galāgæ,zinziberis,nucis muscatæ,ana ʒ.j.s.Heil,Spicæ,ana ʒ.j.Syrupi rosati,& syrupi corticum citri,ana quantum sufficit. Et sunt qui aromatizant illud cum ℈.s.boni musci,Dosis est à ʒ ij.usq; ad v.

Aromatici rosati descriptione Gabrielis &c. XV.

ACcipe foliorū rosarū rubearū ʒ.xv.Liquiritiæ rasæ ʒ.vij.Ligni aloes boni,sandali mazahari,ana ʒ.iij.Cinnamomi boni & electi ʒ.v.Macis,garyofyllorum,ana ʒ.ij s.Gummi arabici, tragacanthi,ana ʒ.iij.& ℈.ij.Nucis muscatæ,cardamomi,galangæ,ana ʒ.j.Spicæ ℈.ij.Musci ℈.j.Ambræ ℈.ij.Syrupi rosati, & syrupi corticum citri,ana quantum sufficit.

Aromaticum Rosatum minus &c. XVI.

REcipe Rosarum rubearum ʒ.x. Ligni aloes, sandali mazahari,ana ʒ.ij.Cinnamomi electi ʒ.iiij. Masticis ʒ.j.& ℈.j. Ambræ ℈.ij.Musci ℈.j.Syrupi rosati,quantum sufficit.

Aromaticum Muscatum &c. XVII.

REcipe Ligni aloes ʒ.viij.Darseni electi ʒ.x. Ambræ crudæ ʒ.iij.Musci boni & electi ℈.ij.Syrupi rosati,quantū sufficit.

Arom

Aromaticum Garyofyllatum &c. XVIII.

RЕcipe Garyofyllorũ ℥.vij.Macis,xedoariæ,galãgæ, sandali mazahari,trochiscorũ dia rhodõ, cinnamomi, ligni aloes, spicæ indæ,piperis lõgi,heil,ana ℥.j.Rosarũ ℥.iiij.Liquiritiæ, galliæ muscatæ,ana ℥.ij Folij ,cubebæ,ana gr.xlv. Ambræ ℥.j.musci ℈.s.Syrupi citri quantum sufficit.Dosis est à ℥.iij.vsq; ad v.

Aromaticnm Nardinum &c. XIX.

ACcipe Spicæ indæ ℥.ij.Rosarũ ℥.iiij.Liquiritiæ ℥.ij.s.Galliæ sebelliæ,cubebę,ligni aloes,macis,garyofyllorũ,cinami,Folij indi,anisi,corticũ citri.trochiscorũ dia rhodõ,ana ℥.j.& ℈.j.Pinearũ purgatarũ,amygdalarũ mũdatarũ,ana ℥.v.Gũm arabici, tragacanthi,ana ℥.ij.musci ℈.s.Syrupi rosati,quantum sufficit.

Diacyminum bonum &c. XX.

RЕcipe Cymini pridie in aceto infusi & exiccati ℥.x.Zinziberis, cinnamomi,ana ℥.iiij.Garyofyllorũ,ligni aloes,macis,ana ℥.ij.s.Galãgę,piperis lõgi,cardamomi,ana ℥.ij.musci ℈.s. Mellis despumati,quantum sufficit.

Dianisum &c. XXI.

ACcipe Anisi ℥.xx.Liquiritiæ,masticis,ana ℥.viij.Carui, macis,galãgæ,zinziberis,fœniculi,cinnamomi,ana ℥.v.triũ piperũ,calamẽti,pyrethri,casiæ,ana ℥ ij. Heil,garyofyllorũ, cubebæ,croci,spicę,ana ℥.j.s.zucchari ℥.ij mellis despumati,quantum sufficit.

Diambra &c. XXII.

RЕcipe Cinnamomi, Doronici, Garyofyllorũ, macis, nucis muscatæ,folij,galangæ,ana ℥.iij.Spicæ,cardamomi maioris,& minoris,ana ℥.j.Zinziberis ℥.j.s.Sandali citrini,ligni aloës, piperis longi,ana ℥.ij.Ambræ aur.j.musci ℥.s.Confice cum syrupo rosato,ex aqua rosata.Dosis eius est ℥.iij.

Confectio de Cinnamomo &c. XXIII.

RЕcipe Cinnamomi subtilis & electi ℥.xv. Darseni cinnami, enulæ,ana ℥.iiij.Galãgæ ℥.vij.Garyofyllorũ,piperis longi, cardamomi,zinziberis,heil,macis,nucis muscatę,ligni aloes,ana ℥.ij.Croci ℥.j.zucchari tabarzeth ℥.v.Cõfice cũ melle despumato. Et quãdoq; ponitur in eo duplũ põderis medicinarũ de zuccharo pulverizato,sine melle,& accipitur sicut suffuf.Et alij addunt in eo,Musci ℈.ij.Et pulverizatur cũ eo.Dosis eius est à ℥ j.vsq; ad duas.

Electuariũ de Granis myrti &c. XXIIII.

ET modus eius est,vt in confectione de aromatibus adiũgantur,Granorum myrti tritorum sicut alcohol ℥.c. Myrobalanorum nigrorum , bellericorum, & emblicorum, super quos iam præterijt bullitio vna in aqua cytoniorum, & vino odorife-

ro,ana ʒ.vij. Carui,anisi, cymini,seminis apij,infusorũ in aceto vini die ac nocte, & exiccatorũ,& castorei,ana ʒ.v. confice cum miua aromatizata:& da cum syrupo decoctionis de cytonijs.

Dia calamentum descriptione Galeni. xxv.

Recipe Calamenti fluuialis, & montani,seseleos,& petroselini, ana ʒ. vj. Zinziberis ʒ.iij.Seminis apij,extremitatũ alhasce,ana ʒ.ij.Cheisini ʒ.vj.Piperis ʒ.xij.Mellis despumati quantum sufficit.Dosis eius est à ʒ.j.vsque ad duas.

Diatrion pipereõ descriptione communi &c. xxvi.

Recipe Trium piperum,ana aur.v. Zinziberis,hasce, anisi, ana aur.ij.Spicæ,ammeos.amomi,ana aur.j. Casiæ,seminis apij,seselæos, asari enulæ siccæ,aur.s. Confice cum melle despumato.Dosis eius est ab vncia vna vsque ad duas.

Diacyminum ualens &c. xxvii.

Accipe Cymini carmeni pridie in aceto infusi, & exiccati, ʒ.xx.Zinziberis,Alhasce,ana ʒ.iij.Piperis,cinnamomi,ana ʒ.ij.Ammeos ℥.j.s. Foliorum rutæ siccorum,Baurach rubei, ana ʒ.iiij.Confice cum melle despumato.

Confectio de seminibus &c. xxviii.

Recipe Cymini, seminis fœniculi,carui, anisi, dauci, ammeos,seminis apij,amomi, infusorũ die ac nocte in aceto, & exiccatorũ,ana ʒ.vj.Cinnamomi ʒ,v.Cheisim ℥.iij. Cardamomi,spicæ,garyofyllorum,ana ʒ.iiij.Zinziberis,macropiperis,seseleos, galangæ,ana ʒ v. Mellis despumati quantum sufficit. Et quandoque ponitur in eo zucchari duplum ponderis omnium, & fit sicut suffuf,& est sanum & expertum.

Confectio de cytonijs bona &c. xxix.

Accipe Carnium cytoniorum coctorum in vino ℔.iij. Mellis boni & despumati,tantundẽ.Decoque cum facilitate,& postquam coctũ fuerit proijce super ipsum Cinnami, garyofyllorũ,cardamomi, galãgæ,ana ʒ.j. Darseni ʒ.iij.Zinziberis,piperis longi,macis,ana ʒ.iiij. Et quandoque inuitat necessitas,& coquuntur cytonia in aceto ad causas calidas.Et quandoq; permiscetur eis aceti tertia pars eorum,aut media. Et quandoq; permiscetur eis succus granatorum acetosorum,in medio põderis eorum. Et quandoq; succus citri,in quarta patte ponderis eorum. Et quandoq; fit sine speciebus.Et quandoq; cum speciebus prædictis. Et quandoq; cum puluere isto. Accipe spodij,berberi,seminis acetosæ,triũ sandalorũ,rosarũ rubearum,partes æquales. Et quandoq; ponũtur alia,secũdum intẽtiones Physicorum. Et

quan

quandoque aromatizatur cum musco, aut camphora, aut vtroque. Et quandoque fit cum zuccharo. Et quandoque cum melle,

Confectio de citonijs facta cum succo cytoniorum &c. xxx.

Recipe succi cytoniorũ, & mellis, ana ℔.iij. Ita quòd mel sit despumatũ. Aceti boni puri ℔.ij. Decoquātur cum facilitate, & continuè auferatur spuma eius, & sæpe. Et cùm mellis spissitudinem habuerit, puluerizetur super ipsum, Piperis longi, zinziberis, cinnamomi, ana ʒ.j. Garyofyllorũ, ligni aloes, ana ʒ.iiij. Musci ℈.j. Et quandoque fit sine speciebus: & quandoq; cum speciebus alijs, sicut necessitas conducit. Et quādoq; fit cum zuccharo. Et quandoque variatur alijs modis.

Electuarium de Pomis &c. xxxi.

Recipe Carnium pomorum dulcium, & redolentium, mundatorum, & incisorum per frusta, ℔.vj. Zucchari albi ℔.v. Aquæ rosatæ ℔.ij. Ligni aloes ʒ.v. Sandali citrini ʒ.iij. Garyofyllorũ ʒ.iiij. Cinnamomi electi ʒ.iiij.s. Ambræ ʒ.ij. Musci ℈.j. Hoc etiam modo fit electuarium de pomis acetosis, & electuarium de pomis paruis, & aromaticis, & dulcibus.

Electuarium de persicis &c. xxxii.

Accipe Carnium persicorum mediocrium inter maturitatem, & acerbitatem, & mũdatorum à corticibus suis, & succi eorum, ana ℔.iij. Zucchari tabarzeth ℔.ij. Terantur persica, vt sint sicut medulla, & exerceas in eis decoctionem, cum syrupo, sicut diximus in confectione de cytonijs. Et cùm coctum fuerit, puluerizētur super ipsum Ligni aloēs ʒ.ij. Cinnami, cubebæ, macis, ana ʒ.iiij. Sandali citrini ʒ.ij. Musci ℈.s. Et quandoque fit sine speciebus. Et est sanum, & expertum.

Electuariũ, quo utũtur Reges, & delicati &c. xxxiii.

Recipe Pinearum mundatarum ℥.viij. Amygdalarum purgatarũ ℥.v. Zucchari albi ℔.iiij. Aquæ rosaceæ ℔.j.s. Olei amygdalæ dulcis recentis ℥.iij. Cinnamomi electissimi ʒ.iiij. s. Garyofyllorum ʒ.iij. Ambrę bonæ ʒ.j. Musci ℈.s. & est bonum, & expertum. Et confortat stomachum, cor, pectus, & cerebrum.

Electuariũ secundũ quo utuntur Reges &c. xxxiiii.

Recipe Pinearũ mũdatarum ℥.vj. Amygdalarũ dulciũ purgatarũ ℥.iiij. Zucchari albi ℔.iiij. Aquę rosatæ ℔.j.s. Foliorũ rosarũ rubearũ ℥.j.s. Sādali citrini ʒ.iij. Ambræ ʒ.j. Musci ℈.s.

Electuarium de Fructibus &c. xxxv.

Accipe Carnium cytoniorum, & Pyrorũ ponticorum, & ma

lorum acidorum, quorum singulum elixatum fuerit in aceto vini fortis: in quo infusum fuerit sumach die ac nocte, & Succi acrestæ: super cuius trituratione eleborandum est, vsque ad consumptionem vltimam granorum, ana ℔.j. Carnium sorborũ immaturorum ℥.v. Zucchari ℔.iiij. Coque ad spissitudinẽ mellis. Deinde pone super ipsum, Succi berberi ℥.ij. Spodij seminis acetosę, ana ℥.j. Repone postquã cõfectũ est, in vase vitreo: & da à ʒ.ij. vsque ad iij. cũ aqua frigida, & rób citri, aut ribes, aut aliquo taliũ.

Confectio alia Galeni, & est confectio de acetosis &c. XXXVI.

RECIPE Xyloaloes, cubebæ, ana ʒ.iiij. Rosæ, coralli rubei, margaritarũ albarũ, sandali citrini, fausel, ana ʒ.ij. Berberi, seminis cucumeris, cucurbitæ, citrulli, & melonis, ana ʒ.iiij. Spodij, charabe, gummi tragacanthi, ana ʒ.iij. Boli armeni ʒ.ij.s. Seminis acetosæ ʒ iiij. Seminis portulacæ, & buglossæ, ana ʒ.iij.s. Camphoræ ʒ.j confice cum rob citri, aut rob acrestæ. Dosis eius est à ʒ.ij. vsque ad iiij. cum aqua frigida.

Confectio de Prunis &c. XXXVII.

ACCIPE Carnium prunorum nigrorum, ob longorũ, & muzorum, accedentium ad dulcedinem, & elixorum, in aqua in qua prius portulaca elixata fuerit, ℔.ij Zucchari albi ℔.ij. s. Aquæ violarum ℔.j. Decoque cum facilitate, vsq; ad spissitudinem. Reconde in vase vitreo, & da aur. iiij. vel vj.

Electuarium de Sorbis &c. XXXVIII.

ACCIPE Carnium sorborum immaturorum, vicinorum maturitati, & elixatorũ in aqua in qua rosæ prius decoctę fuerint & cortices granatorũ, ℔.iij. Mellis aut Zucchari ℔.ij.s. Coquatur vsque ad spissitudinẽ, & reconde ipsum in vasa. & da ℥.j.

SECVNDA PARS DISTINCTIONIS PRIMAE, QVAE EST DE *antidotis amaris magnis.*

Theriaca diatessaron &c. XXXIX.

RECIPE Gentianæ, baccharum lauri, myrrhæ, aristolochię rotundæ, ana. Confice cum melle despumato. Dosis eius est ab aur. s. vsq; ad aur. j.

Triphera Saracenica magna &c. XL.

RECIPE Omniũ myrobalanorũ, ana ʒ.v. Cinnami trium piperum, secacul, folij, spicæ, vtriusq; cardamomi, casiæ, seitaragi

ragi indi, cyperi,apij,linguæ auis, garyofylli,been albi & rubei, zinziberis,ana ʒ.ij.Nucis muscatæ,macis,sesami excorticati,ana ʒ.iij. Amygdalarũ dulcium & amararũ,ana ʒ.v.Ligni aloës,rheu barbari,seminis fœniculi,masticis,ana ʒ.ij. Alfelengemisch,mẽtæ siccæ,origani,persici ana ʒ.j.s.Fricentur myrobalani cum butyro vaccino,& cæteræ species cum oleo amygdalino, & confice cum melle,quantum sufficit. Dosis eius est à ʒ.j.s.vsque ad iij. Et sunt quidã,qui addunt in confectione,turbith ʒ.xv. Et sunt qui aromatizant ista,cum Musci ʒ.vnius quarta.

Triphera Muscata,quam fecit Alcãzi &c. XLI.

Recipe Myrobalanorũ chebulorum , nigrorum,emblicorum,& bellericorum,piperis,macropiperis,zinziberis,cyperi,casiæ,indæ,spicæ,ana ʒ.v. Seminis anethi,seminis porri,ana ʒ.ij.Seminis bauciæ,rosarum,cinnami,nucis muscatæ, garyofylli,ana ʒ.j.s.Macis,heil,galliæ,ligni aloes crudi,musci,ana ʒ.j.Granorum nasturtij ʒ.x. Confice cum melle despumato,& da à ʒ.ij. vsq, ad iiij.Et quandoq; ponũtur in ea Scoriæ ferri nutritiæ ℥.ij.

Triphera Galeni &c. XLII.

Recipe Omnium myrobalanorum,ana ʒ.x. Zinziberis,masticis,cinnami,garyofyllorum,ana ʒ.vj. Galãgæ,marathri, anisi,apij,ammeos,spicæ,asari,croci,ana ʒ.iiij. Costi piperis nigri,& lõgi,casiæ,ana ʒ.iij.Nucis muscatæ,macis,cardamomi maioris,& minoris,calami aromatici , ligni,aloës,ana ʒ.ij. Tuderi albi,& rubei,alufulfumen,cyperi,ana ʒ.iij.s. Ambræ ʒ j.Musci ʒ. vnius partes tres . Fricẽtur myrobalani cum oleo amygdalarum dulcium.Et confice omnia cum melle despumato. Et Galenus quidemquandoque addidit scoriam ferri nutritam in aceto vini secundum mensuram medicinarum omnium. Et quandoq; secundum medietatem ea um.Dosis est à ʒ.j.vsque ad ij.

Triphera maior ex arte Fenonis &c. XLIII.

Recipe Myrobalanorum chebulorum,indorum, bellericorum,emblicorum,nucis muscatæ,ana ʒ.v. Nasturtij assati, persici,piperis,olibani, ammeos, zinziberis, charmezith , spicæ squinanti,ciperi,ana ʒ.iiij.Scoriæ fe i nutritæ in aceto diebus v. & assatæ ʒ.xx. Myrobalani assentur cum butyro vaccino,& inuoluantur cætera cum oleo amygdalarum dulcium , & aromatizentur cum musci ʒ.j. Et confice cum melle despumato, & da post sex menses.Dosis à ʒ.j.vsque ad ij.&c.

Triphera minor descriptione cognita &c. XLIIII.

Recipe myrobalanorum chebulorum,indorum, bellerico-

rum,& emblicorũ,ana partes æquales. Inuoluantur butyro vaccino, & frigantur. Et conficiantur cum melle emblicorum,& aromatizentur cum musci,semioctaua vnius partis. Et in descriptione alia: Cyperi,olibani,nasturtij assati,ana sextam partem vnius partis. Et apud alios, Scoriæ ferri nutritæ partes.iij. Et est bonum,& expertum.

Diacurcuma maior &c. XLV.

Recipe Croci,asari,petroselini,dauci,anisi,seminis apij,ana ʒ.iiij. Raued seni, phu,meu,spicæ,ana ʒ.vj. Costi,myrrhæ, casiæ squinanti,carpobalsami, rubeæ tinctorum,succi absinthij, succi eupatorij,olei balsami,ana ʒ.ij. Calami aromatici, cinnamomi,ana ʒ.j.s. Scordeon, scolopendriæ,succi liquiritiæ,ana ʒ.ij.s. Tragacanthi ʒ j. Cõfice cum melle despumato. Dosis eius est à ʒ.j. vsque ad iij.

Diacurcuma minor &c. XLVI.

Recipe Spicæ,myrrhæ,casiæ,croci,floris squinãti, costi,cinnamomi,ana. Confice cum melle despumato,& est bona & experta.

Diamorusia &c. XLVII.

Accipe Croci,acori,ana ʒ.ij. Myrrhæ ʒ.iij. Baccarum lauri ʒ.ij.s. Dauci,cinnami,casiæ, cymini carmeni, carpobalsami,florum squinanti,seminis apij,anisi,cordumeni,spicæ mentæ siccæ,marmacur, ammeos,ana ʒ.j. Costi,trium piperum,ana ʒ.s. Confice cum melle despumato. Dosis eius est à ʒ.vna, vsque ad duas.

Dialacca magna &c. XLVIII.

Recipe laccæ ablutæ,raued seni,ana ʒ.iij. Spicæ aromaticæ, masticis,seminis,apij, squinanti,absinthij,succi eupatorij, ammeos,sauinæ,amygdalarum amararum, costi,myrrhæ,rubeæ tinctorum,seminis fœniculi, anisi,asari,aristolochiæ, gentianæ, croci,cinnamomi,hysopi siccæ,casiæ,cimarum squinanti, bdellij,ana ʒ.j.s. Piperis,zinziberis,ana ʒ.j. Infunde myrrhã & bdellium in vino,& cætera tere: & confice cum melle despumato. Dosis eius est ab aur.j. vsque ad duos.

Dialacca minor &c. XLIX.

Recipe Laccæ ablutæ,croci,costi,florũ squinanti,rubeæ tinctorũ,aristolochiæ rotundæ,liquiritiæ,piperis ana ʒ.s. Raued seni ʒ.iij. Myrrhæ bdellij,ana ʒ.j. confice vt primum.

Confectio de Raued seni &c. L.

Recipe Raued seni,succi eupatorij,succi absinthij, ana ʒ.v.

Fumi

Fumi terræ, ſpicæ, aniſi, cimarum ſquinanti, ſeminis apij, aſari, caſiæ, amygdalarum amararum excorticatarum, ana ʒ.s. Myrrhæ, croci, ana ʒ.j. Confice cum melle deſpumato.

Diacoſtum &c. LI.

RECIPE Coſti amari, caſię, cinnami, ana ʒ.v. Seminis apij, aniſi, cimarũ ſquinanti. & raued ſeni, ana ʒ.iij. Aſari ʒ.iiij. Croci, ariſtolochiæ, myrrhæ, ana ʒ.ij. Mellis quantum ſufficit.

Confectio electuarij ex inuctione noſtra &c. LII.

RECIPE Ligni aloes, ſpicæ, galliæ muſcatæ, cyperi, calami aromatici, ana ʒ.ij. Cymini carmeni infuſi in aceto die ac nocte, & aſſati ʒ.iij. Seminis porri torrefacti ʒ.j.s. Emblicorum, & bellericorum infuſorum in ſucco cytoniorum, & toſtorum, nucis muſcatæ, ana ʒ.ij.s. Granorum naſturtij toſtorum ʒ.vj. Granorum paſſularum ʒ.v. Granorum myrti tritorum ſicut alcohol ʒ.xxvj. Balauſtij, conchularum aduſtarum, olibani, fructus tamariſci, ana ʒ.ij.s. ammeos ʒ.iij. Tere omnia, & frigãtur in vino odorifero, & exiccentur, & frigantur iterum in aqua cytoniorũ aut aqua granorum myrti, & exiccentur. Deinde dimitte ſiccari ſuper vaſe vitreo, & iterum terantur ſicut alcohol, & inuoluantur in miua aromatica. Et ſit doſi ʒ.iij. cum ſyrupo de cytonijs, aut mytino.

Electuarium confortans ſtomachum &c. LIII.

RECIPE Granorum myrti tritorũ ſicut puluis alcohol ʒ.xij. Roſarum, ſpodij, ſumach, trium ſandalorũ, balauſtij, gummi Arabici aſſi, ana ʒ.j.s. Granorum granatorum aſſatorum ʒ.vij. Coriandri infuſi in aceto, & aſſati ʒ.vij. Seminis plantaginis, ſeminis roſarum, ana ʒ.ij. Fiat omnium contritio bona, & frigantur cum ſucco acreſtæ, vel ſucco myrti, & aceto, & ſiccentur. Deinde inuoluantur in miua acetoſa. Et ſit doſis eius à ʒ.ij. vſq; ad iij. cum ſyrupo acetoſorum cytoniorum.

Modus confectionis Alcanzi &c. LIIII.

RECIPE Roſarum, coſti ſpiſcæ, ana ʒ.iiij. Florum alkilil ℥.j. Nucis muſcatæ, calami aromatici, garyofyllorum, macis, cardamomi, ana ʒ.ij. Cyperi ʒ. xij. Trium piperum, ana ʒ.iij.s. Zinziberis ʒ ij. Myrobalani indi, emblici, & bellerici, ana ʒ vj. Granorum myrti ℔.j. Balauſti, thuris, corticum citri, fructus tamariſci, ana ʒ.iiij. Bulliant cum bono vino antiquo, bullitione vna, & exiccentur. Deinde bulliãt cum ſucco cytoniorum bullitio

litione alia, & excicca in vase terreo vitreato. Et tere omnia sicut alcohol, & cõfice cum miua. Et da ℥.ij. cum syrupo cytoniorum.

Confectio de assa &c. LV.

Recipe Asse, piperis, myrrhæ foliorũ rutæ siccorũ, ana partes æquales. Confice cum melle despumato. Et est dosis à ℥.j. vsque ad aur.j. Et propriè cum oxymelle in febre, per vnam horam ante periodum. Et venenosis morsibus cum vino calido.

Confectio Anacardina, & est confectio sapientum &c LVI.

Recipe Piperis, macropiperis, myrobalanorũ chebulorum, emblicorum, bellericorum, & indorum, & ium de beduſt, ana ℥.ij. Costi, anacardi, zucchari tabarzeth, burungi, baccarum lauri, ana ℥.vj. Cyperi ℥.iiij. Tere anacardos per se, deinde medicinas alias. Et cõfice cum butyri vaccini, & mellis prius bullito rũ quãtitate æquali, & da post sex mẽses. Dosis eius est ℥.ij. cũ aqua fœniculi, & apij. Caueat sumens à labore, ira, coitu, & ebrietate.

DISTINCTIO SECVNDA EST DE MEDICINIS OPIATIS.

Confectio Philonij ex inuentione propria &c. LVII.

Recipe Piperis albi, hyoscyami albi, ana ℥.xx. Opij ℥.x. Croci ℥.v. Spicæ, Pyrethri, castorei, ana ℥.j. Confice cum melle despumato: quod sit quadruplum ponderis omnium. Dosis eius sit, sicut cicer, aut faba parua, cum eo quod conuenit ex potibus. Et sunt qui ponunt musci ℥. vnius tertiam. Et est sublime.

Confectio Philonij, descriptione Hamech filij Zachariæ &c. LVIII.

Recipe Nigellæ, castorei, piperis, ammeos, baccarum lauri, cymini, foliorum rutæ, calamenti, opij. hyoscyami, corticũ mandragoræ, ana partes æquales. In alio: Opij, partes duas: croci, partem vnam. Confice cum melle despumato. Dosis est à ℥.ij. vsque ad aur.ij.

Sagzenea experta &c. LIX.

Recipe Castorei, myrrhæ, opij, piperis, macropiperis, galbani, costi, cinnamomi, phu, meu, dauci, asari, croci: ana partes æquales. Cõfice cum melle despumato. Dosis est, aur.j. Et sunt qui conficiunt cum rob.

Athanasia magna &c. LX.

Recipe Croci, opij, myrrhæ, castorei, hyoscyami albi, costi, cordumeni, seminis papaueris nigri, spicæ, eupatorij, hepa

tis

tis adib,& cornu dextri de cornibus capræ,ana partes æquales. Terantur terenda: cætera liquefiant in vino,& confice cum melle despumato,& da post sex méses. Dosis est ab aur.s.vsq; ad aur. j.cum vino suaui,& dulci:aut cum rob,& succo endiuiæ, & apij.

Dia sulphur &c. LXI.

RECipe Piperis albi,& longi,ana ℨ.vj. Sulphuris citrini, thuris, meu, hyoscyami albi, myrrhæ, storacis, cordumeni, ana ℨ.viij. Rutæ, costi, ana ℨ.v. Opij, mandragoræ, ana ℨ.iij. Croci ℨ. ij.s. Casiæ ℨ.vj. Confice cum melle despumato, & vtere post sex menses.

Confectio de storace &c. LXII.

RECipe Storacis liquidæ, opij, asari, seminis hyoscyami albi, castorei, croci, myrrhæ, olibani, ana partes æquales. Mellis quantum sufficit.

DISTINCTIO TERTIA EST DE MEDICINIS SOLVTIVIS.

TErtia distinctio est de medicinis solutiuis, & sunt quædam ex eis aloëticæ &c. LXIII.

Hiera picra Galeni, nomen habet amaritudinis &c. LXIIII.

RECipe Cinnamomi, masticis, asari, spicæ nardi, carpobalsami, croci, xylobalsami, casiæ, ana partes æquales. Et quidã addiderunt florum squinanti, partem vnam. Et quidam addiderunt absinthium. Et alij, alia. Aloes autem, sit duplum ponderis omnium.

Hiera hermetis, & est hiera luf &c. LXV.

RECipe Aloes ℥.j. Trochiscorũ alandahal, aur.viij. Turbith, agarici, luf vtriusque sicci, ireos, serapini, myrobalanorum citrinorum, chebulorum,& indorum, ana, ℨ.j.s. Zinziberis, cinnamomi, masticis, bdellij, hellebori nigri, euphorbij, asari, casiæ igneæ, salis Indi, castorei, croci, apij, cheisim, seminis mezereon, stichados, ana ℨ.j. Squillæ assatæ ℨ.ij.s. Scammoneæ bonæ ℨ.ij. Fiat omnium contritio bona. Gummi autem ponantur in vino odorifero. Et inuoluatur puluis in succi cucumeris asinini quantitate, qua bene inuoluatur,& exiccetur. Et iterum denuò inuoluatur in prędicto succo,& pauco oleo nucum,& iterum siccetur. Et conficiatur totum, cum mellis despumati quantitate, qua fiat totũ sicut pasta: & detur post sex méses. Dosis est à ℨ.j. vsq; ad ij. misce.

Confectio hieræ Archigenis &c. LXVI.

RΕcipe Pulpæ coloquintidæ ℥.xxij. Prasij, stichados, hellebori nigri, chamædryos, scammoneæ, leucopiperis, macropiperis, omnium ana ℥.ij. Cæpæ muris assatæ, euphorbij, aloes, croci, gentianæ, petroselini, ammoniaci, opopanacis, omnium ana ℥.j. Polij, cinnamomi, serapini, myrrhæ, spicæ, squinanti, calamenti montani, Aristolochiæ rotundæ, omnium ana ℥.ij. mellis quantum sufficit. Et fit dosis aur.iiij. Cum decoctione epithymi, & passularum mundatarum.

Hiera Archigenis, descriptione Pauli. LXVII.

RΕcipe Prasij, agarici, chamædryos, pulpæ coloquintidæ, stichados, omnium ana aur.xx. Opoponacis, serapini, petroselini: aristolochiæ rotundæ, Piperis albi, omnium ana aur.v. Cinnamomi, spicæ, polij, croci, ana aur.iiij. Tere ex medicinis, quæ sicca sunt, & gūmi cōquassa, & infunde in melle, & permisce. Et fit dosis aur.iiij. Cum salis triti pōdere ℥.vnius, & aqua mellis.

Hiera diacoloquintidos, inuentione Ruffi &c. LXVIII.

RΕcipe Stichados, Agarici, chamædryos, ana ℥.x. Coloquintidæ & electæ ℥.xx [Et in alio, loco coloquintidæ, trochiscorum alandahal ℥.xxv] Serapini, Opopanacis, ana ℥.viij. Petroselini, Aristolochiæ rotundæ, Piperis, ana ℥. v. Casiæ ℥. vij. cinnamomi, croci, Spicæ, myrrhæ, Polij, ana ℥.iiij. Myrrham in vino infunde, & medicinas tere, & confice cum melle despumato.

Hiera, inuentione nostra &c. LXIX.

RΕcipe Aloes bonæ ℥.xv. Epithymi, costi, ana ℥.xv. Euphorbij, croci, spicæ, chamædryos, ana ℥.vj. Agarici ℥.ix. Garyofylorum ℥.ij. calami aromatici, masticis, casiæ, ana ix. Xylobalsami ℥.iiij. Piperis albi, & nigri Gentianæ, Amomi, ana ℥.ij. Scāmoneæ coctæ in pomo ℥.ij. mellis quantū sufficit. Dosis est aur .j.

Diasiracost, descriptione Irani, quæ est medicina benedicta &c. LXX.

RΕcipe Alsiracost boni & recentis ℥.iiij. Tamarindorū cheiron ℥.vj. medullæ casiæ ℥.iiij. Zucchari violati ℥.xvj. Succi apij, Succi malorum dulcium, & acetosorū & muzorum, & Succi acetositatis citri, ana ℥ iij Dissoluantur siracost, & tamarindi, & casia fistula, in succis iam dictis, prius tamen depuratis. Deinde cola & munda à sordibus & impuritatibus. Deinde accipe radicum endiuiæ, & apij, ana ℥.iij. Foliorum lupuli, capillorum veneris, ana ℥.ij. Prunorum siccorum, centum numero.

Viol

Violarum ℥.j.s.Rosarum ℥.j.Spicæ ʒ.iij.Decoquātur hæc in tribus libris aquæ fontis: vsque ad ℔.j.s.Et cola,& exprime. Deinde in ipsa decoctione proijce Zucchari tabarzeth ℔.iij.Aceti boni ℔.j.Et coque ebullitione vna.Deinde proijce super illud colaturam priorum,& coque dum mellis habeat spissitudinē.Vltimò verò proijce in medicamine Sandali citrini, Rosarum,Spodij,charabæ,Berberi,Seminis portulacæ,seminis acetosæ, & seminum communium,scilicet melonis,citrulli,cucumeris, & cucurbitæ,ana ʒ.iij.ligni aloes ʒ.iiij.cubebæ ʒ.v.camphoræ ʒ.j.Repone in vase vitreato. Est enim medicamen nobile.Dosis eius est ab ℥.j.vsque ad duas,cum aqua frigida,& hoc in æstate æstiua.

Triphera Persica &c. LXXI.

RECIPE succorum solatri, Endiuię,& apij depuratorum,ana ℔.ij.Succi lupuli ℔.j. Et proijciantur super eos Violarum siccarum,aut viridium,& Rosarum,ana ʒ.iij.Folliculorum senæ ℥.ij. Agarici ℥.j.Prunorū damascenorū pinguiū, quinquaginta numero.Cuscutæ ℥.s.Spicæ aromaticæ ʒ.iij. Bulliāt super prunas cum facilitate,vsquedum remaneant ℔.ij.Et proijciantur super illa Epithymi boni,& mundi ʒ.xl.myrobalanorum citrinorum, chebulorum,& Indorum,in oleo amygdalarum dulcium inuolutorum,ana ℥.ij.Et bulliant bullitione vna, & deponantur ab igne, & colentur. Et dissoluantur in vna parte istius colaturæ tamarindorum bonorum, & recentium ℥.iij.mannæ ℥.j.s. Pulpæ casiæ ℥.zucchari violati ℥.xij.Coletur totum, & mundetur à granis & sordibus suis. Et in altera parte ipsius colaturæ proijciātur zucchari tabazeth ℔.iij.Aceti vini ℔.j.Coquantur cum facilitate. Deinde quod dissolutum est in prima parte dictæ colaturæ proijciatur super,& simul in vnum coquantur,vsque ad mellis spissitudinem. Vltimò verò puluerizentur raued boni ℥.ij.myrobalanorum citrinorum ℥.j.s.chebulorū,Indorum, ana ʒ.viij. bellericorum,emblicorum,anā ʒ.iiij.granorum fumi terræ,trochiscorum diarhodon,macis,masticis,cubebæ,spodij,Sandali citrini,ana ʒ.ij.Quatuor granorum,anā ʒ.ij.anisi ʒ.iiij.spicæ.ʒ.ij. Inuoluantur in oleo violato,& proijciantur in illud totū. Quod confectum, repone in vase vitreo,& da cum aqua frigida,& succo endiuiæ aut succo solatri. Dosis eius est ℥.j.

Confectio electuarij alharif, & est electuarium boni saporis,quod composuimus nos &c LXXII.

RECIPE myrobalanorum citrinorum , & chebulorum,& indorum, ana partes æquales. Tere, & cribella, &

accip

accipe olei amygdalarũ quantũ sufficit. Et infunde super ipsos, & frica manibus. Et hoc facias tribus diebus, in sole. Et du n iugiter exiccatur, semper superinfunde oleum. Deinde quantitatẽ zucchari albi sufficientem, in decuplo ipsius aquæ fontium dissolue: & cum ea aqua mistur am prædictam continue triduo tere, semper in eam parum de ipsa aqua infundendo. Et hoc facies, vt myrobalanorum amaritudo cesset. Deinde fac in vmbra siccari. Deinde accipe ex hoc toto ℥.xv. Turbit boni ℥.vj. Anisi, masticis, ana ℥.ij. Spicæ ℥.j.s. Violæ siccæ ℥.vij. seminis apij ℥.ij.s. nabet, & zucchari albi, ana ℥.x. Confice cum melle despumato, & sit dosis ℥.iij. cum aqua calida.

Confectio alia electuarij alharif boni saporis, quod etiam cõposuimus nos &c. LXXIII.

Accipe myrobalanorum chebulorum, & nigrorũ, ana partes tres. Emblicorum, & bellericorum, ana partem j.s. Citrinorum, partes duas. Tere, & cribella. Et iuxta modũ superioris doctrinæ, in eorum rectificatione opus est obseruandum. Deinde accipe ex hoc toto ℥.xviij. Turbith albi & mundi ℥.vj. Zinziberis, heil, masticis, cinnamomi boni, ligni aloes, garyofillorũ, piperis, cucubæ, galangæ, macis, seminis apij, ana ℥.j.s. Spicæ, drahmæ vnius partes duas. Pinearum mundatarum, zucchari tabarzeth, & nabet, ana ℥.xij. Confice cum mellę despumato. Et sit dosis eius ℥.iij. cum aqua calida.

Confectio electuarij Indi maioris &c. LXXIIII.

Reccipe Cinnami, garyofylli. spicæ, rosarum, casiæ, macis, cyperi, ana ℥.iiij. Sandalorum citrinorum ℥.ij.s. Ligni aloes, nucis muscatæ, ana ℥.ij. Turbith boni albi, & gummosi, & arundinei ℥.l. Zucchari, & penidiarum, ana ℥.xx. Galandæ, heil, cardamomi, asari, masticis, ana ℥.j.s. Scammoneæ bonæ, & decoctæ in pomo ℥.xij. Omnia cum oleo amygdalino fricei tur. Deinde accipe Succi cytoniorum, & granatorum, succi apij, & fœniculi, ana ℔.s. Decoque cum melle, ad spissitudinẽ, & confice cum speciebus, Dosis eius est aur.iij.

Electuarium Indum minus &c. LXXV.

Recipe Turbith ℥.c. Zucchari tantundem, macis, piperis, zinziberis, garyofyllorum, cinnami, heil, nucis muscatæ, ana ℥.vij. Scammoneæ ℥.xij. Confice cum melle despumato. Dosis eius est aur.iij.

Con

Confectio de dactylis, & est Diaphinicon, quam scripsit filius Zerar &c. LXXVI.

Recipe Dactylorum cheyrô infusorum in aceto tribus diebus & noctibus, partes centum. Penidiarum sahiri, partes quinquaginta, amygdalarum purgatarum, partes triginta. Turbith, partes xxxv. [Scammoneæ, in aliquibus libris, partes duodecim: & in aliquibus, partes viginti duas.] Zinziberis, piperis longi, foliorum rutæ siccorum, cinnami, macis, ligni aloës, anisi, fœniculi, dauci, galangæ, ana partes ij.s. Et fiat omnium contritio bona. Et confice cum melle despumato, quantum sufficit. Est enim medicina mirabilis. Dosis est ab aur. iij. vsq; ad septem.

Modus electuarij de psyllio &c. LXXVII.

Recipe Succi buglossæ domesticæ, & sylvestris, & succi endiuiæ, & succi apij coctorum, & despumatorum, ana ℔.ij. Et proijce super ipsos Cuscutæ, anisi, foliculorum senæ, ana ℥.s. Capillorum veneris, manipulum j. Succi fumiterræ ℥.iij. Asari ʒ.iiij. Spicæ ʒ.ij. Et dimitte die, ac nocte, & bulliant bullitione vna. Et proijciantur super ea Violarum viridium, vel siccarum ℥.iij. Epithymi ℥.ij. Et bulliant adhuc alia bullitione parua. Deinde coletur totum, & exprimatur, & in colatura ponantur Psyllij ℥.iij. Et dimittatur per diem ac noctem, omni hora tamen agitando illud cum spatula. Deinde exprimatur viscositas eius tota. Deinde accipiantur huius viscositatis ℔.iiij. Et proijciantur super eam Zucchari albi ℔.ij.s. Scammoneæ coctæ in pomo ℥.iij. Et coquatur totum cum facilitate: postquam coctum fuerit, proijciantur super ipsum Trochiscorum diarhodon, trochiscorum de spodio, & raued seni, ana ℥.j. Trochiscorũ de berberis ℥.s. Dosis eius est, à ʒ.iij. vsq; ad aur. iij. Et vocauit Hamech confectionem hanc, electuarium trochiscatum. Sunt alij qui addunt aceti ℔.j.s. Et alij addunt succi violarum ℔.j. Et est medicamen nobile.

Electuarium Elescophi &c. LXXVIII.

Recipe Scammoneæ Antiochenæ bonæ, turbith albi, ana ʒ.vj. Garyofyllorum, cinnami, zinziberis, emblicorum, nucis muscatæ, polypodij, ana ʒ.ij.s. Zucchari albi ℥.vj. Confice cum melle despumato. Dosis eius est ab aur. ij. vsq; ad iiij.

Confectio medicaminis, quod scripsit Hamech &c. LXXIX.

Recipe Myrobalanorum citrinorum ℥.iiij. Chebulorum, & nigrorum, rheubarbari boni, ana ℥.ij. Agarici, coloquintidæ, polypodij, ana ʒ.xviij. Absinthij, hasce, senæ, ana ʒ.vj. [Vio-

larũ ℥.j.s. Epithymi ℥.ij. Anisi, rosarũ, fœniculi, ana ʒ.vj.] Succi fumiterræ ℔.j. Prunorũ numero lx. Passularũ enucleatarũ ℥.vj. Infundãtur omnia in aquæ casei quãtitate sufficiẽti, & ponantur in vase vitreato stricti orificij, & obturetur os eius, & dimittatur per dies quinq;. Demũ bulliãt bullitione vna, postmodũ colẽtur. Et in vna parte cõpetẽti ipsius colaturæ, dissoluãtur Casiæ fistulæ mũdæ ℥.iiij. Tamarindorũ ℥.v. Tereniabin ℥.ij. Fricentur manibus, & colẽtur. Et in alia parte dictæ colaturæ dissoluatur zucchari boni & albi ℔.j.s. Et coquatur vsquedũ mellis habeat spissitudinẽ. Hinc superponatur quod colatũ est ex casia, tamarindis, & tereniabin, & coquatur. Deinde puluerizẽtur super illud Scãmoneæ bonæ ℥.j.s. Myrobalanorũ citrinorũ, chebulorũ, & indorũ, ana ℥.s. Bellericorũ, emblicorũ, rheubarbari electi, seminis fumiterræ, ana ʒ.iij. Anisi, spicæ, ana ʒ.ij. Dosis eius est à ʒ.ij. vsque ad aur.ij.

Confectio alia Hamech &c. LXXX.

RECipe Myrobalanorum nigrorũ chebulorũ & indorũ, epithymi, ana ʒ.l. Fumiterræ, absinthij, ana ʒ.xx. Hasce, calamẽti, polypodij, agarici, liquiritiæ, buglossæ, ana ʒ.x. Stichados, chamædryos, camæpithyos, bebegard, anisi, ana ʒ.v Prunorũ, iuiubarũ, sebesten, ana numero lxx. Passularum enucleatarũ ℔.j. Coquantur in aqua sufficienti, vsq; ad iij. partem, & pone in ea rob ℔.ij. Mellis ℔.j. Scammoneæ ℥.ij. Coquantur cum facilitate vsq; ad mellis spissitudinem. Dosis eius est à ʒ.iij. vsq; ad vj.

Modus electuarij rosati &c. LXXXI.

RECipe Succi rosarũ rubearũ cõpletarum ℔.iiij. Zucchari tabarzet ℔.j.s. Tereniabin puri & recẽtis ℥.vj. Scãmoneæ Antiochenæ ℥.j.s. Coquãtur omnia cũ facilitate, super ignẽ, qui fit sicut cãdela, vsquedũ mellis habeat spissitudinẽ. Deinde proijce super illud Trochiscorũ de spodio ℥.j. Galliæ, croci, ana ʒ.ij. Trochiscorũ de berberis ʒ.iiij. Repone in vase vitreo. Dosis eius est ʒ.v.

Confectio alfescerae, quam scripsit Democritus &c. LXXXII.

RECipe Radicis alfescerae mũdatæ, & cõtritæ ℔.s. Mellis, passularum ℔.iiij. Squillæ assatæ, pinearum mundatarum, ana ℥.j.s. Nucis muscatæ, cordumeni, macis, zinziberis, ana ʒ.ij. Garyofyllorum, piperis longi, ana ʒ.j.s. Seseleos, salis gemmæ, galliæ, ana ʒ.j. Spicæ ʒ.s. Agarici ʒ.iij. Stichados ʒ.j.s. Dosis eius est à ʒ.ij. vsq; ad v. Da post sex menses.

Cõfectio Mannæ, ex inuẽtione galeni &c. LXXXIII.

RECipe Mannæ puræ & recentis ℔.j. Scammoneæ antiochenæ

næ ℥.j. Dissoluatur manna cum succo rosarũ rubearũ, & sit succi quantitas conueniens, videlicet circiter ℔.j. Et coquatur cum facilitate, donec habuerit sufficientem coctionem. Deinde pone super illud Masticis ʒ.iij, Et da ℥.s. &c.

Confectio Almezereon, ex inuentione nostra, quod est medicamen benedictum &c. LXXXIIII.

RECIPE Foliorũ almezereõ præparatorũ, partes x. Carniũ cytoniorũ elixatorũ in aceto vini, & zucchari tabarzeth, ana partes lxxx. Aquæ casei infusionis agarici, partes xxx. Tereniabin, partes xl. Olei almezereon, partes xij. Dissoluantur zuccharum & tereniabin, in aqua casei prędicta, & misceãtur cum carne cytoniorum, & coquãtur cum facilitate, vsquedũ mellis habeant spissitudinem. Et inuoluatur puluis foliorum almezereon, cum oleo iam dicto, & conficiatur cum eis. Et sit dosis eius ʒ.iiij.

Modus confectionis Alscebram &c. LXXXV.

RECIPE Alscebrã boni & electi ℥.j. Myrobalanorũ citrinorũ ℥.ij. Puluerizentur, & cribrellentur, & proijciatur super eorum summã Succi fœniculi humidi quantitas, quæ cooperiat. Et pone in sole diebus quinq; semper innouando modice stillationem succi super eos. Deinde dimitte siccari, & repone in vase vitreo. Et est dosis à ʒ.j. vsq; ad ij. cum zuccharo & aqua calida.

Modus confectionis de Eupatorio &c. LXXXVI.

RECIPE Succi eupatorij, raued boni, ana ʒ.iiij. Laccæ, seminis cuscutæ, ana ʒ.iij. Croci, cimarũ squinanti, seminum citrulli, cucumeris, & portulacæ, succi absinthij, ana ʒ.ij. Scammoneæ coctæ in cytonijs ʒ.ij.s. Fiat omnium contritio bona. Et sit dosis eius aur.j. cum lacte chamelarum, aut aqua casei. Et si illic est caliditas, cum succo solatri, endiuiæ, & volubilis.

Alchelengi, & est medicamen magnũ &c. LXXXVII.

ACcipe Succi volubilis, succi endiuiæ, & succi apij purgatorum, ana ℔.iiij. Proijce super eos myrobalanorum citrinorum, chebulorum, ana ʒ.xij. Emblicorum ʒ.l. Indorum, bellericorum, ana ʒ.viij. Agarici ʒ.x. Absinthij, cuscutæ, radicis apij, radicis fœniculi, anisi, ana ʒ.iiij. Ireos ʒ.x. Passularum enucleatarum ʒ.lxxx. Bulliant cum facilitate vsq; ad medietatem succorũ. Deinde colentur, postquam omnia fuerint manibus bene confricata. Et proijciantur super vnam partem succorum Tamarindorum cheyron ℥.viij. Casiæ fistulæ tantundem. Tereniabin ℥.iij. Deinde colentur à scosis. Et in alia parte aquæ, proijciantur penidiarum sahiri ℔.iiij. Deinde misce omnia simul, & bulliant bulli-

tionibus duabus. Tunc verò proijce super illud Olei sesamini recentis ℥.xv. Et agitentur omnia simul. Deinde coquantur vsque ad mellis spissitudinem. Tunc verò deponatur ab igne, & puluerizentur super illud totum, Trochiscorum diarhodō, trochiscorum de eupatorio, trochiscorū de absinthio, & rheubarbari, ana ℥.j.s. Ireos ℥.j. Agarici, foliorum almezereon nutritorum in aceto, ana aur. viij. Scāmoneæ, succi eupatorij, succi absinthij, croci, laccæ ablutæ, myrobalanorum citrinorum, & chebulorum, ana aur. iiij. Bellericorū, emblicorum, & indorum, ana aur. iij. Spicæ, anisi, ana aur. ij. Turbith boni ℥.vj. Inuoluātur omnia prius cū olei almezereon ℥.iij. Et misceantur cū prædictis, & bene incorporentur. Et sit dosis eius à ʒ.iij. vsque ad iiij. cū aqua endiuiæ.

Confectio electuarij diacytoniten &c. LXXXVIII.

ACcipe Succi cytoniorum ℔.iij. Mellis tabarzet ℔.ij. Scammoneæ ℥.j.s. Galliæ bonæ, garyofyllorum, zinziberis, masticis, piperis longi, cinnamomi, nucis muscatæ, ana ʒ.iij. Confice omnia simul. Et sit dosis eius ab aur. j. vsq; ad iij. Si autem volueris, vt solutione educat choleram & phlegma, ponantur in medicamine Scāmoneæ ʒ.v. Turbith ʒ.xij.s. Si autem volueris vt solùm phlegma educat, abiecta Scammonea, ponantur Turbith ʒ.xxv. Carthami excorticati, pōdus scāmoneę. Et si volueris vt choleram nigrā educat, ponatur loco prędictorū Helleborus niger, aut epithymū, aut polypodium. Et apud plures fit hæc medicina cum melle, & apud plures cum zuccharo. Et quandoq; fit cum succo cytoniorum, & quandoq; cum carnibus, & succo ipsorum.

QVARTA DISTINCTIO DE CONDITIS.

Quarta distinctio est de conditis &c. LXXXIX.

Chebuli conditi &c. XC.

ET modus condiendi est, vt accipias ex eis humidis, si haberi possunt, vel saltē ex humectatis secūdū artem, qua humectari possunt, quātitatē quā volueris, & cum stylo punge eos vndiq;, & decoque eos in aqua cū facilitate, vsq; dum tenerescāt. Post hæc dimitte eos super tabulā, & exprime aquā illorū, & submerge illos in aqua mellis, & dimitte eos per duos dies. Tūc verò decoque eos cum igne lento, cū facilitate. Et postquàm decocti fuerint, reconde eos in vase vitreo, & submerge eos in melle decoctionis eorū, & da post sex mēses. Ars autē auxiliatur ipsos in humectando, hoc modo: Infundātur in aqua plurima: & exponātur radijs solar

ſolaribus per dies octo. Deinde accipe vas magnũ ſicut dolium, vel ſaltem fiat fouea magna ſub terra in loco humido, aut inter multam arenã humidam pone, in qua diſiunctim ſepeliantur, ſæpe ac ſæpe aquam ſuperinfundendo, & innouando arenam de quarto in quartum diem, vſq; dum tumeſcant, & humectentur.

Emblici conditi &c. XCI.

ACcipe ex eis quãtitatẽ, quam volueris, & infunde ſuper eos aquã, & expone ſoli, quouſq; tumeſcant, & humectentur. Et pòſt exprime, & pone in aqua mellis, & dimitte per duos dies. Deinde coque cũ facilitate. Poſtquàm cocti fuerint, dimitte eos infrigidari, & confice cũ melle tabarzeth, ſcilicet cũ quarta parte totius, & recõde. Quidã verò ſupercõdiũt cũ ſpeciebus aromaticis, ſicut ſunt cinnamomũ, & gallia, & cardamomũ, & crocus, & muſcus, & ſimilia.

Cytonia condita &c. XCII.

ACcipe Cytonia magna mũda à putrefactione, & mũdentur à cortice ſuo, & granis interioribus, & incidãtur in fruſtra cõuenientia, & decoquãtur cum iuleb multæ aquoſitatis, & poſt diẽ vnũ decoquãtur cum alio iuleb quod eſt vicinũ perfectæ coctioni, vſq; dũ perficiatur in eis decoctio. Deinde aromatizentur cũ muſco, & ponãtur in vaſe vitreo, & ſepeliantur cũ iuleb in quo decocta fuerũt. Et quidã decoquũt cũ melle, & quidã cũ vino cocto. Et quidã ſupercõdiũt cũ ſpeciebus aromaticis. Et alij faciunt alia.

Pyra condita &c. XCIII.

MOdus condiendi ea, eſt ſicut cytoniorum.

Poma condita &c. XCIIII.

MOdus condiendi ea, eſt ſicut cytoniorum.

Perſica condita &c. XCV.

MOdus condiendi ea, eſt ſicut cytoniorum.

Citra condita &c. XCVI.

ACcipe Corticum citri mũdatorum à carnibus ſuis, & propriè magnorum, ſicut ſunt volæ manus, quantitatem quam volueris, & fundatur ſuper eos lixiuij clari quantitas, in qua ſubmergantur, & mutetur ſuper eos vſq; ad ix. dies, ſemel in die. Poſt illud mittatur ſuper eos aqua clara tantùm, donec dulceſcant, & abſcedat amaritudo eorũ. Tunc verò elixentur in aqua fontium plurima, in vaſe mũdo, vſq; dũ tenereſcãt. Deinde exprimantur, vt fluat aquoſitas eorum. Poſt illud fundatur ſuper illos in vaſe lapideo iuleb quantitas aliqua, qua ſubmergantur, & ſic dimittantur per diem & noctem. Et ſit iuleb ex zuccharo albo in aqua, quæ ſit in triplo ipſius. Deinde coquantur cum facilitate,

cilitate, donec iuleb fit coctũ ad modũ penidiarum. Tunc verò separẽtur cortices citri à zuccharo, & recōdantur in vase vitreo & condiãtur cum iuleb rosato, cuius decoctio fit: sicut habet, ita quòd vna superficies sit laminarũ citri, & alia iuleb. Et reconde, & da post mẽsem. & sunt qui aromatizant cum ambra & musco.

Secacul conditum &c. XCVII.

ACcipe radices eius albas, grossas & teneras, & radatur cortex eius cineritius, & elixentur, & mundentur à venis interioribus, & incindantur in frustra, sicut est mẽsura Pollicis, & ponatur in eius vacuitatibus arundinosis frustum zinziberis humectati, sicut dicemus in capitulo de zinzibere cōdito, & garyofyllus vnus humectatus. Et accipiantur ad omne pondus eorũ, mellis pondera tria. Et alij ponunt, mellis pondera duo, & zucchari pondus vnum. Et postquam fuerit coctum cum facilitate, proijciantur super illud specierum alephanginæ, partes conuenientes. Et dosis eius est ℥.j. vel ij.

Zinzibere conditum &c. XCVIII.

REcipe Zinziberis recentis (si haberi potest) vel saltem humectati per artem, partem vnam, mellis partes tres, & zucchari partem vnam. Coquatur sicut secacul. Et quidam accipiũt Secacul, & zinziberis humectati, ana partem s. & fit delicatius. Et quidam supercondiunt cum speciebus alephanginis. Et quidam faciũt alia. Modus autem humectationis eius est, sicut diximus de chebulis, & propriè vt infundatur in aqua, deinde sepeliatur in arena. Et fit zinziber album, & mundum, & recens.

Confectio de Zinzibere &c. XCIX.

ACcipe Zucchari albi partes viij. Mellis tabarzet partes iiij. Zinziberis boni albi, puluerizati puluerizatione vltima, sicut alcohol, partes tres. Aquæ infusionis zinziberis quantũ sufficit. Dissoluatur zuccharum cum aqua & melle dictis, & coquatur vsq; dum sufficit. Deinde proijciatur super illud puluis zinziberis, & agitetur, & incorporetur cum eo, & administretur.

Bauciæ conditæ &c. C.

EIus modus est sicut Secacul.

Acorus conditus &c. CI.

EIus modus est sicut Secacul cōditi. Adduntur tamen ad omnem partem eius, secacul boni partes duæ.

Zuccharum Rosatum &c. CII.

REcipe Foliorum rosarum albarum, aut rubearum quantitatem quam volueris, & expandantur ipsæ rosæ super tabulas

las in vmbra vſque dũ ſuperfluũ humiditatis ipſarũ reſoluatur. Et ſint roſæ habentes medietatem inter completionem & acerbitatem,& terantur in vaſe lapideo:deinde proijciatur ſuper eas zucchari tabarzet triplũ ponderis earũ,& reponatur in vaſe vitreato,& obturetur os eius cum pergamana, & exponatur ſoli menſibus iij.omni die ſæpe agitando illud. Deinde remoueatur à ſole,& ſeruetur. Et quidam faciunt illud cum roſis non habentibus aliquid de completione,& inuenitur magis ſtipticum. Et ſunt qui non terunt roſas:ſed incidũt cum forficibus,& fricãt manibus fricatione vltima roſas,& zuccharũ,deinde exponũt ſoli.

Zuccharum Violatum &c. CIII.

EIus modus eſt,ſicut zucchari roſati.Indigent tamẽ violæ expanſione longiori,& expone in ſole.

Zuccharum bugloſſatum &c. CIIII.

MOdus eius eſt ſicut zucchari violati.

Zuccharum Alchilil &c. CV.

EIus operatio eſt,ſicut zucchari roſati.

Mel roſatum ſic fit: CVI.

REcipe foliorũ roſarũ præparatorũ,ſicut diximus ſuperius, & ſint ipſorũ partes ij. Mellis boni,partes vj. Coquatur cũ facilitate,ſicut oportet. Et ſunt qui ponũt mellis,& ſucci roſarũ partes æquales,& non ponunt aliquid ex folijs omninò. Et ſunt, qui ponunt foliorum partem j.ſucci partẽ j.s.mellis partes tres.

Mel Violatum. CVII.

EOdem modo fit ſicut roſatum.

Mel bugloſſatum. CVIII.

FIt ſimiliter.

Mel Alchilil. CIX.

SImiliter fit:ſed in hoc ſunt ꝗ ponũt ſpecies Alephãginæ notę.

DISTINCTIO QVINTA DE SPECIEBVS LOHOC.

QVinta Diſtinctio eſt de ſpeciebus lohoc de quibus &c. CX.

Lohoc de Pino &c. CXI.

REcipe Granorum pini ʒ.xx. Amygdalarum dulcium,auellanarum aſſatarum, tragacanti,gummi arabici,liquiritiæ, & ſucci eius,amyli,capillorum Veneris,radicum lilij cæleſtis,ana ʒ iij.Carnium dactilorum cheyron ʒ.xxxv. Amygdalarum amararum ʒ.iij.Mellis,paſſularum,zucchari tabarzeth & butyri re-

centis,ana ℥.iiij.mellis tabarzeth quantum sufficit. Sumatur ex eo quasi labendo ℥.j.

Lohoc de Papauere, & est diapapauer &c. CXII.

RECIPE Papaueris albi ʒ.xxv. Amygdalarũ dulciũ excorticatarũ,granorum pini,gummi arabici,tragacãthi,succi liquiritiæ,ana ʒ.x.Amyli ʒ.iij.Seminis portulacæ,seminis lactucæ, seminis cytoniorũ,ana ʒ.iiij. Croci ʒ.j.Penidiarũ albarum ℥.iiij. Syrupi de Papauere quantũ sufficit. Et fit proprie syrupus,ex capitibus papaueris albi,& nigri,& semine lactucæ,& violis.

Modus confectionis de iacur, secundum intentionem Galeni, & est Diacodion purum &c. CXIII.

RECIPE decẽ papauera,in quibus sit mediocritas,inter paruitatẽ & magnitudinẽ, & humiditatẽ & exiccationem,& proijciatur super ea aquæ sextarius vnus. Et sit aqua pluuialis. Et si sint humida plus q̃ sicca,dimittantur die ac nocte. Et si sint letiora, dimittãtur plus. Tunc coque ea,vsq;dum discocta sint, & aquæ duæ partes sint cõsumptæ. Tũc verò cola succũ eius. Et restat post illud duplex cõsideratio. Quoniã si catarrhus subtilis fuerit,& timetur fluxus eius,ad pectus,& pulmonẽ,& cannã,& timentur vigiliæ,opertet tũc vt misceatur ex rob quantitas,quæ sit medietas aquæ,& coquatur super ignẽ in quo nõ sit flãma,neque fumus,sed super prunas tantũ. Et non cõuenit in hac intentione mel:quoniã mel est ex habẽtibus acumẽ,qua re est subtiliatiuũ,& est preter hoc quod intẽdimus.Et quoniã est materia subtilis valdè,& mel est ex subtiliantibus. Cùm autẽ plenitudo cõtinetur in thorace,& pulmone,& velis medicamẽ fieri absterfiuũ: tunc mel cõueniẽtius est: quoniã dormire facit,& materias quæ sunt in pectore habilitat.Et quãdoq; fit medicamẽ ex vtrisq; quãdo cadũt in occupatione duplicis intẽtionis. Et est dosis eius ʒ.j. plus & minus,secundũ quòd exigit dispositio. Et oportet vt teneat eam patiẽs in ore suo,& traijciat idẽ modicũ quod dissoluitur ex ea in saliua.Si autẽ velis vt sit retentiuũ naturæ,& eruptionis sanguinis à locis quæ sunt super diaphragma,& ab alijs locis manationis,& à partibus viscerũ. Tũc ad vnãquamq; librã ipsius proijciatur Acaciæ,rubeæ, henfistides,croci,myrrhæ, balaustij, ana ʒ.j.(Ramic ʒ.iiij.) Et administretur. Et sunt,qui ponunt in de iacur puro,loco mellis,penidias. Et sunt qui ponunt zuccharum.Et quandoque exigit dispositio ægritudinis,quæ est multæ caliditatis,& acuitatis, vt fiat medicamen ex papauere nigro: & sint eius capita vsque l. Et quandoque ex albo,& nigro: & loco

mellis

mellis ponitur zuccharum aut penidia.

Modus confectionis de Moris: & est diamoron, siue diamorum &c. cxiiii.

Recipe expressionis morum, quæ currūt secundū semitam ficus, & mororum de sente, ana ℔.j.s. Rob, & mellis, ana ℔. j. Coquantur cum facilitate, vsque ad mellis spissitudinem, & reconde. Et sunt qui faciunt medicamen illud simplex: & sunt qui addunt (& propriè quando maior vocat necessitas) Aluminis, myrrhæ, croci, succi acrastæ, ana partes æquales.

Modus confectionis de succco: corticum nucū: & uocatur Græce diacaryon &c. cxv.

Accipe Succi exteriorum corticū nucum in diebus canicularibus ℔.iiij. Decoque ipsum bullitione vna, deinde adde ei, Mellis ℔.ij. Et decoque donec impinguetur: & fiat sicut mel. Et post illud nobis occurrent intētiones quatuor. Nam pro pueris, & mulieribus, & humidis natura sufficit medicamē sic factū. Et quādo morbus est in principio, aliquid de stipticitatē habentibus misceri oportet: sicut sunt rosæ, balaustia. Et quando ægritudo est in statu, crocus, & myrrha miscenda sunt. In declinatione verò, baurach, & sal ammoniacus, & similia. Est enim medicamen sublime, & expertum.

Lochoc de Squilla &c. cxvi

Accipe Succi squillæ, & mellis despumati partes cōueniētes. Decoquatur in substātia lohoc, & accipiatur sic lambēdo.

Lohoc de Alfescera. cxvii.

Valet sicut lohoc de squilla, & eius modus est sicut in illo. Et est medicamen bonum & expertum.

Lohoc sanum, & expertum, & est ex inuentione nostra &c. cxviii.

Accipe Cinnami, hysopi siccæ. liquiritiæ, ana ℥.s. Iuiubarū, sebesten, ana numero, xxx. Passularum enucleatarū, ficuum siccarum, & dactylorum pinguium, ana ℥.ij. Fœnugræci ʒ.v. Capillorū Veneris, manipulū j. Anisi, fœniculi, Ireos, calamenti, seminis lini, ana ʒ.iiij. Hæc omnia coquātur in ℔.iiij. aquæ: vsq; dū remaneāt ℔.ij. Et proijciātur super ea Penidiarū ℔.ij. Et coquātur, & impinguētur vsq; ad spissitudinē mellis. Deinde proijciātur super illud Pinearū mūdatarū. ʒ.v. Amygdalarū mūdatarum liquiritiæ, tragacāthi, gūmi arabici, amyli, ana ʒ.iij. Ireos ʒ.ij. Misceātur omnia & agitētur, vsquedum medicamen maceretur, & album fiat. Dosis eius est à ʒ.v. vsq; ad x. & sumatur lambendo.

Lohoc ad caliditatem &c. cxix.

ACcipe Radicis liquiritiæ ʒ.xv. Chesmes pinguium ℥.ij. Sebesten, iuiubarum, ana numero xxv. Decoquantur cum facilitate in iiij. ℔. aquæ, vsq; ad vnã, & proijciatur super ipsum Cassiæ fistulæ ℥.j. Deinde coletur à scosis, & proijciantur super illud Rob ℥.iiij. Penidiarũ ℔.s. Deinde coquatur, donec impinguetur. Deinde misceatur cum eo farinæ fabarũ ℥.ij. Et lambatur ex eo.

Lohoc aliud nostrum de intentione hac. cxx.

ACcipe Seminis papaueris ʒ.x. Radicis liquiritiæ ʒ.vij. Sebesten, numero xx. Psyllij, granorum cytoniorũ, ana ʒ.v. Coquantur cum iij. ℔. aquæ vsque ad j.s. & colentur, & proijciantur super illud Rob, & penidiarum, ana ℥.iiij. Et iterum coquatur illud donec impinguetur. Deinde misceatur cum eo tragacanthi, & gummi, ana ʒ.v. Papaueris albi, & trium granorum, ana ʒ.ij.

Lohoc bonum &c. cxxi.

REcipe Papaueris albi, spodij, seminis lini torrefacti, croci, amygdalarum dulcium ana ʒ.iij. Amyli, tragacanthi, & gummi, seminis cytoniorum, seminis citrulli, ana ʒ.vj. Nasturtij, granorum cottoni, amygdalarum amarum, fabarum, ana ʒ.j.s. Penidiarum ʒ.lxx. Dissoluantur penidiæ in aqua fontium, & coquantur, & cõficiãtur cum eis cætera. Dosis ʒ.ij. cum aqua mellis.

Lohoc de Asthma bonum &c. cxxii.

ACcipe Squillæ assatæ ʒ.iij. Radicis lilij cælestis ʒ.ij. Hysopi, Prasij, ana ʒ.j. Myrrhæ, croci, ana ʒ.s. Confice cum melle.

Lohoc de amygdalis &c. cxxiii.

REcipe Amygdalarum dulcium, & amararum, seminis lini torrefacti, granorum pini, anisi, tragacanthi, gummi arabici, succi liquiritiæ, & radicis eius, ana ʒ.j.s. Zucchari, & penidiarum, ana ʒ.iij. Confice cum mellis & succi fœniculi bullitorum quantitate sufficienti.

DISTINCTIO SEXTA, DE SYRVPIS, ET ROBVB.

SYruporum alij sunt simplices, sicut species iuleb &c. cxxiiii.

Modus operationis iuleb rosati &c. cxxv.

REcipe Aquæ infusionis rosarum ℔.v. Zucchari ℔.iiij. Coquãtur cum facilitate, & administrẽtur cum aqua frigida.

Modus iuleb uiolati &c. cxxvi.

EIus operatio est, sicut rosati.

Ope

Operatio infusionis rosarum, & uiolarũ &c. cxxvi.

ACcipe Foliorum rosarum, aut violarum recentium ℔.vj. Ponantur in vase vitreato terreo, stricti orificij, & fundantur super ea aquæ bullientis ℔.xv. Et stringatur orificiũ vasis, & dimittatur per horas viij. Tunc colentur, & denuò in vase tantundem foliorum rosarum recentium aut violarum mittatur, & denuò eadem aqua calefacta, in prima bullitione super ea mittatur, & stringatur orificiũ similiter per octo horas. Deinde coletur. Et si conseruare volueris, ponatur in vase vitreato stricti orificij, & distilletur oleũ in orificio eius, & stringatur capud eius, & exponatur soli diebus l. Et dicitur istud, mucharus rosarum vel violarum.

Iuleb aliud rosarum. cxxviii

ACcipe Aquæ rosarum ℔.iij. Zucchari ℔.ij. Fiat vt suprà.

Iuleb de succo violarum: & Iuleb de succo rosarum. cxxix.

ACcipe Succi violarum ℔.iij. Zucchari ℔.ij. Fiat vt suprà. Et simili modo potest fieri de succo rosarum, & est laxatiuum.

Iuleb iuiubinum &c. cxxx.

ACcipe Iuiubarum magnarum, & pinguium, numero c. Et decoque in ℔.iiij. aquæ vsq; dum remaneant ℔.ij. Et cum ℔.j. zucchari fiat syrupus.

Syrupus de pomis &c. cxxxi.

ACcipe succi pomorum dulciũ, & acetosorum, ana ℔.v. Coquatur vsq; ad consumptionẽ medietatis ipsius, & dimittatur per dies ij. vsquedũ clarescat. Deinde coletur, & cũ iij. ℔. zucchari fiat syrupus. Et sunt qui submergunt in succo setã tinctam ex chermes, post succi depurationem, vsquedum rubeat, & recipiat virtutem tincturæ, & excellentior est.

Syrupus de Pyris &c. cxxxii.

EIus modus est, sicut syrupi de Pomis.

Syrupus de cytonijs cxxxiii.

VAlet sicut sirupus de Pyris, & isdem modus est vtriusque.

Syrupus de persicis &c. cxxxiiii.

EIus modus est, sicut syrupi de Pomis.

Syrupus de succo acetosæ &c. cxxxv.

EIus modus est, sicut syrupi de succo violarum.

Syrupus de succo Cucurbitæ &c. cxxxvi.

ACcipe Cucurbitam magnam, & inuoluatur pasta, & decoquatur in furno. Et accipe expressionis eius ℔.v. Zucchari

ri ℔.iij.Fiat vt ſuprà.

Syrupus de Prunis &c. CXXXVII.

VAlet ſicut ſyrupus de Violis,& fit ſicut ipſe.

Syrupus de Granatis acetoſis &c. CXXXVIII.

FIt vt ſuprà.

Syrupus de Granatis dulcibus &c. CXXXIX.

FIt vt ſuprà. Et ſunt qui immergunt in ſucco ſetam tinctam ex chermes,& eſt excellentior.

Syrupus de corticibus citri &c. CXL.

ACcipe Corticum pomorum citri recentium ℔.j.Decoque cum aquæ fontium ℔.v.vſquead conſumptionem duarum partium,& cum zucchari ℔.j. Fiat ſyrupus. Et condiatur cum Muſci granis iiij.Et ſunt,qui in iuleb proijciũt ex corticibus citri partes cõuenientes: & proprie quando vicinatur cõpletioni cocturæ eius,& eſt delectabilis. Et quando ſubmergitur in aqua decoctionis citri ſeta tincta ex chermes,tunc eſt excellentior.

Syrupus acetoſitatis citri &c. CXLI.

REcipe Succi acetoſitatis citri ℔.xij.Decoque in vaſe vitreato,ſuper prunas,cum facilitate, vſquedum cõſumatur tertia pars ipſius. Deinde coletur,& dimittatur donec clarificetur: & accipe ex eo,qui clarus eſt ℔.vij.Et funde ſuper ipſum ex iuleb claro & depurato ℔.v.& coquatur,donec inſpiſſetur. Si autẽ æſtas fuerit,dimittatur in ſole,donec eius aquoſitas conſumatur.

Syrupus de Acreſta &c. CXLII.

MOdus operationis eius eſt,ſicut ſyrupi de acetoſitate citri. Et quidam condiunt cum garyofyllis.

Syrupus de Granis myrti &c. CXLIII.

MOdus eius eſt,ſicut ſyrupi de acreſta.

Syrupus cheſmes &c. CXLIIII.

DEcoquantur Cheſmes,ſicut diximus in ſyrupo de iuiubis.

Syrupus albalach uel albelach, uel alchelach &c. CXLV.

SVmantur albalach,& enucleantur,& conterãtur,& coquantur vſquead conſumptionem duarum partium : & fiat ſyrupus ſicut diximus.

Syrupus de Papauere &c. CXLVI.

ACcipe Papaueris albi,& nigri,& propriè capitum eorum, ana ℥.lx. Et decoquãtur in ℔.iiij.aquæ pluuialis,vſquedũ redeat ad ℔.j.s.Et cum zucchari albi,& penidiarum, ana ℥.iiij.

Fiat

Fiat syrupus.

HVcusque scripsimus &c. CXLVII.

Syrupus dinari, & eius interpretatio est, de bisantijs &c. CXLVIII.

ACcipe Succi endiuiæ, succi apij, ana ℔.ij. succi lupuli, succi boraginis, aut buglossæ, ana ℔.j. Bulliant bullitione vna, & despumentur, atque depurentur. Tunc accipe eius clarificati ℔.iiij. Zucchari tabazet ℔.ij.s. Et coquantur cum facilitate donec fiat syrupus. Et quandoque ad omnem partem succi depurati ponitur aceti boni, albi & clari, pars s. Et quandoque bulliant in succis Foliorum rosarum ℥.ij. Liquiritiæ ℥.s. Spicæ ʒ.ij. Anisi, fœniculi, seminis apij, ana ʒ.iij. Et est mirabilis.

Sermo in syrupo acetoso &c. CXLIX.

ACcipe Zucchari boni albi, partes v. Et funde super illud in vase lapideo aquæ fontiū dulcis, & claræ, partes iiij. Et decoquatur semper abijciendo spumam eius. Et sit ignis, in quo coquitur, prunarum, aut tenuis flammæ, sine fumo. Et decoque hoc modo, donec clarificetur, & diminuta sit aqua, sicut medietas eius. Deinde funde super ipsum aceti vini albi, clari, partes duas, in leui. Et in forti, partes quatuor. Et in mediocri, partes tres. Et da ei post illud perfectionē in coctura. Et sit dosis eius ab ℥.j. vsque ad iiij. cum aqua frigida.

Modus syrupi acetosi cum radicibus &c. CL.

ACcipe Aquæ fontium claræ ℔.x. Et proijce super ipsum radicis fœniculi, apij, endiuiæ, ana ℥.iij. Anisi, seminis fœniculi, apij, ana ʒ.viij. Seminis endiuiæ ℥.s. Coquatur cum facilitate, vsquedum veniat ad ℔.v. Tunc proijce super ipsam decoctionē zucchari boni ℔.iij. Et clarificetur sicut prius. Deinde funde super ipsum totum aceti boni quantitatem sufficientem, iuxta modum superioris doctrinæ, & vbi oportet.

Modus syrupi acetosi, de succis herbarum. CLI

REcipe Syrupi dinari partes tres: & funde super ipsum, aceti boni partem vnam.

Modus syrupi acetosi de succis fructuum &c. CLII.

ACcipe Succi granatorum muzorum, & acetosorū, ana partes tres. Coquatur cum facilitate, vsquedum diminuta sit eius pars tertia. Et dimittatur per duos dies vsquedū clarescat. Et accipe eius partes duas, & iuleb partes tres, vel plus, vel minus: & perfice coctionem in eo.

Mod

Modus syrupi acetosi de succis & aquis fructuum &c. CLIII.

ACcipe Succi cytoniorum, & malorum, & pyrorum, & granatorum muzorum, & zarur, ana partes æquales. Aquæ decoctionis sumach. & berbororum, ana partem j.s. Zucchari partes tres. Fiat vt suprà.

Modus syrupi acetosi de cytonijs &c. CLIIII.

ACcipe Succi cytoniorum acetosorũ, & eius propriè, qui depuratus est, & factus clarus partes x. Aceti boni partem. j.s. Zucchari boni partes duas.

Modus syrupi acetosi de Pomis &c. CLV.

EIus modus est, sicut syrupi de Cytonijs.

Modus syrupi acetosi de Prunis &c. CLVI.

ACcipe Aquæ prunorum acetosorum, & aquæ tamarindorum, & succi granatorum acetosorum, ana ℔.j Aquæ acetositatis citri ℔.s. Coquantur cum facilitate, & cum ℔.j. zucchari fiat syrupus. Et da cum aqua frigida, vel aqua niuis. Et quandoque non ponitur in eo zuccharum, & fit sicut rob bonum & expertum.

Modus syrupi acetosi de Pomis descriptione nostra &c. CLVII.

REcipe Succi malorum acetosorum, succi vuarũ agrestium acerbarum, succi granatorum acetosorum, ana ℔.j. Aquæ rosatæ, aquæ infusionis tamarindorum, & aquæ prunorum, ana ℔.j.s. Succi endiuiæ cocti & despumati, & aceti, ana ℔.ij. Zuccha ri ℔.viij. Et supercondies cum ʒ.ij. Camphoræ. Et da cum aqua melonum hyemalium, vel cum aqua frigida.

Syrupus alius acetosus de Pomis &c. CLVIII.

ACcipe Succi pomorum acetosorum ℔.j. Succi acetositatis citri ℔.s. Iuleb boni ℔.ij. Da cum aqua niuis. Et quandoq; submergitur in succis, seta tincta ex chermes, & tunc fit nobilior ad causas cordis.

Modus syrupi acetosi altereniabin &c. CLIX.

REcipe Tereniabin ℥.iij. Pone in vase lapideo, & funde super ipsum, Succi endiuiæ cocti & depurati ℔.j. Bulliãt bullitione vna. Deinde frica manibus, & cola. Deinde accipe aquæ rosatæ, succi granatorum muzorum, ana ℔.j. Succi vuarum agrestium immaturarum, aquæ acetositatis citri, ana ℔.s. Zucchari ℔.iij. Da vt suprà.

Modus syrupi acetosi solutione educentis choleram &c. CLX.

REcipe Prunorum siccorum, sebesten, ana centum numero. Tamarindorum ℔.s. Myrobalanorum citrinorum ℥.iiij. Succi rosarũ recentis ℥.iij. Mannæ, casiæ fistulæ, ana ℥.iij.s. Zucchari ℔.iiij. Fiat ex eis syrupus. Et post hoc funde super illud Aceti ℔.ij. Succi granatorum acetosorum ℔.j.s. Decoque cum facilitate. Deinde accipe Scammoneæ bonæ ʒ.vj. Tere, & liga in panno subtili, & proijce in syrupo, & decoque, semper fricando pannum, vsquedum perficiatur eius decoctio.

Syrupus conferens catarrhis &c. CLXI.

REcipe Iuiubarum & sebesten, ana centum numero. Violarum, mannæ, ana ℥.j. Liquiritiæ, florum buglossæ, ana ʒ.xij. Seminis maluæ, seminis cytoniorum, ana ʒ.v. & cum zucchari ℔.ij. & succi mali granati dulcis ℔.j. Fiat syrupus.

Syrupus de cannis zucchari &c. CLXII.

REcipe Succi granatorum dulcium ℔.iiij. Aquæ malorum de scemi, & aquæ cannarum zucchari, aut penidiarum, ana ℔.j.s. Et fiat syrupus.

Syrupus de Portulaca &c. CLXIII.

REcipe Succi endiuiæ cocti & depurati, ℔.iiij. Seminis portulacæ ℥.xij. Teratur semen, & fundatur super ipsum succus, & dimittatur in vase lapideo, per diem & noctem, & coquatur cum facilitate vsque ad medium, & additis zucchari ℔.ij. Fiat syrupus. Et quandoque additur ei Aceti ℔.j. aut Succi malorum granatorum acetosorum ℔.j.s.

Syrupus de Violis &c. CLXIIII.

REcipe Violarum ℥.ij. Seminum cytoniorum, seminũ maluæ, ana ʒ.vij. Iuiubarum, sebesten, ana xx. numero. Et coque cum ℔.vj. aquæ cucurbitæ, vsque ad tertiam partem, & cum zucchari ℔.j.s. Fiat syrupus.

Syrupus de Iuiubis &c. CLXV.

ACcipe Iuiubarum sexaginta numero. Violarũ, seminis maluæ, ana ʒ.v. Capillorum Veneris ℥.j. Seminis cytoniorum, papaueris, melonis, lactucæ, tragacanthi, ana ʒ.iij. Liquiritiæ, hordei mundi, ana ʒ.viij. Decoque in ℔. quatuor aquæ fontiũ, & cum ℔.ij. Zucchari. Fiat syrupus.

Syrupus de papauere &c. CLXVI.

REcipe Papaueris albi, & nigri, ana ʒ.l. Capillorum Veneris ʒ.xv. Liquiritiæ ʒ.v. Iuiubarũ xxx. numero. Seminis lactucæ ʒ.xl.

ʒ.xl.Seminis maluæ,seminis cytoniorum,ana ʒ.vj.Coquantur in ℔.iiij.aquæ,vsque ad ij.& cum zuccari,& penidiarum,ana ℥.viij. Fiat syrupus.

IAm quidem loquuti sumus &c. CLXVII.

Sermo in aqua mellis &c. CLXVIII.

PRimus modus est,vt accipiatur Mellis boni,& mundi &c.Et pone ipsum in vase lapideo, aut vitreato. Et funde super ipsum aquæ fontis dulcis,& claræ, partes octo. Et coque ipsum cum facilitate. Et auferatur spuma eius,nec permittatur super ipsum multiplicari.Imò quãcitò apparet auferatur. Deinde coletur colatorio denso de pãno. Et si bibitur recẽs,oportet vt fiat multæ aquositatis &c.Si autẽ bibatur antiqua,oportet vt fiat pinguior,sicut iuleb &c.Et sunt ex hominibus, qui aromatizant illam cum speciebus alephanginæ,sicut sunt zinziber, crocus,cinnamomum,macis,& similia. Et sunt qui aromatizant cum gallia muscata,ligno aloes,& similibus.

Secundus modus operationis eius est.

Recipe mellis partem vnam, aquæ fontium claræ,partes octo. Et distemperetur cum eis parum fœnugræci, & propriè ad omnes centum ℔.aquæ & mellis, sint eius ℥.iij. Et includitur in vase ligneo,sicut ponitur mustum, ita quòd remaneat ex vase vacuum, sicut mensura trium digitorum.Et illud ideò,quia patitur de ebullitione,sicut mustum.Deinde,scilicet post ebullitionem eius,stringatur orificium vasis, sicut stringitur vas vini. Et bibatur post menses tres. Si autem ipsam aromatizare volueris, ponantur in vase species alephanginæ ligatæ in panno.

Sermo in secaniabin puro &c. CLXIX.

ACcipe Mellis boni partes duas, aceti boni partem vnam, aquæ fontium claræ,& dulcis,partes iiij.Et quandoq; exigit dispositio,vt addatur ad quantitatem aceti,sicut te scire fecimus in capitulo de syrupo acetoso. Et operatio eius est, vt accipiatur mel, & aqua, & abijciatur spuma eius, deinde fundatur super illud acetum,& decoquatur. Et non permittatur eleuari,& excrescere super ipsum spuma eius. Imò auferatur omni hora, vt clarescat. Et cum coctum fuerit, reconde.Et est dosis eius ab ℥.j.vsque ad iij.

Modus secaniabin de radicibus &c. CLXX.

ACcipe Corticum radicũ apij,& fœniculi, ana ℥.ij.Seminis apij,& fœniculi,ana ℥.j.Mundentur cortices, & conterantur,& proijciantur super eas in vase lapideo Aceti boni antiqui,

&

& albi, ℔.x. Aquæ ℔.xij. Et dimittatur per diem & noctem. Deinde coquatur, donec eius tertia consumatur. Postea coletur. Et proijciatur super ipsam colaturam, mel, quod sit medietas eius. Et coquatur cum facilitate, sicut superius dixi.

Modus secaniabin solutione educentis phlegma. CLXXI.

ACcipe Secaniabin ex radicibus facti quantitatem, circiter ℔.ij. Et suspende in ipso quando coquitur, medullam carthami, ligatam in panno raro subtili, & frica omni hora, donec perficiatur eius decoctio. Et quandoq; ponuntur in eo Turbith, & zinziber, in panno subtili ligata & suspensa.

Modus Secaniabin solutione educentis melancholiam. CLXXII.

REcipe Thymi, calaméti, agarici, buglossæ domesticæ, & sylvestris, liquiritiæ, ana ℥.j. Polypodij ℥.iij. Anisi, chamædryos, chamæpityos, stichados, bedegard, ana ʒ.v. Passularũ enucleatarũ ℔.s. Fundantur super ea Aceti boni albi, & succi buglossæ, ana ℔.ij.s. Aquæ ℔.ij. Et dimittatur totum per diem & noctem. Deinde coquatur cum facilitate, vsq; ad medietatem. Tunc coletur, & cum mellis ℔.iij. fiat secaniabin. Et in decoctione ipsius ponantur in panno Epithymi ℥.j Hellebori nigri, aur.ij. Et suspendantur in eo, & fricentur, & fiat sicut diximus.

Modus Secaniabin de cheisim &c. CLXXIII.

ACcipe Radicum fœniculi, apij, petroselini, calaméti, dauci, ana ℥.j. Zinziberis, seminis anisi, cheisim, apij, eupatorij, asari, absinthij, carui, ana ℥.s. Garyofylli, galãgæ, ana ʒ.iij. Spicæ ʒ.ij. Coque in aceti ℔.x. vsq; ad dimidium. Et cum ℔.v. mellis fiat secaniabin.

Modus Secaniabin de calamento &c. CLXXIIII.

REcipe Radicum apij, fœniculi, endiuiæ, ana ℥.j. Squinanti ʒ.ij. Seminis apij, anisi, fœniculi, ana ʒ.vj. Spicæ, asari, masticis, casiæ, calamen agrestis, & domestici, dauci, & petroselini, ana ʒ.iiij. Garyofyllorum, cheisim, zinziberis, galangæ, ana ʒ.ij. In ℔. viij. aceti, & in ℔.vj. aquæ bulliãt: vsquedum remaneat tertia: & adde mellis despumati ℔.v. Et da. ℥.j. vel ij.

Syrupus acetosus diarhodon &c. CLXXXV.

REcipe Succi endiuiæ, apij, ana ℔.ij.s. Radicum fœniculi, apij, endiuiæ, ana ℥.ij. Rosarum ℥.j. Liquiritiæ ℥.s. Spicæ ʒ.

ij.s.Seminis anisi, fœniculi, apij, ana ℨ.vij. Proijce super ea aquæ dulcis ℔.vj. Et decoque vsq; ad consumptionem duarum partium. Et cum iij.℔.zucchari, & ij.aceti, fiat syrupus. Dosis eius est ab ℥.j. vsq; ad tres.

Syrupus acetosus de succis herbarum, cum aromatibus &c. CLXXVI.

Recipe Succi fœniculi, endiuiæ, apij, & lupuli cocti & despumati, ana ℔.ij. Succi buglossæ ℔.j. s. Rosarū ℥.j. Spicæ ℨ.iij. Liquiritiæ ℨ.viij. Seminis anisi, fœniculi, & apij, raued, eupatorij, absinthij, cuscutæ, ana ℨ.v. Zucchari ℔.ij.s. Aceti ℔.ij. Condias cum galliæ aromaticæ ℨ.ij.

Syrupus de Menta &c. CLXXVII.

Accipe Succi mentæ ℔.j. Succi granatorum dulcium, & acetosorum, qui iam cocti sunt ad medietatem insimul ℔.ij. Mellis vel zucchari ℔.j Coquatur, & administretur.

Syrupus de menta inuentione nostra &c. CLXXVIII.

Accipe Succi cytoniorū muzorū, & dulciū, succi granatorū acetosorū, & dulciū, & muzorū, ana ℔.j.s. Proijciatur super eos mentæ siccæ ℔.j.s. Foliorum rosarū ℥.ij. Dimittatur per diem & noctē. Deinde coquatur cum facilitate vsq; ad mediū. Et cum mellis, vel zucchari ℔.ij. Fiat Syrupus, & aromatizetur cū gallia.

Syrupus de Absynthio &c. CLXXIX.

Recipe Absinthij romani ℔.s. Foliorum rosarum ℥.ij. Spicæ ℨ.iij. Vini albi antiqui, boni & odoriferi, succi cytoniorū, ana ℔.ij.s. Et dimittatur per diem & noctem, in vase lapideo. Deinde coquatur cum facilitate, vsq; ad medietatem, & cum mellis ℔.ij. fiat syrupus. Et est expertus & nobilis.

Syrupus de Absinthio alius expertus. CLXXX.

Accipe Absinthij Romani ℨ.centum. Decoquatur in aquæ ℔.iij. vsq; ad tertiam partem. Deinde fricetur manibus, & coletur, & cum mellis & vini, ana ℔.j. Fiat syrupus.

Syrupus de fumo terræ maior &c. CLXXXI.

Accipe Myrobalanorum citrinorū, chebulorum, ana ℨ.xx. Florum boraginis, & buglossæ, violarum, absinthij, cuscutæ, ana ℥.j. Liquiritiæ, rosarum, ana ℥.s. Epithymi, polypodij, ana ℨ.vij. Prunorum enucleatorum, passularum enuclearum, ana ℔.s. Tamarindorum, casiæ fistulæ, ana ℥.ij. Hæc omnia bulliāt in aquæ ℔ x. vsq; deueniat ad ℔ iij. & cum succi fumi terræ cocti & depurati, & zucchari, ana ℔.iij. Fiat syrupus.

Syrup

Syrupus de Fumo terræ minor, descriptione cognita &c. CLXXXII.

RÉcipe Myrobalanorũ citrinorũ ℥.ij. Violarũ, cuscutæ, absinthij, ana ℥.j. Coquãtur cũ ℔.vij.aquę, vsq; ad tertiã partẽ, & accipe succi fumi terræ cocti & despumati, & zucchari, ana ℔. ij. Da ℥.j. vel ij. Et quidã suspẽdũt in eo dũ coquitur Scãmoneæ ℥. s. ligatã in pãno raro. Syrupus Liquiritiæ &c CLXXXIII.

RÉcipe Liquiritiæ ℥.ij. Capillorum Veneris ℥.j. Hysopi siccæ ℥.s. Proijce super illud, aquæ ℔.iiij. & dimittatur die, ac nocte: deinde coquatur vsq; ad mediam partem. Deinde proijce super illud mellis, & zucchari, & penidiarum, ana ℥.viij. Aquæ rosatæ ℥.vj. Fiat syrupus & administretur.

Syrupus de Hysopo &c. CLXXXIIII.

RÉcipe Hysopi siccæ, radicum apij, fœniculi, petroselini, liquiritiæ, ana ʒ.x. Hordei mundi ℥.s. Seminis maluæ, tragacanthi, seminis cytoniorum, ana ʒ.iij. Capillorum Veneris ʒ.vj. Iuiubarum, sebesten, ana numero xxx. Passularum enucleatarum ʒ.xij. Ficuum siccarum, & Dactylorum pinguium, ana numero x. Penidiarum albarum ℔.ij. Et fiat syrupus.

Syrupus de Prasio &c. CLXXXV.

RÉcipe Prasij ℥.ij. Hysopi, capillorum Veneris, ana ℥.j. Calamenti, anisi, radicum apij, fœniculi, ana ʒ.iv. Seminis maluæ, fœnugræci, ireos, ana ʒ. iij. Seminis lini, seminis cytoniorum, ana ʒ.ij. Passularum enucleatarum ℥.ij. Ficus siccas pingues xv. numero, Penidiarum ℔.j. Mellis boni despumati ℔.ij. Fiat syrupus.

Syrupus de Calamento &c. CLXXXVI.

RÉcipe Calamenti domestici, & syluestris, ana ℥.ij. Cheisim, dauci, squinanti, ana ʒ.v. Passularum enucleatarum ℔.s. & mellis ℔.ij. Fiat syrupus.

Syrupus de Calamento valens &c. CLXXXVII.

RÉcipe Succi calamenti ℔.iiij. Succi malorum granatorum acetosorũ, cum pulpa sua interiori ℔.v. Vini odoriferi ℔. iij. Coque vsq; ad medietatem, deinde dimitte per dies duos, quousq; resideat. Et cum ℔.iiij. zucchari fiat syrupus. Et aromatizetur cum ʒ.ij. galliæ aromaticæ. Et reponatur in vase vitreato, & stringatur orificiũ eius, & dimittatur in sole per dies xl.

Syrupus de Thymo &c. CLXXXVIII.

ACcipe Extremitatũ thymi ℥.ij. Calamẽti, mẽtę siccę, ana ʒ.v. Anisi, fœniculi, apij, dauci, ana ʒ.iiij. Passularũ enucleatarũ

℥.iiij. Et cũ mellis ℔.ij. fiat syrupus. Et aromatizetur cũ galliæ ℨ.ij.

Syrupus de Eupatorio &c. CLXXXIX.

ACcipe Radicum apij, fœniculi, endiuiæ, ana ℥.ij. Liquiritiæ, squinanti, cuscutæ, absinthij, rosarũ, ana ℨ.xvj. Capillorum Veneris, bedegar, suchaha, florum buglossæ, aut radicum eius, anisi, fœniculi, eupatorij, ana ℨ.v. Raued masticis, ana ℨ.iij. Spicę, asari, folij, ana ℨ.ij. Coque in aquæ ℔.viij. vsq; ad tertiã. Et cũ zucchari ℔.iiij. & succi apij, & endiuiæ, quantitate sufficienti, fiat syrupus.

Syrupus de Epithymo &c. CXC.

REcipe Epithymi boni cretensis ℨ.xx. Myrobalanorũ citrinorum, & indorum, ana ℨ.xv. Cuscutæ, fumi terræ, ana ℨ.x. Thymi, calaméti, buglossæ, emblici, bellerici, liquiritiæ, polypodij, agarici, stichados, ana ℨ.vj. Rosarum, seminis fœniculi, anisi, ana ℨ.ij.s. Prunorum, numero xx. Passularũ enucleatarũ ℥.iiij. Tamarindorum ℥.ij.s. Zucchari ℔.iij. Rob ℔.ij. Et fiat syrupus.

Syrupus de Stichados &c. CXCI.

REcipe Florum stichados ℨ.xxx. Hasce, calamenti, origani, ana ℨ.x. Anisi, pyrethri, ana ℨ.vij. Piperis longi ℨ.iij. Zinziberis ℨ.ij. Passularum enucleatarũ ℥.iiij. Mellis ℔.v. Condias cum cinnamomi, calami aromatici, spicæ, croci, zinziberis, piperis nigri & longi, ana ℨ.j.s. Liga in panno raro, & suspendæ in syrupo. Dosis eius est ℥.j. cum aqua decoctionis spicæ, & alchilil.

Sermo in mellicrato condito &c. CXCII.

REcipe Vini antiqui boni ℔.x. Mellis boni, & despumati ℔.ij. Proijce super ea cinnamomi boni & subtilis ℨ.v. Spicæ aromaticæ ℨ.j. Garyofyllorum, zinziberis, ligni aloës, macis, ana ℨ.iiij. Heil ℨ.ij. Croci ℨ.j.s. Tere trituratione grossa, & coletur in colatorio grosso denso de panno. Et aromatizetur cum musti ℥. vnius tertia.

Modus conditi de citro &c. CXCIII.

ACcipe Corticum citri, vel foliorum citri ℥.iiij. Cytoniorum, numero tria. Pomorum odoriferorũ, numero iiij. Diuidantur in frusta, & accipe adhuc de speciebus quas diximus superius, quantitatem eandem, & funde super ea vini antiqui ℔.viij. Et dimitte per duos dies. Postea coque ebullitione aliqua, & cum mellis despumati & Zucchari tabarzeth, ana ℔.ij. Aquæ rosatæ ℔.j. coquatur ad spisitudinem iuleb. Et in fine aromatizetur cum Musci ℨ. vnius quarta. Si autem recens illud propinabitur, sufficit in eo parua decoctio, & bibatur impermistum.

Cond

Conditum aliud de citro &c. CXCIIII.

RECipe Corticũ citri ℥.vj. Buglossæ ℥.j.s. Marmacur ℥.s. Garyofyllorũ, aur.j. Ligni aloes, aur.s. Terãtur, & proijciãtur super ea vini boni ℔.iiij. & dimittantur diebus tribus. Deinde proijciãtur super ea zucchari tabarzet ℔.ij. Et aromatizetur cũ galliæ bonæ, aur.s. Croci ʒ.vnius quarta. Masticis ʒ.j. Musci ʒ. vnius sexta.

Modus conditi de buglossa &c. CXCV.

RECipe Buglossæ, mentæ siccæ, foliorũ rosarũ, corticũ citri, aut foliorũ citri, ana ℥.iij. Alfeleniemisch ℥.j. Triũ generũ cytoniorũ, trium generum pomorũ, ana ℥.j.s. Setæ crudæ incisæ, nucis muscatæ, zedoariæ, galãgæ, been vtriusq;, sandali citrini, croci, ana ʒ.j.s. Ligni aloes ʒ.ij. Vini, & aquæ, ana ℔.vj. mellis ℔. viij. Aromatizetur cum musci ʒ.vnius tertia, & galliæ ʒ.ij.

Modus operationis conditi de cytonijs, & est Miua &c. CXCVI.

RECipe Succi cytoniorum acetosorum ℔.xx. Vini antiqui boni ℔.x. Coquãtur cum facilitate, vsquedum consumpta sit eius tertia, semper auferendo spumam eius. Deinde coletur, & dimittatur residere, vt clarescat. Et proijce super illud mellis boni & despumati ℔.vj. Et iterum bulliat, & auferatur spuma eius. Et proijciantur super illud species alephanginæ ligatæ in panno, suspenso super illud medicamen. Et sunt propriè, cinnamomi, & heil, ana ʒ.iij. Garyofyllorum ʒ.ij. Zinziberis, masticis, ana ʒ.j.s. Croci ʒ.ij. Ligni aloes, macis, ana ʒ.j.s. Omnia, preter crocum, terantur contritione grossa, & suspendantur in panno, sicut diximus, omni hora fricando illud, super medicamine, donec fiat ei spissitudo. Deinde aromatizetur cum musci ʒ. vnius tertia, & galliæ ʒ.ij. Et sunt ex hominibus, qui faciunt ipsum sine speciebus: & sunt qui loco mellis, ponunt zuccharũ, & propriè quando oportet, & faciunt cum speciebus, & sine speciebus.

Confectio Miuæ simplicis &c. CXCVII.

RECipe Succi cytoniorum ℔.c. Et ponatur in vase lapideo mundo, & bulliat cum facilitate, auferendo omni hora spumam eius vsq; ad consumptionem medietatis. Deinde coletur, & dimittatur modicum residere, sicut per horas tres, & proijciantur super ipsum Vini antiqui ℔.quadraginta. Deinde coquatur super prunas, vsquedum spissitudinem habeat. Et sunt qui loco mellis ponunt zuccharum. Et sunt qui faciunt cum speciebus, & quidam sine eis. Et aromatizant sicut diximus.

Confectio Miuæ acetosæ &c. CXCVIII.

ACcipe Succi cytoniorum acetosorum ℔.quadraginta. Et decoquatur vsque ad consumptionem medietatis. Deinde funde super ipsum aceti boni,& albi ℔.septuaginta. Et fiat sicut diximus.

Confectio Miuæ alterius &c. CXCIX.

ACcipe Succi cytoniorum acetosorum ℔.lxx. Et proijce super ipsum mentæ siccæ,& foliorum citri,ana ℥.viij.Foliorum rosarum ℥.iij.Bulliat vsque ad medium, deinde coletur. Et funde super ipsum vini antiqui albi ℔.xxv. Deinde compleatur decoctio eius,sicut diximus,scilicet cum speciebus aut sine speciebus,cum melle,aut cum zuccharo,aut vtroque. Et sunt qui loco vini ponunt acetum.

Confectio Miuæ factæ ex succo fructuū &c. CC.

ACcipe Succi cytoniorum,qui iam decoctus est vsq; ad medietatem,℔.ij. Succi malorum montanorum,& pyrorum agrestium decoctorum vsque ad medietatem,ana ℔.j. Vini antiqui ℔.ij. Coquatur sicut diximus cum speciebus, vel sine speciebus.

Sermo in Aceto squillitico &c. CCI.

REcipe ex laminis squillæ, & propriè quæ sunt inter corpus & corticem ipsius, quantitatem quam volueris,& consue eas separatim in filo, cum stylo ligneo,& dimitte siccari in vmbra,diebus xl.Post illud comminue eas in frusta cum incisorio ligneo,& pone ad omnē ℔.ipsarū aceti boni ℔.viij.Et pone in vase vitreato stricti orificij,& stringe caput eius,& dimitte in sole per alios 40.dies.Pòst illud cola,& administra,vbi oportet. Et si necessitas vrget festinare,sepeliatur vas in ciuere calido vel arena,cum successione non repente,sed propriè inter horam & horam. Et dixit Paulus:Laminæ eius sicut sunt,ponantur in aceto,à principio veris vsque ad finem æstatis,in vase vitreo sigillato,& exposito soli.Et post illud administretur. Et sumatur in potu ex eo,omni die ieiuno purum per donec deueniatur ad ℥.j.s.

Modus Oxymellis squillitici uirtuosi &c. CCII.

ACcipe Mellis despumati ℔.iij.Aceti squillitici ℔.ij.Coquatur & despumetur, & perficiatur eius operatio,sicut diximus in speciebus secaniabin.

Modus Oxymellis squilitici de radicib⁹ &c. CCIII.

FIt sicut secaniabin de radicibus,sed pro aceto communi ponitur acetum squilliticum.

Oxymel squiliticum, descriptione Democriti &c. CCIIII.

ACcipe Origani, hysopi siccæ, alhasce, cheisim, cordumeni, stichados, ana ℥.v. Coquatur in tribus ℔.aquæ, vsquedum deueniat ad ℔.j. Et proijce super ipsum mellis ℔.ij. Mellis passularũ ℔.s Succi alfescerae ℥.v. Aceti squilitici ℔.j.s. Auferatur spuma eius omni hora, & coquatur sicut diximus.

REstat sermo noster &c. CCV.

Rob de ribes &c. CCVI.

REcipe Succi ribes ℔.x. Coquatur cum facilitate, vsq; dum consumatur tertia ipsius. Deinde coletur, & dimittatur residere, vsq, dum clarescat. Deinde coquatur cum multa facilitate, in vase vitreo vsquedũ habeat spissitudinem. Aut exponatur soli, vsquedũ pinguescat, & conseruetur. Da cum aqua niuis, aut cũ aqua frigida. Et scito ꝙ rob herbæ acetosæ est in virtute eius.

Rob de acresta &c. CCVII.

EIus operatio est sicut rob de ribes.

Rob de cornis &c. CCVIII.

OPeratio eius sicut diximus de ribes.

Rob de berberis &c. CCIX.

VAlet sicut rob de ribes, & eius operatio est sicut illius. Et si haberi non potest de berberis recentibus, accipe ex eis siccis ℔.ij. & proijce super illos, ℔.iij. succi acrestæ. Et dimitte per dies tres, donec humectentur. Deinde fricentur manibus, & exprimatur aquositas tota, & coquatur sicut diximus.

Rob de Sumach &c. CCX.

VAlet sicut rob de berberis, & fit sicut illud.

Rob de Moris de scemi immaturis &c. CCXI.

VAlet sicut rob de sumach, & fit sicut illud.

Rob de Cytonijs &c. CCXII.

FIt sicut rob de ribes.

Rob de Pomis &c. CCXIII.

FIt sicut illud de ribes.

Rob de Pyris &c. CCXIIII.

VAlet sicut rob de cytonijs, & fit sicut illud.

Rob de Prunis &c. CCXV.

FIt sicut primum.

Rob de Granatis acetosis &c. CCXVI.

VAlet sicut rob de berberis, & fit sicut illud de acresta.

Rob de Perficis &c. CCXVII.

FIt ficut illud de cytonijs.

Rob de acetofitate citri &c. CCXVIII.

VAlet ficut rob de ribes,& fit ficut illud.

Rob de fructibus &c. CCXIX.

ACcipe Succi granatorum acetoforum,& muzorũ,fucci fytoniorum acetoforum,fucci pyrorum immarurorũ, fucci pomorum montanorũ,fucci zarur,fucci acreftæ,fucci acetofitatis citri,ana partes æquales. Proijce in eis berberorũ,& fumach, ana partem mediam.Fiat ficut diximus in rob de berberis.

Rob de fructibus aliud &c. CCXX.

REcipe Succi granatorũ acetoforum,& muzorũ,aquæ prunorum,& aquæ tamarindorum,ana partes æquales. Succi acetofitatis citri,partem s.Fiat ficut diximus in rob de ribes.

Rob myrtinum. CCXXI.

FIt ficut rob de ribes. Et omnis quidem fyrupus factus ex fuccis,fi infpiffetur,præter mel & zuccharum,vocatur rob.

DISTINCTIO SEPTIMA, DE DECOCTIONIBVS ET INFVSIONIBVS.

SEptima Diftinctio eft &c. CCXXII.

Decoctio capillorum Veneris &c. CCXXIII.

ACcipe Capillorum Veneris ℥.j.s.Fumi terræ ℥.j. Lupuli,violarum ficcarum,ana ʒ.viij.Prunorum quadraginta numero.Iuiubarum viginti numero. Coquãtur in ℔.iij. aquæ cum facilitate, vfquedum redeant ad ℔.j. Et proijce in ea cafiæ fiftulæ mundatæ à cortice fuo ℥.iij.Tamarindorũ ℥.ij. Siracoft ℥.j.Rheu barbari boni ʒ.iij.Fricetur manibus,& coletur,& propinetur ius in mane.Et quandoq; ponuntur loco aquæ,feri caprini ℔.iij.

Aqua fructuum &c. CCXXIIII.

ACcipe Prunorum,numero quinquaginta.Sebeften,iuiubarum,ana xxx.Tamarindorum,cafiæ fiftulæ,ana ℥.iij. Mannæ ℥.j.Fiat vt diximus.

Modus infufionis aquæ cafei &c. CCXXXV.

REcipe Foliorum rofarum recentium completarum ℥.ij.Raued boni,aur.ij.s.Spicæ ʒ.s. Conterantur raued contritione groffa,& rofæ fimiliter modicum conterantur. Et fundantur fuper ea aquæ cafei,& propriè fumptæ ex capris ℔.ij. Et dimittatur

tatur à sero, vsq; mane. Deinde coletur, & propinetur, & quandoque in defectu rosarum viridium fit sine eis.

Modus infusionis de succis herbarum &c. CCXXVI.

Recipe Succorum endiuiæ, lupuli, & buglossæ depuratorũ, ana ℥.viij. Proijce super ipsos corticum myrobalanorum citrinorum ℥.j. raued boni ʒ.iij. Tamarindorum ℥.j.s. Carnis casiæ fistulæ ℥.iij. Fiat vt suprà.

Decoctio fumi terræ &c. CCXXVII.

Accipe Succi altaraxacon, & endiuiæ, & lupuli, & buglossæ, ana ℥.iiij. Succi fumi terræ ℥.viij. Et proijce super eis depuratis & coctis myrobalanorum citrinorum, & indorum, ana ℥.ij. Passularum enucleatarum tritarũ ℥.j. Tamarindorum ℥.iij. Fiat syrupus, sicut diximus:

Decoctio Alhasce &c. CCXXVIII.

Recipe Alhasce, cuscutæ, hysopi, ana ℥.j. Passularũ enucleatarum ʒ.xx. Myrobalanorum chebulorũ, & emblicorum, ana ℥.j. Turbith ʒ.iiij. Stichados ʒ.v. Eupatorij, absinthij, ana ʒ.iij. Radicum apij, & fœniculi, ana ℥.vij. Polypodij ʒ.v. Anisi, dauci, ana ʒ.iij. Coquãtur omnia in ℔.iiij. aquæ, vsquedũ redeant ad ℔.j. Deinde colentur, & proijciantur in ea Turbith ʒ.j. Zinziberis ʒ.s. Agarici ʒ.j. Et dimittatur vsque mane. Deinde coletur, & accipiatur.

Decoctio myrobalanorum &c. CCXXIX.

Recipe Myrobalanorum citrinorum, chebulorũ, indorum, ana ℥.j. Tamarindorũ ℥.j.s. Fumi terræ ʒ.viij. Absinthij ʒ.iij. Prunorum xxx. Passularum enucleatarum ℥.j. Coquantur in ℔.iij. aquæ, vsquedum deueniant ad ℔.j. Et accipe ex ea ℔.s. vel plus, vt oportet. Et proijciantur in ea turbith ʒ.j. Agarici ʒ.s. Et quando volueris, vt sit medicina debilis, non proijciantur in ea illa duo, sed sufficiunt casiæ fistulæ ℥.ij. Et sunt quidam qui decoquunt dictas res in aqua casei, & est medicamen nobile.

Decoctio de stichados &c. CCXXX.

Recipe Stichados, origani, ana ʒ.iiij. Seminis apij, fœniculi, eupatorij, ana ʒ.iij. Squinanti, hysopi, ana ʒ.ij. Passularum enucleatarum ʒ.viij. Turbith albi arundinei ʒ.iiij. Coquantur, & administrentur.

Decoctio de eupatorio &c. CCXXXI.

Recipe Eupatorij, absinthij, asari, Spicæ, capillorum Veneris, cyperi, raued seni, fumi terræ, bedegar, suchaha, ana ʒ.iiij. Chebulorum, indorũ, ana ʒ.viij. Passularum enucleatarum

℥.j.Coquantur,& adminiſtrentur.

Decoctio epithymi &c. CCXXXII.

RRecipe myrobalanorum nigrorũ, Stichados,epithymi, paſſularum enucleatarum,ana ℥.i.Chebulorũ,fumi terræ,ana ʒ.iiij.Folliculorum ſenæ ʒ.viij.Polypodij ʒ.vj.Turbith ʒ.iiij.Eupatorij ʒ.v. Omnia præter epithymum bulliant in aquæ caſei ℔. iij.vſquedum redeant ad ℔.j.Deinde proijciatur ſuper illud epithymum,& bulliat ebullitione vna. Deinde coletur,& fricetur ſuper,Hellebori nigri ʒ.j.Agarici ʒ.s.Salis indi aur.s.Et adminiſtretur.

Infuſio de Hiera &c. CCXXXIII.

RRecipe Hieræ ex oleo bonæ ℥.s. Et funde ſuper illam decoctionis eupatorij, quam diximus ℔.j. Et ponatur in vaſe vitreo, & exponatur ſoli per dies xij.vel plus. Et da ex ea omni mane ℥.j.plus vel minus ſicut oportet.

Infuſio alia Hieræ &c. CCXXXIIII.

RRecipe Hieræ ex aloe ʒ.v.& funde ſuper ipſam decoctionē epithymi,quam diximus.Et fiat ſicut diximus.

Infuſio tertia hieræ &c. CCXXXV.

FVnde ſuper ipſam decoctionis alhaſcæ ℔.j. Et fiat ſicut diximus.

DISTINCTIO OCTAVA DE TROCHISCIS.

OCtaua Diſtinctio eſt de Trochiſcis, & erit &c. CCXXXVI.

Confectio galliæ muſcatæ &c. CCXXXVII.

RRecipe Xyloaloes crudi,& electi,partes v.Ambræ,camphoræ,ana partes iij. Muſci boni partem j. Glutinis tragacãthi ex aqua roſata,quantum ſufficit ad commiſcẽdum ea.Fiant trochiſci ſimiles folijs myrti,& ſigillentur,& reponantur in vaſe vitreo,& adminiſtrentur. Et apud alios diſſoluitur ambra in vaſe vitreo,cum oleo de ben pauco,& conficiuntur cætera cum eo.

Confectio galliæ ſebelliæ,uel ſebellinæ &c. CCXXXVIII.

RRecipe Foliorum roſarum recentium rubearũ,quæ iam incipiunt reſerare nodos ℥.j.s.Conterantur contritione vltima in mortario lapideo,cum piſtillo ligneo. Deinde proijciantur ſuper illa Ligni aloës electi,& Garyofyllorum,& gummi,& ſpicæ

ſpicæ Indæ,ana 3.j.s.Sandali citrini 3.ij.Ramich 3.iij. Trita omnia prius ſicut alcohol, terantur cum roſis, & humectentur cum modico aquæ roſatæ infuſionis gummi arabici,& iterum humectentur,& terãtur.Et hoc fiat per diem vnum. Vltimo verò aromatizetur cum muſci 3.vnius partibus duabus,& ambrę,& camphoræ,ana aur.j.& fiant trochiſci ſicut diximus,& ſigillentur.

Confectio alia galliæ alephanginæ: & eius interpretatio eſt aromatizatum &c. CCXXXIX.

ACcipe Emblicorũ bonorũ abiectis oſsibus ℥.iiij.cõterãtur cõtritione groſſa:& ponãtur in vaſe vitreo,& fundatur ſuper eo,aquæ roſatæ bonę & electę,infuſionis roſarũ,& corticũ citrorũ ℔.s.Et ſtringatur os vaſis,& dimittatur per dies tres.Deinde exprimantur,& denuò fundantur in eis,aquæ prædictæ infuſionis ℥.iiij.Et in craſtinum fiat ſimiliter, vſquequo emblicorum virtus in aqua impreſſa ſit.Tunc verò accipe Ligni aloes boni 3.viij.Ramich ℥.j s.Roſarum,garyofyllorũ,ana 3.x. Spicæ indæ 3.iij.Sandali citrini aromatici 3.iiij.Gummi arabici 3.vj.Terantur omnia ſicut alcohol,ſicut dixi,& fundatur ſuper ea, parum ſucci prædictæ infuſionis emblicorum, & conteratur omne cum eo, vſquedũ tota infuſio in eo paulatim fundatur.Vltimò verò aromatizetur cum 3.j.camphoræ,& ambræ 3.ij.& Muſci boni 3.j.s. Fiant inde trochiſci,& ſigillentur,ſicut diximus. Et ponantur in vaſe vitreo,& adminiſtrentur.

Confectio Trochiſcorum diarhodon &c. CCXL.

ACcipe Foliorũ roſarũ rubearum, aur. vj. Spicæ aromaticæ aur.ij. Liquiritiæ aur. iij. Ligni aloes aur. ij. Spodij aur.j. Croci aur.s Maſticis 3.ij.Confice cum vino albo,& fiant trochiſci 3,vnius.

Cõfectio Trochiſcorũ de roſis,ſtomachũ &c. CCLI.

REcipe Foliorũ roſarũ 3.x.Liquiritiæ 3.v.Spicæ 3.ij.s.Cõfice cũ vino albo & ſi vis facere ſolutionẽ,adde ſcãmoneæ ℥.iij.

Confectio Trochiſcorũ de roſis, & eupatorio &c. CCXLII.

REcipe Foliorum roſarũ 3.viij.Spicæ 3.iij.Raued ſeni 3.iiij. Spodij 3.j.s.Liquiritiæ 3.iij.s.Succi eupatorij 3.x.Fiãt trochiſci cum tereniabin.

Confectio Trochiſcorũ de roſis,ſicut &c. CCXLIII.

REcipe Roſarũ 3.iij.Ligni aloẽs 3.ij.Maſticis 3.j.s. Abſinthij romani,cinnamomi,ſpicæ,caſiæ ligneæ,ſquinanti,ana 3.j. Fac trochiſcos 3.ij.cũ vino antiquo,& aqua decoctionis radicũ.

Such Alharif, & est gallia magna, siue regalis &c. CCXLIIII.

RECipe Succi albelach ℔.j. Bulliat ebullitione vna. Deinde coletur, & proijciatur super ipsum gallarum recentiũ contritarum contritione vltima ℥.iij. Et bulliat, donec fiat sicut mel. Deinde accipe foliorum rosarum ℥.j. Cardamomi, linguæ auis, garyofyllorum, nucis muscatæ, masticis, ligni aloës, ana ʒ.vij.s. Darseni ʒ.iij. Sandali mazahari ʒ.v. Croci ʒ.s. Gummi arabici ℥.j. Terantur, & cribrentur, & misce cum prædictis. Et expande super marmor inunctum oleo amygdalarũ, donec siccetur totum. Deinde puluerizetur, sicut alcohol, & aromatizetur cum musci aur.s. Deinde cum aqua rosata fiant trochisci subtiles, & siccentur in vmbra.

Confectio Ramich &c. CCXLV.

RECipe Succi herbæ acetosæ ℥.xvj. Bulliat ebullitione vna cum rosarum ℥.j. Granorũ myrti ℥.ij. Et coletur, & misce cum eo Gallarũ recentiũ, & humidarũ, tritarũ vltima cõtritione ℥.iij. Et coquatur adhuc. Deinde puluerizetur super ea foliorum rosarũ ℥.j. Sandali mazahari ℥.j. & ʒ.ij. Gũmi arabici ℥.j.s. Carniũ sumach, spodij, ana ʒ.viij. Succi acrestæ ʒ.vij. Succi granorũ myrti tritorũ contritione vltima ℥.iiij. Ligni aloës, garyofyllorum, masticis, nucis muscatæ, ana ʒ.iiij. Inuoluãtur omnia simul, & expande in scutella lapidea vsquedũ siccẽtur. Deinde tere sicut alcohol. Et cum camphoræ aur.j. & aqua rosata sufficienti, fac trochiscos subtiles, & exicca in vmbra. Et apud alios, loco succi acetosæ, ponitur succi cytoniorum acetosorum immaturorum, tantundẽ. Et quidã sunt qui aromatizãt cum musci ʒ.vnius quarta.

Confectio trochiscorum de reubarbaro &c. CCXLVI.

ACcipe Raued boni ʒ.x. Succi eupatorij ʒ.iiij. Rosarum ʒ.iij. Spicæ, anisi, rubeæ tinctorum, seminis apij, absinthij, asari, ana ʒ.j. Amygdalarum amararum ʒ.ij.s. Et fiant trochisci aurei vnius.

Confectio trochiscorum de camphora &c. CCXLVII.

REcipe Foliorum rosarum ʒ.iiij. Spodij, liquiritiæ, ana ʒ.ij. Sandalorum citrinorum ʒ.ij.s. Croci, seminis citrulli, melonis, cucumeris, cucurbitæ, tragacanthi, gummi, spicæ, ana ʒ.j. Ligni aloës, cardomomi, amyli, camphoræ, ana ʒ. vnius partes duas. Zucchari tabarzet, & tereniabin, ana ʒ.ij. Cõfice cum mucilag

cilagine psyllij ex aqua rosata.

Confectio trochiscorum de spodio &c. CCXLVIII.

RƐcipe Spodij ℨ.iiij. Rosarum rubearum ℨ.vij. Seminis portulacæ, succi liquiritiæ, ana ℨ.ij. Confice cum mucilagine psyllij, & fac trochiscos drachmæ vnius. Et da cum succo mali granati. Et alij addunt quatuor seminum, gummi arabici, tragacanthi, croci, ana ℨ.j.s.

Confectio trochiscorum de spodio, cum semine acetosæ &c. CCXLIX.

REcipe Rosarum rubearum ℨ.xij. Spodij ℨ.x. Seminis acetosæ ℨ.vj. Seminis portulacæ, granorum coriandri infusorum in aceto, & torrefactorũ, & pulpæ sumach, ana ℨ.ij.s. Amyli assi, balaustiorũ, berberorum, ana ℨ.ij. Gummi arabici assi ℨ.j.s. Confice cum succo acrestæ: & da cum aliquo ex robub stipticis.

Confectio trochiscorum de berberis &c. CCL.

REcipe Berberorum, aut succi eorũ, spodij, succi liquiritiæ, & seminis portulacæ, ana ℨ.iij. Rosarum ℨ.vj. Spicæ, croci, amyli, tragacanthi, ana ℨ.j. Seminis citruli ℨ.iij.s. Camphoræ ℨ.s. Confice cum tereniabin.

Confectio alia trochiscorũ de berberis &c. CCLI.

REcipe Berberorũ ℨ.ij. Spodij, xyloaloës, seminis acetosæ, masticis, galliæ, spicæ, ana ℨ.j. Rosarum ℨ.v. Gummi ℨ.iij. Confice cum aqua rosata.

Confectio trochiscorum de absinthio &c. CCLII.

REcipe Rosarum, absinthij, anisi, ana ℨ.ij. Raued, succi eupatorij, asari, apij, amygdalarum amararũ, spicæ, masticis, & folij, ana ℨ.j. Fac trochiscos cum succo endiuiæ: & da cum succo herbarum.

Confectio trochiscorum de Eupatorio &c. CCLIII.

REcipe Tereniabin, succi eupatorij, ana ℥.j. Rosarũ ℥.s. Spicæ ℨ.iij. Raued, asari, anisi, ana ℨ.ij.s. Spodij ℨ.iij.s. Fac trochiscos cum succis herbarum, & da cum eis.

Confectio trochiscorum de Aniso &c. CCLIIII.

REcipe Anisi, eupatorij, ana ℨ.ij. Seminis anethi, spicæ, masticis, folij, absinthij, asari, apij, amygdalarum amararum, ana ℨ.s. Aloës ℨ.ij. Confice cum succo absinthij, & apij, & da cum syrupo acetoso, & succo herbarum.

Con

Confectio alia trochiscorum de aniso, & sunt trochisci de decem medicinis &c. CCLV.

Recipe Anisi ℥.iiij. Masticis, spicæ, apij, absinthij Romani, asari, folij, ana ℥.j. Amygdalarum amararum ℥.j.s. Aloes bonæ ℥.ij. Succi eupatorij ℥.iiij. Confice cũ decoctione absinthij.

Confectio trochiscorum de Lacca &c. CCLVI.

Recipe Laccæ mundatæ, succi liquiritiæ, absinthij, berberi, succi eupatorij, raued, aristolochiæ longæ, costi, asari, amygdalarum amararum, rubeæ tinctorum, anisi, apij, squinanti, ana ℥.j. Fac trochiscos ℥.vnius.

Confectio Ttochiscorum de terra sigillata, ex inuentione nostra &c. CCLVII.

Recipe Sanguinis draconis, gummi arabici assi, ramich, foliorum rosarum, & seminum earum, amyli assi, spodij, acaciæ, ipoquistidos, lapidis hæmatitis, hensistides, balaustij, boli armeni, terræ sigillatæ, sedenegi, coralli, charabæ, ana ʒ. ij. Margaritarum, tragacanthi, papaueris nigri, ana ℥.j.s. Portulacæ assæ, cornu cerui adusti, thuris, gallarũ, croci, ana ℥.ij. Fiant trochisci cum aqua arnoglossæ. Et da cum aqua spodij, gummi, boli armeni, & spicæ. Et quandoque inuitat necessitas, vt ponatur in eis opij ℥.ij. Et quandoq; plus, & quandoq; minus, sicut oportet. Administratio autem eorum est secundum tres modos. Ad fluxum sanguinis ex pectore, aut pulmone, administrandi sunt cum aqua portulacæ. Et ad excoriationẽ, cũ rob cytoniorũ, aut aliquo robub stipticorũ. Et ad emanationẽ sanguinis, ex partibus inferioribus, cõfert iniectio eorũ cum aqua virgæ pastoris.

Confectio trochiscorum de croco, conferens ad internos capitis dolores, & emicraneam difficilem, & sahara uehementem. CCLVIII.

Recipe Croci aur. vij. s. Colchortar aur. v. Aluminis aur. viij. Myrrhæ, spicæ, ana aur. j. s. Omphacij, calchadis, ana ℥.j.s. Gumi aur. ij. Fiãt trochisci cum vino stiptico. Et cum necesse fuerit, dissoluatur vnus cum aceto permisto cum aqua rosacea, & leniantur frons, & tempora. Si autem insomneitatem patitur, opij aur. iij. addes.

Cõfectio trochiscorum de arsenico. Et sunt boni ad excoriationẽ, & ad dysenteriã, & herpetem. CCLIX.

[Alia litera loco chartarũ cõbustarũ, habet tartari cõbusti.]

Accipe Arsenici citrini ℥.j. Calcis non extinctæ ℥.xij. Acaciæ, [chartarum combustarum] fecis aceti adustæ, aluminis,

nis,balaustij,ana 3.ij. Colchotar,flos æris,ana 3.v. Terātur cum aceto,& stent in sole per dies decem. Et fiant trochisci, & reponantur in vase vitri,& stringuatur os eius,& ponatur vas in vase vbi fuerit acetum. Et sunt vltimi. Et quando inuitat necessitas, ponuntur in eis,opij, 3.iiij.

Confectio trochiscorum alandahal,qui ponūtur in hiera Hermetis, & in alijs confectionibus loco coloquintidæ. CCLX.

ACcipe Pulpæ coloquintidæ albæ,& lenis & mundæ à granis ℥ x.Incidatur cum incisorio incisione conuenienti,& fricetur cum ℥.j.olei rosati. Deinde accipe Tragacanthi, gummi, bdellij,ana 3.vj.Infundantur in aqua rosata per dies quatuor : & conficiatur coloquintida incisa , cum glutino eorum , & fiant inde trochisci, & exiccētur in vmbra. Deinde terantur cōtritione bona: & iterum conficiantur cum glutino præfato, & fiat trochisci,& administrentur.

Confectio trochiscorum de sandalis &c. CCLXI.

ACcipe Trium sandalorum,ana 3.viij.Spodij,seminū cucumeris,cucurbitæ,citrulli,& portulacæ, ana 3.iiij.Rosarum 3.vij.Camphoræ 3.j.Berberi,aut succi eius 3.vj.Boli armeni 3.iiij. Confice cum aqua portulacæ,& da cum lacte acetoso,aut cum aqua acrestæ aut acetositate citri , aut rob de ribes.

Confectio alia trochiscorū de sandalis &c. CCLXII.

REcipe Sandalorum citrinorum 3.ij. Gummi arabici,seminis citrulli excorticati,ana 3.j.Seminū portulacæ, & lactucæ,tragacanthi,Succi liquiritiæ,ana 3.s.Fiant trochisci,& administrentur sicut primi.

Confectio trochiscorum Hamech &c. CCLXIII.

REcipe Foliorū violarū mediocritatē habentiū inter humiditatē & siccitatē aur.xij.Turbith albi,& gummosi aur.vj. Succi liquiritiæ aur.iij. Tereniabin 3.iiij. Fac trochiscos. Dosis eorū est aur.ij.cum zuccharo,aut pulpa casiæ fistulæ.Et quādoq; inuitat necessitas,& ponuntur in eis scammoneæ aur.ij.

Confectio trochiscorum de cyperis &c. CCLXIIII.

REcipe Zinziberis,heil,nucis muscatæ,cubebę,macis,garyophyllorum,galliæ,ana aur.j.Corticum citri,masticis, florum squinanti,cyperi,spicæ,cinnami,emblicorum,extremitates myrti,ana aur.ij. Et alij, musci, kirat ij. Confice cum melle passularum,& da ex eis cum vino odorifero. Et hoc post vomitum,& ventris solutionem.

Confectio trochiſcorum de ligno aloës &c. CCLXV.

R Ecipe Ligni aloës,roſarũ rubearum,ana ʒ.ij.Maſticis, cinnamomi,garyofyllorum,galliæ,ſpicæ,macis,nucis muſcatæ,cubebæ,cardamomi,corticum citri,heilbaugue,ana ʒ.j.s.Muſci,ambræ,ana ʒ.vnius ſextam. Fiant trochiſci cum melle paſſularum,& adminiſtrentur cum vino odorifero aromatico.

Confectio trochiſcorum de capparibus &c. CCLXVI.

A Ccipe Corticum radicum capparis,ſeminis agnicaſti, ana ʒ.vj.Nigellæ,calamenti,ſucci eupatorij,acori,amygdalarũ amararũ,naſturij, ammamoniaci, foliorum rutæ, ariſtolochiæ rotundæ,ana ℥.ij.Cyperi, ſcolopendriæ,ana ʒ.j.Ammoniacum diſſoluatur in aceto,& aliarum rerum puluis cõficiatur cum eo. Et ſit doſis eius aur.j.cum vino,in quo coquatur radix capparis, cortex fraxini,& cortex tamaricis,aut extremitates ramorũ eius, & cortex ſalicum. Et ſunt qui duplicant ammoniacum, & eſt melius.

Confectio trochiſcorum de charabæ &c. CCLXVII.

A Ccipe Charabæ aur.vj. Cornu cerui aduſti,coralli aduſti, tragacanthi,acaciæ,henfiſtides,balauſtij,maſticis, laccæ,paueris nigri aſſati,ana aur.ij.Thuris,croci,opij,ana aur.j.s.Fac trochiſcos vnius ʒ.cum mucilagine pſyllij.

Confectio trochiſcorum Alchechengi &c. CCLXVIII.

R EcipeGranorum alchechengi ʒ.iij. Seminis citruli, albatechæ,& cucurbitæ,ana ʒ.iij.s.Boli armeni,gummi arabici,thuris,ſanguinis draconis,papaueris albi, amygdalarũ amararum,ſucci liquiritiæ,tragacanthi,amyli,granorum pini,ana ʒ.vj.Seminis apij, charabæ, boli, hyoſcyami,opij,ana ʒ.ij.Da ʒ.j. cum iuleb,aut aqua mellis.

DISTINCTIO NONA DE SVFFVFET ID EST PVLVERIBVS. CCLXIX.

Suffuf de ligno aloës &c. CCLXX.

A CcipeLigni aloës ℥.s.Galliæ,aur.j.s.Zucchari tabarzet ℥.j.s.Potio eius eſt,ʒ.iij.cum miua.

Suffuf de ligno aloës aliud &c. CCLXXI.

R Ecipe Ligni aloës ʒ.iij. Cardamomi, mentæ ſiccæ, ſpicæ, marmacur,cyperi,corticis citri,ana aur.ij.Galliæ,ſquinanti,ana

ti,ana ℨ.j.Masticis,anisi,apij,ana ℨ.ij.Zucchari,pōdus omnium. Da cum miua.

Suffuf diarhodon &c. CCLXXII.

Recipe Trochiscorum diarhodon, masticis ana ℨ.iij. Charabæ,mentæ siccæ,ligni aloës, ana ℨ.ij.s. Da ℨ.j. cum vino odorifero.

Suffuf aromaticum &c. CCLXXIII.

Recipe Anisi, aur.xij. Seminis fœniculi, aur.vj. Liquiritiæ, zinziberis, ana aur.iij. Garyofyllorum, macis, cinnamomi electi,galangæ,ana aur.ij.Galliæ muscatæ,aur.j.Ligni aloës, corticis citri,ana aur.j.s.Musci boni ℨ.vnius quartam. Zucchari tabarzet, pondus omnium. Zucchari nabet, medium pondus omnium.Dosis eius est,aur.ij.cum vino bono.

Suffuf bonum impinguatiuum, & expertum. CCLXXIIII.

Recipe Farinæ cicerū infusorum in lacte dulci,& exiccatorum.& iterū infusorū,& exiccatorū, & tertio fit similiter, deinde coctorū.Et fint sicut trochisci ℥.vj. Risi abluti multoties ℥.ij.Tritici,& hordei excoriatorū & ablutorū multoties & exiccatorum,& multoties infusorū in lacte,& exiccatorum,ana ℥.iij. Amygdalarum dulciū ℥.v. Papaueris, tortellarum de scemi.ana ℥.iiij. Zucchari tabarzet ℔.j.Terātur,& da vt sorbeat omni die, in mane ℥.iij. postquàm decoquitur in lacte,aut aqua ciceris.

Suffuf de granis myrti &c. CCLXXV.

Recipe Granorum myrti,& granorum granatorum acetosorum tostorum, ana ℥.xx. Cymini carmeni infusi die ac nocte in aceto,& exiccati & torrefacti, sauich alnabach, charub de spinis,sumach,glandium,ana ℨ.x.[Charad,& tarathit, ana ℨ. v.]Confice,& da.

Suffuf ad tussim antiquam &c. CCLXXVI.

Recipe Amygdalarum dulcium,zucchari,ana ℥.ij. Seminis fœniculi ℥.s.Tere,& da cum iuleb.

DECIMA DISTINCTIO DE PILVLIS.

Pilulæ alephanginæ, & eius interpretatio est de aromatibus: & sunt ex inuentione nostra &c. CCLXXVII.

Recipe Cinnamomi,cubebæ,ligni aloës,calami aromatici, macis, nucis muscatæ, cardamomi, garyofyllorum, asari,

masticis, squinanti, spicæ, carpobalsami, ana ʒ.j. Absinthij sicci, rosarum, ana ʒ.v. Terantur contritione grossa, & fundantur super ea aquæ ℔.xij. Et coquantur vsq; ad consumptionem duarum partium. Deinde fricentur manibus, & colentur, & exprimatur aquositas eius. Et accipe aloës succotrinæ ℔.j. Et lauetur in scutella lapidea vitreata cum aqua pluuiali, lauationibus pluribus. Deinde exiccetur, & fundatur super ipsam, expreßionis prędictæ circiter ℔.ij. Et terantur in sole. Deinde admisceantur cum aloë præfata, myrrhæ, masticis, ana ʒ.v. Croci ʒ.iij. Tere contritione bona. Deinde prædictæ expreßionis residuum super ea fundatur, & conterantur vsquedum siccentur. Et fiant ex eis pilulæ in modum ciceris. Et da ex eis à ʒ.ij. vsque ad aur.ij. Et quandoq; exigit dispositio, vt minuatur ex eis pondus aloës. Et tunc ponimus ex ea ℥.iiij. & quandoq; plus: & quandoq; exigit dispositio, vt lauetur aloe prius cum aqua myrobalanorum. Et tunc accipe ex eis ab ℥.iiij. vsq; ad ℥.viij. & coque in aqua. Et postquam coxeris, cum hac aqua laua, & exicca illam, Et laua vltimò cum aqua de speciebus, sicut diximus. Sunt enim incolumes.

Pilulæ stomaticę &c. CCLXXVIII.

Recipe Hieræ picræ ʒ.vij. Trium myrobalanorum, ana ʒ.iij. Agarici ʒ.ij. Turbith boni ʒ.x. Epithymi cretensis, anisi, ana ʒ.ij.s. Salis indi ʒ.ij. Absinthij, scammoneæ, ana ʒ.iij.s. Fac pilulas cum penidiarum ʒ.iij. & succo scariolarum. Dosis eius est ʒ.ij. plus & minus, secundum dispositionem.

Pilulæ aggregatiuę, ex inuentione nostra &c. CCLXXIX.

Recipe Myrobalanorum citrinorum, raued seni, ana ʒ.iiij. Succi eupatorij, succi absinthij, ana ʒ.iij. Scammoneæ antiochenæ coctæ in pomo ʒ.vj. Chebulorum, indorum, agarici, coloquintidæ, polypodij, ana ʒ.ij. Turbith boni, Aloës, ana ʒ.vij. Masticis, rosarum, salis gemmæ, epithymi, anisi, zinziberis, ana ʒ.j. Electuarij rosarum, quantum sufficit ad aggregationem. Fiant pilulæ grossæ. Da ʒ j. vel aur.j.

Pilulę aggregatiuę maiores &c. CCLXXX.

Recipe Bdellij, myrobalanorum nigrorum, bellericorũ & emblicorum, ana ʒ.iiij. Turbith boni & electi ʒ.xiij. Seminum apij, fœniculi, anisi, carui, ammeos, origani, rosarum, seitaragi indi, harmel, hermodactyli, salis indi, masticis, ammoniaci, ana ʒ.j. Zinziberis, cinnamomi, cardamomi, acori, spicæ, croci, casiæ, ana ʒ.s. Serapini ʒ.iiij. Coloquintidæ ʒ.iij. Penidiarum alb

albarum ℥.x. Aloës succotrinæ ℥.xv. Confice cum succo caulium. Et vnge manus tuas cum oleo sambacino, quando facis pilulas.

Pilulæ aggregatiuę minores &c. CCLXXXI.

Recipe Myrobalanorum citrinorum, nigrorum, & emblicorum, ana ℥.iiij. Masticis, anisi, succi eupatorij, absinthij, rosarum, ana ℥.ij. Raued seni ℥.v. Hieræ picræ ℥.xij. Confice cum succo apij. Da ℥.ij.

Pilulę de eupatorio maiores &c. CCLXXXII.

Recipe Myrobalanorum citrinorum, succi eupatorij, succi absinthij, ana ℥.iij. Raued seni ℥.ij.s. Masticis ℥.j. Croci ℥.s. Aloës bonæ ℥.v. Confice cum succo endiuiæ, vel cum aqua casei. Dosis est ℥ ij.

Pilulę de eupatorio minores &c. CCLXXXIII.

Recipe Myrobalanorum citrinorum, raued seni, succi eupatorij, aloës, ana partes æquales. Confice cum aqua apij, vel cum aqua casei, aut cum aqua endiuiæ: & da ℥.ij.

Pilulę de rheubarbaro &c. CCLXXXIIII.

Recipe Raued seni ℥.iij. Succi liquiritiæ, succi absinthij, masticis, ana ℥.j. Myrobalanorum citrinorum ℥.ij.s. Seminis apij, fœniculi, ana ℥.s. Trochiscorum diarhodon ℥.iij.s. Hieræ picræ ℥.x. Confice cum aqua fœniculi, & da ℥.ij. cum aqua case calida, in sero.

Pilulę de alchechengi &c. CCLXXXV.

Recipe Absinthij, & succi eius, & succi eupatorij, aloës, myrobalanorum citrinorum, masticis, croci, raued seni, laccæ ablutæ, asari, anisi, casiæ, seminis fumi terræ, ana ℥.ij. Hieræ picræ ℥.iij. Confice cum aqua solatri. Dosis eius est à ℥.j. vsq; ad aur.j.s. Et si est tussis cum febre, pone venarum liquiritiæ, medietatem ponderis omnium. Sunt enim sanæ, & expertæ.

Pilulę ad febres antiquas, inuentione Philagrij &c. CCLXXXVI.

Recipe Trochiscorũ diarhodon, trochiscorũ de rheubarbaro, ana ℥.iiij. Myrobalanorum chebulorum ℥.iij. Succi eupatorij, bedeguar, ana ℥.ij. Absinthij ℥.j.s. Myrobalanorum citrinorum, seminis cuscutæ, turbith, ana ℥.iiij. Agarici, aloës, ana ℥.vij. Salis indi ℥.j. Confice cum aqua fœniculi: & da ℥.ij.

Pilulę indę, quas scripsit Hali &c. CCLXXXVII.

Recipe Myrobalanorũ nigrorũ, hellebori nigri, polypodij, ana ℥.v. Epithymi, stichados, ana ℥.vj. Agarici, lapidis lazuli

loti,coloquintidæ,salis indi,ana ʒ.iij.Succi eupatorij, Spicæ, ana ʒ.ij.Garyofyllorum ʒ.j.Hieræ picræ ʒ.xij.Fiant pilulæ cum succo apij.Dosis eius est à ʒ.ij.vsq; ad aur.ij.Et sunt sanæ,& expertæ.Da cum aqua casei.

Pilulæ alandahal Hermetis &c. CCLXXXVIII.

Recipe Trochiscorũ alandahal ʒ.xij.Hieræ ʒ.vij. Masticis ʒ.ij.Salis gẽmę aur.j.Laudani boni ℥.j.Omnia,pręter laudanũ,& masticẽ,terãtur & cribrẽtur,& in vnũ immisceãtur.Mastix verò dissoluatur cũ pauco oleo nucũ,& liniantur cum eo species cribratæ.Deinde cum laudano cõficiãtur in mortario, terẽdo ea cum pistillo calido.Et fiant pilulæ grossæ.Da à ʒ.s.vsq; ad ʒ.j.

Pilulæ de Sarcocolla, & sunt pilulæ Hali &c. CCLXXXIX.

Recipe Sarcocollæ ʒ.iij. Turbith ʒ.iiij. coloquintidæ ʒ.j.s. Zinziberis tantundẽ. Salis gẽmæ ʒ.j.Dissolue sarcocollã in aqua rosata, & cõfice alia cũ ea,& fiant pilulæ.Sunt enim sanæ & expertæ.

Pilulæ fœtidæ maiores &c. CCXC.

Recipe Serapini,ammoniaci,opopanacis,bdellij,coloquintidæ,harmel,aloës, epithymi,ana ʒ.v. Hermodactyli, & alscebrã,ana ʒ.ij.Scãmoneæ ʒ.iij.Cinnamomi,spicæ,croci,castorei, ana ʒ.j.Turbith ʒ.iiij.Zinziberis ʒ.j.s.Euphorbij ʒ.vnius partes duas.Dissoluantur gummi in aqua porri,& fiant pilulæ.Da ʒ.ij.

Pilulæ fœtidæ minores &c. CCXCI.

Recipe Serapini, ammoniaci, opopanacis, bdellij, myrrhæ, ana ʒ.v.Turbith ʒ.x.Coloquintidæ ʒ.vj.Fiant sicut priores.Da ʒ.ij.

Pilulæ de Serapino &c. CCXCII.

Recipe Serapini,ammoniaci,bdellij, opopanacis,aloës,castorei,harmel,ana ʒ.ij Coloquintidæ ʒ.iij. Fiãt pilulæ cum aqua porri.

Pilulæ de euphorbio &c. CCXCIII.

Recipe Euphorbij, coloquintidæ, agarici, bdellij, serapini, ana ʒ.ij.Aloës ʒ.v.Fiant pilulæ,cum aqua porri. Potio à ʒ.s.vsq; ad ʒ.j.

Pilulæ de raued &c. CCXCIIII.

Recipe Raued seni ʒ.vij.Ammoniaci,serapini,bdellij,ana ʒ.x.Laccæ ʒ.viij. Opopanacis, mezereon, gummi, ana ʒ.iiij. Turbith ʒ.x.Spicæ, polij, aloës, ana ʒ.v.masticis ʒ.ij. myrobalanorum citrinorum ʒ.x. Dissolue in vino gummi, & fac pilulas. Dosis est ʒ.ij.cum aqua casei,

Pilu

Pilulæ de mezereon &c. CCXCV.

Recipe Foliorum mezereon infusorum in aceto, & exiccatorum ℥.v. Myrobalanorum citrinorum ℥.iiij. Chebulorum ℥.iij. Confice cum Tereniabin, vel tamarindis dissolutis in aqua endiuiæ.

Pilulæ lucis maiores &c. CCXCVI.

Recipe Rosarum, violarum, absinthij, coloquintidæ, turbith, cubebæ, calami aromatici, nucis muscatæ, spicæ, epithymi, carpobalsami, xylobalsami, sileris, seminis rutæ, squinanti, asari, masticis, garyofyllorum, cinnamomi, anisi, fœniculi, apij, casiæ, croci, macis, ana ℥.ij. myrobalanorum citrinorum, chebulorum, indorum, bellericorum, & emblicorum, raued seni, ana ℥.iiij. Agarici, senæ, ana ℥.v. Euphragiæ ℥.vij. Aloës succotrensis, pondus omnium. Confice cum succo fœniculi. Dosis eius est à ℥.ij. vsq; ad iij.

Pilulę lucis minores &c. CCXCVII.

Recipe Xylobalsami, carpobalsami, ana ℥.j. Chelidoniæ ℥.v. Rosarum, violarum, absinthij, euphragiæ, ana ℥.iij. Senæ, epithymi, myrobalanorum citrinorum, chebulorum, indorum, bellericorum, & emblicorum, agarici, coloquintidæ, squinanti, lycij, lapidis lazuli, ana ℥.ij.s. Aloën bonam ad pondus omnium. Confice cum succo fœniculi, aut chelidoniæ.

Pilulę stomaticę, stomachum &c. CCXCVIII.

Recipe Hieræ picræ ℥.x. Trium myrobalanorum, absinthij, ana ℥.iij. masticis, anisi, bellerici, emblici, agarici, ana ℥.iij.s. Zinziberis ℥.ij. Garyofyllorum, salis gemmæ, squinanti, ana ℥.j. Turbith ℥.xij. Confice cum succo absinthij, & da ℥.ij. vel iij.

Pilulæ stomaticę, et sunt &c. CCXCIX.

Recipe Trium myrobalanorum, ana ℥.iij. Rosarum, masticis, ana ℥.ij. Cardamomi, ligni aloës, sandali citrini, cubebæ, garyofyllorum, squinanti, nucis muscatæ, ana ℥.j. Raued seni ℥.s. Turbith ℥.vij. Aloën ad pondus omnium, Confice cum vino odorifero.

Pilulę stomaticę alię, stomachum &c. CCC.

Recipe Aloës ℥.vj. Masticis, rosarum, ana ℥.ij. Confice cum succo solatri.

Pilulæ stomaticę nostrę &c. CCCI.

Recipe Turbith ℥.x. Masticis ℥.iiij. Rosarum ℥.iij. Aloën bonam ad pondus omnium. Confice cum succo absinthij.

Pilulæ alandahal &c. CCCII.

Recipe Trochiscorũ alandahal ℨ.x. Salis gemmæ ℨ.j. Laudani ℨ.xij. Olei rosarum quantum sufficit. Et sunt expertæ.

Pilulæ stomaticę aliæ nostræ &c. CCCIII.

Recipe Myrobalanorum citrinorum, aloës, Turbith, ana ℨ.x. Rosarum, spicæ, masticis, ana ℨ.ij.s. Anisi ℨ.j.s. Salis indi, croci, ana ℨ.j. Confice cum succo absinthij.

Pilulæ de Agarico &c. CCCIIII.

Recipe Agarici ℨ.iij. Radicis lilij cœlestis, Prassij, ana ℨ.j. Turbith ℨ.v Hieræ picræ ℨ.iiij. Coloquintidæ, Sarcocollæ, ana ℨ.ij. Myrrhæ ℨ.j. Confice cum robub. Et da ℨ.ij.

Pilulæ quæ conferunt ad febres cholericas &c. CCCV.

Recipe Myrobalanorum citrinorum, & indorum, seminis fumi terræ, cuscutæ, emblicorum, ana ℨ.ij. Foliorum rosarum, seminis citrulli, ana ℨ.iij. Raued ℨ.vj. Scammoneæ coctæ in cytonio ℨ.j.s. Succi eupatorij, succi absinthij, ana ℨ.ij. Agarici ℨ.ij.s. Hieræ picræ ℨ.viij. Mellis aggregationis casiæ fistulæ, & tamarindorum, & succi endiuiæ, quantum sufficit. Dosis est à ℨ.ij. vsq; ad aur.ij.

Pilulæ diarhodon &c. CCCVI.

Recipe Trochiscorum diarhodon, absinthij, ana ℨ.v. cinamrumsquinanti, masticis, ana ℨ.ij. Salis indi ℨ.j. Aloës bonæ, pondus omnium. Confice cum aqua foliorum citri.

Pilulæ de turbith, & dicuntur pilulæ aureæ &c. CCCVII.

Recipe Turbih boni ℨ.xvj. Aloes ℥.j.s. Masticis, rosarũ, ana ℨ.vij. Myrobalanorum citrinorum ℨ.x. Croci ℨ.iij. Confice cum succo absinthij.

Pilulæ de turbith aliæ &c. CCCVIII.

Recipe Turbith, myrobalanorum citrinorũ, aloës optimæ, ana ℨ.x. Masticis, rosarum, spicæ, ana ℨ.ij.s. Anisi ℨ.j.s. Croci ℨ.j. Fiant pilulæ, sicut diximus.

Pilulæ de lapide lazuli &c. CCCIX.

Recipe Lapidis lazuli abluti ℨ.vj. Epithymi, polypodij, ana ℨ.viij. Scammoneæ, hellebori nigri, salis indi, ana ℨ.ij.s. Agarici ℨ.viij. Garyofyllorũ, anisi, ana ℨ.iij. Hieræ picræ ℨ.xv. Confice cum succo endiuiæ, & da ℨ.ij. cum aqua casei.

Pilulæ de lapide armeno &c. cccx

REcipe Lapidis armeni loti,& præparati,hieræ picræ,ana ℥. v.Epithymi,polypodij,agarici,ana ℥.viij.Scammoneæ coctæ in cytonio ℥.iij.Garyofyllorum ℥.ij.Salis indi ℥.j.s. Confice cum ſucco ſolatri.

Pilulę ad omnes morbos catarrhi &c. cccxi.

REcipe Myrrhæ puræ ℥.vj.Olibani ℥.v. Opij,hyoſcyami,radicum linguæ canis,ana ℥.iiij. Croci ℥.j.s. Fiant pilulæ,& adminiſtrentur. Et da à ℥.s.vſque ad ℥ i.

Pilulę de Serapino &c. cccxii.

REcipe Serapini , ammoniaci, opopanacis, bdellij,ana ℥.ij. Seminis apij,ammeos,harmel,aniſi,ana ℥.j.Acori,ſeitaragi indi,calamenti fluuialis,centaureæ,polij,coſti,ſalis gemmæ,ana ℥.s.Aloes ℥.vj.Coloquintidæ ℥.v.Fiant pilulę & adminiſtrentur.

Pilulę de Bdellio maiores &c. cccxiii.

REcipe Bdellij ℥.xij.Ammeos ℥.iij.Chebulorum,indorũ, bellericorum,emblicormm,venerearum aduſtarum,charabę, ana ℥.ij.s.Infundatur bdelliũ in ſucco porri,& fac pilulas in modum ciceris.Doſis eſt à ℥.ij.vſque ad aur.ij.

Pilule de Bdellio minores &c. cccxiiii.

REcipe myrobalanorũ chebulorũ,indorũ , emblicorum,& bellericorum,ana ℥.v.Bdellij ℥.xv.Fiant ſicut diximus.

Pilulæ de bdellio, ex inuentione noſtra &c. cccxv.

REcipe myrobalanorum nigrorum,emblicorum,& bellericorum,ana ℥.v Bdellij ℥.x.Scoriæ ferri,ſeminis porri, ana ℥ iij. Corallij aduſti,charabæ,conchulæ aduſtæ,ana ℥.j.s.margaritarum ℥.s.Confice ſicut diximus.

Pilulæ de coloquintida &c. cccxvi.

RRcipe Coloquintidæ ℥.vj. myrobalanorum nigrorum,& citrinorũ,ſerapini,bdellij, ſarcocollæ, ana ℥ v.Aloës ℥.vij. Nigellæ,cymini carmeni,origani perſici,naſturtij albi,ſalis gemmæ,abſinthij Romani,ana ℥.j. Infunde gummi in aqua porri,& fac cum cæteris pilulas.Doſis eſt à ℥.j.vſque ad aur.j.

Pilulæ de opopanace &c. cccxvii.

REcipe Opopanacis, hermodactyli,ſerapini, bdellij,ammoniaci,coloquintidæ,ana ℥.v.Croci caſtorei,myrrhæ,zinziberis,piperis,macropiperis,caſiæ,myrobalanorum citrinorum, bellericorum,emblicorũ,ana ℥.j. Scãmoneæ ℥.ij. Turbith ℥.iiij.

Aloës ℥.xij. Infundantur gummi in aqua caulium,& fiāt cum eis pilulæ. Dosis est à ℥.j. vsque ad aur.j. cum aqua iuræ.

Pilulæ de hermodactylis, maiores &c. CCCXVIII.

Recipe Hermodactylorum, aloës, myrobalanorū citrinorum, turbith, coloquintidæ, bdellij, serapini, ana ℥.vj. Castorei, Sarcocollæ, euphorbij, opopanacis, harmel, apij, ana ℥.iij. Croci ℥.j.s. Confice cum succo caulium, & fac pilulas.

Pilulæ de hermodactylis minores &c. CCCXIX.

Recipe Hermodactilorum ℥.v. Scammoneæ ℥.ij.s. Myrobalanorum citrinorum ℥.iij. Rosarum ℥.ij. Aloës ℥.x. Et confice cum catartico rosato, & da ℥.ij.

Pilulæ de Hermodactylis, descriptione nostra &c. CCCXX.

Recipe Hermodactylorum, aloës, ana ℥.v. Myrobalanorum citrinorum, turbith, ana ℥.iiij. Zinziberis ℥.ij. Fac pilulas cum electuario rosato, & da ℥.ij.

Pilulæ Sebelliæ &c. CCCXXI.

Recipe Spicæ indæ ℥.v. Spicæ Romanæ ℥.ij. Raued, agarici, epithymi, ana ℥.iiij. costi, masticis, chamædryos, amomi, ana ℥.iij. Croci ℥.ij. Myrrhæ, cinnamomi, garyofyllorum, squinanti ana ℥.j. Aloës ℥.x. Fiant pilulæ cum vino antiquo. Da ℥.ij. cum vino permisso.

DISTINCTIO VNDECIMA DE VNGVENTIS, ET EMPLASTRIS, CCCXXII.

Hysopi cerotū descriptione Galeni &c. CCCXXIII.

Recipe ceræ citrinæ ℥.iij. Olei chamæmillæ, & olei irini, ana ℥.vj. masticis ℥.j. Spicæ ℥.ij.s. Croci ℥.j.s. Terebinthinæ ℥.j. Resinæ ℥.s. hysopi humidæ ℥.lxxx.

Operatio hysopi humidæ &c. CCCXXIIII.

Recipe Lanarum ouium succidarum, circiter ℔.lx. Et funde super eas aquę fontium calidæ, quantum sufficit ad infundendum. Et dimitte per horas octo. Deinde bulliat bullitione vna, & exprimatur aqua lanarum, & coletur aqua, & coquatur cum facilitate in vase stannato agitādo semper fundum vasis, cum ligno amplo, ne recipiat de vestigio adustionis aliquid: & coquatus vsquedum fiat sicut mel currens, & seruetur.

Hyso

Hysopi cerotum, descriptione Philagrij &c. CCCXXV.

Recipe Croci ℨ.v. Bdellij masticis, ammoniaci, aloës storacis liquidæ, ana ℨ.viij. Ceræ citrinæ ℔.j. Terebinthinæ ℥.ij.s. medulæ cruris vaccæ, adipis anseris, ana ℨ.xv. hysopi humidæ ℔.j.s. Olei nardini quãtum sufficit. Bdellium, ammoniacũ, & aloë, dissoluantur in aqua infusionis fœnugræci, & chamæmillæ, & cũ cæteris fiat vnguẽtũ. Et post Philagrium, addiderunt expressionis squillæ ℥.iij. Olibani ℥.j. Sepi vitulini ℨ.xv. Et est cõueniẽtius.

Hysopi cerotum, descriptione Pauli &c. CCCXXVI.

Recipe Ammoniaci ℨ.x. Bdellij ℨ.v. Sigiæ ℨ.iiij. Croci ℨ.j.s. Aloës, masticis, olibani, ana ℨ.ij.s. Ceræ ℥ iij.s. Sepi, & medullæ vituli, ana ℥.ij. hysopi humidæ ℨ.xl. Ireleon quantũ sufficit.

Vnguentum diaphinicon, conferens &c. CCCXXVII.

Recipe adipis zirbi antiqui, mundi, & colati, & adipis vituli antiqui mundi & colati, ana ℔.j.s. Calchadis ℥.iiij. Olei antiqui. & lithargyri mundi, ana ℔.iij. Terantur lithargyrum, & calchadis contritione vltima, & mundentur per pannum subtilem, & spissum. Deinde terantur cum oleo, & elaboretur in permistione eorum, semper parum ex oleo addẽdo, & fiat illud. Deinde coletur super illud adeps, & coquatur cum facilitate, agitãdo illud sine intermissione cum ramo palmarũ, & proprie cum extremitate eius grossã, abiecta cute eius. Et sint rami, super quorum incisione non præterijt spatium. Et quoties exhauritur humiditas rami à decoctione medicaminis, iterum alterius humidi extremitate agitetur. Necnon & aliorum ramorũ partes humidiores incidantur in frusta, & ponantur in medicamine. Deinde mutentur, dum exiccantur. Et hoc fiat, donec perficiatur eius decoctio. Et fiat in terminum horæ ignis, aut sicut prunæ, aut flammæ tenuis.

Vnguentum diaphinicon, descriptione Arabica, & est unguentum Arabicum &c. CCCXXVIII.

Recipe foliorum cheiri, saluiæ, triaphyllon alleluia, acori, ana ℔.j. Terãtur contritione bona & funde super ea in vase lapideo olei rosati, aut myrtini, & adipis zirbi vituli antiqui, & colati, ana ℔.ij.s. Dimitte per dies ix. deinde accipe myrrhæ mũdæ, aloës succotrensis, ana aur.ix. Sarcocollæ, aur.vij. Terantur, & cribrentur, & proijciantur super ea in vase alio lapideo vini albi, aut succi arnoglossæ lõgæ, in quo coctæ fuerint ex folijs ea-

rundem herbarũ,ana ℥.iij. Et fit vini,aut ſucci quod funditur ſuper ea quantitas ſufficiens ad diſſoluendum ea. Et dimitte per dies vij. Deinde redeas ad herbas,& decoque cum oleo,& adipe, ebullitionibus duabus,& cola,& exprime oleum & adipem. Et accipe huius expreſsionis ℔.iiij.s. Lithargyri mundi,& triti contritione vltima ℔.iij. Calchadis ℥.iiij. Et terantur,& coquantur, ſicut ſuperius diximus. Et agitentur cum ramo palmeo ſimiliter. Et bulliant totum ebullitione vna, vſquedum medicinæ color alteretur. Deinde deponatur ab igne,ſine intermiſsione agitãdo, vſquedum frigeat parum. Tunc quoque mucillagines ſpecierũ, quæ ſunt in vino diſſolutæ antè,paulatim fundas in eo,agitando cum piſtillo ferreo,donec bona fiat eorum permiſtio. Deinde perficiatur eius decoctio,ſicut proximè diximus. Et eſt ſanum,& expertum. Et additur ab alijs arnogloſſæ ℔.j.& propriè longæ.

Emplaſtrum Arabicum &c. cccxxix.

Recipe ex folijs herbarum earundem,ana ℔.j.s. Olei myrtini,adipis vituli antiqui,ana ℥.ix. Myrrhæ,aloës,ana ʒ.xij. Sarcocollæ,℥.ix. Diſſoluantur in vino,aut ſucco herbarum,ſicut hîc proximè diximus. Herbæ quoque cõterantur contritione vltima. Et fundantur ſuper illud,oleum,& adeps,& mucilagines rerum,& cum eis vitrioli aur. iiij. ponantur. Et coquantur omnia cum facilitate,& fiat totum ſicut pulmentum,& adminiſtretur in panno,aut in tenta. Et quandoque diſſoluuntur ſpecies in ſucco arnogloſſæ longæ,aut amplæ,& proprie in æſtate. Et eſt experimentum nobile.

Vnguentum mirabile relatum ad Nicodemum &c. cccxxx.

Recipe myrrhæ,aloës,ſarcocollæ,ana partes æquales. Mellis deſpumati,duplum põderis omnium. Vini albi boni,quãtum ſufficit. Coquantur cum facilitate,vſquedum habeant ſpiſsitudinem. Et quandoq; additur in medicina vitrioli,circiter partem mediã. Et propriè ad conſumptionẽ carnis,& eſt expertum.

Vnguentum Nicodemi aliud. cccxxxi.

Recipe Myrrhæ,aloës,ana quantumlibet,vini albi, quãtum ſufficit. Terantur ſicut alcohol:& proijce ſuper ea vinum, & tere cum eo miſcendo: & iterum infunde vinũ antè modicum terendo illud:& ſic dum fiat liquidum,ſicut mel, & adminiſtretur. Et ſunt qui addunt vitrioli, partis vnius quartam. Et ſunt qui conficiunt cum oleo myrtino,& vino,viciſsim parũ de vtroque ponendo.

Vnguentum Cæsareos magnum &c. cccxxxii.

Recipe Ammoniaci ℥. j. Bdellij, olibani masculi, aristolochiæ, sarcocollæ, ana ʒ.v. Myrrhæ, galbani, ana ʒ.iiij. Lithargyri ʒ.xv. Aloës, opopanacis, ana ʒ.ij.s. Floris æris ʒ.iij. Resinæ ʒ.xiiij Ceræ albæ ℥.ij. Olei quantum sufficit. Ammoniacum & bdellium, & similia, dissoluantur in aceto. Lithargyrum teratur, & coquatur cum oleo, donec liquefiat, & tunc remoueatur ab igne, donec frigeat parum. Et proijce super ipsum ammoniacum, & cætera dissoluta in aceto, & reduc ad ignem, donec coaguletur. Et post illud, proijce super ipsum reliquas medicinas, & administretur.

Vnguentum Cesareos paruum &c. cccxxxiii.

Recipe Aristolochiæ, radicis ireos, sanguinis draconis, ammoniaci, sarcocollæ, ana ℥.s. Lithargyri triti, & puluerizati ℥.v. Decoquatur lithargyrũ cum olei ℔.j. donec liquefiat, & conficiatur cum alijs sicut diximus.

Vnguentum arthanitę magnum &c. cccxxxiiii.

Recipe Succi arthanitæ ℔.iij. Succi cucumeris asinini ℔.j. Olei irini ℔.ij. Butyri vaccini ℔.j. Pulpæ coloquintidæ ℥.iij. Polypodij ℥.vj. Euphorbij ℥.s. Quæ terenda sunt, tere: & submerge in succis, & oleis, & pone in vase vitreato stricti orificij, & stringe caput eius, & dimitte per dies octo. Deinde bulliat totũ ebullitione vna, & coletur. Et proijce super colaturam Serapini aur.v. Myrrhæ aur.ij. Ita quòd resoluantur prius in aceti vini quantitate sufficiẽti. Et aggrega omnia insimul, & bulliant, agitando semper cum fuste, vsq; ad succorum ferè consumptionem. Tunc proijce super ea Ceræ ℥.v. Fellis vaccini aur.v. Ferueãt cum eis, vsquedum liquefiat cera. Deinde pulueriza super ea sic conterendo, Scãmoneæ, aloes, mezereon, coloquintidæ, ana aur.v. Euphorbij aur.ij. Salis gẽmæ aur.iij. Turbith aur.v. Piperis lõgi, zinziberis, chamæmillæ, ana aur.ij. Cõficiãtur, & administrẽtur.

Vnguentum arthanitæ paruum &c cccxxxv.

Recipe Succi arthanitæ, & viscositatis quę mulgetur ex radice filicis, & succi chameactis, ana ℥.ix. Succi extremitatum tamaricis ℥.ij. Olei irini ℔.ij. hysopi humidæ ℥.xv. Ammoniaci, bdellij, ana ℥.j.s. Aceti quantum sufficit ceræ citrinæ ℥.vj. Corticis radicis capparorũ ℥.j.s. Spicę ʒ.iij. Fiat sicut superius diximus.

Vnguentum de lino &c. cccxxxvi.

Recipe Opopanacis partẽ j. Rasuræ pãni de lino, antiqui subtilis & mundi, partẽ mediã. Vini, & mellis & olei rosati, aut

aut myrtini, ana partes v. Lithargyri, aloës, sarcocollæ, myrrhæ, ana partis vnius tertiam. Fiat vnguentum sic, terendo in mortario nunc oleum, nunc vinum infundendo, & administretur. Et quandoque additur in eo vitrioli, partis vnius quarta.

Vnguentum alhariel &c. CCCXXXVII.

Recipe Alhariel recentium ℥.x. Axungiæ porcinæ ℥.xlv. Terantur simul & dimittantur marcescere per dies vij. deinde bulliant, & colentur, & seruetur vnguentum in vitri vase, & administretur vbi oportet.

Vnguentum rosatum &c. CCCXXXVIII.

Recipe Axungiæ porcinæ recentis quantitatem quam volueris, & lauetur in aqua calida nouies, & tantundem cum aqua frigida. Deinde teratur cum ea rosarum rubearum recentium, quantum ipsa est, & dimittantur marcescere per dies vij. Deinde coquantur cum facilitate, & colentur, & tantundem rosarum teratur cum ea, & dimittãtur per alios dies vij. Et fundatur super ipsum succi rosarũ, pars media. Olei amygdalini partis sexta. Et iterum coquatur, vsque ad succi consumptionem. Deinde reponatur & administretur. Et quandoq; disrumpitur in aqua rosata parum opij, & proijcitur in decoctione. Et est mirabile vbi oportet, & propriè quando vigiliæ adsunt.

Vnguentum uiolatum &c. CCCXXXIX.

Fiat sicut vnguentum rosatum.

Vnguentum de Papauere &c. CCCXL.

Fit cum capitibus recentium papauerum, scilicet albi, & nigri, & axungia. Et fiat sicut rosatum.

Vnguentum Basilicon maius &c. CCCXLI.

Recipe Ceræ albæ, resinæ, sepi vaccini, picis, glutinis alimbath, myrrhæ, ana Olei quantum sufficit. In alio, ceræ ℥.vj. Picis ℥.iij. & aliorum, ana ℥.j.s.

Vnguentum Basilicon minus. CCCXLII.

Recipe Resinæ, picis, ceræ, ana Olei quantum sufficit.

Cerotum de Sandalis &c. CCCXLIII.

Recipe Rosarum ℥.xij. Sandalorum rubeorum ℥.x. Sandali albi, & citrini, ana ℥.vj. Boli armeni ℥.vij. Spodij ℥.iiij. Cãphoræ ℥.ij. ceræ albæ ℥.xxx. Olei rosati ℔.j. Conficiantur & administrentur. Et sunt qui lauant oleum, & ceram prius, & postea permiscent cum alijs, & est melius.

Cero

Cerotum Galeni, ultimum in infrigidatione &c. CCCXLIIII.

REcipe Ceræ albæ ℥.j.Olei rosati ℥.iiij.Et fit radix olei,oleũ omphacinum.Aquæ fontis claræ,quantũ sufficit:vt oleum multoties,& bene lauetur. Et quantò magis elaboratur in lauando illud, tantò fit excellentius. Vltimò verò conquassetur cum aceto albo,& claro,& pauco,& conseruetur.

Vnguentum de Bdellio &c. CCCXLV.

REcipe Bdellij ʒ.vj.Euphorbij ʒ.ij.Castorei ʒ.iij.Serapini ʒ.iiij.ceræ ʒ.xv.Olei sambacini,aut olei de cheiri ℥.x.Bdellium & serapinum dissoluantur in aqua rutæ agrestis: cætera liniantur cum aqua calida,& fiat vnguentum,& liniatur cum eo.

Vnguentum ualens similiter. CCCXLVI.

REcipe Castorei ʒ.ij.Pyrethri,euphorbij, staphisagriæ,zinziberis,sinapis,ana ʒ.iiij.Succi asphodillorum,succi rutæ agrestis,ana ℥.iiij. Liniantur omnia cum succis. Deinde coquãtur cum ceræ ℥.v.Olei rosati ℥.xx.vsque ad succorum consumptionem. Deinde coletur & administretur.

Vnguentum Philagrij &c. CCCXLVII.

REcipe ceræ ℥.iij.hysopi humidæ,succi rutæ agrestis,ana ℥.ij. Euphorbij,piperis, ammoniaci, croci,olei balsami,castorei,glutinis alimbath, opopanacis,ana ℥.ij. Sigiæ.℥.ij.s. Olei, quantum sufficit.

Vnguentum aureum &c. CCCXLVIII.

REcipe ceræ citrinæ ℥.vj.Olei boni ℔.ij.s. Terebinthinæ ℥.ij.Resinæ,colophoniæ,ana ℥.j.s.Olibani,masticis, ana ℥.j. Croci ʒ.j.

Vnguentum de Cerusa &c. CCCXLIX.

REcipe cerusæ,merdasengi,ana ℥.vj.Plumbi adusti, scoriæ argẽti,ana ʒ.iiij.Masticis,olibani,ana ʒ.ij.s.Olei rosati,& aceti albi,quantũ sufficit. Terãtur in mortario,& ponatur prius oleũ,postea acetũ,ana parũ infundẽdo,ita quòd sine intermissione terantur,nunc hoc,nunc illud infundendo, donec impinguetur. Si autem eo indiget pruritum habens: Argẽti viui ʒ.v.adde, & administra. Et quandoq; apud necessitatem,adde Ziniar ʒ.ij.

Vnguentum Syricinum &c. CCCL.

SVper vnguẽtum de Cerusa,adde Syrici ℥.j.s,Aloes, myrrhæ, ana ʒ.iiij.Et vtere.

Vnguentum Aegyptiacum &c. CCCLI.

REcipe Floris æris aur.v,Mellis aur.xiiij.Aceti fortis aur,vij. Coque

Coque super ignem donec inspissetur. Et sunt qui addūt ei olibani masculi triti, aur. ij. s.

Vnguentum tripharmacum, faciens &c. CCCLII.

ACcipe Lithargyri triti sicut alcohol, partem vnam. Et funde super ipsum, nunc oleum, nunc acetū: & teratur, & adæquetur, & proprie quantum sufficit. Et administretur.

Vnguentum tripharmacum aliud. CCCLIII.

REcipe Lithargyri triti sicut alcohol, partem vnam, aceti vini tantundem. Olei antiqui, partes duas. Coquantur cum facilitate, vsquedum fiat eius spissitudo. Et administretur.

Vnguentum alpsoricon &c. CCCLIIII.

REcipe cerusæ, lithargyri, psoricon, aloes bonæ, climiæ argenti viui extincti, ana partes æquales. Olei de oleandro, & aceti quantum sufficit. Fiat sicut vnguentum de cerusa.

Confectio psoricon &c. CCCLV.

REcipe Lithargyri albi, calcanthi, ana partem vnam. Floris æris partem mediam. Terantur cum aceto vehementer forti, in sole tempore æstiuo, ferè per diem vnam, semper autem modicum addendo acetum. Deinde ponatur in vase vitreo, & stringatur os eius, & sepeliatur in fimo diebus 40. Deinde administretur.

Confectio unguenti sanantis uulnera &c. CCCLVI.

ACcipe Aloës boni, myrrhæ mūdæ, ana partes æquales. Deinde tere vehementer cum succo absinthij, & succo plantaginis, donec fiat sicut mel. Et administretur cum coto, aut panno subtili.

Hysopi cerotum diatessaron, descriptione Democriti &c. CCCLVII.

REcipe ceræ citrinæ, terebinthinæ, ana ℨ.xij. Olei irini ℥.iiij. hysopi humidæ ℥.ij.s. Et ex eis fiat vnguentum, & administretur.

Cerotum Galeni, stomachum confortans &c. CCCLVIII.

ACcipe Rosarum ℨ.xx. Foliorum absinthij sicci ℨ.xv. Mastices ℨ.xx. Spicæ Indæ ℨ.x. Tere subtiliter. Et accipe ceræ mūdæ ℥.iiij. Olei rosati ℔.j.s. Dissoluantur in igne, & lauētur lauationibus pluribus in aqua rosata. Deinde iterum dissoluantur, & lauentur in vino veteri, & succo cytoniorum, & aceto pauco. Deinde misceantur cum puluere rerum, & fiat cerotum & administretur.

Cero

Cerotum diapente &c. CCCLIX.

Accipe ceræ citrinæ ℥.iij.Sigiæ vnciæ vnius partem tertiam, Terebinthinæ ℥.j.Mucilaginis zanahã ℥.v.Olei irini quantum sufficit. Et est expertum.

Cerotum Alexandrinum &c. CCCLX.

Recipe cimarũ absinthij, olibani, ana ʒ.x.Ammoniaci,storacis calamitæ, ana ʒ.xij. Spicæ ʒ.iij. ceræ ℥.iiij. Olei chamæmillæ,quantum sufficit. Ammoniacum,& storacem in vino sufficienti per diem & noctem infunde.Absinthiũ autem & spicam tere & cribra. Oleum vero & ceram solue super ignem & cum eis reliqua misce.

Cerotum aliud eiusdem &c. CCCLXI.

Recipe castorei, euphorbij, piperis longi & nigri,ana ℥.j. Ammoniaci,opopanacis, galbani, ana ℥.j.s. Medullæ ceruinæ,medullæ cruris vaccæ,ana ℥.ij. Terebinthinæ ℥.vj.Storacis liquidæ ℥.j.Adipis gallinæ,anatis,& anseris,& adipis porci, ana ℥.j.s.Ceræ ℔.j.Olei veteris,olei nardini,olei laurini,olei irini,olei naptici,olei chamæmillæ,& olei de cheiri,ana ℥.viij.Olei balsami ℥.iiij. Vini veteris, quantũ sufficit ad infundẽdũ medicinas siccas.Et sunt qui addunt hysopi humidæ ℥.iiij.Et est efficacius.

Cerotum Andromachi,factum ex nouem medicinis &c. CCCLXII.

Recipe Storacis ʒ.iiij.masticis ʒ.xij.Folij, spicæ, ana ʒ.iij.s. Euphorbij ʒ.iij.cinnamomi ʒ.vj. Ceræ albæ ʒ.xx. Olei de ben ℥.viij.Olei balsami ʒ.xv.Fiat cerotum.

Emplastrum diachylon &c. CCCLXIII.

Recipe ex fœnugræco,& semine lini,& radice altheæ,scilicet de singulis mucilaginibus, ana partem vnam. Lithargyri triti contritione vltima & mundi à plumbo & à scoria,partem.j. s.Olei antiqui clari,partes iij.Modus autem operationis eius talis est: Lithargyrũ,& oleum diu in mortario lapideo cum pistillo ferreo conquassetur, & laboretur in eorum conquassatione multùm. Deinde bulliat super ignem, cum facilitate,semper & indesinanter agitando cum spatula, vsquedum coaguletur lithargyrum. Tunc deponatur ab igne,& dimittatur infrigidari paulatim. Postea accipe mucilagines,& bulliant ebullitione aliqua.Deinde ante modicũ proijce mucilagines super lithargyrũ, & oleum, semper cum pistillo conquassando,donec decens fiat eorũ permistio. Tunc coquatur super ignẽ,vsquedũ inspissetur.

Inquit

Inquit Hamech: Felicissimum opus eius, si cum eo puluis ireos tritæ permisceatur. Mirabilis est iuuamenti ad resoluendum, & maturandum fortiora. Si autẽ mucilagines meliloti (& propriè seminis eius) operatio ipsius receperit, erit eius sedatio fortior. Et sunt qui pro communi oleo, oleum irinum, & oleum de chamæmilla ponunt, & est in cunctis operatio eius nobilior.

Emplastrum diachylon magnum &c. CCCLXIIII.

RÉcipe Lithargyri mundi triti & cribrelati ℥.xii. Olei irini, & chamæmillini, & anethini, ana ℥.viij. Mucilaginis seminis lini, mucilaginis radicũ althææ, mucilaginis fœnugræci, mucilaginis ficuum pinguium, & mucilaginis passularum, & succi ireos, & succi squillæ, & hysopi humidæ, & glutinis alzanahan, ana ʒ.xij.s. Terebinthinæ ℥.iij. Resinæ pini, & ceræ citrinæ, ana ℥.ij. Conficiatur sicut diximus. Et est expertum. Inquit filius Zachariæ. Acquiritur & in decoctione, vt discedat à mollitie ceræ, & accedat ad spissitudinem vnguentorum, & liniatur in panno, & supperponatur vbi oportet.

Diachylon paruum &c. CCCLXV.

RÉcipe Lithargyri ℥.vj. Olei veteris clari ℔.j. Mucilaginis psyllij ℥.iiij. Mucilaginis hyoscyami ℥.j.s. Mucilaginis seminis lini, & mucilaginis radicis maluæ, ana ℥.ij. Cuius operatio est sicut operatio alterius.

Emplastrum de granis lauri &c. CCCLXVI.

RÉcipe Olibani, masticis, myrrhæ, ana ℥.j. Granorum lauri ℥.ij. Cyperi, costi, ana ℥.s. Mellis calidi quantum sufficit ad aggregandum. Et extendatur in panno, & calidum superponatur, vbi oportet. Si autem triplicatur in eo cyperus, & ponitur de stercore caprarum, aut vacarum sicco, ad pondus omnium, inuenitur mirabile ad hydropisim.

Emplastrum stomachum & hepar confortans &c. CCCLXVII.

RÉcipe Ligni aloës, absinthij, gummi arabici, masticis, cyperi, costi, zinziberis, ana ℥.s. Calami aromatici, olibani, aloës ana, ʒ.iij. Garyofyllorũ, macis, cinnamomi, spicæ, nucis muscatæ, galliæ muscatæ, squinanti, ana ʒ.j.s. Aggregẽtur cum mina aromatica, & extende super pannum, & suffumigetur super ligno aloës & superponatur.

Emplastrum de gallia &c. CCCLXVIII.

RÉcipe galliæ muscatæ, ramich, sumach, acaciæ, ipoquistidos laudani, gallarum non perforatarum, calami aromatici,

rosar

rosarum,& seminis earum,Sandalorum alborum,& rubeorum, masticis,xyloaloes,garyofyllorum,spicæ,olibani,costi, myrrhæ, cyperi,absinthij,ana ʒ.ij.Fiat eorum contritio bona. Deinde accipe foliorum myrti humidæ,foliorum lauri,aquæ rosatæ, & vini pontici,ana ℥.j.Submerge in eis calefactis tortellarum de seni ʒ.iij.Dactylorum siccorum xij.numero.Et dimittantur per diem & noctem.Deinde terantur & fiant sicut puls,& misceantur cum miuæ aromatizatæ ℥.iij.aut iiij.Gummi assati ʒ.vij.Coquantur omnia lento igne,vsq; ad spissitudinem mellis. Deinde aggrega cum puluere rerum,& tere diu in mortario, donec fiat totum viscosum.Deinde lini ex eo super lamina, & suffumiga cum ligno aloes,& epithymetur cum eo.

Emplastrum aliud de gallia &c. CCCLXIX.

RECipe galliæ,ramich,rosarum, & seminis earum, pulpæ sumacb,sandalorum alborum, & rubeorum, spodij, sanguinis,draconis,charabæ,balaustij ,gallarum, ipoquistidos, acaciæ, corticum mandragoræ,capitum granatorum,ana ʒ.ij. camphoræ ʒ.s.Tere,& fac puluerem.Et accipe succi capreolorum vitium ℥.ij.Vuarum agrestium ℥.j.Succi extremitatum myrti humidæ,& aceti,ana ℥.j. s. Infunde in eis sauich hordei, & granorum myrti tritorum sicut alcohol,ana ʒ.iiij.Gummi arabici assi ʒ.vij.Et misce cum eis miuæ acetosæ ℥.ij.vel iij.& decoque in igne leui,vsque dum habeat spissitudinem viscosam. Deinde aggrega omnia simul cum speciebus,& lini ex eo super laminam, & suffumigetur cũ xyloaloes, & epithymetur cum eo. Et est sanũ & expertum.

Emplastrũ relatũ ad Andromachum &c. CCCLXX.

RECipe Sepi anatis,& picis,ana ʒ.xviij.gũmi pini ℥.viij. Auripigmenti rubei,& citrini,aluminis iameni,calcis non extinctæ,ana ʒ.xv.Ammoniaci ℥.ij. Dissoluatur ammoniacum in vino rubeo, & dissoluatur in igne, & dissoluantur cum eo olei ℔.ij. Et puluerizanda puluerizentur,& aggrega omnia simul secundum decẽtem modum præparationis eius.Et mitte vbi oportet expansum in lamina.

Emplastrum aliud Andromachi &c. CCCLXXI.

RECipe aquæ ardentis(& est aqua saponis)℔.iiij.Granorum rizi,& frumenti excorticatorum,ana ℥.vij.Ponantur in vase vitreato,& stringatur orificium eius vehementer, & dimittatur per diem & noctem. Deinde agitetur cum ligno, & claudatur. Et fiat hoc omni die, donec grana dissoluantur, & totum sit factum mucilaginosum. Deinde reseruetur. Cùm autem eo vti

oportet,recipiatur de eo in vacuitate corticis auellanæ,aut in nodo arundinis,aut in cera præparata,& ponatur vbi oportet. Facit enim cocturam ſicut cauterium.Et propriè dimiſſum in loco tribus horis,aut plus,ſi oportet.

Emplaſtrum ſinapiſmum &c. CCCLXXII.

Recipe Ficuum ſiccarum pinguium, partem vnam. Et infunde in aqua tepida per diem & noctem. Tunc exprime fortiter, vt nullus humor in eis remaneat. Deinde ſinapim tritam cum aceto cum eis miſceas,diligenter diu commiſcendo. Et ſit ſinapis pars vna,& ficuum alia.Si autem vehementioris virtutis facere volueris,pone de ſinapi partes duas.Si autem minus,ex ficubus partes duas,& ex ſynapi, partem vnam. Quando autem applicatur loco,dimittatur in eo:ſed auferantur antequam vulneretur, & propriè quando ſolum calefacere oportet. Et quandoq; dimittitur donec vulneretur, & propriè quando profundarum materiarum excluſionem quæris: ſicut in ſciatica, & talibus.In defectu verò ſinapis,ſchæbalæ caprinæ,pridie in aceto infuſæ ponantur.Et eſt ad hydropiſim,& duritiē, & dolorem ſplenis efficax.Et quandoq; additur eis fimus columbarū agreſtium, & radix inulæ:& ſemen naſturtij,& grana lauri:& confert ad frigidas & ventoſas ægritudines viſcerum,& ſplenis & hydropiſim, & ſimilia.Expertum eſt ab antiquis medicis.

Emplaſtrum de fermento &c. CCCLXXIII.

Illud quod ex eo antiquius eſt,nobilius eſt, cum melle diſtemperato,& ſint partes eorum æquales, & ſexta pars eorum ex viſco quercino, & octaua pars ammoniaci diſſoluti in aqua fœnu græci,aut lacte arboris mori,& modico fecis olei antiqui.Et eſt emplaſtrum efficax, ad extrahendum ſpinas, & furcillas, & oſſa carni infixa,etiam ſi profunda ſint.Adhuc autem, accipe fermenti partem vnam,ſucci mentæ,& ſucci abſinthij, ana partem s.aceti vini,aut ſucci vuarum agreſtium, aut ſucci extremitatum vitium,aut ſucci cytoniorum,quartam partem vnius.Macis, garyofyllorum,ligni aloës,maſticis,ſpicæ,foliorum roſarum. Abſinthij ſicci,ana octauam partem vnius.Miſceantur omnia & coquantur ad ignem, & emplaſtretur ex eis ſtomachus, & hepar. Confert enim iuuamentum manifeſtum ad debilitatem eorum. Et adhuc eius acetoſi partem vnam,Succi endiuiæ, aut ſolatri,& aceti,aut ſucci vuarum agreſtium, aut ſucci extremitatū vitium, ana partem mediam, farinæ hordei tertiam vnius partis, trium

ſand

ſandalorum,foliorum roſarum,ſpodij, ſauſel,ſief memithe,boli armeni,ana ſextam vnius partis.Succi portulacæ,& mucilaginis pſyllij, ana quantum ſufficit, ad aggregandum ea. Et fiat ex eis emplaſtrum,& ponatur ſuper hepar,& viſcera, in quibus eſt vehemens inflammatio,& erit mirabile. Præter hoc autem, accipe fermenti, mellis, olei, lactis mulieris, Vitellorum ouorum, ana partes æquales.Fiat emplaſtrum. Maturat enim, & rumpit apoſtemata,& delet. Si autem fortius facere volueris emplaſtrum, adde galbani circiter partis medietatem, & diſſolue cum eis. Quod ſi adhuc fortius facere volueris, adiunge eis Baurach ſextam vnius partis. Stercoris columbini & gallinacei, ana quartam vnius partis,aut plus, aut minus. Amplius autem, ſi aceto & ſale fermentum coques, hepati & ſpleni neceſſarium in multis ægritudinibus inuenies. Amplius nanq;, ſi ammoniaci, & bdellij,& ficuum pinguium,ſumes ana, & partem mediam fermenti addideris,& propriè diſſoluti in aceto,& foliorum rutæ, & fructus tamaricis,& baurach,ana quartam vnius partis. Et miſcueris omnia,& fortiter cõtundes,miraberis effectum eius, ad groſſitiem ſplenis.Si autem opus eſt ſiccare in viſceribus contenta ſuperflua,cum fermento,ſulphure,& ſale,cinerem vitium combuſtarum addes.Si autem acrius facere volueris, aſphaltum indes. Si autem adhuc acrius, euphorbium adiunge. Inquit Democritus.In multis adhuc antiqui laudauerunt experiẽtiam eius,quod narrare prolixum eſt.

Emplaſtrum filij Zachariæ &c. CCCLXXIII.

REcipe Ceræ citrinæ ℥.iij.Medullæ cruris vaccæ,adipis anatis, & adipis gallinæ, mucilaginis ſeminis lini, ana ℥.iij.s. olei de lino quantum ſufficit. Si autem fortius facere volueris, adde mucilaginis althææ,& mucilaginis fœnugræci, partes conuenientes.& pro oleo de lino,ponatur oleum de cheiri citrino, vel vtrunq;.Et ſi adhuc fortius facere volueris, adde hyſopi humidæ,& glutinis zanahan, quantum de vna mucilaginum.Et miraberis effectum eius,ad ea quæ diximus.

Emplaſtrum diaphinicon confortatiuum &c. CCCLXXIX.

IN primis fiat cerotum,ex ceræ ʒ.ij.olei roſati, & olei nardini, ana ℥.iiij. Deinde accipe Dactylorum ſiccorum xl. numero. Tortellarum de ſeni ʒ.v.Et funde in vino odorifero, & accipe carnium cytoniorum decoctorum in vino ʒ.viij. Et tere cum dactylis cõtritione vltima,& miſceantur cum ceroto, & contun-

dantur in mortario, donec aggregentur. Deinde proijce super ea masticis, olibani, absinthij romani sicci, ana ʒ.ij. s. Ligni aloës macis, myrrhæ, aloës, spicæ, acaciæ, galliæ, ramich, calami aromatici, ana ʒ.j. Laudani ʒ.ij. Et iterum conterantur, donec permisceantur. Deinde lini super laminam ex eo, & suffumiga cum xyloaloës, & pone super stomachum, & hepar, & viscera. De meliori autem operatione est, vt mastix & laudanum cum cera, & oleis misceantur, & sic cum cæteris emplastrum fiat.

Emplastrum diaphinicon, descriptione Alexandri &c. CCCLXXVI.

RECipe Dactylorum vicinorum maturitati sine ossibus ℥.v Tortellarum de feni ℥.j. Cytoniorum, & propriè carnium eorum decoctarum in vino stiptico ℥.j.s. Storacis, masticis, Laudani, ana ʒ.iiij. Acaciæ, succi acrestæ, florum vuarum agrestium, rosarum, sandalorum mazahari, ramich myrrhæ, xyloaloes, ana ʒ.v. Ceræ ℥.iiij. olei rosati ℥.xv. Vini pontici, quantum sufficit ad infundendum infundenda. Et confice sicut te scire fecimus, & lini ex eo super laminam, & cum xyloaloes suffumiga, & superpone.

Emplastrum de allijs Alexandri &c. CCCLXXVII.

ACcipe Spicarum allij mundatarum ℥.iij. Storacis, aloës bonæ, bdellij, ana ℥.iij. Terebinthinæ ℥.iiij. Axungiæ porcinæ recẽtis, adipis anseris, ana ℥.v. Masticis, olibani, ana ℥.j.s. Euphorbij ℥.j. Croci ʒ.s. Ceræ citrinæ ℥.xij. Olei nardini, & vini odoriferi, ana quantum sufficit.

Emplastrum relatum ad Aristarchum &c. CCCLXXVIII.

REcipe ceræ citrinæ ℥.j. Terebinthinæ ℥.vj. Axungiæ porcinæ recentis, adipis anseris, medullæ cruris vaccæ, ana ℥.iiij. Bdellij, myrrhæ, olibani, storacis, opopanacis, aloes, masticis, ana ℥.j.s. Ammoniaci ʒ.iij. Colophoniæ ℥.v. Aluminis ℥.j. Spicæ ʒ.vj. Folij, calami aromatici, euphorbij, granorum lauri, ana ʒ.vij. olei balsami ℔.j. olei nardini, & vini odoriferi, ana quantum sufficit. Confice sicut sæpe narrauimus, & vtere.

Emplastrum Oribasij &c. CCCLXXIX.

REcipe Lithargyri ℥.iiij. Ceræ ℥.viij. Resinæ ℥.v. Ammoniaci ℥.iij. Confitæ ℥.ij. Aristolochiæ ℥.j.s. Aloës ℥.j. Thuris masculi, cuscutæ, galbani, ana ʒ.xiij. Olei antiqui, & aceti squillitici, ana quantum sufficit. Confice sicut diximus.

Empl

Emplastrum Oribasij aliud &c. CCCLXXX.

Recipe Ammoniaci ℥.ij. Dimitte in aceto squillitico per dies ij. deinde tere in mortario, donec fiat sicut puls. Deinde contere cum ceroto facto ex ceræ citrinæ ℥.ij. Olei chamæmillæ, & irini, ana ℥.iiij. Croci ʒ.v. Confice conterendo, donec fiat totum pingue. Inquit Oribasius: Extende ex eo super pannum, & calidum super spinam pone, & confert rigori febrium. Sed pro aceto squillitico, permutatio fiat ad succum apij, & est expertum.

Emplastrum de Meliloto &c. CCCLXXXI.

Recipe Meliloti ℥.vj. Florum chamæmillæ, fœnu græci, granorum lauri, radicum althææ & absinthij, ana ʒ.iij. Seminis apij, cordumeni, Ireos, cyperi, ammeos, spicæ, casiæ, ana ʒ.ij.s. Sampsuchi ʒ.iij. Ammoniaci ʒ.x. Storacis ʒ.v. Bdellij tantundem, Terebinthinæ ℥.j.s. Ficuum pinguium xij. numero. Sepi caprini, resinæ, ana ℥.ij.s. Ceræ ℥.vj. olei sampsuchini, & olei de spica, ana quantum sufficit. Aquæ decoctionis fœnu græci, & chamæmillę, & meliloti, quantum sufficit ad infundendum ea quæ infusione indigent. Misceantur, & conficiantur, & epithymetur cum eo.

Mistura ad vulnera sananda. CCCLXXXII.

Recipe Garyofyllatæ, radicum arthemisiæ, pimpinellæ, chamæmillæ, pentaphyllon, herbæ violarum, herbæ venti, caulis rubei, cannabis teneræ, omnium ana. Rubeæ, quantum de omnibus. Hæc omnia bulliant in vini competenti quantitate, vsq; ad medietatẽ: postea cola, & colaturæ adde tertiam partem mellis, & cum eo bulliat, & vsui reserua.

Vnguentum palmeum &c. CCCLXXXIII.

Recipe olei veteris ℔.iij. Axungiæ veteris depuratæ à sale ℔.ij. Lithargyri ℔.iij. Vitrioli ℥.iiij. Conficiatur sic. Oleum & axungia mittantur in stannato supra ignem, & liquefiant. Deinde addantur lithargyrum & vitriolum, & ducantur continuè cum tribus ramis palmæ. Et accipe vnum ramum palmarum, minutatim incisum, & intromittatur, & tandiu bulliat supra ignem lentum, factum de lignis siccis, donec inflammetur, & redeat ad suum statum, & inspissetur, & densitatem habeat.

Vnguentum aliud palmeum. CCCLXXXIIII.

Recipe Lithargyri aurei ℔.iij. Pinguedinis porcinæ depuratæ à sale ℔.v. Vitrioli viridis ℥.iiij. Terantur palmæ ad libitum, & semper agitetur cum palma. Et loco palmæ, potest poni radix cannæ.

Vnguentum expertum ad ſcabiem. &c. CCCXXXV.

REcipe Axungiæ ℥.v. Olei laurini, Argenti viui. Ceræ mundæ, Maſticis, Thuris albi pulueriꝫati, ana ℥.ij. Salis communis ℥.viij. de ſucco plantaginis, & fumi terræ ad libitum. Confice ſic. Ceram, & axungiam, nouam, expurgatam à tela ſua, & oleum laurinum mitte in ſtannato, cum ſuccis, & pone ad ignem, & bulliant donec liqueſcant: & adde pulueren ſalis, olibani, & maſticis, in ſupradicta quantitate. Et bulliat totũ vſque ad perfectam decoctionem, & poſtea depone ab igne, & adiũge argentum viuum, cum ſaliua & pauco olei prędicti extinctum. Et miſce bene cum ſpatula. Et vnge palmas manuum, & frica fortiter in ſero totum corpus, vſque ad octo dies.

DISTINCTIO DVODECIMA EST DE OLEIS

Est enim multiplex oleorum operatio &c. CCCLXXXVI.

Oleum de Amygdalis dulcibus &c. CCCLXXXVII.

REcipe ex amygdalis mundatis ab vtroque cortice, quantitatem quam volueris, & tere contritione vltima, & fac paſtones ex eis, & dimitte in loco calido per ſpatium ſicut horarum v. Deinde iterum tere, & pone in zainari, & ſtringantur, & exprimantur, & emanabit oleum. Si autem in vaſe duplici, ſicut per horæ ſpatium coxeris, deinde expreſſeris in zainari, emanabit abundantius. At ſi amygdalis tritis ſacellos impleueris, & ſub cinere calido, aut arena calida inter pannos ſepelieris, & poſtea expreſſeris, abundabit oleum. Modus operationis eius alius eſt. Malaxentur in tina, ſicut paſta malaxatur, & ſit domus in qua malalaxantur calida, & fundatur deſuper aquæ calidæ parum, & ſtet pila decliuis, vbi emanet oleum: & dum ſic expreſſeris, abũdabit. Zainari autem planta inferior, ſit habens concauitatem, & emunctorium in parte, & in ſuperiori parte ſit globus iuxta formam capacitatis concauitatis, vt ſigillet omni hora ambitum vacui. Hic ergò eſt modus formæ eius.

Locus Figuræ.

Oleum de Amygalis amaris. CCCLVIII.

MOdus cõpoſitionis eius eſt, ſicut diximus de oleo de amygdalis dulcibus.

Oleum

Oleum de nucibus, grossarum uentositatum est resolutiuum &c. CCCLXXXIX.

MOdus compositionis eius est sicut diximus.

Oleum de auelanis &c. CCCXC.

EIus modus est sicut diximus.

Oleum de crhysomilis &c. CCCXCI.

MOdus compositionis eius est sicut diximus.

Oleum de Persicis &c. CCCXCII.

OPeratio eius est, sicut diximus.

Oleum de Ben &c. CCCXCIII.

MOdus operationis eius est, sicut olei de amygdalis.

Oleum de Cherua &c. CCCXCIIII.

EST operatio eius, sicut diximus.

Oleum de carthamo &c. CCCXCV.

MOdus operationis eius est, sicut diximus.

Oleum de nuce indica &c. CCCXCVI.

EIus operatio est, sicut diximus.

Oleum de cerasis &c. CCCXCVII.

EIus operatio est, sicut diximus.

Oleum de Almahaleb, fottius est in omni re, quàm oleum de cerasis &c. CCCXCVIII.

ET eius operatio, est sicut illius.

Oleum de granis citri, & citragulorum &c. CCCXCIX.

EIus operatio est, sicut diximus.

Oleum de Fisticis, & pineis &c. CCCC.

EIus operatio est, sicut diximus.

Oleum Laurinum &c. CCCCI.

ACcipe de granis Lauri maturis quantum volueris: & dum adhuc sunt recentia, tere in pila, & fac bullire cum aqua in caldario. Deinde exprime in zainari plano, non habente concauum, & collige ex aqua, quod supernatat oleum. Deinde iterum exprime grana contrita in zainari habente vacuum, & infunde aquam calidam, & collige oleũ & repone. Et administra, vbi oportet.

Oleum de granis uiridibus, & est albotin &c. CCCCII.

MOdus operationis eius est, sicut olei de granis lauri.

Oleum de schino &c. CCCCIII.

FIt sicut oleum de auro, vel de oliuis.

Oleum de balsamo &c. cccciiii.

FIt ex planta longitudinis cubiti vnius, aut duorum ad plus, simili rutæ agresti. Cortici cuius si acciderit scarificatio, aut scalpellatio ex parte ortus solis, fluunt sicut lachrymæ pinguedinis: & est dimel balsen, id est pinguedo balsami. Et quandoq; accipiunt palmites plãtæ in principio veris, & terunt in pila, & coquunt in aqua, & exprimunt in zainari: & vocatur oleum balsami. Et quandoque teruntur palmites, & funditur super eos oleũ antiquũ, & ponitur in sole diebus quadraginta. Deinde coquitur in duplici vase, & iterum inuoluuntur in eo alij palmites, & ita tertiò. Deinde colatur & reconditur.

Oleum de granis sesami &c. ccccv.

MOdus compositionis eius est, sicut olei de amygdalis, præterquam oportet vt grana sesami prius alio modo excorticentur. Qui modus, talis est. Mundetur sesamum ab omnibus immundicijs, deinde roretur ipsum aqua, cum sale pauco & con fricetur manibus. Iterumque roretur donec madefiat, postea expandatur vt exciccetur. Deinde assetur assatione modica, & ponatur in sacculo panni asperi, & fricetur multùm, donec excorticetur. Deinde mundetur à corticibus, & molatur cum molis, & fiat alrachine, & de cætero trahatur oleũ sicut de amygdalis. Et quandoq; trahitur oleum, præterquam excorietur. Et eius operatio est vt assetur primò sesamum, deinde molatur, & fiat alrachine, & trahatur oleum, sicut diximus.

Oleum de semine lini &c. ccccvi.

MOdus operationis eius est, sicut olei sesamini, præterquàm non oportet vt excorientur semina lini.

Oleum de granis papaueris &c. ccccvii.

FIt sicut de semine lini.

Oleum de semine lactucæ &c. ccccviii.

VAlet sicut oleum de semine papaueris, & modus operationis eius est, sicut illius.

Oleum de seminibus cucurbitę, citrulli, cucumeris, & melonis &c. ccccix.

MOdus operationis eorum est, sicut diximus de sesamo excorticato. Siue separatim, siue coniunctim facere decreueris. Ex multis autem seminibus &c.

FIunt autem olea per impressionem &c. ccccx.

Oleum

Oleum rosatum completum &c. ccccxi.

MOdus compositionis eius est, vt accipiatur oleũ de oliuis, aut oleum sesaminũ recens, & lauetur cum aqua fontium lauationibus pluribus. Deinde accipe foliorum rosarum rubearum recentium, contusarum, quantitatẽ sufficientem, & sepelias in oleo quod modò lauisti, & reconde in vase vitreo, & obtura orificium eius, & exponas soli per dies vij. Deinde coque in vase duplici, per horas iij. Deinde fac permutationem foliorum rosarum, & vtere alijs recentibus, & dimitte per alios vij. dies in sole. Deinde exerce coctionẽ in eo, sicut fecisti prius, & fac denuò permutationem foliorum rosarum. Et proijce super illud aquæ infusionis rosarum (quam tradidimus in capitulo de syrupis) sicut quartam olei, & stringe orificium vasis, & dimitte in sole per dies 40. Deinde excola, & iterum expone soli, & dimitte tempore extenso. Et vtere vbi oportet.

¶Modus operationis eius alius est. (Et acquiritur ex hoc quòd sit resolutiuum magis.) Accipe succi rosarum, & aquæ infusionis rosarum prædictæ, ana partẽ vnam. Olei loti, & præparati, sicut diximus, partes tres. Foliorum rosarum contusarum quantũ sufficit. Reconde in vase vitreo, & expone soli, sicut diximus. Deinde operare de decoctione eius, & permutatione foliorũ rosarũ, & expositione in sole, secundum quod diximus. Et etiam de permutatione succi, & aquæ infusionis, & hoc fiat bis. Vltimò verò oleum solum, cum succo rosarum, & aqua infusionis earum, recondatur in vase, & exponatur soli per 40. dies.

¶Tertius modus operationis eius est: Accipe amygdalarum dulcium purgatarum, quantitatem aliquam, & tere in pila contritione vltima. Deinde quantitatem aliquam earum cum folijs rosarum tritis, iterum tere, & fac pastones, & dimitte in loco calido per diem vnum. Deinde iterũ tere, & malaxa in pila malaxatione vltima, sine intermissione, & fundatur super illud aquæ infusionis rosarum calidæ parum, & indesinenter malaxa, & manabit oleum. Vltimò vero malaxa, & exprime in zainari. Cùm autem expresseris, totum pone in vase vitri, & stringe os eius, & pone soli, & vtere quando oportet.

¶Modus operationis eius quartus, est secundũ quod hîc proximè diximus de operatione eius cum amygdalis. Hîc tamẽ dicendum est, fieri debere cum sesamo excorticato. Sed amygdalæ sunt melior materia ad oleum rosatum rude, & sesamum ad oleum rosatum completum.

Oleum chamæmillinum, & est oleum bene dictum &c. CCCCXII.

MOdus operationis eius est, sicut olei rosati, præterquam oportet vt fiat cum oleo de oliuis completo, aut oleo sesamino, cum illis modis præparationum, quos diximus.

Oleum uiolatum &c. CCCCXIII.

MOdus operationis eius est, sicut olei rosati, excepto quòd debet fieri cum oleo rudi, aut amygdalino, aut sesamino, cum illis modis operationis quos diximus.

Oleum anethinum &c. CCCCXIIII.

MOdus operationis eius est, sicut olei de chamæmilla.

Oleum de Lilio &c. CCCCXV.

MOdus cõpositionis eius primus est, sicut olei chamæmillini, præterquam oportet vt citrinitas eorũ tota abijciatur. ¶ Et secundus modus operationis eius est: Accipe ex folijs liliorum ℥.ix. Masticis, calami aromatici, costi, carpobalsami, ana ℥.j. Garyofyllorum, cinnamomi, ana ℥.s. croci ʒ.iij. Omnia præter folia liliorum infundantur in aqua sufficienti, & dimittãtur die ac nocte, postea bulliãt ebullitione vna aut duabus. Déinde proijce olei sesamini super ea, aut olei de oliuis completis ℔.ij. Et pone in vase vitreo, cum folijs liliorũ, & dimitte in sole per dies 40. dèinde cola & administra. Oleum autem de lilio, quando fit ex lilijs ireos, est magis resolutiuum, calefactiuũ, & penetratiuum. Factum autem ex lilijs notis, est magis sedatiuum, & lenitiuum, & maturatiuum.

Oleum irinum &c. CCCCXVI.

ACcipe radicum eius quantitatem aliquam, & florum eius duplum, & aquæ decoctionis radicum eius, quantum sufficit. Et funde super ea olei sesamini, aut de oliuis maturis, quantũ oportet, & decoque in duplici vase, déinde permuta radices, & folia liliorum. Et fac vt diximus de oleo rosato. u

Oleum sambacinum CCCCXVII.

FIt sicut oleum chamæmillinum.

Oleum de cheiri, quod ex cheiri citrina fit, est melius, & subtilius: déinde quod ex alba &c. CCCCXVIII.

FIt sicut oleum de chamæmilla.

Oleum de Papauere &c. CCCCXIX.

FIt sicut oleum violatum, & propriè ex floribus eius, & capitibus papaueris, & folijs ipsius.

Oleum

Oleum de Lactuca &c. ccccxx.

COnfert ſicut oleum de papauere,& fit ſicut illud.

Oleum de meliloto &c. ccccxxi.

COnfert ſicut oleum de chamæmilla,& fit ſicut illud.

Oleum de Nenuphare &c. ccccxxii.

COnfert ſicut oleum violatum,& fit ſicut illud.

Oleum de cucurbita &c. ccccxxiii.

COnfert ſicut oleum de nenuphare, & fit ſicut illud, præter quòd fit ex ſucco raſuræ cucurbitæ,& floribus eius,& oleo.

Oleum de Cytonijs &c. ccccxxiiii.

ACcipe carnium cytoniorum tritorum cum corticibus ſuis, quibus media accidit maturatio,& ſucci eorum ana partes æquales:olei ex oliuis incompletis,quantum ſufficit. Pone in vaſe vitreo per dies xv.ad ſolem.Deinde coque in vaſe duplici per horas iiij.Poſt illud fiat permutatio citoniorum,& ſucci eorum, & fiat ſicut diximus,bis,vel ter,deinde cola & reconde.

Oleum Malinum,ſiue melinum,vel milinum &c. ccccxxv.

FIt ſicut oleum de cytonijs.

Oleum de Pomis iabrolæ,& ſunt poma mandragoræ &c. ccccxxvi.

ACcipe expreſsionis eorum completorum & olei ſeſami,ana partes æquales.Decoque in vaſe duplici vſq; ad ſucci conſumptionem. Deinde iterum cum tantũdem expreſsionis decoque ſicut prius.Et ſic tertiò,& reconde,& vtere.

ccccxxvii.

Oleum de myrto,vel myrtinũ.Membra confortat,& ſtringit ſudoris multitudinem,& prohibet,& confert cõtritioni membrorum, & neruorum,& prohibet caſus capillorũ. Et modus operationis eius eſt.

ACcipe olei ex oliuis incompletis, & extremitatum myrti tenerrimorum,& expreſsionis extremitatũ earum,ana partes æquales. Vini odoriferi,partem mediam. Decoque ad ſucci & vini conſumptionẽ. Deinde cola,& reconde in vaſe cum eiuſdem myrti expreſsione,ſicut eſt quarta pars,& vtere.

Oleum de enula &c. ccccxxviii.

ACcipe Radicis enulæ contuſæ,& ſucci eius,& olei ſeſamini, ana partes æquales.Vini odoriferi partem s. Fac ſicut diximus in oleo myrtino.

¶ Alius modus operationis eius eſt: Adde permiſtioni prædictæ

folior

foliorum lauri, cordumeni, ſpicæ Indæ, calami aromatici, maſticis, ana ſextam partis vnius. Et decoque ſicut diximus.

Oleum de cinnamomo. ccccxxix.

COnfert ſicut oleum de enula, & eadem eſt eius operatio.

Oleum de Sauina. ccccxxx.

COnfert ſicut olum de enula, & eius operatio eſt ſicut illius.

Oleum de pulegio. ccccxxxi.

COnfert ſicut illa, & fit ſimiliter.

Oleum de ruta &c. ccccxxxii.

MOdus operationis eius eſt ſicut olei myrtini.

Oleum nardinum, eſt oleum benedictum &c. ccccxxxiii.

ACcipe Spicæ aromaticæ ℥.iij. Vini, & aquæ, ana ℥.ij.s. Olei ſeſami ℔.s. Decoquantur in vaſe duplici, lento igne, circiter horas iiij. & frequenter moueatur. ¶ Secundus modus operationis eius eſt: Accipe Spicæ Indæ ℥.iij. olei ſampſuchi ℥.ij. Xylobalſami, enulæ, folij Indi, calami aromatici. foliorum lauri, cyperi, ſquinanti, cordumeni, ana ℥.j.s. Proijciantur ſuper ea, poſtquam fuerint contrita, Vini & aquæ fontis, ana quãtum ſufficit, olei ſeſamini ℔.vj. Deinde fiat ſicut primum, & coquatur horis ſex, & agitetur omni hora. ¶ Tertius modus operationis eius eſt: Accipe Spicæ Indæ ℥.iiij. Storacis, garyofolorum, ana ℥.iij. Nucis muſcatæ ℥.v. olei balſami ℔.iiij. Fiat ſicut illud, & coquatur horis v.

Oleum maſticinum &c. ccccxxxiiii.

ACcipe Maſticis ℥.iij. olei ſeſamini, chiſt j. Coque in vaſe duplici. ¶ Secũdus modus operationis eius eſt: Accipe olei roſarum ℥.xij. Maſticis ℥.iij. Vini boni ℥.viij. Decoque ſicut primum, ad vini conſumptionem.

Oleum de Storace &c. ccccxxxv.

ACcipe olei ſeſamini ℥.xij. Storacis ℥.iij. Fac ſicut oleum maſticinum. Deinde coletur & adminiſtretur.

Oleum coſtinum &c. ccccxxxvi.

ACcipe Coſti amari ℥.ij. Caſiæ ℥.j. Extremitatũ ſampſuchi ℥.viij. Vini odoriferi, quantum ſufficit ad infundendũ noctibus duabus, olei ſeſamini ℔.ij. Decoquatur ſicut oleum nardinum, horis ſex.

Oleum de alchanna &c. ccccxxxvii.

ACcipe Florum alchannæ ℥.iiij. olei antiqui ℥.x. Fiat ſicut oleum roſatum. In defectu autem florum, fiat cum folijs, &

itere

iteretur coctio eius cum modico vino.

Oleum de Sampsucho &c. CCCCXXXVIII.

Fit sicut oleum de myrto.

Oleum de mezereon &c. CCCCXXXIX.

Accipe Foliorũ almezereon ℥.iiij. Et proijce super ea aquæ dulcis ℔.j. Et dimitte die ac nocte. Deinde fundantur super ipsum lactis dulcis & recentis ℥.vj. olei sesamini ℥.viij. Coquatur vsque ad lactis,& aquæ consumptionem. Deinde coletur & reponatur.

Oleum alhasech &c. CCCCXL.

Accipe Alhasech ℥.iiij. Zinziberis ℥.j.s. Funde super ea, in vase vitreato succi extremitatum alhasech ℥.iiij. olei sesamini ℥.xiiij. Aquæ dulcis, quantum sufficit. Et decoque vsque ad aquæ consumptionem. ¶ Modus alius quod bibitur &c. Cuius dosis est ℥.j. cum rob, aut cum vino, aut cum aqua mellis. Accipe olei sesamini,& succi alhasec,& lactis vaccini recentis, ana ℔.ij. Albarum penidiarum ℥.v. Zinziberis albi ʒ.xij. Et decoquatur vsque ad succi,& lactis consumptionem,& administretur.

Oleum de cucumere asinino &c. CCCCXLI.

Accipe succi cucumerum asininorum completorum, olei sesamini, partes æquales. Coque vsq; ad succi cõsumptionem. ¶ Modus alius est: Accipe Succi radicum eius contritarum ℔.s. olei sesamini ℔.j. Coquatur sicut diximus,& administretur.

Oleum de Pomis citranguli &c. CCCCXLII.

Accipe Poma citrangulorum xij. Et sint propriè antiqua. Et pone ea integra in vase figuli vitreato. Et funde super ea olei de oliuis, aut olei sesamini ℥.xxvj. aut plus, aut minus secundum magnitudinem & paruitatem citrangulorum,& aquæ fontium,& aquæ maris, ana ℔.j. Coquātur ad consumptionẽ aquæ. Deinde funde super ipsum aquæ dulcis claræ ℔.j.s. Et proijce super ea penidiarum albarũ ℥.viij. Decoque vsque ad aquæ consumptionem,& administretur in potibus,& cibis,& pulmentis de farina. Dosis eius est ab ℥.j. vsque ad iij.

Oleum de croco &c. CCCCXLIII.

Accipe Croci ℥.j. Myrrhæ puræ ʒ.iij. cordumeni ʒ.ix. calami aromatici ʒ.viij. Infundantur medicinæ in aceto, diebus quinque, præter cordumeni. Die sexta proijciatur super ea cordumeni,& dimittatur die vna. Deinde fundatur super ea olei ℔.j.s. Et coquatur lento igne, vsque ad aceti consumptionẽ. Et sunt qui loco aceti vinum ponunt.

Oleum

Oleum de piperibus &c. CCCCXLIIII.

Accipe Trium piperum, ana ℨ.iij. Chebulorũ, bellericorum, emblicorum, & Indorum, ana ℨ.v. Radicum apij, fœniculi, ana ℨ.iij.s. Serapini, opopanacis, ammoniaci, ana ℨ.ij.s. Turbith albi boni ℨ.ij. Zinziberis ℨ.iij. Caulis recentis, Hasech, humidi, foliorum rutæ humidæ, quantum de singulis manu capi potest. Decoquatur omnia post contritionem ipsorum, cum aquæ ℔.xxiiij. vsque ad tertiam partem. Deinde coletur, & proijciantur super illud olei de cherua, heminæ ij. Et coquatur vsque ad consumptionem aquæ. Et sunt ex hominibus, qui addunt in eo Ireos ℨ.vj. Casiæ ℨ.ij. Anisi, cordumeni, ana ℨ.j.s. Calami aromatici ℨ.ij.s. & spicæ Indæ ℨ.j. Expresſionis asech, sextaria iij. Administretur vbi oportet. Et sunt qui loco olei de cherua, ponunt oleum irinum, aut oleum de cheiri, aut oleum de amygdalis amaris, aut ex omnibus, partes conuenientes.

Oleum de euphorbio &c. CCCCXLV.

Accipe Euphorbij ℥.s. Olei de cheiri ℥.v. Vini odoriferi tantumdem. decoque vsque ad vini consumptionem, & vtere.

¶ Alius modus: Accipe Staphisagriæ ℨ.iij. Condisi ℨ.iiij. Pyrethri ℨ.vj. Calamenti montani sicci ℨ.xij. Costi ℨ.x. Castorei ℨ. v. Tere, & decoque in vase vitreo, cum vini odoriferi ℔.iiij.s. (Postquam infusa fuerint in eo diebus duobus) vsque ad medium vini. Deinde frica manibus fricatione vehementi, & cola, & funde super ipsum olei de cheiri, aut olei sesamini ℔.j.s. Et decoque vsque ad consumptionem vini. Deinde proijce super ipsum Euphorbij recentis & albi, triti contritione multa ℨ.iiij. Et coquatur cum eo, & vtatur.

Oleum uulpinum &c. CCCCXLVI.

Accipe Vulpem integram, cuius interiora sint euulsa, & pone in vase, & funde super ipsam aquæ fontium, & aquæ marinæ, ana chist ij. olei antiqui clari, chist ij.s. Et decoque lento igne, cum salis ℥.iij. vsque ad aquarum consumptionem. Deinde pone in vase, & proijce super ipsam herbæ anethi, & Alhasech, ana ℔.j. Et funde super ea aquæ dulcis, vbi coctus fuerit ex eisdẽ herbis, ana manipulus vnus. Et decoque sicut prius, vsq; ad aquæ consumptionem, & administretur. Est enim mirabile. Et quandoque præter oleum, coquitur vulpes in aqua fontium, & aqua salsa (& sit aquarum quantitas multa) cum eisdem herbis, & administretur lauando in tina. Et est efficax. Hoc quoque nõ prætermittas, quòd vulpes tandiu debet coqui, siue in faciendo oleũ, siue

siue aquam ad abluendum, donec discocta sit, vt eius artus omnes laxentur, & dissoluantur.

Oleum de serpentibus &c. CCCCXLVII.

ACcipe ex serpentibus nigris circiter ℔.ij. Et sint serpentes integri. Et funde super eos olei sesamini, chist.j. Et pone in vase terreo, stricti orificij, & sigilla orificium vasis, & decoque lento igne vsquedum dissoluantur serpentes. Et caueat sibi operator à vapore eius. Et cum coctum fuerit, dimittatur infrigidari, & recondatur in vase vitreo, & administretur liniédo cum pēna.

Oleum de Scorpionibus &c. CCCCXLVIII.

REcipe Scorpiones circiter xx. vel plus, vel minus, secūdum quantitatem magnitudinis & paruitatis eorum. Et pone in vase vitreo, & funde super eos olei amygdalarum amararum ℔.ij. Et stringe caput vasis, & dimitte in sole diebus triginta. Déinde cola, & vtere.

¶ Modus operationis eius alius est: Recipe Aristolochiæ rotundæ, gentianæ, cyperi, corticum radicis capparis, ana ℥.j. Funde super ea olei amygdalarū amararū, chist. j. Et pone in sole viginti diebus. Déinde proijce super ea ex scorpionibus à decem vsq; ad quindecim, & iterum stringe orificium vasis, & dimitte in sole per dies triginta. Déinde coletur, & reponatur. Est enim mirabile &c.

Oleum de Ranis &c. CCCCXLIX.

REcipe Ranarum aquaticarum, circiter ℔.s. Et funde super eas in vase vitreo olei sesamini, chist s. Et obtura orificium vasis, & decoque sicut diximus in oleo serpentino.

EX multis autem fiunt olea &c. CCCCL.

FIunt autem olea per resolutionem diuersis modis &c. CCCCLI.

Oleum de ouis &c. CCCCLII.

ACcipe Vitellos ouorum elixatorum, circiter xxx. Et cōminue eos manibus, & pone in sartagine lapidea, & assa super ignem, mouendo cum ligneo, aut ferreo cochleari, donec rubescant & resoluatur ab eis oleū. Et tunc exprime eos cum cochleari, & manabit abundantius.

¶ Alius modus eius compositionis est: Recipe Vitellos ouorum elixatorum. Comminuantur molendo cum mola, déinde malaxentur, sicut diximus in capitulo de oleo amygdalino, & manabit oleum.

¶ Tertius modus eius est, vt distilletur in caczola, & alembico, sicut

ſicut in oleo philoſophorum dicemus.

Oleum de frumento &c. CCCCLIII.

POne frumẽtum ſuper laminã ferream,& ſuper ipſum aliam laminam ferream ignitam,ſed non multùm,& cõprime. Et manabit oleum.

¶Secundus modus: Ponatur frumentum excorticatum in vaſe ſublimationis,& fiat ſicut dicemus.

Oleum ſinapinum &c. CCCCLIIII.

FIt ſicut oleum de frumento.

Oleum de iunipero &c. CCCCLV.

ACcipe ex lignis iuniperi,quantitatem ſufficientem,& ſcinde in fruſta,& imple ex eis dolium magnum,vitreatum interius,cuius orificium ſit arctum. Et præpara parietes eius cum terra figuli,& fac foueam in terra. Deinde pone ollam vitreatã ex directo,in fundo foueæ,habentẽ orificiũ amplum, & cooperiatur lamina ferrea ſubtili perforata foraminibus multis,ſicut cribratoriũ tritici,ita quòd lamina vndique ollæ orificiũ cooperiat. Deinde ſuper laminam præparetur orificiũ dolij, ex inuerſo,& præparetur cum terra figuli,vt nihil ex vtroque orificio reſpiret. Poſt illud accende ignem ſuper totum corpus dolij, & dimitte ardere ſic, per horas duas. Manabit enim à lignis,ex arte hac,oleum. Quod reconde,& adminiſtra vbi oportet.

Oleum Fraxininum. CCCCLVI.

VAlet ſicut oleũ de iunipero,& cõfert ſpleni,&fit ſicut illud.

Oleum de gagate,eſt oleum ſacratum &c. CCCCLVII.

REcipe ex lapidibus gagatis.quantum vis,& fac eis ſicut diximus in oleo de iunipero.


¶Secundus modus eſt cum operæ ſublimationis,vt dicemus.

Oleum philoſophorum &c. CCCCLVIII.

EStautẽ eius aliud quod fit à natura,& profert illud minera. Et eſt locus manationis eius in inſulis,& ſcopulis maris, & vocatur naphtha.Cuius tres modi ſunt.Eſt enim quoddã ſubalbidum,& quoddam ſubrubeum tenue, & aliud groſſum ſubnigrum. Subalbidum verò eſt melius alijs: ſubrubeum eſt poſt illud,aliud verò poſtea. Et eſt aliud quod fit ab arte. Et modus operationis eius eſt:Accipe ex lateribus antiquis, multæ antiquitatis,& propriè factis ex terra rubea,& comminue eos in fruſta. Et accende ſuper eos ignem carbonum ſine fumo, vſquedum

inflammentur, & rubeant. Deinde ſubmerge eos in concha plena oleo alchichil, aut oleo antiquo, claro, vſquedum imbibantur imbibitione vltima, & pone in caczolis, & permitte exiccari per ſe. Poſt illud, comminue eos comminutione vltima, & pone in caczola, & ſigilla orificium caczole cum orificio alembici, & ſigilla cum luto alchimiſtarum, & pone in fornace, cuius ignis ſint prunæ, & coquatur vſquedum diſtillet oleum. Et tu ordinabis vas ſub roſtro alembici, in quo fluat oleum. Deinde reconde illud, & ſtringe orificiũ vaſis, in quo recondis, & adminiſtra vbi oportet. Et quãto antiquius, tanto melius.

RECEPTARII IOANNIS FILII MESVAE FINIS.



REPERTORIVM ALPHABETICVM HVIVS RECEPTARII.

A

ACorus condîtus. 22
Alchelengi: & est medicamen magnum. 19
Aqua fructuum. 40
Aromaticum garyofyllatum. 5
Aromaticum muscatum. 4
Aromaticum nardinum. 5
Aromaticum rosatum descriptione Gabrielis. 4
Aromaticum rosatum minus. eod.
Aromaticum rosatum stomachum. eod.
Athanasia magna. 12

B

BAuciæ condîtæ. 22

C

CHebuli condîti. 20
Cerotum Alexandrinum. 63
Cerotum aliud eiusdem. eod.
Cerotum Andromachi. eod.
Cerotum de Sandalis. 60
Cerotum diapente. 63
Cerotum Galeni stomachum. 62
Cerotum Galeni vltimum. 61
Cytonia condîta. 21
Citra condîta. eod.
Condîtum aliud de citro. 37
Confectio alchermes. 2
Confectio alfesceræ. 18
Confectio alia Hamech. eod.
Confectio alia electuarij alharif. 16
Confectio alia Galeni. 8
Confectio alia galliæ alephanginæ. 43
Confectio alia testiculorum vulpis. 3
Confectio alia trochiscorum de aniso. 46

Confectio alia trochiſcorum de berberis. 45
Confectio alia trochiſcorum de Sandalis. 47
Confectio almezereon. 19
Confectio anacardina. 12
Confectio de aſſa. eod.
Confectio de cinnamomo. 5
Confectio de cytonijs bona. 6
Confectio de cytonijs facta cum ſucco cytoniorum. 7
Confectio de dactylis: & eſt diaphinicon. 17
Confectio de galanga. 4
Confectio de muſco dulcis. 2
Confectio de muſco amara. 3
Confectio de prunis 8
Confectio de raued ſeni. 10
Confectio de ſeminibus. 6
Confectio de ſtorace. 13
Confectio de xyloaloës. 2
Confectio de zinzibere. 22
Confectio electuarij alharif. 15
Confectio electuarij diacytoniten. 20
Confectio electuarij ex inuentione noſtra. 11
Confectio electuarij indi maioris. 16
Confectio Philonij ex inuentione propria. 12
Confectio Philonij deſcriptione Hamech. eod.
Confectio galliæ muſcatæ. 42
Confectio galliæ ſebelliæ. eod.
Confectio hieræ Archigenis. 14
Confectio mannæ. 18
Confectio medicaminis quod ſcripſit Hamech. 17
Confectio miuæ acetoſæ. 38
Confectio miuæ alterius. eod.
Confectio miuæ factæ ex ſucco fructuum. eod.
Confectio miuæ ſimplicis. 37
Confectio pſoricon. 62
Confectio ramich. 34
Confectio trochiſcorum alandahal. 47
Confectio trochiſcorum alchechengi. 48
Confectio trochiſcorum Hamech. 47
Confectio trochiſcorum de abſinthio. 45
Confectio trochiſcorum de aniſo. eod.
Conf

Confectio trochiſcorum de arſenico. 46
Confectio trochiſcorum de berberis. 35
Confectio trochiſcorum de camphora. 34.
Confectio trochiſcorum de cappariбus. 48
Confectio trochiſcorum de charabæ. eod.
Confectio trochiſcorum de cyperis. 47
Confectio trochiſcorum de croco. 46
Confectio trochiſcorum de eupatorio. 45
Confectio trochiſcorum de lacca. 46
Confectio trochiſcorum de ligno aloës. 48
Confectio trochiſcorum de rheubarbaro. 34
Confectio trochiſcorum de roſis,& eupatorio. 43
Confectio trochiſcorum de roſis,ſicut. eod.
Confectio trochiſcorum de roſis ſtomachum. 43
Confectio trochiſcorum de ſandalis. 47
Confectio trochiſcorum de ſpodio. 45
Confectio trochiſcorum de ſpodio cum ſemine acetoſæ. eod.
Confectio trochiſcorum de terra ſigillata. 46
Confectio trochiſcorum diarhodon. 43
Confectio vnguenti ſanantis vulnera. 62

D

Decoctio alhaſce. 41
Decoctio capillorum Veneris. 40
Decoctio de eupatorio. 41
Decoctio de ſtichados. eod.
Decoctio epithymi. 42
Decoctio fumi terræ. 41
Decoctio myrobalanorum. eod.
Deſcriptio electuarij ſarboteng. 2
Diacalamentum. 6
Diachylon paruum. 64
Diacyminum bonum. 5
Diacyminum valens. 6
Diacoſtum. 11
Diacurcuma maior. 10
Diacurcuma minor. eod.
Diaphinicon. 17
Dialacca magna. 10
Dialacca minor. eod.
Diambra. 5

Diamoron. 10
Diamorusia. eod.
Diauisum. 5
Diahorodon descriptione communi. 4
Diasiracost, descriptione Irani. 14
Diasulphur. 13
Diatrion pipereon. 6

E

ELectuarium confortans stomachum. 11
Electuarium de aromatibus. 1
Electuarium de fructibus. 7
Electuarium de gemmis. 1
Electuarium de granis myrti. 5
Electuarium de persicis. 7
Electuarium de pomis. eod.
Electuarium de sorbis. 8
Electuarium elescoph. 17
Electuarium indum minus. 16
Electuarium quo vtuntur reges. 7
Electuarium secundum, quo vtuntur reges. eod.
Emblici conditi. 21
Emplastrum aliud Andromachi. 65
Emplastrum aliud de gallia. eod.
Emplastrum Arabicum. 18
Emplastrum de allijs. 68
Emplastrum de fermento. 66
Emplastrum de gallia. 64
Emplastrum de granis lauri. eod.
Emplastrum de meliloto. 69
Emplastrum diachylon. 64
Emplastrum diachylon magnum. eod.
Emplastrum diaphinicon confortatiuum. 67
Emplastrum diaphinicon descriptione Alexandri. 68
Emplastrum filij Zachariæ. 67
Emplastrum oribasij. 68
Emplastrum oribasij aliud. 69
Emplastrum relatum ad Andromachum. 65
Emplastrum relatum an Aristarcum. 68
Emplastrum sinapisinum. 66
Emplastrum stomachum & hepar confortans. 64

Hiera

H

Hiera Archigenis deſcriptione Pauli. 14
Hiera diacoloquintidos inuentione Ruffi. eod.
Hiera Hermetis. 13
Hiera inuentione noſtra. 14
Hiera piccra Galeni. 13
Hyſopi cerotum deſcriptione Philagrij. 57
Hyſopi cerotum deſcriptione Galeni. 56
Hyſopi cerotum deſcriptione Pauli. 57
Hyſopi cerotum diateſſaron. 62

I

Infuſio de hiera. 42
Infuſio alia hieræ. eod.
Infuſio tertia hieræ. eod.
Iuleb aliud roſarum. 27
Iuleb de ſucco roſarum. eod.
Iuleb de ſucco violarum. eod.
Iuleb iuiubinum. eod.

L

Lohoc ad aſthma bonum. 26
Lohoc ad caliditatem. eod.
Lohoc aliud noſtrum de intentione hac. eod.
Lohoc bonum. eod.
Lohoc de alfeſcera. 25
Lohoc de amygdalis. 26
Lohoc de papauere. 24
Lohoc de pino. 23
Lohoc de ſquilla. 25
Lohoc ſanum & expertum. eod.

M

Mel alchilil. 23
Mel bugloſſatum. eod.
Mel roſatum. eod.
Mel violatum. eod.
Miſtura ad vulnera ſananda. 69
Miuæ omnes. 37
Modus condîti de Bugloſſa. eod.
Modus condîti de citro. 36
Modus confectionis Alchanzi. 11
Modus confectionis alſcebram. 19

Modus confectionis de eupatorio. eod
Modus confectionis de iacur. 24
Modus confectionis de moris. 25
Modus confectionis de ſucco corticum nucum. eod.
Modus confectionis teſticuli vulpis. 3
Modus electuarij de citro. 2
Modus electuarij de pſyllio. 17
Modus electuarij roſati. 18
Modus infuſionis aquæ caſei. 40
Modus infuſionis de ſuccis herbarum. 41
Modus iuleb violati. 26
Modus operationis conditi de cytonijs. 38
Modus operationis iuleb roſati. 26
Modus oxymellis ſquillitici de radicibus. 39
Modus oxymellis ſquillitici virtuoſi. eod
Modus ſecaniabin de calamento. 33
Modus ſecaniabin de cheiſim. eod.
Modus ſecaniabin de radicibus. 32.
Modus ſecaniabin ſolutione educentis flegma. 33
Modus ſecaniabin ſolutione educentis melancoliam. eod.
Modus ſyrupi acetoſi altereniabin., 30
Modus ſyrupi acetoſi cum radicibus. 29
Modus ſyrupi acetoſi de cytonijs. 30
Modus ſyrupi acetoſi de pomis. eod.
Modus ſyrupi acetoſi de pomis deſcriptione noſtra. eod.
Modus ſyrupi acetoſi de prunis. eod.
Modus ſyrupi acetoſi de ſuccis herbarum. 29
Modus ſyrupi acetoſi de ſuccis,& aquis fructuum. 30
Modus ſyrupi acetoſi de ſuccis fructuum. 29
Modus ſyrupi acetoſi ſolutione educentis coleram. 31

O

OLeum alhaſech. 77
Oleum anethinum. 74
Oleum chamæmillinum. eod.
Oleum coſtinum. 76
Oleum de alchanna. eod.
Oleum de almahaleb. 71
Oleum de amygdalis amaris. 70
Oleum de amygdalis dulcibus. eod.
Oleum de auellanis. 71

Oleum

Oleum de balſamo. 72
Oleum de ben. 71
Oleum de carthamo. eod.
Oleum de cheiri. 74
Oleum de ceraſis. 71
Oleum de cherua. eod.
Oleum de cinnamomo. 76
Oleum de cytonijs. 75
Oleum de chryſomilis. 71
Oleum de croco. 77
Oleum de cucumere aſinino. eod.
Oleum de cucurbita. 75
Oleum de enula. eod.
Oleum de euphorbio. 78
Oleum de fiſticis. 71
Oleum de frumento. 80
Oleum de gagate. eod.
Oleum de granis citri, & citrangulorum. 71
Oleum de granis papaueris. 72
Oleum de granis ſeſami. eod.
Oleum de granis viridibus. 71
Oleum de iunipero. 80
Oleum de lactuca. 75
Oleum de lilio. 74
Oleum de mandragora. 75
Oleum de meliloto. 75
Oleum de mezereon. 77
Oleum de myrto. 75
Oleum de nenuphare. 75
Oleum de nuce indica. 71
Oleum de nucibus. eod.
Oleum de ouis. 79
Oleum de papauere. 74
Oleum de perſicis. 71
Oleum de piperibus. 77
Oleum de pomis citranguli. 78
Oleum de pomis iabrolæ. 75
Oleum de pulegio. 76
Oleum de ranis. 79
Oleum de ruta. 76

Oleum de sampsucho. 77
Oleum de sauina. 76
Oleum de schino. 71
Oleum de scorpionibus. 79
Oleum de semine lactucæ. 72
Oleum de semine lini. eod.
Oleum de seminibus cucurbitæ, citrulli, cucumeris, & melonis. eod.
Oleum de serpentibus. 79
Oleum de storace. 76
Oleum philosophorum. 80
Oleum fraxininum. eod.
Oleum irinum. 74
Oleum laurinum. 71
Oleum malinum. 75
Oleum masticinum. 76
Oleum myrtinum. 75
Oleum nardinum. 76
Oleum rosatum. 73
Oleum sambacinum. 74
Oleum senapinum. 80
Oleum violatum. 74
Oleum vulpinum. 78
Operatio infusionis rosarum: & violarum. 27
Operatio hysopi humidæ. 56
Oxymel squiliticum, descriptione Democriti. 39

P

Persica condîta. 21
Pilulæ ad febres antiquas. 51
Pilulæ ad omnes morbos catarrhi. 55
Pilulæ aggregatiuæ ex inuentione nostra. 50
Pilulæ aggregatiuæ maiores. eod.
Pilulæ aggregatiuæ minores. 51
Pilulæ alandahal. 54
Pilulæ alandahal Hermetis. 52
Pilulæ alephanginæ. 49
Pilulæ aureæ. 54
Pilulæ de agarico. eod.
Pilulæ de alchechengi. 51
Pilulæ de bdellio ex inuentione nostra. 55

Pilulæ de bdellio maiores. eod.
Pilulæ de bdellio minores. eod.
Pilulæ de coloquintida. eod.
Pilulæ de hermodactylis descriptione nostra. 56
Pilulæ de hermodactylis maiores. eod.
Pilulæ de hermodactylis minores. eod.
Pilulæ de euphorbio. 52
Pilulæ de eupatorio maiores. 51
Pilulæ de eupatorio minores. eod.
Pilulæ de lapide armeno. 55
Pilulæ de lapide lazuli. 54
Pilulæ de mezereon. 53
Pilulæ de opopanace. 55
Pilulæ de raued. 52
Pilulæ de rheubarbaro. 51
Pilulæ de sarcocolla. 52
Pilulæ de Serapino. 52.& 55
Pilulæ de turbith. 54
Pilulæ de turbith aliæ. eod.
Pilulæ diarhodon. 54
Pilulæ fœtidæ maiores. 52
Pilulæ fœtidæ minores. eod.
Pilulæ Indæ quas scripsit Hali. 51
Pilulæ lucis maiores. 53
Pilulæ lucis minores. eod.
Pilulæ quæ conferunt ad febres colericas. 54
Pilulæ sebelliæ. 56
Pilulæ stomaticæ. 50.& 53
Pilulæ stomaticæ aliæ nostræ. 54
Pyra condîta. 21
Poma condîta. eod.

R

Rob de acetositate citri. 40
Rob de acrelta. 39
Rob de berberis. eod.
Rob de cytonijs. eod.
Rob de cornis. 39
Rob de fructibus. 04
Rob de fructibus aliud. eod.
Rob de granis acetosis. 39

Rob de moris de fcemi. 42
Rod de perficis. 40
Rob de pyris. 39
Rob de pomis. eod.
Rob de prunis. eod.
Rob de ribes. 39
Rob de fumach. eod.
Rob myrtinum. 40

S

SAgzenea experta. 12
Secacul conditum. 22
Sermo in aceto fquillitico. 38
Sermo in aqua mellis. 32
Sermo in mellicrato condito. 36
Sermo in fecaniabin puro. 32
Sermo in fyrupo acetofo. 29
Syrupus acetofitatis citri. 28
Syrupus acetofus de fuccis herbarum cum aromatibus. 34
Syrupus acetofus diarhodon. 33
Syrupus albalach : vel albelach. 28
Syrupus alius acetofus. 30
Syrupus chefmes. 28
Syrupus conferens catarrhis. 31
Syrupus de abfinthio. 34
Syrupus de abfinthio alius. eod.
Syrupus de acrefta. 28
Syrupus de calamento. 35
Syrupus de calamento valens. eod.
Syrupus de cannis zucchari. 31
Surupus de cytonijs. 27
Syrupus de cortibus citri. 28
Syrupus de epithymo. 36
Syrupus de eupatorio. eod.
Syrupus de fumo terræ maior. 34
Syrupus de fumo terræ minor. 35
Syrupus de granatis acetofis. 28
Syrupus de granatis dulcibus. eod.
Syrupus de granis myrti. 28
Syrupus de hyfopo. 35
Syrupus de iuiubis. 31

Syrupus de menta. 34
Syrupus de menta inuentione nostra. eod.
Syrupus de papauere. 28.&31
Syrupus de Persicis. 27
Syrupus de Pyris. eod.
Syrupus de Pomis. eod.
Syrupus de portulaca. 31
Syrupus de prasio. 35
Syrupus de Prunis. 28
Syrupus de stichados. 36
Syrupus de succo acetosæ. 27
Syrupus de succo cucurbitæ. eod.
Syrupus de thymo. 35
Syrupus de violis. 31
Syrupus dinari. 29
Syrupus liquiritiæ. 35
Such alharif. 34
Suffuf ad tussim antiquam. 49
Suffuf aromaticum. eod.
Suffuf bonum impinguatiuum. eod.
Suffuf de granis myrti. eod.
Suffuf de ligno aloës. 48
Suffuf de ligno aloës aliud. eod.
Suffuf diarhodon. 40

T

THeriaca diatessaron. 8
Triphera Galeni. eod.
Triphera maior ex arte Fenonis. eod.
Triphera minor descriptione cognita. eod.
Triphera muscata. 8
Triphera Persica. 15
Triphera saracenica. 8
Trochisci de decem medicinis. 46
Trochisci omnes. eod.

V

VNguentum alariel. 60
Vnguentum aliud palmeum. 69
Vnguentum alpsoricon. 62
Vnguentum arabicum. 57
Vnguentum arthanitæ magnum. 59

Vnguen

Vnguentum arthanithæ paruum. eod.
Vnguentum aureum. 61
Vnguentum basilicon maius. 60
Vnguentum basilicon minus. eod.
Vnguentum Cæsareos magnum. 59
Vnguentum Cæsareos paruum. eod.
Vnguentum de bdellio. 61
Vnguentum de cerusa. eod.
Vnguentum de lino. 59
Vnguentum de papauere. 60
Vnguentum diaphinicon, conferens. 57
Vnguentum diaphinicon descriptione arabica. eod.
Vnguentum ægyptiacum, magnum. 61
Vnguentum expertum ad scabiem. 70
Vnguentum Philagrij. 61
Vnguentum mirabile relatum ad Nicodemum. 58
Vnguentum Nicodemi aliud. eod.
Vnguentum palmeum. 69
Vnguentum rosatum. 60
Vnguentum syricinum. 61
Vnguentum tripharmacum: faciens. 62
Vnguentum tripharmacum aliud. eod.
Vnguentum valens similiter. 61
Vnguentum violatum. 60

Z

Zinziber condîtum. 22
Zuccharum alchilil. 23
Zuccharum buglossâtum. eod.
Zuccharum rosatum. 22
Zuccharum violatum. 23



INDICIS RECEPTARII, FINIS.

LVGDVNI,
EXCVDEBANT IOANNES ET
FRANCISCVS FRELLO-
NII, FRATRES.
ANNO M. D. XLV.

A:DILIGENTIA:
ET:LABORE:N:
DEBOVRGES:FG:
CHVBERE:V:BO
VRDIN:G:DEVOV
GES:13:NOVẼB:
:AN:·1570:·